R. P. VINCENTII
HOUDRY
E SOCIETATE JESU
BIBLIOTHECA
CONCIONATORUM THEOLOGICA,

COMPLECTENS

MYSTERIA DOMINI NOSTRI, ET B. VIRGINIS:
Inſuper & Cæremonias, Conſuetudines,
& Eccleſiæ Placita,

e Gallico ſermone in Latinum translata.

TOMUS TERTIUS,

IN QUO CONTINENTUR

OMNIA VIRGINIS DEIPARÆ
MYSTERIA.

EDITIO NOVISSIMA.



VENETIIS, MDCCLXXII.
Ex Typographia Balleoniana.
Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.

INDEX
ARGUMENTORUM,

Quæ in hoc Tomo de Myſteriis Sanctæ Virginis continentur.

	Pag.
Immaculata Conceptio.	5
Nativitas Beatiſſimæ Virginis.	29
Sanctum Mariæ Nomen.	46
Præſentatio Sanctiſſimæ Virginis in Templo.	56
Myſterium Annuntiationis Beatæ Virginis.	68
Myſterium Viſitationis Sanctæ Eliſabeth.	90
Myſterium Purificationis Sanctæ Mariæ Virginis.	101
Transfixio, vel Dolores Mariæ Virginis.	119
Myſterium Aſſumptionis Sanctæ Virginis.	130
Devotio, & Confraternitas Roſarii.	150
Devotio, & Confraternitas Montis Carmeli.	161
Devotio erga Beatam Virginem.	172

Digitized by Google

BIBLIOTHECÆ
CONCIONATORUM THEOLOGICÆ
TOMUS TERTIUS,
Continens
MYSTERIA BEATÆ VIRGINIS,

QUORUM PRIMUM EST
CONCEPTIO IMMACULATA.
MONITUM.

PER Sanctiſſimæ Virginis Conceptionem æternum Verbum exequi incepit magnum humanæ Redemptionis Conſilium, ſuamque patefacere Miſericordiam erga genus humanum, ipſique tribuere pignora futura ejuſdem felicitatis. Cum divinum hoc Verbum venturum eſſet in Terram ad evertendum peccatum, præſertim vero Originale, quod funeſta contagione ex protoparente noſtro in omnem ſeſe illius poſteritatem effudit; ideoque eſſet ex muliere naſciturum, æquum erat, ut quæ illius parens erat futura, ab hac labe ſervaretur immunis, quippe quæ non modicum erat ad cæterorum hominum ſalutem collatura.

Sed cum immaculatæ Conceptionis titulus, & hæc ab originalis noxa immunitas ſæpe huic Cœlorum, terræque Dominæ in controverſiam vocata fuerit; ac modo quid in re hac ſentiendum ſit non dubiè tradiderit Eccleſia, ſollemnem ſtatuens feſtivitatem, & uberes gratias impertiens illis, qui devote eamdem celebraverint; quin tamen aliquid de fide ſtatuendum eſſe decuerit; accurate conquiſivimus apud plurimos Auctores argumenta, auctoritates, probationes, & quidquid ad opinionem hanc comprobandam eſſet utile, ut Concionatores, qui noſtris hiſce collectaneis uti vellent, invenirent, unde fideles excitare poſſent non ſolum ad fidem, verum etiam ad devotionem hujus Myſterii, quod omnes veri Chriſtiani debent intueri tamquam ſalutis ſuæ ſpem præcipuam. Illos duntaxat monitos velim, ne argumentum hoc de ſuggeſtu tractaturi, toti ſint in hac probanda veritate, cui nemo amplius audet obtrectare; ita ut fructum referre non adnitantur per morales conſiderationes, quas hoc argumentum magno in numero ſuppeditat; atque ne e contra prorſus moralem ſermonem elucubrentur, ſupponentes Myſterium, quin ſatis doceant Auditorem, quod plures facere conſueverunt per abuſum nunquam ſatis improbandum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum Synopſis hujus Argumenti.

I. PRo textu ſumentes verba illa ex Pſalmo 117. *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris*: oſtendere poſſumus Conceptionem Beatæ Virginis opus eſſe, cui manum ſuam addidit Deus, & eſſe admirabile quacumque ex parte ſpectetur; præſertim vero miraculum eſſe Sanctitatis, eſt enim tamquam ſpecimen, & adumbratio quædam Conceptionis Incarnati Verbi, ita ut de Conceptione Mariæ in utero Sanctæ Annæ idem ferme dici poſſit, quod de Conceptione Salvatoris in ſinu Mariæ: *Ideoque quod naſcetur ex te, Sanctum vocabitur.* Luc. 1. Utrumque enim eſt prodigium Sanctitatis, quantumvis in ſenſu, & gradu longe diverſo. Sub hoc titulo fert animus, vobis oſtendere Beatam hanc Virginem prorſus puram, & immunem a labe in Conceptione ſua; ad quod argumentum cum fructu pertractandum, & eruendas inde conſiderationes noſtræ Sanctificationi profuturas, cum S. Thoma animadverto; Sanctitatem bifariam conſiderari poſſe, ſecundum varios effectus, qui ejuſdem ſunt proprii: Videlicet; 1. Quod arcet nos a peccato, quod ſummum eſt malum: 2. Quod nos admovet Deo, quod ſupremum eſt bonum. Quatenus nos arcet a peccato, dicitur puritas, & quatenus nos admovet Deo, perfectio appellatur. Altera negativa eſt, & ſita eſt in immunitate a noxis magis eſſentialibus; Altera poſitiva, quæ complectitur omnes perfectiones, quarum ſubjectum eſt capax. At glorioſa Virgo poſſedit utramque in gradu prorſus eminenti ab ipſo ſuæ Conceptionis articulo; quamobrem ajo, ipſam extitiſſe gratiæ miraculum, & ſpecimen quoddam Conceptionis Incarnati Verbi, quod Sanctum fuit duplici hoc pacto, quoniam fuit alieniſſimum a peccato, cui patrando par non erat; & mox Sanctum fuit infinita Sanctitate, videlicet infinite perfectum. In his igitur duobus ſita eſt Sanctitas, quam recipit Maria in hoc Myſterio. Tota pura fuit, & immaculata; cum aliqua proportione, ſimilis Filio ſuo. Deinde uſa eſt omnibus privilegiis immaculatæ hujus Conceptionis, ut ad altiſſimum perfectionis apicem perveniret. *Hoc argumentum deſumptum eſt ex Auctore Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta, Tomo 1. Myſteriorum, Sermone 2.*

II Aliud ejuſdem Auctoris argumentum eſt, ſumptis pro textu verbis illis ex octavo Proverb. capite: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, oſtendere: Mariam vere poſſeſſam fuiſſe a Deo ab initio viarum ſuarum; hoc eſt, a primo vitæ ſuæ articulo, per gratiam ſanctificantem; neque enim ſpecioſius inſtitui poteſt elogium feliciſſimæ hujus creaturæ, neque Immaculatæ ejuſdem Conceptioni accommodatius, quam oſtendere. 1. Deum poſſediſſe illam a primo vitæ ejuſdem momento. 2. Deum integre, & perfecte poſſediſſe illam, nihil enim erat in illa, quod Dei non eſſet. 3. Denique Deum habuiſſe perfectam illius poſſeſſionem, quin aliquid obſtiterit unquam, & tranquillam ejus poſſeſſionem nulli viciſſitudini obnoxiam. Enucleatius ſingula videamus.

Pars prima. Ex omnibus Titulis propter quos quidquam ad nos poteſt pertinere, ille ceteria præſtat poſſeſſionis antiquæ; quoniam ceteris quibuſcumque ſupplere poteſt, & obtinere jus, quod habemus citra omnem controverſiam. Itaque Deus, cui nulla unquam in re jus deeſſe poteſt, quippe Dominus eſt omnium creatarum rerum, videtur oblitus titulorum ceterorum, & contentus eſſe titulo poſſeſſionis antiquæ in
Prov. cap. 8. Sancta Virgine: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*. 1. Nam poſſedit illam ante omnia ſæcula, atque ut quidam Theologi docent, antequam etiam prævidiſſet lapſum primi hominis, vel ut alii aſſerunt probabilius; elegerat illam, atque ſecreverat a ceteris poſſibilibus creaturis, ſibi Matrem futuram, poſtquam præviderat Adæ inobedientiam, non comprehendens illam in maſſa communis corruptionis; quod latius explanandum, & amplificandum eſt. 2. Quin altius repetamus omnia, & titulos adeo antiquos inquiramus, ſatis eſt, ad aſſerendam poſſeſſionis certitudinem, & Mariæ gloriam, dicere; Dominum poſſediſſe illam in initio viarum ſuarum, hoc eſt ab initio vitæ ſuæ ſuper terram; quæ poſſeſſio eſt antiquiſſima; nemo enim jus poſſeſſionis habuit ante illum, ſicut in aliis, qui dæmoni ſubjecti fuerunt, per originale peccatum; qua in re afferri poſſunt rationes præcipuæ ad oſtendendum Mariam cum in illud minime inciderit, fuiſſe totam Dei a primo ſuæ vitæ momento; ideoque Deum primum adiiſſe poſſeſſionem ejus, & nunquam paſſum fuiſſe, ut ante ſe illam Inimicus poſſideret. Si enim Salvator id paſſus fuiſſet, quomodo non inſultaſſet illi hic inimicus gloriæ Dei &c.?

Hinc ſublimem concipere debemus ideam gratiæ ſanctificantis, quæ una poteſt efficere nos magnos, atque ſpectabiles in oculis Dei, &c.

Pars altera. Deus poſſedit beatam creaturam hanc integerrima, & perfectiſſima poſſeſſione, cum nihil fuerit in illa, quod totum non eſſet Dei, ſine ulla partitione, vel exceptione; cum mens illius ſemper occupata fuerit, & repleta Deo; cum cor ejus non dilexerit, niſi Deum; cum corpus, anima, ſenſus, omneſque illius facultates, nunquam niſi Deo fuerint obſecutæ, nullumque habuerint motum, propenſionem, ſtudium, deſiderium, niſi ut tenderent in Deum. Ubi oſtendendum eſt, Deum propter originalem Juſtitiam cum infuſione gratiæ effudiſſe in Virginis mentem lumina vividiora, & per ſingularem prorſus prærogativam, præcocem fuiſſe in illa rationis uſum, ne ex toto vitæ illius ſpatio aliquod temporis momentum eſſet inutile, & meritis vacuum. Hinc præter fidem, quæ eſt veluti prima poſſeſſio, quam accipit Deus animæ, effudit in illius intellectum pulcherrimas, altiſſimaſque cognitiones, & hoc pacto ſeſe mancipavit contemplationi Entis hujus infiniti, cumulata luminibus, quæ non nihil poſſidebant de ſtatu, & alterius vitæ conditione. Quamobrem ſuorum affectuum, omniumque cordis ſui motuum moderatrix fruebatur omnibus privilegiis ſtatus innocentiæ, nihil optans, neque alium ſibi finem proponens, quam placendi Creatori ſuo; quapropter quidquid erat in illa, omnino, & perfecte ſubditum erat illi, qui primus poſſeſſionem illius fuerat adeptus. Sed quodnam diſcrimen inter Mariam, & reliquos homines? Latius hic licet excurrere in miſerias, quibus originale peccatum nos ſubjecit; In mentis noſtræ ignorantiam, in imbecillitatem, & inconſtantiam noſtræ voluntatis erga bonum, in cupiditatum noſtrarum perturbationem, &c. quomodo nonniſi ex dimidiata ſolum parte, & ſerius, quam fieri poteſt, Deo noſmet mancipare velimus.

Pars tertia. Non ſatis eſt, ut aliquid perfecte poſſideatur, poſſidere illud juſto titulo, & illud totum poſſidere; oportet præterea poſſeſſionem hanc eſſe tranquillam, neque a quopiam in controverſiam vocari, qui nos de poſſeſſione deturbare conetur. Talem habuit Deus Mariæ poſſeſſionem ex primo ipſo Conceptionis ejuſdem articulo. 1. Poſſeſſio hæc immunis fuit ab omnibus inſultibus, dolis, ac verſutiis Sathanæ, immo etiam ab omnibus illecebris objectorum exteriorum per omnimodam concupiſcentiæ extinctionem. 2. Per curam, ac vigilantiam, quam adhibuit Maria, ut ſe præſtaret incolumem eo in ſtatu in quo a Deo fuerat creata per gratiam adeo ſingularem, atque ut omnia evitaret pericula, quibus nos ſumus obnoxii, quaſi aliquid illi eſſet formidandum. 3. Præter quam quod Deus zelotes, qui de hac poſſeſſione dejici nollet, illam peculiari præſidio tutabatur, &c.

In verba illa Canticorum ex capite 6. quæ deſumi poſſunt pro textu Sermonis: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens*. Hoc ænigma eſt (Chriſtiani) a Spiritu Sancto curioſitati Fidelium propoſitum, cujus ſenſum jam tenetis. Veſtra pietas, amor, zelus pro honore Beatæ Virginis vobis ſatis dicunt, hanc myſticam eſſe figuram, & Symbolum Conceptionis ejuſdem. Satis eſt igitur relationes ejus evolvere, earumque pulcritudinem, & aptitudinem conſiderare. Magno in earum numero, quæ ſe mihi objiciunt, in tribus duntaxat immorabor, quæ complectuntur quidquid eſt admirabilius in hoc Myſterio, & quidquid aptius eſt ad ciendam noſtram erga Deiparam devotionem. III.

Prima eſt; ſicuti Aurora formaliter oppoſita eſt tenebris, & nocti; ita Mariam ſimul eſſe non poſſe cum peccato, & privatione gratiæ.

Altera eſt, ſicuti Aurora ſtatim ac prodit nitore ſuo ſtellarum fulgori caliginem offundit; ita Mariam ab ipſo vitæ ſuæ primordio officere ſanctitati hominum, & Angelorum.

Tertia. Sicuti aurora cum ſuo lumine effundit amœnum frigus, quod ſuaviorem reddit terræ faciem, ejuſque uberiorem fertilitatem; ſimiliter Maria hac die effundit in corda eorum, qui illius cultui devoti ſunt, rorem benedictionis, quo emundantur, & in omni virtutum genere fœcundantur. Verbo: Aurora hæc, quæ hodie incipit Mundum illuminare, eſt Maria in Conceptione ſua, victrix peccati, ſanctior omnibus creaturis ſimul collectis, fons innocentiæ, & puritatis. Hoc eſt argumentum; & hujus Sermonis partitio.

Sicuti conſiderare poſſumus JESUM CHRISTUM IV.
ſub tribus eminentibus qualitatibus, tamquam Dei Filium, Redemptorem Hominum, victorem peccati; dicere etiam poſſumus Mariam in Conceptione ſua triplicem cum illo rationem habere, quæ exigit, ut illa omnino ſit Sancta, & ab omni originalis peccati labe vacua. 1. Futura eſt Mater Filii, qui eſt etiam Filius Dei; atque ut ad tantam hanc, prorſus divinam, affinitatem præparetur, debet omni culpa vacare. 2. Mater eſt futura Filii, qui futurus eſt Hominum Redemptor, cujus glorioſi tituli, ut particeps fiat, ipſa quoque peculiari, & excellentiori modo redimitur. 3. Erit Mater Filii, qui futurus eſt victor peccati, debet ergo immunis eſſe a peccato, particeps futura victoriarum, quas Filius relaturus eſt. *P. Bironæ argumentum*.

Satis naturale eſt applicare Beatiſſimæ Virgini in V.
hoc Myſterio verba illa ex cap. 7. Sapientiæ: *Speculum ſine macula Dei Majeſtatis*. Verba hæc, quæ dicta fuerunt de increata Sapientia, videlicet de Verbo æterno, quod eſt imago ſubſtantialis Patris, & ſpeculum divinarum perfectionum illius, quia genitum fuit in ſplendoribus, luce ipſa nitidius, atque fulgentius; hæc, inquam, verba cum ea, qua opus eſt proportione, applicari poſſunt Conceptioni glorioſæ Virginis, quia

1. Concepta fuit ſine peccato, præſervata ab originali culpa, deſtinata, ut Mater eſſet illius, qui a peccato magis diſtat, quam lux a tenebris; ideoque Maria dici poteſt ſpeculum ſine macula.

2. Quia perfecte repræſentat Conceptionem æternam, ac temporalem hujus Hominis-Dei, qui futurus eſt Filius ſuus; verum etiam ſanctitatem, puritatem, majeſtatem, & præſtantiſſimas Dei ejuſdem perfectiones.

Pro parte priori; omiſſis communibus probationibus Conceptionis Immaculatæ Mariæ, ut oſtendamus illam eſſe hoc ſpeculum ſine macula, cujus hypotypoſim Sapiens tradidit nobis in æterna Divini Verbi Conceptione; hoc unum vobis propono argumentum; Deum videlicet nunquam voluiſſe, neque permittere debuiſſe, ut Corpus Sanctiſſimæ Virginis purius eſſet, & immunius ab omni culpa, quam anima ipſius. Sed puritas Corporis Beatæ Virginis perfectiſſima fuit, & puritatem Angelorum ſupergreſſa, & ſi Patribus quibuſdam credimus, ad infinitum uſque proceſſit; Igitur tantum abeſt, ut vel minimam peccati labem contraxerit, ut vere ſpeculum ſine macula extiterit. Quod autem voluerit Deus, aut velle debuerit, Corpus Mariæ, quæ Mater ſua erat futura, nequaquam majori præditum eſſe puritate, quam eſſet anima, hoc ratio, & decus a divina Sapientia exigebat; quia anima eſt pars nobilior in hoc compoſito, quod hominem conſtituit, ita ut Apoſtolus inquit, eſt vas; anima ſit pretioſiſſimum opobalſamum, quod ibi contineri debet; ideoque virginale Mariæ Corpus, ut Sanctus Bernardus ait, cujus puritas Angelorum puritatem ſuperavit, & ad divinam acceſſit, non ſit, niſi habitaculum ad recipiendam animam longe candidiorem, quæ illius ornamentum erat futura; tum vero potiſſimum cum puritas corporis ſine puritate animæ nullum habeat meritum, nullum habeat pretium apud Deum. Quid magne Deus? Fierine poſſet, ut tantam gereres curam puritatis corporis illius, quam tibi Matrem delegeras; cum interim patereris, illius animam coinquinari infami labe, qualis eſt macula peccati originalis; corpus quidem fulgidius eſſe lumine aſtrorum,

animam

animam vero luto ipſo lutulentiorem, ex quo primi hominis corpus compactum fuit: corporis pulcritudinem parem fuiſſe, ut te de Cælo in terras alliceret, & animæ ſordes te deterrere non potuiſſe? denique illam, quam tibi Matrem elegeras fuiſſe aliquandiu dæmonis mancipium, ex quo factum fuiſſet, ut tu eo tempore odio habueris illam, quam unice dilexiſti, coluiſti, & in honore habuiſti reliquo tempore vitæ ſuæ? Nequaquam id neque credere poſſum, neque cogitare. Quippe tantum horres crimen, & noxam execraris, ut ne levem quidem illius umbram pati poſſis, tantamque innocentiam, & animæ Sanctitatem diligis, ut minime patiaris in perſona tua tantam turpitudinem, quanta eſſet, originem hauſiſſe ex corpore ſubdito peccatis, & anſam præbeas ſaltem in ſpeciem, inſimulandi conſilium tuum ea in re, in qua liquet quam ſis religioſus.

Pro altera parte, in qua probandum eſt, Mariam Virginem reipſa fuiſſe ſpeculum, quod perfectiſſime repræſentavit præ ceteris creaturis divinas perfectiones: *Speculum ſine macula Dei Majeſtatis*, ſciendum eſt, Deum, eum ab æterno conſilium iniiſſet ſeſe hominibus oſtendendi, dediſſe illis duo ſpecula, in quibus dignoſcere poſſent aliquot lineamenta divinarum perfectionum, & admirari Mundi hujus Creatorem in operibus ſuis. Sed inter has tabulas, & hæc ſpecula, in quibus repræſentatur, & ex quibus poteſt cognoſci, aliæ craſſiores, rudioreſque ſunt, aliæ vero nitidiores. Hæ quidem nimium luminis habent, & ſua luce perſtringunt: illæ vero nimis offuſæ ſunt tenebris, atque obſcuritatibus. Non deſunt tamen quædam inter utraſque poſitæ, & magis captui noſtro accomodatæ. Inter priores eſt hic Mundus materialis, inquit Apoſtolus; *Invisibilia Dei per ea, quæ facta ſunt viſibilia conſpiciuntur*. Cæli, ſydera, elementa, & omnia hæc præclara opera, quæ admiramur, enarrant gloriam, & magnitudinem Auctoris ſui; verum eum ſint materialia, nequeunt repræſentare, niſi imperfecte, & ad ſummum craſſam, rudemque nobis exhibere imaginem perfectionum Creatoris. Inter poſteriores habendum eſt Verbum Incarnatum, quod cum ſit Filius Dei, lux, & ſplendor gloriæ Patris ſui, nimis coruſcat, & lucem illius ſuſtinere non valeamus, cum oculi noſtri nimis imbecilles ſint, & hallucinentur. Sed inter hæc ſpecula tertium adeſt, quod medium quodammodo tenet; videlicet Sancta Virgo, quæ cum mera ſit creatura, nihilominus eximium eſt ſpeculum, exhibens nobis magnitudinem, puritatem, ſanctitatem, potentiam, & præcipuas Divinitatis perfectiones, cujus ex Sanctorum Patrum ſententia ipſa eſt imago, & ſpeculum, excepto Filio ſuo, perfectiſſimum.

Ad Rom. 1.

VI. Quod docet Eccleſia de hoc Myſterio redigi poteſt ad duo, quæ duplicem ſermonis partem conſtituent: Quorum altera oſtendet magnitudinem Mariæ in beato Conceptionis ejus articulo: Altera vero docebit, ad quem uſque Sanctitatis cumulum evaſerit per optimum uſum hujus gratiæ, qua Spiritus ſanctus animam illius locupletavit. Prima pars adſtruens nobis ſublimem conceptum Sanctitatis ſuæ, profundam in nobis ciebit venerationem erga Mariam; ſecunda vero coget nos, ut ad exemplum illius fideliter reſpondeamus gratiis, quibus nos cumulare Deus dignatur. *Pater Maſſon in Panegyrico Sanctiſſimæ Virginis pro die Conceptionis in Adventu.*

VII. Dei Filius ut digne præpararet Sanctam Virginem ad gloriam Maternitatis ſuæ, illam immunem præſtare debuit ab originali peccato, ex primo Conceptionis ejus momento, & ad hoc duæ illum cauſſæ impulerunt, altera quidem juſtitiæ, altera vero amoris.

1. Debebat ille ſibi hanc juſtitiam propter eas rationes, que occurrent in Paragraphis 4. & 5.

2. Debebat hoc amoris teſtimonium Matri, itaque non dubitatur, utrum illud præſtiterit. *Ex primo ſermone Biroat.*

VIII. Cum Deus ſibi Salomonis Templum ædificabat, cujus ipſe graphidem proponebat, omneſque dimenſiones præſcribebat, dici poteſt illic Mariam adumbraſſe ſub imagine Templi, quod nomini ſuo extruebat. Ingrediamur, Chriſtiani, in myſticum hoc Templum, atque ut videamus miracula, quæ operatur, intueamur cauſſas propter quas illa operatur. Duas potiſſimum invenio generatim omnibus Templis communes, ſe quæ probant Mariam immunem fuiſſe ab originali peccato, eamque Sanctam fuiſſe a primo ſuæ Conceptionis momento.

1. Quia Deus reſidere debebat in illa tamquam in Templo, ſed peculiari ratione, quæ eſt explicanda.

2. Quia ibi recepturus erat qualitatem Redemptoris, & Sanctificatoris hominum; ideoque in anteceſſum obire munus ſuum per Matrem ſuam: *Idem in 2. Sermone de hoc Myſterio.*

IX. *Creavit Deus novum ſuper terram. Jerem. 31.* Cum Sapiens dixit, nihil novum eſſe ſuper terram, videtur ille tantum locutus fuiſſe de effectibus, quorum cauſſæ ſunt naturales, quemadmodum palam docet in enumeratione productionum, atque viciſſitudinum, quas videmus quotidie in magno hujus Mundi theatro. Sed Jeremias Propheta profert oraculum, quod omnem exigit attentionem noſtram; cum inſpirati Prophetæ tono ait: *Creavit Dominus novum ſuper terram.* Itaque non loquitur ſolum de re mere naturali: non enim ex ea faceret Myſterium, quale proponit prodigium illud, quod eſt ſecuturum. Hoc autem Miraculum prorſus novum, & inauditum, & quod mentibus ſtuporem allaturum eſt, non aliud eſt, niſi feminam tempore ſuo concepturam, & ſinu ſuo virum geſtaturam; *Femina circumdabit virum*. Hoccine igitur, Propheta, novum eſt, atque ante hanc diem inauditum portentum; quod tamen eſt exſpectatio, & ſpes futurorum ſæculorum? Non ita ſane; ſi inſpexerimus ſolum, quod ſecundum ordinem naturæ fieri conſuevit; verum ſi fidei lumine illuſtrati ea ſedulo animadvertemus, quæ fiunt in ordine gratiæ, hoc prorſus novum eſt, & Myſterium admiratione noſtra digniſſimum.

1. Videre Conceptionem prorſus Sanctam meræ creaturæ immunis ab originali peccato, quod infecit omnem primi hominis poſteritatem; hoc portentum eſt, propter quod natura obſtupeſcit, & quod mirantur Angeli, qui nunquam tale viderant in terra; Sed tunc deſiſtet hic ſtupor ubi illius cauſſæ innotuerint.

2. Alterum miraculum, alterumque prodigium, quod Immaculatam Conceptionem hanc comitatur, eſt videre, uſum rationis conceſſum fuiſſe Mariæ per ſingulare privilegium ex eo temporis momento, quo vitam recepit; ex quo judicium nobis ferendum eſt de privilegiis, quibus cumulata fuit, ut quotidie proficeret Sanctitate, & in ſingulos dies creſceret perfectione.

3. Videre tandem tertium miraculum, & novum omnino, videlicet originalem juſtitiam per Adæ peccatum perditam, ſed in una Mariæ perſona reparatam, ſcilicet rectitudinem cordis, propenſionem in bonum, integram concupiſcentiæ extinctionem, in omnes ſuas cupiditates omneſque cordis ſui motus, imperium, &c.

Illam, quæ futura eſt digna Dei Mater, in ipſo felici Conceptionis ſuæ die iiſdem ſalutare poſſumus X.
verbis, quibus uſus eſt Angelus annuntians futurum, ut Altiſſimi Filius in illius ſinu orieretur: *Ave gratia plena.* Plena es gratia ab eo tempore, quo vitam recepiſti. Profecto JESUS CHRISTUS, & Maria tantum gratia pleni vocari poſſunt, alter quidem ab origine, altera vero per communicationem; alter tamquam fons inexhauſtus, altera tamquam rivus perfecte repletus; alter quidem ex ſe, tamquam Dei Filius, altera vero per privilegium, & tamquam Dei Genitrix. Poſito nomine Matris Dei, non deſunt mihi demonſtrationes, & argumenta ad probandam immaculatam Mariæ Conceptionem, atque oſtendendam illam fuiſſe gratia plenam eodem tempore, quo immunis fuit ab Originali peccato, cujus contagione homines ceteri infecti fuerunt. Ad id tria tantum ſunt animadvertenda:

Luc. 1.

Primum, Matrem hanc creatam fuiſſe pro illo, qui ſimul eſt Filius, & Creator illius.

2. Filium hunc eſſe omnipotentem, ideoque illam creare potuiſſe in eo perfectionis gradu, qui eſſet vacuus culpa.

3. Filium hunc, cum perfecte ſemper Matrem in honore habuerit, nihil prætermiſiſſe earum qualitatum, gratiarumque omnium, quæ aliquid conferre poterant ad eam glorioſam efficiendam, & ſuper ceteras creaturas attollendam. *Hæc eſt partitio Domini Ogier in Tomo primo Actionum publicarum.*

Prætermiſſis prerogativis, quibus Beata Virgo San- XI.
ctis omnibus antecellit, immorari volo duntaxat in oppoſitione, quam cum peccatoribus habet, ubi cognoſcemus, quid in illa fecerit gratia ex malis, quæ gignit in nobis naturæ corruptio. Ex origine ſumus peccatores per culpam, quam primus Parens in omnem progeniem effudit.

Sumus peccatores per animi ſtudium, quod in nobis hoc Originale peccatum reliquit, quamvis per baptiſmum fuerit obliteratum. Sumus peccatores per actus, & actualia peccata innumera, quæ patramus. Abſcindamus hæc a creatura, & efficiemus verum ſtatum, in quo gratia Sanctam Virginem collocavit. 1. Deus liberavit illam per ſingularem ſatisfactionem ab originali peccato. 2. Liberavit eam ab omni proclivitate in peccatum, quam peccatum relinquit. 3. Liberavit eam ab operibus peccati, quæ ſunt effectus peccatis originalis.

Gratia, quam recipit Sancta Virgo in puriſſima XII.
Conceptione ſua eximii nobis elogii eſt argumentum, & fidelitas, qua gratiæ illa reſpondit, magnum nobis eſt documentum. Utrumque uno Sermone complectimur.

1. Duo ſingularia poſſumus conſiderare. Primum Mariam ex illo momento gratiam recepiſſe ita uberem, ut Theologi gratiæ plenitudinem vocent; quod explicandum eſt, atque oſtendendum ad quem Sanctitatis

gradum ſublata fuerit primo eo temporis articulo, quo fuit concepta. 2. Gratiam hanc in qua confirmata fuit, eam effeciſſe impeccabilem prorſus ſingulari privilegio, in quo differt ab illa, quam Patres noſtri receperunt, dum formarentur.

2. Duo quoque ſunt non minus ſingularia ex parte Mariæ, quæ viciſſim reſpondit gratiæ peculiari, & adeo copioſæ. Prima eſt cura, qua hanc ſervavit gratiam, ita ut illius jacturam facere non poſſet; namque non minus præcavit in avitandis periculis, omnibuſque occaſionibus, quam ſi obnoxia eſſet viciſſitudini fervoris, atque teporis, quam alii experiuntur. Altera eſt jure ſtudium augendi quotidie magnitudinem gratiæ, cujus acceperat plenitudinem. Præclara laudum argumenta! ſed magna etiam pro nobis documenta. 1. Mariæ ſollicitudo in tuenda gratia, cujus jacturam vereri non poteſt, damnabit negligentiam noſtram in cuſtodienda gratia, quæ in nobis adeo fragilis eſt: 2. Mariæ ſtudium in augenda gratia, cujus acceperat plenitudinem, arguet noſtram incuriam, qua negligimus in lucro ponere gratiam noſtram, quæ cum Mariæ gratia comparata, modica eſt illius emanatio. *Pater Aurelianenſis Tomo 2. Sermonum,*

XIII. Deſumi etiam poteſt pro argumento, ac partitione ſermonis de Immaculata Beatæ Virginis Conceptione.

1. Mariam, quæ Dei fuit ab ipſo momento, quo aſſe cœpit, exprobrare nobis ignaviam noſtram, qui nimis ſero incipimus, & ſæpe ad ipſum uſque vitæ finem differimus noſmet Deo devovere, cum illa ſeſe ſtatim devoverit.

2. Mariam nunquam ceſſaſſe, quominus eſſet Dei; qua in re noſtram exprobrat inconſtantiam, quæ efficit, ut paſſim a Deo recedamus, atque optima conſilia noſtra interpellemus,

3. Mariam fuiſſe Dei propter divinæ bonitatis conſilia de eadem concepta, cujuſmodi erant, illam aliquando futuram Matrem ejus, cooperaturam Redemptioni hominum, futuram eorum advocatam, ac Mediatricem apud Filium ſuum &c. qua in re noſtram nobis exprobrabit voluntatibus Domini rebellionem, *Fromentieres,*

XIV. Hoc ipſum argumentum aliter efferri poteſt oſtendendo 1. Quemadmodum felix hæc creatura diluculo fuit *Dei*, & a primo vitæ ſuæ primordio; ſi hac in re minus illam imitari non licet nobis, hoc enim in ipſa fuit ſingulare privilegium; ſaltem poſſe nos Deo noſmet devovere; ſimulac nobis oſtendit nos ſuos eſſe, & ad id unice creatos fuiſſe.

2. Sicuti Maria a primo vitæ principio Dei fuit, integre, perfecte, & ſine ulla exceptione, nos totos eſſe debere Dei, & alteri cuipiam ſervituti nuncium mittere, quæ ſervituti illius adverſetur.

3. Sicuti illa ſemper fuit Dei, quin ne momento quidem ceſſaverit, propter aliquod quantumvis leviſſimum crimen, ſimiliter debere nos ſemper fideles eſſe Deo, & ad finem uſque in illius famulatu perſeverare.

XV. Duæ veritates conſtituent omnem ſermonis hujus de Beatæ Virginis Conceptione partitionem.

Prima eſt, Deum nunquam magis dilexiſſe maram creaturam, quam Beatam Virginem. 1. Quia ab æterno cogitavit de illa, ut ad Matris ſuæ dignitatem illam eveheret; 2. Quia propter electionem hanc voluit illam eſſe Immaculatam, & ſine peccato; 3. Quia propterea ſexcentis eam beneficiis cumulavit, &c.

Veritas altera eſt, viciſſim Creatorem nunquam ab ulla creatura; 1. Citius; 2. perfectius; 3. conſtantius amatum fuiſſe,

XVI. In hæc verba Pſalmi 97. *Sanctificavit Dominus Tabernaculum ſuum*: conſiderare poſſumus tres ſtatus eſſe, in quibus Deus ſanctificavit creaturas, gratiæ recipiendæ pares. Alii gratiam receperunt ex primo ſuæ Nativitatis articulo, ſicut Angeli; alii eam receperunt antequam naſcerentur, ut Sanctus Joannes Baptiſta; alii tandem poſtquam nati ſunt, quod ceteris accidit. Gratia vero, quam recepit Maria, habet privilegia, quæ illam ſuper ceteros attollunt; Sanctus enim Joannes nequaquam recepit gratiam ſtatim, ac illam recipere potuit: non enim ſanctificatus fuit niſi poſt ſextum a Conceptione ſua menſem. Sancti autem, qui poſt nativitatem ſuam ſanctificati ſunt, nonnunquam amiſerunt illam, vel ſaltem amittere potuerunt. Angeli demum, qui in ipſo creationis ſuæ momento gratiam receperunt, gratiæ plenitudinem minime obtinuerunt. Sed Maria ſanctum illud Tabernaculum, quod Dominus ſanctificavit, 1. gratiam recepit in primo ſuæ Conceptionis articulo, & ſtatim ac par fuit illi recipiendæ. 2. Gratiam recepit, quin illam poſſet unquam amittere. 3. Recepit gratiam cum omni gratiæ plenitudine. *Ex ſpecimine Panegyricorum; Partitione 2.*

XVII. Ne conſideremus hodierna die in Mariæ generis nobilitatem, & illuſtre genus in venas ejus transfuſum per tot Patriarchas, & Reges. Tot inter celſitudinis titulos, veræ inveniuntur ſordes, veræque impii, in tot Heroum ſobole. Ut proprie loquar, miror illud gratiæ genus, quod hodie recipit; illud pauliſper conſideremus Virginis elogium celebraturi, & inde ædificationis argumentum recepturi. Propria loquendo gratia, quam Deus Mariæ concedit in ipſo Conceptionis ejus momento, inde potiſſimum renidet, quia nullo mediante juſtitia originalis illi confertur. Hanc non recipit, ſed Dominus hanc illi communicat, nunquam amiſſam per ſuæ bonitatis effectum; quamobrem illi duo conferuntur bona, quæ noſtram attentionem merentur.

Primo, Confert illi Dominus cum originali juſtitia omnia dona, quæ ſequuntur illam & concomitantur; quod primum eſt privilegium,

Secundo, Confert illi Deus gratiam patrocinii, quæ illam ſine labe ſervabit in reliquum vitæ ſuæ ſpatium, eamque in originali juſtitia tuebitur. Alterum Privilegium. Primum quidem in illius honorem cedit pro tempore præſenti; alterum vero eam protegit pro futuro. *Ex Sermone Manuſcripto Patris Carron,*

Æqua inſtitui poteſt comparatio felicitatis Beatæ Virginis momento Conceptionis ejuſdem, & reliquorum vitæ ipſius dierum cum ſtatu innocentiæ, in quo creatus fuit Adam, ubi de manu Dei prodiit. Scriptura eam nobis deſcriptionem proponit, quæ in nobis ciet feliciſſimi illius temporis deſiderium. Originalis innocentiæ felicitatem ad tria capita redigo, quæ omnia illius bona complectuntur. XVIII.

Primum eſt, hominem in hoc ſtatu fuiſſe objectum amoris, & in quo ſibi Deus complacebat: *benedixit ei Dominus*. Alterum eſt, hominem creatum in rectitudine habuiſſe abſolutum imperium in ſemet, & dominum fuiſſe cordis, & affectuum ſuorum. *Creavit Dominus rectum*. Tertium eſt ex illo ejeciſſe mœrorem, & cordis ægritudinem; quippe *Poſuit hominem in Paradiſo voluptatis*. Feliciſſimus autem hic ſtatus protoparentis noſtri culpa amiſſus, in Mariæ gratiam refloreſcere viſus eſt, quia Deus communicavit illi triplex hoc primæ ætatis privilegium. Geneſ. 1. Eccleſ. 7. Geneſ. 1.

1. Illa primo hoc Conceptionis ſuæ momento accepta fuit Deo per gratiam ſanctificantem, cujus tunc recepit plenitudinem.

2. Recepit rectitudinem animæ per perfectum in ſemetipſam imperium.

3. Gaviſa eſt omnibus deliciis, ac internis gaudiis, quæ ex juſtitia oboriuntur, & Annæ uterus, ubi concepta fuit, extitit illi Paradiſus voluptatis.

1. Gloria Mariæ fuit Conceptam fuiſſe ſine peccato per privilegium, & prærogativam, per quam inter ceteros Adæ filios enituit. Sed hoc ſimul eſt, unde homo debet humiliari, eo quod natus, conceptuſque ſit in peccato, fueritque Dei inimicus, antequam naſceretur. XIX.

2. Incrementum gloriæ eſt Beatiſſimæ huic Virgini ſartam, tectamque ſervaſſe ſemper gratiam, & originalem innocentiam toto vitæ ſuæ tempore; ſed hominis humiliatio eſt illius jacturam facere, quemadmodum facit, tot actualibus noxis.

3. Gloriæ cumulus eſt in Sancta hac Virgine, eſſe voluit rivum, per quem Deus nobis ſuas omnes gratias communicat; ſed maximum hominis dedecus eſt per ſcandalum, & contagioſam communicationem in alios ſuas effundere iniquitates,

PARAGRAPHUS ALTER,

Fontes, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas ſermonum partitiones exornandas, & Auctores, qui de hoc agunt argumento,

ABdias Apoſtolis ſuppar libro 4. hiſtoriarum refert Liturgias Sanctorum Andreæ, Jacobi, & Marci, quæ inveniuntur in ipſo Bibliothecæ Patrum initio; uti Virgo Deipara vocatur; *Sanctiſſima, Glorioſiſſima, Immaculata, & omnimodo irreprehenſibilis*. Illamne *Immaculatam* vocarent, ſi credidiſſent Conceptionem illius originalis peccati labe pollutam? Harum Liturgiarum antiquitas, & veritas, probatiſſimis Auctoribus comprobatur. Sancti Patres ſecundum rationem temporum.

Sanctus Hippolytus Epiſcopus, & Martyr, qui vivebat anno 220. in celeberrima Oratione, quam edidit de Mundi conſummatione Beatam Virginem Sanctam vocat, & Immaculatam.

Sanctus Juſtinus Martyr, qui ſub idem tempus florebat, hoc eodem titulo appellat, qui maximum eſt ejus elogium.

Origenes, qui non longe ab hiſce temporibus diſtat, vocat Mariam *Sanctam*, & Immaculatam Matrem Sancti Immaculati; & ſimul videtur Filii, & Matris comparare puritatem.

S. Cyprianus, qui vivebat non procul ab exeunte Sæculo ſecundo, *Serm. de Nativitate CHRISTI* teſtatur Sanctæ Virgini cum reliquis *mortalibus convenisse*

in car

in natura, non autem in peccato; dici ne poterat aperius, nequaquam contraxiſſe originale peccatum, quod ceteri contraxerunt?

S. Gregorius Thaumaturgus Sæculo tertio *ſerm. 2. de Annunciatione Virginis*, ubi ait, Angelum ſalutaſſe Beatam Virginem gratia plenam, quia in una illa abſconditus erat gratiarum omnium theſaurus, aſſerit etiam illam Sanctam fuiſſe corpore, & anima ſupra ceteras mulieres.

S. Epiphanius qui ſequenti Sæculo vivebat ſub annum 370. pulcherrima profert Verba. *Tu gratia plena es, o Beata Virgo, & poſt Deum præſtans omnibus meris Creaturis, ex quo in mundum intraviſti formoſior es ſuper Cherubim, & Seraphim.*

S. Ambroſius, qui eodem tempore florebat, hæc profert Verba, quæ in Conceptionis officium inſerta ſunt: *Virga, in qua nec nodus culpæ originalis, nec cortex actualis fuit.*

S. Hieronymus eorum æqualis, explicans hæc verba ex Pſalmo 77. *Eduxit eos in nube*, illa in allegoricum ſenſum traducit, & ait Sanctam Virginem fuiſſe nubem hanc, quæ pertulit Filium Dei in Ægyptum Mundi hujus; Sed hanc nubem fuiſſe claram, cui peccati tenebræ nullam offunderunt caliginem, & quæ ſemper innocentiæ, & gratiæ fulgoribus fuit irradiata.

Sophronius Jeroſolymitanus Patriarcha Sancti Hieronymi æqualis in Epiſtola Synodica loquens de Sancta Virgine, inquit illam vacuam fuiſſe, & immunem ab omni criminis contagione in corpore, & anima, & in ſexto Generali Concilio extat magni hujus viri epiſtola.

Lib. de natura, & gratia c. 36. Sanctus Auguſtinus, qui vixit ſub exitum Sæculi quarti, & in quintum proceſſit, diſputans adverſus Pelagium Hæreticum Gratiæ JESU CHRISTI inimicum, & qui negabat Originale peccatum; invictis probat argumentis omnes filios Adæ ea labe infectos fuiſſe; ſed explicitis, conceptiſque verbis excipit Beatam Virginem propter honorem Deiparæ. Sancti Doctoris verba a nobis allata ſunt in Paragrapho quarto. Solum tanti Viri teſtimonium ſexcentis par eſt, & ſine controverſia probat, ſecundum ſententiam ſuam, Virginem nullum unquam actuale peccatum commiſiſſe ſeu veniale, ſeu mortale; ſed præterea addendum eſt, mentem illius extitiſſe, Mariam a peccati originalis labe eximere.

S. Maximus Archiepiſcopus Taurinenſis ejuſdem Sæculi quinti, ita loquitur de eadem Virgine: *Hæc illa eſt quæ fuit Admirabilis Dei Thronus, Templum Cæleſte, Tabernaculum gloriæ, & quæ convenienter, atque decenter nulla fuit originalis peccati labe inquinata*: Ex homilia de Nativitate a Patre Mabillon in lucem edita.

Sanctus Fulgentius ejuſdem Sæculi, præter propter hoc ipſum inquit.

S. Eligius Noviodunenſis Epiſcopus, eximium Sæculi ejuſdem lumen elogiis proſequitur perfectam Sanctæ Virginis innocentiam, ejuſque ab omni labe, ideoque etiam peccati originalis, atque actualis, immunitatem.

S. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus, Sæculi ſeptimi, prorſus devotus, poſt Deum, honori Sanctæ Virginis, a qua excipiebatur, tamquam ſibi gratioſus, ut ipſe ait, en quomodo loquatur: *Conſtat eam ab omni originali peccato immunem fuiſſe*. Hoc igitur pro certo tunc temporis habebatur.

S. Joannes Damaſcenus Sæculo octavo; præter quam quod Græcorum Menologii Auctor eſt, in quo recenſet diem Feſtum Immaculatæ Conceptionis Sanctiſſimæ Virginis, præclaram edidit orationem de morte illius, ubi loquens de illius in Mundum ingreſſu dicit: *Naturam ceſſiſſe gratiæ, nec auſam progredi, ſed paulisper expectaſſe, donec gratia ſuum peperiſſet effectum in Conceptione Mariæ*. Et alibi loquens de Conceptione illius, eamque comparans terreſtri Paradiſo, ait, illam hoc habuiſſe privilegium præ Paradiſo primo, quia ſerpens infernalis nullum nactus eſt unquam aditum in animam ejus.

Eodem, vel nono Sæculo eruditus, & pius Auctor, qui nomen ſuum celans; Idiotam vocari voluit, in tractatu quodam orationem convertens ad Deiparam, dicit illi, ipſam omnimode formoſam eſſe, & peccati maculam, ſeu originalis, ſeu actualis, mortalis, aut venialis in illa non eſſe, non fuiſſe, neque futuram eſſe.

S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, qui decimo vivebat Sæculo per paraphraſim efferens Salutationem Angelicam; Ave, inquit, Maria; inter omnes Virgines electa, & quæ ſemper fuiſti immaculata ab ipſo primo Creationis Animæ tuæ articulo, quo infuſa eſt in corpus tuum; quippe quia Auctorem omnis Sanctitatis eras paritura.

Sæculo undecimo, numerus ingens illuſtrium Sanctorum, & Doctorum virorum teſtimonium reddiderunt Immaculatæ Conceptioni Mariæ. S. Petrus Damiani, in Sermone Aſſumptionis. Sanctus Anſelmus, qui integros edidit tractatus, ac ſermones hujus argumenti. Yvo Carnutenſis, qui aſſerit *Mariam creatam fuiſſe a Deo in puritate prorſus divina*. S. Bruno Carthuſianæ Religionis fundator, qui in ſermone de Nativitate Virginis inſtituit antitheſim inter illam, ac primam mulierem, & concludit, illam ne momento quidem fuiſſe mancipium Dæmonis per originale peccatum.

Sæculum duodecimum nobis ſuppeditat adhuc magnam illuſtrium teſtium copiam. Rupertus Abbas qui vivebat anno 1120. in Cantica; Hugo, & Richardus a Sancto Victore, qui florebant anno 1130. Petrus Bleſenſis qui anno 1180. aliique plures æquales.

Non progrediar ultra, cum numerus illorum, qui ſequentibus Sæculis ſcripſere pro Immaculata Conceptione tantus ſit, ac fere infinitus; & quin dicam, uſque ad Sæculum decimumquartum, ne ſermonem quidem habitum fuiſſe de Immaculata Beatæ Virginis Conceptione, ut Auctores nonnulli dicere auſi ſunt; e contra dicendum eſſe affirmabo poſt Apoſtolicum tempus de Sæculo in Sæculum frequentius edita fuiſſe opera, quibus perfecta Sanctæ Virginis innocentia, & ab omni peccatorum labe immunitas ſemper fuerit prædicata; & poſterioribus tandem Sæculis dubitari incepiſſe, & oppoſitam ſententiam ſuſtineri. Cumque Sanctus Bernardus proferatur, tamquam hujus Sententiæ anteſignanus, qui pluribus in locis, quos protulimus, ſatis perſpicue locutus eſt, & affirmativam propugnavit Sententiam, neſcio quomodo in aliis negativam ſecutus fuiſſe dicatur, præſertim vero in Epiſtola ad Eccleſiæ Lugdunenſis Canonicos. Sed ad magnum hunc Sanctum Virum excuſandum dicere ſatis eſt, illos nequaquam corripuiſſe, vel exprobraſſe quod Immaculatam crederent Conceptionem, ſed quod eo proceſſerant, ut propria auctoritate auſi fuiſſent inſtituere Feſtivitatem inexpectato Eccleſiæ Romanæ decreto, a quo pendere debebant, non autem in anteceſſum maturare. Verum licet concederemus, illa in occaſione, & alibi in Scriptis ſuis locutum fuiſſe contra Conceptionem, quid aliud inferri poteſt, niſi ipſum expectaſſe Eccleſiæ Romanæ judicium, quemadmodum ipſe in allata profitetur Epiſtola? Quidquid dico, ſubjicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ judicio; quæ niſi meam probaverit Sententiam; præſto ſum, ut illam mutem, ac abjiciam. Quis autem dubitet, utrum ſi Magnus hic Sanctus Mariæ Virgini devotus, ejuſque gloriæ zelotes propugnator; ſi modo viveret, & videret Eccleſiam omnem colere Immaculatam Sanctiſſimæ Virginis Conceptionem, in oppoſitam ſententiam eſſet conceſſurus?

Theologi & Doctores qui hanc aſſeruerunt ſententiam. Albertus Magnus in libro, quem de Sancta Virgine compoſuit, docet, illam unice exceptam eſſe a communi eo canone. *In Adam omnes peccaverunt.*

Doctor Subtilis Scotus Magnus fuit propugnator Immaculatæ Conceptionis, & nemo unus ignorat inſignem quæſtionem, & occaſionem, in qua adeo glorioſe hanc opinionem ſuſtinuit, & diluit validiſſima argumenta, quæ partis oppoſitæ Doctores excogitare voluerunt.

Inſignis Alexander Alenſis librum data opera conſcripſit ad probandam Conceptionem Immaculatam.

Gerſon Pariſienſis Univerſitatis Cancellarius in ſermonibus, aliiſque operibus ſuis, pro hac ſententia ſe ſtare profeſſus eſt.

Cajetanus, quia nonnullis operibus ſuis viſus eſt dubitaſſe, palinodiam cecinit in ſecundo volumine Opuſculorum ſuorum, opuſculo primo.

Ambroſius Catharinus, qui Tridentino interfuit Concilio, in quo hæc quidem agitata fuit quæſtio, non tamen dirempta, ſententiam ſuam profert in diſputatione hujus argumenti, in quatuor tractatibus edita.

Taulerus ducentis ante hanc diem annis in operibus ſuis teſtatus eſt zelum, quo Virginis honorem in hoc articulo procuravit.

Elictovæus librum edidit de *Conceptione Beatæ Virginis cap. 8. & 9.*

Petrus Comeſtor *lib. de Immaculata Virginis Conceptione.*

Dominicus Soto Doctorum ævi ſui non poſtremus in libro, quem edidit de natura, & gratia lib. 2. cap. 9.

Ludovicus de Carvajal, qui in Tridentino Concilio enituit, eximiam elucubratus eſt declamationem pro Immaculata Conceptione, quæ ab Univerſitatibus Pariſienſi, & Complutenſi approbata fuit.

Franciſcus de Torre qui eidem interfuit Concilio quatenus Theologus Sedis Apoſtolicæ, & qui eximiam conſcripſit Epiſtolam de Originali peccato, a quo immunem facit Sanctam Virginem.

Gondiſalvus Sanci-s Lucifer. *Tract. de hac re.*

Lezana. *Apologia pro Immaculata Virginis Conceptione.*

Gravsdus. *Opuſculo de Immaculata Conceptione.*

Joannes

Joannes Perlinus. *Apologia Scholaſtica pro Magna Matris immunitate ab Originali debito.*

Mandez Dominicanus *in Mariali lib.* 2. *cap.* 34.

Chryſoſtomi Javelli Quæſtio Tomo 3.

Sylveſtri de Sauvreda, *Ordinis Redemptorum Beatæ Virginis Mariæ de Mercede, Sacra Deipara.*

Joannes de Iguler in Catholicis Inſtitutionibus. Leonardus de Utino in Sanctorali,

Hugo Cardinalis de Sancto Charo in cap. 10. Sancti Lucæ inter Privilegia Sanctæ Virginis, & in aliis operum ſuorum locis enumerat ab omni peccati labe immunitatem.

Vincentius Juſtiniani Antiſt. in tractatu de Conceptione Virginis quatuordecim conſiderationibus probat Virginem in Conceptione ſua ab originali peccato fuiſſe præſervatam.

Idem in eodem tractatu recenſet ingentem numerum Auctorum ex Dominicana Familia, qui hanc opinionem ſecuti ſunt, & probat, nullum Religioſum Ordinem præ ſe tuliſſe majorem zelum erga Immaculatam Sanctæ Virginis Conceptionem. Plurimos numerat, quos proferre longum eſſet cùm præcipuos jam memoraverimus.

Ex Auctoribus Societatis JESU, qui zelum ſuum oſtenderunt opinionem hanc propugnantes maxime enituerunt.

Suarez *Tomo* 2. *de Myſteriis quæſt.* 37. *Artic.* 1. & 2. *Diſput.* 3. *Sect.* 5. ubi de more funditus hoc exhaurit argumentum, proponit objectiones, & diluit.

Bellarminus *lib.* 4. *De ſtatu peccati* pluribus teſtimoniis probat Immaculatam Conceptionem.

Ferdinandus Quirinus de Salazar ſpiſſum edidit volumen, ubi collegit quidquid dici poteſt.

Pater Theophilus Renaud tomo 7. cui titulus, *Dyptica Mariana*, hoc more ſuo tractat argumentum cui addit tractatum, *de retinendo titulo Immaculatæ Conceptionis*.

Antonius Velaſques, *de Immaculata Conceptione* fuſius argumentum hoc pertractavit.

Caniſius in libro, qui inſcribitur *Mariale*, *lib.* 5. *cap.* 27.

Andreas Pinkus Rumierez. *Deipara ab Originali peccato præſervata.*

Pater Georgius de Rodes. *Diſput. de Prædeſtinat. Mariæ Deiparæ.*

Liber Italice conſcriptus in tomis duobus: cui titulus *Controverſia de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis. Opus Patris Thomæ Strozzi ex Societate JESU.*

Vega *in Theologia Mariana Palæſtra* 3. *certam.* 3. *numer* 137.

Aſcetici, aliique. Non eſt nobis voluntas referendi hoc in loco omnes Auctores, qui tribus hiſce poſterioribus ſæculis ſcripſerunt probaturi Immaculatam Conceptionem; quippe Recens Auctor quadringentos recenſet, inter quos Epiſcopi numerantur ſeptuaginta, & amplius, & reliqui ſunt Auctores propter edita opera celeberrimi. En autem quid mihi viſum fuerit accommodatius pro ſermone de ſuggeſtu habendo.

Triplex Corona Patris Poirè tractatu part. cap. 8. ubi quidquid ad hoc argumentum pertinet fuſius pertractatur.

Pater Antonius de Sancto Martino a Porta Carmelita, in libro, cui titulus *les Conduites de la Grace*, parte ſecunda, ubi agit de peccato Originali, & ubi oſtendit Sanctam Virginem præſervatam fuiſſe.

Pater Balthaſſar de Riez Capuccinus in libro, cui Titulus; Eminens Mariæ Privilegium in Conceptione.

Pater Ludovicus Franciſcus de Argentano Capuccinus in Tomo Magnalium Mariæ collatione 4. ubi collegit, quidquid de hoc argumento dictum fuit.

Pater Vincentius Juſtiniani Aniſt. ex Sancti Dominici Familia in eximio tractat. de Conceptione Immaculata Deiparæ Hiſpanica lingua compoſitus, & recens in Gallicum verſo.

Nomenclator Marianus compoſitus a Patre Niquet, libro 4. cui titulus: *Puriſſima, & omni laude digniſſima*. Hinc hauſimus ea quæ pertinent ad Sancti Thomæ auctoritatem.

Pater Ludovicus a Ponte in Meditationibus, Parte ſecunda, Meditat. 3. Punctis ſecundo, tertio, & quarto.

Pater Craſſet in libro cui titulus; Vera Devotio erga Beatam Virginem parte 2. tractat. 4. quæſt. 5. ubi agit de Inſtitutione Feſtivitatis Conceptionis.

Abelli in libro de traditione Eccleſiæ, quatenus ſpectat ad peculiarem Fidelium Devotionem.

Pater Nepveu in tomo 4. Chriſtianarum Conſiderationum pro ſingulis anni diebus.

Pater le Valois in interioribus Alloquiis de Myſteriis Deiparæ.

Concionatores recentiores. Molinier, quamvis dictio ſit antiquata, pulcherrimos tamen ſenſus habet.

Granatenſis duos habet hujus argumenti ſermones,

Franciſcus Lucabargenſis plures habet ſermones de Virginis Conceptione.

Pater Bourdalove in Myſteriis Beatæ Virginis.

Pater Aurelianenſis in tomo 2. Sermonum ſuorum.

Pater Maſſillon in Sermonibus ſub illius nomine editis.

Pater Texier in ſeparato volumine de Myſteriis Sanctæ Virginis, & in Adventu.

Pater Cheminais de Myſterio Conceptionis.

Pater de la Colombiere duos habet deinceps Sermones Immaculatæ Conceptionis, videlicet 26. & 27.

Biroat ſimiliter duos.

Fromentiere in Sermonibus.

Oger in tomo primo Actionum publicarum.

Maſſon Oratorii Presbyter in Adventu.

Pater Duneau in tomo Myſteriorum, duos habet hujus argumenti Sermones.

In Sermonibus Moralibus tomo Myſteriorum, plures de Virginis Conceptione pulcherrimos invenies.

Pater Caſtillon in Adventu.

Auctor Sermonum in omnia Chriſtianæ Moralis argumenta, in tomo de Myſteriis Beatæ Mariæ duos habet de Conceptione.

Sarazin ſub finem Adventus Sermonem habet hujus argumenti.

In Specimine Panegyricorum tria ſunt Specimina de Conceptione, & aliud in Specimine pro Adventu. Qui collectanea ediderunt.

Labatha. *Titulo Maria.*

Carthagena. *Homilia de Conceptione.*

Spanner, Polianthea Sacra. *Titulo Maria. Paragrapho Secundo,* { Nemo ampliora edidit Collectanea.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Figuræ, Applicationes Scripturæ huic argumento.

T*Ota pulcra es amica mea, & macula non eſt in te.* Cantic. 8.

Primogenita ante omnem creaturam. Eccleſiaſt. 24.

Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio. Proverbiorum 8.

Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret; necdum erant abyſſi, & ego jam concepta eram. Ibidem.

Signum magnum apparuit in Cælo, Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus.

Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Cantic. 2.

In plenitudine Sanctorum detentio mea. Eccleſiaſt. 24.

Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine; nonne tu qui ſolus es? Job 14.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen illius. Ipſa conteret caput tuum. Geneſ. 3.

Veni columba mea; Immaculata mea. Canticorum 5.

Ipſe creavit illam in Spiritu Sancto, & vidit, & dinumeravit, & menſus eſt. Eccli. 1.

Non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari. Judith 13.

Quæretur peccatum illius, & non invenietur. Pſalmus 10.

Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium. Iſaiæ 2.

Opus grande eſt, neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo. 1. Paralip. 29.

Sanctificavit Tabernaculum ſuum Altiſſimus. Pſalmus 45.

Domum tuam decet Sanctitudo Domine in longitudinem dierum. Pſalm. 92.

Adjuvabit eam Deus mane diluculo. Pſalm. 45.

Non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus lex conſtituta eſt. Eſther 15.

Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei. Pſalmus 86.

Diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia Tabernacula Jacob, Pſalm. 86.

Benedixiſti Domine terram tuam, averiſti captivitatem Jacob. Pſalm. 84.

Non gaudebit inimicus meus ſuper me. Pſalmus 40.

Dominus cuſtodit introitum tuum, & exitum tuum. Pſalm. 120.

Qui creavit me, requievit in Tabernaculo meo. Eccli. 24.

Elegi, & Sanctificavi locum iſtum. 2. Paralip.

Fecit mihi magna, qui potens eſt. Luc. 1.

Dedecus Filii pater ſine honore; & gloria hominis ex honore Patris ſui. Eccleſiaſt. 3.

Gratia ejus in me vacua non fuit. 1. Ad Corinth. cap. 15.

Quis

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joannis 8.
Speculum ſine macula. Sapient. 7.
Non intrabit in eam aliquid coinquinatum. Apocalypſ. 21.

Exempla, & Figuræ, ex veteri Teſtamento petita hujus argumenti.

Terra Virgo, ex qua effictus fuit Adam, eſt prima figura puriſſimæ Conceptionis Mariæ.

IN ipſis Mundi incunabulis re adhuc integra invenio in terreſtri paradiſo formationem primi hominis ex terra Virgine, quæ nondum maledicto ſubjecta fuerat, quæ figura eſt Myſterii quod celebramus, etenim ex Apoſtolo Sancto Andrea, referente Abdia Patriarcha Jeroſolymitano, diſco: *Sicut primus Adam formatus fuit ex terra Virgine, nunquam maledicta; ita ſecundus Adam formatus fuit ex Maria Virgine nunquam maledicta.* Hoc Teſtimonium hominis, qui primus ad Apoſtolatum accitus fuit, non ſolum nobis figuram ſuppeditat, verum etiam probationem Conceptionis Immaculatæ Mariæ Matris Domini. Si enim Secundus Adam, qui eſt JESUS CHRISTUS formatus fuit ex Maria Virgine nunquam maledicta, ergo illa concepta fuit ſine peccato originali, alioquin fuiſſet aliquando maledicto obnoxia non ſecus ac homines ceteri.

Eva, quæ ante peccatum creata fuit in ſtatu innocentiæ, ipſa quoque eſt figura Mariæ.

Aliam nanciſcor figuram in prima Muliere viventium Matre, vel potius morientium; quæ ante peccatum ſuum producta fuit in ſtatu innocentiæ, & originali Juſtitia prædita, ex quo cum Sancto Hieronymo argumentor: Evam alteram, quæ Maria eſt, quæ hoc vocatur nomine, quemadmodum JESUS CHRISTUS vocatur Adam Secundus, nequaquam futura erat inferior, cum æquum non fuerit illam, per quam peccatum, & mors ingreſſa erat in mundum, frui pluribus, & majoribus privilegiis illa, quæ eidem contulit vitam. Si ergo Eva ex latere hominis terreni formata originalis juſtitiæ dono aucta fuit; Maria quæ formata fuit ex Adam Secundo, & Cæleſti, ita infelix erat futura, ut in ſcelere conciperetur? Sancti Patres oblectati ſunt per antitheſim duas hasce mulieres comparare; necnon in omnibus, & per omnia primæ ſecundam præferre; cur igitur & ipſi non præferamus illam in re tanti momenti?

Sancta Virgo per Arcã Noe præfigurata.

In altera ætate, quæ incipit a temporibus Noe uſque ad Abraham, video Arcam juſſu Dei ædificatam, quæ victrix de fluctibus, atque undis diluvii, nullo affecta fuit detrimento, quia in ſe gerebat generis humani reliquias ad terrarum Orbem iterum habitatoribus replendum deſtinatas, qua re ſignificabatur, Sanctus Ambroſius ait, Sanctam Virginem ſemper de peccato victricem nunquam involutam iri in peccati originalis Cataclyſmo; quia geſtare debebat humanæ naturæ reparatorem tot menſibus, quot Arca Noem geſſit. Mox reſpicio columbam hanc, quæ egreſſa de Arca, nequaquam inſedit limo, neque fluctuantibus hominum cadaveribus, ſed reverſa eſt roſtro gerens oleæ ramum, quaſi eſſet hominibus pacis nuntia. Hæc ipſa erat illius figura, quam Sponſus Cæleſtis in Canticis ſuam columbam appellat: *Una eſt columba mea, perfecta mea.* Unica, & perfecta, quia nemo præter illam vacuus fuit a luto originalis peccati, & e ſordibus actualis, quam eamdem ob cauſſam loquens illi ait; *Tota pulcra es, amica mea, & macula non eſt in te.* Si peccati Originalis macula fuiſſet in illa, nequaquam fuiſſet tota pulcra, & perfecta: ſed quia illum erat paritura, qui hominibus pacem erat daturus, nequaquam decebat, ut vel brevi momento rebellis eſſet Deo ſuo.

Cant. 6.

Cant. 4.

Scala Myſtica quam vidit Jacob in ſomnis figura eſt hujus Myſterii.

In tertia Mundi ætate, ut Saram, Rebeccam, & Rachelem prætermittamus, quæ totidem fuere Beatæ Virginis figuræ, eligo ſolum figuras, quæ aliquam habent cum illius Conceptione rationem. Satis igitur mihi erit proponere vobis Scalam myſticam, quam vidit Jacob Patriarcha de terra uſque in Cælum pertingentem, cui Dominus innitebatur, & per quam Angeli aſcendebant, & deſcendebant. In hac figura illam intueor, cujus corpus vix productum fuit in terra tamquam alterum Scalæ caput, cum anima caput alterum cæleſtibus gratiis fuit decorata; quia Dominus non ſolum illi debebat incumbere, verum etiam ab illa ortum, & vitam recipere, ita volens, ut per illam homines in Cælum aſcenderent, & fierent Angeli, & deſcenderent Angeli hominibus opem laturi.

Vellus Gedeonis alia figura.

In ætate quarta quæ a Moyſe ad David uſque procedit, Sancti Patres nobis duas indigitant figuras, quæ præ ceteris ad Myſterium hoc referuntur. Harum prima eſt Gedeonis vellus, primum quidem Cæleſti rore madidum in loco arido, & mox aridum in ſolo madido. Video illam quæ Dei Mater erat futura, Cæleſtibus gratiis irrigatam fuiſſe, cum univerſum genus humanum eſſet ſterile, & infœcundum; e contra vero cum peccatum in omnes homines exundavit, colluviem hanc ad ipſam uſque non perveniſſe. De Incarnato Verbo dictum eſt; *Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram;* ad ſignificandam gratiarum affluentiam, quibus terra hæc uberrima erat irriganda.

Pſalm. 71.

Maria comparatur cum Arca fœderis, templo, & Tabernaculo.

Ad locandam fœderis arcam, quæ ad ſummum erat materialis imago magnitudinis, & Majeſtatis Dei; David infinitas collegit opes, ac divitias; ſed quas gratiarum divitias, quæ virtutum ornamenta, quem meritorum theſaurum exiſtimare debemus, Regem Cælorum præparaſſe ad exornandum, & locupletandum Templum vivens, in quo ipſe perſonaliter erat habitaturus? ſed antequam operi manum admoveret Deus ſe geſſit eo modo quo ſe geſſerat cum Moyſe pro Tabernaculi, & cum David pro Templi ædificio. Videmus enim in Exodo illum Moyſi imperantem Tabernaculi ſubſtructionem ad cultum, quem ſibi ab Iſrael adhiberi cupiebat. Poſtquam ſingillatim præcepit, quibus rebus uſurus eſſet in hoc opere, cujus ſatis prolixam inſtituit hypotipoſim, propoſuit eidem rei faciendæ exemplum in Monte Sina, & dixit illi: *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt;* dicto paruit Moyſes. Præterea legimus in primo libro Paralipomenon quod eſt ſupplementum Hiſtoriæ Regum; poſtquam David explicuit ſubditis ſuis, quomodo Templum eſſet ædificandum, ornamenta, quæ requirebantur, & omnem apparatum, dixiſſe illis: *Omnia venerant ſcripta de Manu Domini ad me, ut intelligerem opera univerſa exemplaris.* Ita ſe geſſit Deus erga hoc Tabernaculum, ac Templum vivens; hujus exemplar propoſuit ab æterno, & in divina præſentia ſua præparavit ornatus omnes, quibus divinum hoc opus erat condecorandum, & quod in hoc ſingulare eſt, Deus ipſe ante omnia ſæcula illius graphidem exornavit. *Ab æterno ordinata ſum;* Ipſe, inquam, perfecit, & ad unguem adimplevit omnia, quæ in illo ſibi facienda propoſuerat.

Exod. 25.

1. Paralip.

Diſtinctior ſimilitudo inter fœderis Arcã, & Beatam Virginem.

Fœderis Arca alia figura eſt Sanctæ hujus Virginis in Immaculata, & integerrima Conceptione ſua, ubi tot ſunt conſideranda, ut Eccleſia cenſuerit Beatam hanc Virginem vocandam eſſe, *Fœderis Arcam.* Arca illa fabrefacta fuerat ex ligno Incorruptibili, intus, & extra ex auro mundiſſimo deaurato. Aurea corona ſepta erat, omneſque illius dimenſiones ſumptæ fuerant perquam diligentiſſime, & in quatuor angulis quatuor erant annuli ex auro, ita ut ſuſpendi poſſet, atque transferri. Illam tegebat Propitiatorium ex auro mundiſſimo, in cujus lateribus duo eminebant Cherubin ex auro, quorum facies invicem ſemet ultro citroque reſpiciebant. Hæc in ſe continebat Tabulas legis, vas manna oppletum, & Virgam Aaronis, quæ floruerat. Myſtici egregie figuræ hujus partes applicant; Inquiunt, lignum incorruptibile ex quo Arca illa compacta erat, repræſentare incorruptibilitatem corporis, & animæ Sanctæ Virginis, quæ immunis extitit e labe peccati. Aurea corona regiam indigitat poteſtatem; quatuor annuli, quatuor Virtutes Cardinales; Propitiatorium, & Cherubin e quibus tegebatur, erant figura Incarnationis, pro qua Maria in Mundum veniebat. Mitto ceteras applicationes, quas rerum Divinarum contemplatores faciunt reliquarum partium, quæ ad hanc pertinent Arcam: mihi ſatis eſt dicere, nomen hoc ab Eccleſia datum fuiſſe Mariæ, ut credam, hanc non extremam fuiſſe inter præcipuas ejus figuras.

B. Virgo repræſentata per Reginam Eſther, quæ immunis fuit a lege communi, cui omnes erant obnoxii.

Prætereo ceteras figuras mortuas, & viventem adfero, hoc in Argumento non prætermittendam; Hæc eſt Regina Eſther, quæ contremiſcens, ac præ timore trepidans, adit Regem Aſſuerum, qui generale mortis edictum evulgaverat contra univerſam Judæorum gentem, ex qua ipſa quoque originem duxerat. Occurrit illa Regi ad illius iram mulcendam, atque edictum tollendum. Quemadmodum generalis iſta lex ipſam quoque cum ceteris involvere videbatur; Rex, cui erat cariſſima, de ſolio deſcendit, eamque confirmavit, ſolidavitque eo in metu, propter quem defecerat viribus; eamque his verbis affatus eſt, quæ Mariæ Virgini ſemper fuerunt applicitæ, ubi de Conceptione illius ſermo habitus eſt: *Non pro te, ſed pro omnibus, hæc lex conſtituta eſt.* Fieri ne poſſet, ut Aſſuerus majorem haberet vim ac bonitatem ad eximendam Sanctam hanc Reginam a lege generali, qua Judæi omnes morte erant plectendi, quam JESUS CHRISTUS habere potuiſſet ad immunem efficiendam Genitricem ſuam a generali ea lege, qua omnes filii Adam morituri erant?

Applicatio plurium locorum Scripturæ Sanctæ ad hoc argumentum.

Aliorum hominum conceptio lacrymis digna eſt.

D*Ominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Proverb. 8. Veteres quotannis celebrabant diem ſuæ Nativitatis, atque Conceptionis imbre lacrymarum. Ita Job poſtquam anathemate percuſſit diem, qua natus eſt,

tus eſt, hoc idem profert anathema in momentum ſuæ Conceptionis; quia omnes concipimur iræ Filii; ſed longe aliter de Maria dicendum eſt. Primum Conceptionis ejus momentum fuit tempus gratiæ, Deus enim illam propitio intuitu dignatus eſt. Nunquam fuit iræ filia; neque enim recepit unquam peccati labem, quam Deus nullibi pati poteſt, niſi illam odio perſequatur. Itaque terra univerſa in Mariæ Conceptione congaudet; Angeli ipſi, teſte Sancto Bernardino Sennenſi, in Cælis lætantur hymnis, & Canticis, quippe viderunt Deum in initio viarum ſuarum poſſediſſe illam; & illam ſemper fuiſſe Dei ſui, quemadmodum Deus viciſſim fuerat illius: *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus*. Veritas hæc indiget ne probationibus, quandoquidem innititur unanimi Eccleſiæ conſenſui? Gaudeamus ergo, eo quod Maria ſemper immunis fuit a jugo crudeli, & Deus ita illam prævenit copioſis miſericordiis ſuis, ut unica fuerit ex filiabus Adam, cui laudi vertatur, nunquam dæmonis imperio ſubjectam fuiſſe. *Pater la Colombiere tomo 2.*

[illegible]

Maria nunquã [illegible] a Deo

Dilectus meus mihi, & ego illi. Cant. 2. Quamvis Mariæ Sanctificatio tunc temporis, quo concepta fuit, Conceptionem illius magis venerabilem fidelibus præſtiterit; non tamen hoc illud eſt, quod in ipſa magis eluceat in hoc Myſterio. Hujus memoriam recolimus, ut Deo gratias agamus ob gratias, quibus placuit Ipſi eam ex eo momento cumulare; quod tamen facimus, ut juſtis celebremus encomiis merita incomparabilis hujus Virginis, quæ ex illo temporis articulo Sanctiſſimorum hominum merita æquiparavit.

Verum eſt, a Creatore illam ſecretam fuiſſe ab aliis hominibus, re adhuc integra, ipſam a peccati labe præſervando; verum etiam eſt, ipſam ſeſe diſtinxiſſe illico gratiæ Dei reſpondendo. Verum eſt Deum totum illius fuiſſe per amorem hunc prævenientem, & gratuitum, quo actus diſtinxit hanc Creaturam, educens illam de maſſa Adam, ut eam collocaret in loco, ubi ſola inveniatur cum JESU CHRISTO Filio ſuo: ita Deus totus fuit Mariæ. *Dilectus meus mihi*. Sed verum eſt etiam dicere, Mariam totam fuiſſe Dei a primo ſuæ Conceptionis articulo; illam vere fuiſſe ſtellam matutinam, quam Deus illuſtravit, ſed quæ Deo tributi loco reddidit laudes omnium horum donorum; & hanc illam eſſe de qua Propheta dixit: *Ubi eras, quando aſtra matutina laudabant me*. Maria ne unum quidem elabi paſſa eſt momentum, quo non vacaret Deo; quo illum non amaret; quo gratias illi non ageret pro ſingulari beneficio immaculatæ Conceptionis ſuæ: Verbo; ſemper tota fuit Dei; *& ego illi. Idem*.

Job 38.

Omnes naſcimur peccatores, quia deſcendimus a primo homine, qui primus fuit peccator.

Vixit Adam, & genuit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Geneſ. 5. Peccator gignit peccatores, & per funeſtam ſucceſſionem ſoboles nequior oritur ex progenie nequam. Hinc fit, ut nati in peccato, & per peccatum naſcamur ad pœnitentiam. Vix corpus noſtrum coaluit, cum illud caſtigare, & in ſervitutem redigere tenemur. Vix oculi noſtri aperiuntur: cum lacrymas tenentur effundere: vix cor accepimus, cum illud arctare cogimur præ dolore, & pœnitentia, quia ad veterem hominem pertinemus, & quia ab origine & nativitate ſumus *Natura filii iræ*. Moleſta veritas, quæ noſtram frangit ſuperbiam, & qua docemur, cum peccatum mutaverit hominis ſtatum in ipſa origine, indelebilem impreſſiſſe labem, & corruptionem, quæ ad noviſſimos quoque poſteros pervadit, & quæ facta quodammodo eſt tamquam naturæ proprietas, quæ creſcit, atque effunditur prout natura ſe extendit, atque multiplicat; & quæ licet ſit perſonalis & aliena, facta eſt per fatalem communicationem communis omnibus, & ſingulorum propria. Oſtenta igitur, quoad tibi libitum fuerit, hanc Sanguinis puritatem fluentem domi tuæ de parente in Filium; ipſam repete originem: illam veneno infectam reperies; numera ſingulas generationes & recenſe familiæ tuæ titulos ampliores: vetuſtiſſimus ex omnibus titulus erit peccatoris. Ubi collegeris in te gloriam omnem, omneſque fortunas avorum tuorum; primus ille, a quo ducitur genus tuum, non legavit tibi in hæreditatem, niſi peccatum, & mortem. Verumtamen ex hominibus reliquis excipiamus glorioſam Virginem, cujus Conceptionem recolimus. Maria cum delecta fuerit JESU CHRISTI Mater futura, & in ordine Redemptionis, & Reconciliationis hominum comprehenſa; ex ipſa electione, & dignitate ſua haurit Conceptionis ſuæ privilegium.

Non alia Mulier niſi Maria conterere potuit caput Serpentis, quod non ita facere potuiſſet, ſi fuiſſet in Originali peccato concepta.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ipſa conteret caput tuum. Geneſ. 3. Cum protulit Deus hæc verba indignationis, & maledictionis, dubitandum non eſt, quominus in mente illius obverſaretur pura, & Immaculata Conceptio Mariæ: de qua enim alia muliere dici poteſt, contriviſſe caput Serpentis infernalis? niſi de hac Incomparabili Virgine? & quomodo hæc prophetica comminatio adimpleri potuiſſet per Miniſterium illius, ſi Conceptio ejus nequaquam immunis fuiſſet a labe? Si Originale peccatum aliquam conciliaſſet inter illam, & dæmonem conſenſionem in locum æternarum inimicitiarum, quas poſuit Deus, & ſi quin illa ſerpentis caput confringeret, virulento morſu fuiſſet infecta? Igitur Maria certe fuit victrix hæc mulier, de qua Deus loquebatur allate proferens verba.

Si magno opus fuit apparatu, & ſumptu ad Templũ ædificandum, ut ibi Deus permaneret, quid opus fuit ut illi pararetur in Templum eventh. c. ſea te Virgo.

Opus grande eſt, neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo. 1. Paralipomen. cap. 29. Opus hoc magni momenti eſt, non enim homini ſedes paratur, ſed Templum Deo dignum. Idcirco tot auri, argentique talenta, tot lapides pretioſi, tot ligna ex cedro, & Settim, tot egregii artifices, Sculptores, Architecti, comparandi fuerant, & tanta adhibenda fuit in deligendo illius conditore ſedulitas. David, Vir ille ſecundum cor Dei, gratia hac non eſt dignus; ille non ſemper fuit juſtus, & clemens; quæritur innocentia, quæ nullo unquam crimine fuerit labefactata, qualis eſt pueri in tenella ætate: *Salomonem filium meum elegit Deus, adhuc puerum, & tenellum*. Verumtamen, amabo vos, quænam eſt hæc habitatio, quæ præparabatur Æterno tanta cum ſedulitate, & cura? Dei immenſitas non continetur inter cancellos Ædificii, quantumvis Magnifici, & ſuperbi; & ſi Scriptura narrat illum in Salomonis Templo inhabitare, ideo dictum eſt, quod ibi ſervabatur Arca, quæ quoddam erat veluti pignus, quod dederat Judæis particularis patrocinii contra inimicos illorum: & nihilominus fuit *Opus Grande*, quod pro Architectis habere debuit duos celeberrimos Reges, alterum quidem ad opus ſuſcipiendum, alterum vero ad illud perficiendum. Conjicite ergo Fideles, quodnam futurum ſit opus deſtinatum pro reali, & corporali habitaculo Dei Incarnati; judicare quodnam eſſe debeat hoc Templum ædificatum a Deo, & pro eodem Deo. Itaque quænam inſtitui poteſt comparatio inter Salomonis Templum, & myſticum hoc Templum, videlicet Sanctam Virginem? Quænam Domus, quod palatium ædificari poterat Deo, e quo digne ſatis reciperetur? Homines quidem hoc facere non potuerunt, ſed Deus ipſe hoc præſtitit, ipſe fuit Architectus pretioſi hujus Templi, cujus manſio illi glorioſior, atque acceptior fuit eodem Empyreo. *Ex ſermone Domini Ogier de Conceptione*.

Qua fuerit excellentia gratiæ, quam recepit Maria momento Cõceptionis ſuæ

Erit præparatus mons Domus Domini ſupra verticem montium; Fundamenta ejus in montibus Sanctis. Pſalm. 86. Sanctus Gregorius Magnus ex his Prophetæ Verbis occaſionem capit aſſerendi Sanctiſſimam Virginem non ſolum ſine peccato conceptam fuiſſe, verum etiam primo ſuæ Conceptionis articulo gratiam illius vel æqualem fuiſſe vel majorem Sanctitate Angelorum omnium, omniumque Sanctorum, & illam inde initium duxiſſe, ubi alii deſinunt. Fundata eſt ſupra verticem montium, videlicet prima illius Sanctificatio, & ingreſſus in mundum ſublimior, atque elatior eſt ceterorum Sanctitate, & perfectione. Itaque quantum placuerit vobis, merita, gratias, & ſpirituales divitias extollite, quas Sanctus Joannes Baptiſta acquiſivit triginta annorum ſpatio, quo manſit in deſerto, & eas, quas tot decies centena Martyrum, Confeſſorum, & Virginum millia collegerunt humiliationibus, precibus fervidis, pœnitentiis, & operibus Caritatis, hæc omnia ſimul coacervate, & dicite, Deum ita Sanctam Matrem ſuam dilexiſſe, ut gratiis his illi plura fuerit largitus a primo Conceptionis ejus articulo.

Similitudo quam habuit Maria cum Filio ſuo in ratione innocentiæ in qua nemo quidquam nacta eſt quod reprehẽderet.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joann. 8. Opus eſt, ut Mater Filii Dei, quantum fieri poteſt, ſimilis illi ſit in gratia; quoniam Mater, & Filius debent eſſe eorumdem privilegiorum participes. Oportet igitur, ut illa ſit irreprehenſibilis non ſecus ac ille in omni re; & ipſa etiam provocare dæmones valeat, ut in ſe vel minimam peccati labem deprehendant. *Quis ex vobis arguet me de peccato*: Alioquin hoc cederet in JESU CHRISTI probrum, & aliquid eſſet monſtroſum in œconomia Incarnationis ejus, ſi natus ex Æterno Patre immutabiliter Sancto, natus eſſet ex Matre, quæ aliquando culpa non caruiſſet. Et conſtat ratio, Filius enim, & Mater non ſolum communem habent gloriam, ſed eamdem, videlicet, arcte adeo conjuncti ſunt, ut eorum gloria, ſimul, & ignominia invicem ſeparari non poſſint. *Filii gloriam cum Matre non tam communem judico, quam eamdem, Arnoldus ait Carnotenſis*. Igitur dicere potuit, quod poſtmodum Filius dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quis objiciet mihi, me in leve aliquod crimen lapſam fuiſſe? Quamvis non alia, niſi originalis peccati labe fuiſſet infecta, idque ad breve tantum temporis ſpatium, licet mox gratia maculam hanc obliteraverit, momenti hujus dedecus in omnem illius vitam manaſſet, & conſequenter in probrum Filii; fuiſſetque verum aſſerere, etiamſi ille Sanctus in perſona ſua extitiſſet, fuiſſe tamen nocentem in perſona Matris, ideoque abſolute dicere non potuiſſe: *Quis ex vobis arguet me de*

Tract. de Laudibus Mariæ.

peccа-

peccato? Conceptio hæc nimis fuiſſet contumelioſa utrique, Matri ſimul, & Filio; Opus eſt ergo, ut Filius Matri eam dederit Sanctitatem; quæ ſuæ ſimilis eſſet, & Maria ſimilis fuerit Mulieri, cujus meminit Apocalypſis, quæ erat amicta Sole ita ut nulla ex parte umbram poſſet admittere.

Opus eſt Mariam immunẽ eſſe a peccato, quia Deus tamquam in Templo ſuo permanere debet.

Non enim homini præparatur habitatio, ſed Deo. 1. *Paralipom.* 29. Oportuit Mariam immunem fuiſſe ab omni peccato, quia Dei Filius ex ejus ſinu erat naſciturus, tamquam in primo Templo ſuo, & primus uſus officii ſui hoc Sanctitatis ſuæ pignus merebatur: *Neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo.* De illius Conceptione argumentandum non eſt, ſicut de aliorum hominum conceptione. Extrinſecus videtur Virgo, aliis ſimilis, ſed Templum eſt, quod gratia præparat Deo: Si enim pro Templo Jeruſalem Deus voluit quodammodo ſemet præſentare, & palam deſcendit ſub nebulæ forma illud conſecraturus per ſuam præſentiam, adeoque illud ſe dignum effecturus, nonne opus erat, ut deſceſurus in vivens hoc Mariæ Templum, illud etiam conſecraret? Non requiritur, ut ſicut in aliis Templis ædificatio Conſecrationem præcedat; ſed opus eſt, ut primum vitæ ejuſdem momentum ſit etiam Conſecratio illius, ut dici poſſit de illa, quod dici poteſt de Templo Salomonis: hoc repletum fuiſſe a Deo Majeſtate ſua, & gloria ſua, & ita repletos fuiſſe ſtatus omnes vitæ ſuæ gratia, & gloria, ut ne unus quidem fuerit vacuus Deo, & primum ipſum Conceptionis ejuſdem momentum repletum fuerit Majeſtate ſua, & hac gloria conſecratum.

Ex hoc Myſterio diſcere debemus, nobis ſublimem habendam eſſe gratiæ Sanctificantis ideam.

Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum. *Prov.* 8. Verba hæc ab Eccleſia applicantur glorioſæ Virgini, quæ jure ſuo gloriari poteſt ſe nunquam in dæmonis captivitatem aſſertam fuiſſe. Hæc puriſſima eſt Creatura, quam ſibi Deus in Matrem delegit; mirumne eſſe debet, tantam geſſiſſe curam cordis illius, ut illud magna cum zelotypia poſſideret, ejuſque ſibi prima reſervaret obſequia! Hoc Templum eſt, ubi erat inhabitatura omnis plenitudo divinitatis. Mirumne eſt, ſi ne minimam quidem labem in illo paſſus fuerit? Sanguis eſt, ex quo Spiritus Sanctus facturus eſt illi corpus; nonne æquum eſt, ipſum quam diligenter præcavere, ne corrumpatur? Sanctus Sanctorum poſſetne contrahere affinitatem cum carne peccati labe infecta? Diſcamus ergo ab Eccleſia tantam colere in Maria prærogativam, ſi hoc Myſterium penetrare velimus per infidelem curioſitatem, quæ officit quidem gloriæ Matris Domini; ſed quodnam illine elicere poſſumus documentum ad morum noſtrorum ædificationem! Filii odii, & iræ poſſumuſne evitare triſtem illam calamitatem, in quam primo originis noſtræ momento incidimus? Nunquid aſſequi poſſimus, ut fatale hoc momentum non ſit pro nobis momentum maledictionis? Filius patris rebellis poteſtne in lucem prodire, quin afferat ſecum rebellionis patriæ characterem? Non item. Non fert animus proponere vobis pro exemplo privilegium quod merus eſt effectus liberalitatis Dei; ſed ideo credatis hoc Myſterium pro nobis vacuum eſſe doctrina; percipere enim poſſumus ex hac prærogativa conceptum; qui habendus eſt de gratia Sanctificante, per diſtinctionem, qua Mariam ſupra ceteros ſtudet attollere, illam ab ipſo originis ſuæ momento Sanctificans, & oſtendens quo in horrore ille habeat, & a nobis haberi velit peccatum. *Ex ſermone Patris Cheminais de Conceptione.*

Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum. *Proverb.* 8. Dominus poſſedit me, vel juxta aliam verſionem *creavit me* ab initio viarum ſuarum. Quænam ſunt viæ Domini? Miſericordia, & Juſtitia, Pſalmiſta inquit. *Univerſa via Domini Miſericordia, & Veritas.* Sed quandonam incepit ingredi in has vias? Cum propoſuit conſilium Incarnationis, quod accidit ex ejuſdem Prophetæ ſententia *cum Miſericordia,*

Pſalmi 84.

& Veritas obviaverunt ſibi; juſtitia, & pax oſculatæ ſunt. Quoniam igitur Dominus Mariam creare conſtituit, poſtquam homines ſalvare decrevit, nonne concludendum eſt, Mariam alioquin in Mundum nequaquam fuiſſe venturam, & per illam Deum ingreſſum fuiſſe in vias Miſericordiæ erga homines? Ita ſane, Verbum Incarnatum diſponens ordinem temporalis Nativitatis tuæ, conſilia miſcebas de Nativitate Matris tuæ, & oſtendebas locum Auroræ

Job 38.

huic, quæ tibi erat præceſſura? *Oſtendit auroræ locum ſuum.* Utique Pater Æterne! in ipſo momento immutabilium decretorum tuorum, formaſti Ma-

Pſalm. 37.

trem, & Filium, auroram, & Solem; *tu fabricatus es auroram, & Solem*; alteram ab altero non ſecreviſti, ſed per gratiæ tuæ diſpoſitionem voluiſti, ut Maria tota eſſet JESU, & JESUS totus eſſet Mariæ. Quæ veſtra ſententia eſt, Chriſtiani? Nonne decebat Deum; Nonne intererat dignitatis Filii Dei ſibi Matrem deligere non in alium uſum, vel finem deſtinatam? Nonne glorioſius ipſi etiam erat Virgini, ut JESUS unica eſſet Creationis illius cauſa, & ſubjectum? *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens.* *Cant.* 6. Nunquamne vos cœpit oblectatio Cælum reſpiciendi ſub exitum noctis alicujus innubis, atque ab omni denſa vaporum caligine immunis, cum tamquam in theatro coruſcat quidquid in Cælo nitet, ac præclaram ſui ſpeciem præfefert? Jucundum eſt ſpectaculum videre tot ſydera in aciem ordinata, tot aſtra in numerum, & cum menſura ſuos orbes obeuntia, tot ſtellas, ac planetas nitentes, alios quidem majores, minores alios; ſed ſingulos cum peculiari nitore, quo diſtinguuntur. Nonne diceres, noctem adeo coruſcantem nequaquam diurna luce eſſe deteriorem? Sed expecta pauliſper, donec rutilet aurora, & ſtatim videbis nocturnas has lampades extingui, ſydera evaneſcere, & ſtellas has caligine ſuffundi. Sed me dicentem prævertis, figura hæc nimis clara eſt, & nulla indiget explicatione. Stellæ ſunt Sancti; ſed Sancti iſti quantumvis admirabiles, ubi cum Maria comparantur, lucem amittunt. Ita eſt Chriſtiani, ubi conſidero Agathas, Cæcilias, Catherinas, Thereſias, ac tandem glorioſam hanc tot Virginum turbam, nihil earum merita exæquare poſſe videtur; ſed ubi Virginem omni labe carentem intueor, ſententiam muto, & exclamo: *Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens?* Cum video in Cælum ingredi innumeram Anachoretarum, Cœnobitarum, Confeſſorum cohortem geſtantem manibus ſuis pretioſos fructus ſuarum vigiliarum, Jejuniorum, laborum, pœnitentiarum, auſteritatum, bonorumque operum, obſtupeſco intuitus gloriam, qua redimiti coruſcant, ſed majori ſtupore percellor, ubi illam confero cum gloria Virginis hujus in ipſo Conceptionis momento. Sæpe admiratus ſum Martyrum palmas, atque coronas; obſtupui cogitans ſublimem Apoſtolorum gloriam; ſed hæc omnia longiſſime diſtant a prima gratia Mariæ. Venite ergo Spiritus immortales! Throni viventes Majeſtatis Dei! Venite, ut Reginam veſtram veneremini, ejuſque ſuperiorem gloriam conſiteamini.

Maria Auroræ comparata ſtellas fugat.

Primogenita ante omnem creaturam. *Eccleſ.* 24. Eccleſia a Spiritu Sancto edocta Sanctæ Virgini defert peculiarem hanc prærogativam primogenitæ inter puras creaturas, applicans illi hæc eadem verba, quæ de æterna Sapientia dicuntur; quibus innuit, illam a Deo ab æterno fuiſſe præcognitam, & Sancti Patres de hoc tamquam conſilio diutius præmeditato loquuntur. Hoc intelligendum eſt, eo modo quo S. Paulus de JESU CHRISTO loquens ait, illum prædeſtinatum fuiſſe ante omnia ſæcula; in Dei mente conceptum ante omnia. Verbum hoc *ante*, non ſignificat priorem, anterioremque cognitionem, perinde ac Deus prius cognoviſſet Filium ſuum, & poſtea creaturas; ſed objecti excellentiam ſignificat, in cujus conſideratione quieſcat, & ſibi ita complaceat Deus ab æterno, ut in illius comparatione ne oculos quidem ſuper cetera conjicere videatur. Quemadmodum igitur JESUS CHRISTUS eſt primogenitus, videlicet Prædeſtinatus ante omnia ſæcula, quoniam præſtantiſſimum eſt ex omnibus Operibus Dei; ſimiliter Sancta Virgo eſt primogenita, hoc eſt prædeſtinata ante omnia ſæcula tamquam omnium creaturarum præſtantiſſima. Ita ut Deus ab æterno peculiariter immoratus fuerit in duobus objectis admirabilibus, in JESU CHRISTO, quem reſpiciebat tamquam in medio temporum, & in Maria in cujus ſinu carnem erat ſuſcepturus. Ad horum conſpectum homines, & Angeli evaneſcebant; Mundus, & quidquid creaturarum in eo continetur, non poterat in ſe Dei oculos allicere; namque utrumque ex his duobus objectis longe præſtabat univerſo Mundo.

Glorioſa Virgo eſt omnium creaturarum primogenita ſuæ Conceptionis immaculatæ.

Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio, ab æterno ordinata ſum *Proverb.* 8. Dominus poſſedit me; videlicet ſecundum Patrum explicationem, præſentem habuit me, cum animo illius obverſaretur cogitatio creationis, immo etiam ante Mundi creationem. Magnæ, & profundæ abyſſi nondum erant, & jam ego concepta eram in mente illius; fontes nondum emiſerant fluctus ſuos, graves montium moles nondum ex terræ viſceribus aſſurrexerant; genita fui ante omnes colles. Nondum erat tellus, nondum fluvii in alveis ſuis fluebant; terra nondum ſuis fundamentis erat ſuffulta, & cum Cælorum ſtructuram meditabatur Omnipotens, jam in illius conceptu verſabar. Hæc dicentem inducit Sanctam Virginem Eccleſia magnificis verbis, quæ ſatis oſtendunt quantum ibi lateat Myſterium; neque enim ſimilis eſt nobis, quorum cognitio ſeſe extendit quotidie ad objecta recentia, quæ ſeſe noſtris ſenſibus offerunt. Cognitio Dei eſt ipſe Deus, & ſicuti ille eſt æternus, illius quoque eſt æterna cognitio. Quomodo igitur Spiritus Sanctus Virgini tribuit hanc peculiarem prærogativam, ipſam videlicet poſſeſſam, videlicet cognitam, fuiſſe ab æterno, & Sancti Patres palam celebrant, illam a Deo electam fuiſſe, eumdemque ſeſe præparaſſe tamquam operi, quod ab æterno præmeditatus eſt: *Æterni Conſilii Opus?* Ne putes, Deum non iniiſſe ab æterno Conſilium efficiendi creaturas, ſingulas temporibus ſuis; ſed

Maria fuit ab æterno in mente Dei.

iniuit,

innuit, ſi Deus, uti nos, uteretur ratiocinationibus, argumentis, atque conſultationibus, ut videret quid ſibi conſilii capiendum eſſet: illi fere æternitatem impendendam fuiſſe, ut de Maria cogitaret. Opus enim hoc futurum erat præſtantiſſimum, & Virgo eſſe debebat ita perfecta, ut digna eſſet Filio, qui illi præparatur. *P. Caſtillon.*

Maria eſt opus eximium, & unum ſicut Sol. Ipſa electa eſt inter omnes creaturas. Ad Ephef. 1.

Electa ut Sol. Cantic. 6. Sicut enim hoc Aſtrum unicum eſt, & ſtatim ac apparet, fugat ſtellas omnes, ita hæc Incomparabilis Virgo nihil habet niſi rarum, & ſingulare, & inter meras creaturas nullam habet, quæ ſibi exæquetur; quod facile intelligi poteſt per hanc Apoſtoli ſententiam: *Elegit nos, ut eſſemus Sancti, & Immaculati in conſpectu ejus.* In quibus verbis invenimus quidquid poteſt nobis veram adſtruere ideam electionis, & prædeſtinationis Mariæ: quia, Primo Electa fuit, ut eſſet Sancta in omnibus gradibus Sanctitatis, & dicere poſſumus Deum illi communicaſſe has omnes gratias, quas Sanctis aliis diſtribuit. Secundo, Deus elegit eam, ut eſſet pura, & Immaculata in omnibus gradibus puritatis, quibus capax eſt ſimplex Creatura; quia, ut Sanctus Anſelmus ait, cum deberet illa Mater eſſe illius, qui ipſa puritas eſt, habere debebat puritatem, quæ in ſummo gradu imitaretur puritatem ipſius Dei. Quemadmodum ergo Filius quatenus Deus, Patrem habebat omnino impeccabilem, ita neceſſe erat, ut quatenus homo haberet Matrem, quæ per peculiarem gratiam ab omni peccati labe eſſet immunis. Tertio, Elegit eam, ut Sancta eſſet, & Immaculata non quidem modo communi, ſed proprio, & ſingulari, qualis eſt fuiſſe ſine peccato conceptam. *Pater a Ponte.*

Reſpondetur objectionibus.

Tota pulcra es Amica mea, tota pulcra es: & macula non eſt in te. Cant. 4. Nonne hæc eſt Eccleſiæ totius lingua, ubi de Maria verba facit? Nonne illi hoc applicat oraculum, ubi de Conceptione ejus habet ſermonem? Quid? Primus homo efformatus erit cum ſumma perfectione, & prima omnium mulierum creata erit in innocentia, & non credemus Mariam, quæ hanc prærogativam in ſummo gradu poſſedit, illam ſemper integram, incolumemque ſervaſſe? Nonne ſacrilegium eſt, Sanctus Bernardus ait, in celeberrima Epiſtola, quam dedit ad Canonicos Lugdunenſes, cogitare, a Deo Mariæ negatum id, quod ab eodem aliis conceſſum eſt? *Quod vel paucis mortalium conſtat eſſe collatum, fas certe non eſt ſuſpicari tanta Virgini eſſe negatum.* Maria nonne ſingulis in rebus ſeorſim peculiarem ordinem debet efficere? Nonne diſtincta eſſe debet in Conceptione ſua quemadmodum in ceteris diſtincta fuit? Si dixeris, illam in Matris utero fuiſſe diſtinctam, igitur non amplius efficit ſeorſim ordinem, quandoquidem Joannes Baptiſta cum Maria eumdem partitur honorem? & fruſtra canit Eccleſia de Maria; *Tota pulcra es Amica mea, & macula non eſt in te.* Deo ſatis non fuit effundere dona ſua in remotiſſimos etiam Majores Mariæ, peculiari gratia proſequi dignatus eſt Tribum Juda, quia Maria erat ſtella inde naſcitura. Quomodo ergo non efformaverit Mariam ſine macula in ipſius Conceptione, ut illam attolleret ſuper omnes Patriarchas; dederitque Angelis Reginam, quæ non fuiſſet immunis a ſorde peccati, cum illi nullam unquam peccati labem contraxerint?

Qualitas Matris Dei ſupponit Immaculatam ejus Conceptionem.

De qua natus eſt JESUS. Matth. 6. Mirum eſt Evangelium adeo parum loqui de Maria, & poſtquam diligentiſſime deſcripſit Myſteria Incarnationis, & Nativitatis Filii, nihil dixiſſe de Conceptione, & dignitate Deiparæ. Nonne hoc inde factum eſt, quia Evangeliſta totus intentus erat celebrandæ Filii genealogiæ? An quia verba hæc, adeo brevia, continent quidquid dici poterat de Maria; & Spiritus Sanctus modicum dicens, integrum Fidelibus relinquit enucleare laudes Virginis hujus puriſſimæ in magnalibus JESU CHRISTI, quem concipit; Et ſane quæ validior inveniri poteſt ratio ad conſtituendam Immaculatam illius Conceptionem, quam oſtendere, privilegium hoc jus fuiſſe illi acquiſitum per Deiparæ qualitates? JESUS CHRISTUS, Sanctus Paulus inquit, eſſe debebat Pontifex ſine macula, ſeparatus a peccatoribus, excelſior Cælis factus, tam quia erat Filius Dei genitus ab æterno in ſinu Patris Æterni, tam quia erat hominum omnium Salvator, & dæmonum Victor. Nonne dicendum eſt, Mariam, quæ particeps erat trium harum qualitatum, eſſe debuiſſe ſine macula in beata Conceptione ſua; & quia Dei Mater erat futura; & quia mox concurrere debebat propius ad Redemptionis Myſterium quatenus Corredemptrix; & quia eſſe debebat Mulier illa in Apocalypſi connotata, quæ dæmonem vicit, & poſt ſe fluvium emiſit, ad eum abſorbendum, & quæ futura erat Advocata noſtra poſt Filium ſuum, quem Sanctus ipſe Paulus appellat Advocatum noſtrum apud Æternum Patrem; Igitur dicendo, JESUM de illa natum eſſe; *de qua natus eſt JESUS*, ex hoc principio nobis arguendum eſt, Conceptionem Mariæ Immaculatam fuiſſe.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Excepta Sancta Virgine, de qua propter honorem Domini, nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. S. Auguſtinus lib. de Nativit. & Grat. cap. 36.

Æterni Conſilii opus. Idem de Serm. de Annunt. Virginis.

Unde ſordes in Domo, in qua nullus habitator terra acceſſit, ſolus ad eam, ejus fabricator, & Dominus venit. Idem contra duas Hæreſes.

Nulli dubium eſt de Matre Domini, quin talis debuerit eſſe, quæ non poſſit argui de peccato. Hieronym. in Epiſt. ad Euſtoch.

Totum ad laudem CHRISTI pertinet, quidquid Genitrici ſuæ impenſum fuerit. Idem ibidem.

Non mirum, ſi Dominus redempturus Mundum operationem ſuam inchoavit a Matre, ut per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum ſalutis hauriret ex pignore. Ambroſ. in cap. 2. Lucæ.

Virga in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit. Idem S. Ambroſius quia multis ita citatur.

Non ſuſtinebat juſtitia, ut vas illud electionis communibus laceſſeretur injuriis: natura communicavit, non culpa. Cyprianus de Natali Virginis.

Natura tantiſper expectavit, donec gratia fructum proferret. S. Joannes Damaſcenus.

Virginem totam inundarat divinus Amor. Sophronius ſerm. 2. de Aſſumpt.

Immaculata, intemerata, incorrupta, omnibuſque modis Sancta, & a labe peccati alieniſſima. S. Ephrem Orat. ad B. Virginem.

Mater Dei penitus Immaculata, & omnibus modis irreprehenſa. In Liturgia S. Jacobi.

Caro ex Sanctitate compacta. Baſilius Selucien. ſerm. de Annuntiatione.

Perfectiſſima Dei imago ab ipſo Deo ſumma arte, & ſingulari providentia depicta. S. Antoninus Archiepiſcopus Florent. in Pſalm. 44.

Plus venit CHRISTUS pro Maria redimenda, quam pro omnibus aliis. Bernardin. Senenſ. tom. 3. Concil. 51. artic. 3. cap. 4.

Totus honor impenſus Matri in gloriam redundat Filii. Rupertus Abbas.

Primogenita Redemptoris, S. Bernardinus Senenſis ſerm. 51. cap. 3.

Singulariter electa ad miniſterium redemptionis, & reparationis gratia. Guillelmus Pariſienſis in Cantic.

Aurora prævia, dies noctis neſcia. Petrus Cluniacenſis in Proſod. Virginis.

Mater intemeratiſſima Sanctitatis. Amphilochius homil. in Sanctam Deiparam.

Decens erat, ut ea puritate, qua ſub Deo major nequit intelligi, Virgo illa niteret. S. Anſelmus lib. de Concept. Virginis.

Ceteris Sanctis magnificum fuit non expugnari, Mariæ non impugnari. Richardus a S. Victore, lib. de Emanuel.

Filii gloriam cum Matre, non tam communem judico quam eamdem. Arnoldus Carnot. Tract. de Laudibus Mariæ.

Conceptio futura Matris CHRISTI fuit quaſi Conceptio CHRISTI. Petrus Bleſenſis.

Quod vel paucis mortalium conſtat eſſe collatum, fas certe non eſt ſuſpicari tanta virgini eſſe negatum. Sanctus Bernardus in Epiſt. ad Lugdunenſes.

Magna fuit Sanctificatio Jeremiæ, quæ potuit facile vitare culpam mortalium; major Joannis Baptiſtæ, quæ potuit frequentiam vitare venialium; maxima Virginis Mariæ, quæ potuit vitare, immo vitavit omne peccatum. Idem ibidem.

Cum in iniquitatibus concepti ſint omnes, neminem unquam mortalium intra materna viſcera Sanctificatum legimus præter Jeremiam, & Joannem Baptiſtam; quamquam de Singulari Virgine nulla ſit ambiguitas, quin ipſa maternis circumſcripta viſceribus, ſublimiori ſanctificationis genere mundata ſit, utpote Sanctuarium illud, in quo Deus, & Dei Filius carnem fuerat ſuſcepturus. Idem ſermone de Nativitate Joannis Baptiſtæ.

Mundum ſpecialiſſimum ſibi Deus condidit, quem in juſtitia, & ſanctitate fundavit. Idem, ſerm. de Nativit. Virginis.

Invenisti gratiam apud Deum, quantam gratiam?

gra-

gratiam plenam, & ſingularem; ſingularem, an generalem? utramque ſine dubio, quia plenam, & eo ſingularem, quo generalem. Idem ſerm. 3. in Annunt. B. Virginis.

Quæ vel Angelica puritas Virgini illi valeat comparari, quæ digna fuit ſacrarium fieri Spiritus Sancti, & habitaculum Filii Dei. Idem ſermone de Aſcenſione.

Ego puto, quod copioſior gratia Sanctificationis in eo deſcenderit, quam in aliis in utero Sanctificatis, quæ totam vitam ejus immunem ab omni peccato efficeret, quod nemini in natis mulierum credimus eſſe donatum. Idem ſerm. de Nativ. Virginis.

Virgo non leviter, nec fortuito inventa, ſed a ſæculo electa ab Altiſſimo, præcognita, & ſibi præparata. Idem.

Alii poſt caſum erecti ſunt; Maria quaſi in ipſo caſu ſuſtentata eſt, ne rueret. S. Bonaventura in 3. diſt. 3. diſp. 2. quæſt. 1.

Congruebat ut Virgo nullum peccatum haberet, & ita vinceret diabolum, nec ei ſuccumberet ad modicum. Idem diſtinct. 13. art. 2. quæſt. 1.

Solus Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipſa Mater, & Virgo; credendum enim eſt, quod novo Sanctificationis genere in ejus Conceptionis primordio Spiritus Sanctus eam a peccato originali, non quod infuit, ſed quod infuiſſet, redemit; atque ſingulari gratia præſervavit. Idem Serm. de B. V.

Virum de mille unum reperi, ſcilicet CHRISTUM, *qui ab omni peccato immunis eſſet: ad minus originali, vel veniali, excipitur, puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo.* Sanctus Thomas in Epiſtola ad Galatas, cap. 3. in Edit. Veneta 1593. & in Editione Pariſienſi anno 1542. *quæ verba ſuppreſſa ſunt in aliis Editionibus.*

Rationabiliter creditur, quod ea quæ genuit Unigenitum a Patre plenum gratia, & veritatis, præ omnibus aliis majora dona gratiarum, & privilegia accepit. Idem 3. part. quæſt. 27. art. 1.

Declarat Sancta Synodus non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem. Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. decreto de peccato originali.

Talem ſibi Filius Dei delegit, immo ſibi Matrem condere voluit, qualis ipſum decebat; & quam ſibi noverat eſſe placituram. S. Bernardus ſuper Cantic.

PARAGRAPHUS V.

Quid hauriri poſſe ex Theologia in hoc argumento.

Quid intelligitur nomine Conceptionis Immaculatæ Mariæ Virginis.

Re adhuc integra animadvertendum eſt, cum dicimus, & aſſerimus Conceptionem Beatæ Virginis eſſe Immaculatam, idem eſſe, ac aſſerere, illam immunem fuiſſe a peccato originali, quod univerſalem Adæ poſteritatem infecit. Factum hoc non vocatur amplius in dubitationem, non enim licet diſquirere, & minus adhuc contra ſententiam hanc diſputare, ſeu publice in ſcholis, ſeu in privatis colloquiis, quamvis nondum definitum fuerit ab Eccleſia, tamquam de fide. Quod de jure eſt; videlicet qua in re conſtitutus ſit incomparabilis hic favor, & adeo ſingulare privilegium; videbimus varias Theologorum ſententias, quæ æque in laudem & gloriam Matris Dei cedere videntur. Hoc in loco dicere mihi ſatis eſt, quemadmodum in Mundi creatione voluit Deus efficere opus eximium in ordine naturæ, & compendium operum omnium ſuorum, ſimiliter in hominis reparatione, ac reformatione oſtendere voluiſſe in ipſo Conceptionis ejuſdem articulo, miraculum gratiæ, & compendium omnium gratiarum, & beneficiorum conceſſorum omnibus Sanctis antiquæ legis, & novæ.

Vulgarior opinio Theologorum eſt, Mariam debuiſſe ſubire originale peccatum, ſed ſingulari gratia præſervatam fuiſſe.

Cum pleriſque Doctoribus major eſſe videatur ſimplicitas, atque probabilitas in cogitationibus eorum, qui fatentur ingenue, Sanctam Virginem utpote filiam Adæ nequaquam futuram fuiſſe crimine vacuam, & ab originali macula exſortem; ſed Deum ſingulari favore illam a lege communi excepiſſe, ne illam iſti ſubjiciens, vulneraret leges antiquiores, qualis erat illa decori, & infinitæ Sapientiæ ſuæ: Quomodocumque ſe habeat res, ſeu Maria ſeparata fuerit a communi humani generis maſſa, & in ordine peculiari ſepoſita, ſeu cum ceteris hominibus permixta, prorſus peculiari privilegio, conſtat, ipſam unam ex filiis Adæ nequaquam perculſam fuiſſe maledicto communi & in hoc univerſali naufragio nequaquam fuiſſe involutam.

Nullum fuit unquam majus privilegium, immunitate a peccato originali Mariæ conceſſo.

Nemo unus ignorat privilegium eſſe legem peculiarem, quæ liberat a communi lege eos, quibus conceſſum eſt privilegium, ne lege communi teneantur. Hinc ſequitur privilegium eo eſſe ſpectabilius, quo lex a qua eximit, moleſtior eſt, atque communior. Sed Maria in Conceptione ſua legi ſubducta fuit, a qua ſubjiciebatur peccato, & quæ mortales omnes ſubjiciebat; ita ut nulla extiterit unquam lex durior, & magis univerſalis, a qua nullum uſquam majus privilegium ulli conceſſum fuit niſi illud Immaculatæ Conceptionis.

Duplex genus redemptionis quarum altera antecedens, altera ſubſequens eſt. Antecedens propria eſt B. Virginis.

Animadvertendum quoque eſt, Theologos innixos auctoritati Sancti Auguſtini, duplex cognoſcere genus redemptionis, quarum alteram antecedentem, alteram ſubſequentem appellant. Subſequens in eo poſita eſt, ut hominem liberet a peccato, poſtquam lapſus eſt; antecedens autem, aut præveniens in anteceſſum illum præſervet, & prohibeat ne cadat. Sanctus Anſelmus antecedentem hanc redemptionem vocat, Cæli redemptionem, ſubſequentem vero redemptionem terræ. Redemptionem Cæli, quia JESUS CHRISTUS ita redemit Angelos, promeritus illis gratiam, ut victores fierent a ſollicitationibus primi illius, qui extulit vexillum rebellionis contra Deum ſuum, & ut vetaret, ne cum aliis Apoſtatis Angelis laberentur. Sed Beata Virgo a Sancto Bernardino vocatur, *primogenita Redemptoris filii ſui*. Quatenus Primogenita habuit primitias Redemptionis, & conſequenter antecedenti Redemptione fuit redempta.

Opinio eorum, qui credunt S. Virginem nequaquam obnoxiam fuiſſe periculo peccandi.

Non deſunt Thelogi qui ulterius procedunt, & quorum opinionem jam attulimus, ſcilicet illam ne fuiſſe quidem in periculo peccandi, & nequaquam obnoxiam fuiſſe neceſſitati in originale peccatum incidendi. Inde vero Doctores iſti hanc ſententiam propugnant, quia hanc exiſtimant Virgini glorioſiorem: ita enim ſuam explicant ſententiam. Magnum intercedit diſcrimen inter originale peccatum, & neceſſitatem, quæ nos huic ſubjicit peccato. Originale peccatum macula eſt habitualis inhærens filiis Adæ, macula procedens ex actuali peccato protoparentis noſtri, qui conſtitutus eſt, ut eſſet morale caput omnium mortalium. Neceſſitas incurrendi in originale peccatum, involvit omnem Adæ progeniem, præſuppoſito pacto, quod Deus fecerat cum illo, pro illo, & omnibus poſteris ejus. Dicam apertius. Hæc obligatio contrahitur per naturalem generationem; quæ nos conſtituit filios, & hæredes infelicitatis Adam, Eccleſia Catholica jubet, ac præcipit, ut doceatur, & prædicetur Beatam Virginem nequaquam ulla culpæ originalis peccati labe fuiſſe pollutam, & vetat, ne oppoſita ſententia prædicetur. Quod ſpectat ad neceſſitatem in hoc peccatum incurrendi, omnes fere Theologi dicunt, Mariam in illa incurriſſe, & eamdem cum ceteris fuiſſe prolapſuram, niſi Deus per ſingularem amorem lapſum hunc præveniſſet. Sed qui affirmant illam neque labem contraxiſſe, neque in ullum contrahendæ illius periculum incidiſſe, pro argumento afferunt; Mariam quidem eſſe vere Adæ filiam, & de illo ſumpſiſſe carnem; ſed ab Adam nequaquam pependiſſe, neque illi inniaam fuiſſe; videlicet primum illum parentem hominum potuiſſe quidem cum omni progenie ſua peccati labe contaminari, quin Maria contaminaretur, quia non oriebatur niſi pro JESU CHRISTO, & ab illo ita pendebat, ut ſine illo nunquam futura fuiſſet. Ita ut quemadmodum ſanior docet Theologia, ſi Adam non peccaſſet, Filius hominis non veniſſet, neque Verbum Caro factum fuiſſet, ſaltem vi decreti, quod nobis manifeſtatum fuit in Scripturis: ita neque fuiſſet Maria Dei Mater, & admirabilis hæc creatura permanſiſſet in rerum poſſibilitate, cum illius Nativitas non decreta fuerit, niſi per decretum poſterius prævisioni lapſus Adæ, & per illud decretum, quod reſpicit Verbi Incarnationem.

Juxta hanc doctrinam facile concipitur, & explicatur Immaculata Virginis Conceptio.

Hinc plurimi Doctores magni Nominis, zelotes gloriæ Deiparæ, & Immaculatæ puritatis propugnatores probant, illam immunem ab originali peccato fuiſſe non ſolum, verum etiam ab omni neceſſitate illius contrahendi, eamque ſemper fuiſſe tamquam ſeparatam ab Adæ poſteritate; quia non erat comprehenſa in eo pacto, quod Deus percuſſerat cum Adam pro ipſo, & poſteris ejus. Sed pactum hoc illos tantum reſpiciebat, quos prævidebat Deus naſcituros in primo ordine, qui minime pendebat a decreto Incarnationis Verbi. Virgo autem ex his non erat; ſi nonniſi primus ille ordo fuiſſet, & primum illud decretum illa nequaquam extitiſſet. Hæc argumentandi ratio Mariæ adeo glorioſa, nihil imminuit eorum, quæ debet Filio ſuo, & non prohibet quominus filia ſit ejus, cujus Mater fuit, & quominus particeps ſit Redemptionis ejuſdem. Econtra probat Mariam plus debere JESU CHRISTO, quam alii; quoniam non ſolum debet illi omnes gratias, ſed ipſam etiam Nativitatem; neque enim fuiſſet unquam, niſi JESUS veniſſet in Mundum, quatenus Redemptor.

Quantum ſit privilegium Virginis conceptam fuiſſe ſine originali peccato.

Sine peccato fuiſſe conceptam tantum eſt privilegium, ut ex Doctorum ſententia, ſi Deus optionem Mariæ feciſſet, ut vel ſine peccato conciperetur, vel eſſet Dei Mater, illam potius auguſtiſſimæ huic Maternitati abrenunciaturam fuiſſe, quam permiſſuram, ut originali macula inficeretur: Ratio autem, quam adferunt Doctores illi, eſt, magnum illud malum, quod eſt odium Creatoris.

Nul-

Nullum tantum eſt bonum, cujus jacturam æquo animo ſuſtinere non valeamus, nullum malum, quod æqui, bonique facere non debeamus potius quam fiera per peccatum triſte objectum iræ Dei.

Gratia Mariæ conceſſa in ſuæ Conceptionis momento.

Docent Theologi Creatam gratiam, quam dedit Deus animæ JESU primo momento, quo eſſe cœpit, parem fuiſſe qualitati Capitis Prædeſtinatorum; & Principii noſtræ Sanctitatis, ac tandem infinitæ Majeſtati Verbi, quæ illi erat conjuncta. Data proportione judicium ferre poſſumus de gratia, quæ conceſſa fuit Beatæ Virgini primo momento, quo ſanctificata fuit; & ſicuti Sanctus Thomas agnoſcit in Deo quamdam juſtitiam innixam fidelitati, per quam obligat ſe creaturis eo momento, quo illis eſſe tribuit, vel quo illas cuipiam deſtinat fini, ſe illis daturum qualitates ſingularum naturæ, & fini convenientes, dicere debemus, ipſum ſimiliter operari, cum deſtinat nos alicui muneri magni momenti, nobis largiri quidquid opus eſt, ut eo munere perfungamur. Quæ cum ita ſint, cum dubitari non poſſit, dignitatem Matris Dei omnibus creatis rebus excellere, & majorem eſſe, quæ meræ creaturæ valeat conferri; quoniam præ ſe fert quoddam jus, quod illi contulit gratia in JESUM CHRISTUM, cui tribuit vitam, opus eſt etiam, ut gratia, quam illi concedit, ſuperet omnes gratias, quæ ceteris Sanctis collatæ fuerunt.

Dona, & favores quibus S. Virgo cumulata fuit, fuerunt congrua amori quo diligebatur a Deo.

Si Dei amor, qui non affectivus eſt tantum, ſed effectivus, eſt regula, & menſura communicationis donorum illius, certum eſt, Deum amaſſe Mariam a primo Conceptionis ejuſdem articulo magis quam ceteras creaturas: *Diligit portas Sion, ſuper omnia Tabernacula Jacob*; videlicet magis amat prima Beatiſſimæ Virginis primordia, quam perfectionem, & conſummationem omnium Sanctorum; ideoque in feliciſſimo illo momento liberalius effudit in illam ſua dona, & beneficia; & ſicuti populi propiores ſoli, majorem experiuntur calorem, & Spiritus qui propius adſtant Throno Dei, nobilioribus, perfectionibuſque perfruuntur irradiationibus; ita Sancta hæc creatura conſiderata tamquam futura Mater JESU CHRISTI, habens majoris propinquitatis rationem cum Deo, quam ſimul omnes Sancti, majores ſine comparatione recepit gratias, quam alii, & in eo temporis articulo in Sanctorum plenitudine fuit conſtituta: *In plenitudine Sanctorum detentio mea*, videlicet ex Sancti Bernardi ſententia, poſſedit ſola, quidquid ſinguli Sancti poſſederunt. *Quidquid ſinguli habuere Sancti, tu ſola poſſediſti*; & quemadmodum fluvii omnes, Sanctus Bonaventura ait, *intrant in mare, ſic omnia chariſmata gratiarum intrant in Mariam*.

Eccli. 24.

S. Bernard.

S. Bonavent.

Tres plenitudines gratiarum, quas recepit S. Virgo, ſecundum Div. Thomam.

Sanctus Thomas in Opuſculo ſexto docet, Deum in Maria poſuiſſe tres gratiarum plenitudines; quarum aliam vocat plenitudinem gratiæ ſufficientis; aliam plenitudinem gratiæ abundantis; tertiam vero plenitudinem gratiæ excellentis. Et addit, primam illi collatam fuiſſe momento primæ Sanctificationis ſuæ; alteram dum adimpletum fuit Myſterium ſuæ Incarnationis; tertiam vero in qualibet actione vitæ ſuæ, ut eſſet incomparabilis, & operatur modo prorſus peculiari in cujuslibet Virtutis exercitatione. Modo de prima tantum loquimur plenitudine, quam Doctor Angelicus gratiæ ſufficientis plenitudinem vocat, quia ſatis erat, ut illam parem efficeret exercendis omnibus officiis, & digne obeundis illuſtribus muneribus Mediatricis, & Reparatricis hominum. Verbo, ſufficiebat, ut omnibus actionibus ejus præberet eximiam illam perfectionem, quæ in omnibus actionibus dignæ Matris Dei requirebatur.

Diſcrimen inter gratiam, quæ data fuit B. Virgini, & eam, quæ data fuit Sanctis omnibus.

Sancta Salvatoris humanitas prædeſtinata fuit honori hypoſtaticæ unionis, & perſonali unctione fuit ſanctificata, & evecta ad ſtatum naturalis filiationis; Maria vero prædeſtinata fuit non ſolum gratiæ habituali, & conſuetæ, ut eſſet beata in Cælo, & eſſet Angelorum, & hominum regina; ſed etiam ut eſſet Dei Mater. Gratia, quam ipſi in Baptiſmo recipimus, non ſecus ac in aliis Sacramentis, nobis confertur, ut bona opera exerceamus, atque Deo frui mereamur; ſed gratia Mariæ collata fuit, ut divinæ Maternitati diſponeretur. Aliorum Sanctorum gratia, etiam conſummata, videlicet, gloria tendit eo, ut nos efficiat Dei filios per adoptionem: *In adoptionem filiorum perfectam*; ſed gratia Mariæ collata tendit eo, ut efficiat illam Matrem Dei & Matrem Dei per naturam; gratia aliorum, immo etiam & gloria jus tribuit illis ad viſionem Dei; gratia Mariæ deſtinat illam productioni Hominis-Dei. Gratia aliorum Sanctorum, immo etiam & gloria eo tendit, ut producant imaginem, quæ divinam repræſentet eſſentiam; gratia Mariæ eo tendit, ut concipiat, & producat hominem-Deum realiter, atque ſubſtantialiter. Verbo, infinitum intercedit diſcrimen inter gratiam Mariæ, quæ ab ipſo Conceptionis momento deſtinata eſt ad pariendum Salvatorem ſuper terram, & illam aliorum juſtorum, quæ eo tendit, ut aliquando perfruantur adſpectu Dei hujus in Cælo.

Ad Epheſ. 1.

Vita naturalis in Maria non ſuperavit vitam ſupernaturalem.

Non extremi ex prærogativis Sanctæ Virgini conceſſis in Conceptione fuit, animam illius, ſtatim ac conjuncta fuit corpori ejus, Deo quoque conjunctam fuiſſe, & vitam naturalem nequaquam præceſſiſſe vitæ ſupernaturali. Statim ac cœpit eſſe, ſanctificata fuit, & per Sanctificationem hanc præſervata ab originali peccato. Quin immoremur in probanda hac Veritate, quam ſatis alibi oſtendimus, dicere tantum poſſumus, ſi Deus id potuit, & voluit, id effeciſſe. Sed negare ipſum id potuiſſe, blaſphemia eſt adeo impia contra potentiam, ut abſurditate plena; dicere vero noluiſſe, hæc ſumma eſt contumelia bonitati, & amori Filii erga talem Matrem illata. Hoc argumentum ſexcentis æquivalet, & nemo eſt, qui illius vim nequeat intelligere.

De plenitudine gratiæ quã recepit Virgo in Conceptione ſua.

Hæc gratiæ plenitudo, quam cognoſcimus in Maria, non eſt terminus, quem Theologorum noſtrorum Zelus excogitaverit ad illius gloriam augendam: hoc jam uſus fuit Angelus, qui nunciavit illi Incarnationis Myſterium eam ſalutans, non quidem ex nomine, ſed ex hac gratiæ plenitudine. Quæritur quonam in vitæ ſuæ momento Sancta Virgo receperit a Deo hanc plenitudinem gratiæ; & Sanctus Thomas ait, hanc a Maria fuiſſe receptam momento ipſo, quo in Annæ ſinu concepta fuit. Sed ad id intelligendum primo ſupponendum eſt, hanc gratiæ plenitudinem nequaquam eadem eſſe, ac gratiam infinitam, cui nihil addi poſſit; Nulla creatura hujus capax eſt, ſed hujus unius eſt prærogativa, de quo dictum eſt, gloriam ejus *apparuiſſe tamquam unigeniti a Patre plenum gratia, & veritatis*. 2. Supponendum eſt, hanc gratiæ plenitudinem dici non poſſe gratiam conſummatam in ſubjecto ſuo, quæ ad gradum conſiſtentiæ, & perfectionis pervenerit, quem illi Providentia conſtituerit. Maria hunc gratiæ gradum aſſecuta non eſt, niſi cum vivere deſiit, etenim toto vitæ ſuæ ſtadio ſemper crevit gratia. 3. Loco ſupponendum eſt, plenitudinem gratiæ, de qua hic agitur, eſſe certum gratiæ gradum, qui collatus cum illis omnibus, ad quos alii Sancti perveniunt, ita hos antecellit, ut nequeat alio nomine exprimi, niſi plenitudinis nomine. Hoc in ſenſu Divus Thomas cenſet, Beatam Virginem recepiſſe plenitudinem gratiæ momento ſuæ Sanctificationis. Et ratio, quam adfert, eſt, Divinæ Sapientiæ proprium eſſe ita gratiam ſuam diſtribuere, ut illam accommodet dignitati, myſteriis, & muneribus, quibus deſtinat Sanctos: unde concludit, cum Sancta Virgo futura eſſet Mater Æterni Verbi, illi prodeundum fuiſſe in Mundum ea ornatam gratia, qua ipſa ſupra Sanctos omnes collocaretur.

Tria privilegia Conceptionis B. Virginis.

Tria ſingularia privilegia comitata ſunt hanc Immaculatam Conceptionem, quæ illam inimitabilem conſtituerunt. Primum illud erat, quod Doctores exteriorem protectionem vocant, quæ ſita eſt in Miniſterio, & cura, quam Deus Angelis dedit amovendi a ſervis ſuis tentationes, & tentationum occaſiones ſecundum illud Davidicum: *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*. Hæc protectio nobis eſt perſeverantiæ principium, ſed cum iſta protectio ſit validior in Maria, pro illa erat principium impeccabilitatis. Secundum privilegium erat extinctio ignis illius, qui dicitur fomes concupiſcentiæ; quod vocabulum ſatis per ſe patet; videlicet Sanctam Virginem caruiſſe hac in malum proclivitate, quæ nobiſcum oritur, quicumque ſumus; cauſa æque fœcunda, atque funeſta omnium criminum, quæ patramus. Tertium privilegium: Immaculata iſta Conceptio eſt naturalis veluti prærogativa divinæ Maternitatis, cui erat deſtinata: etenim cum rationis uſu, qui in anteceſſum, ut unanimis fert Theologorum ſententia, illi collatus fuit, aſſecuta eſt infuſam cognitionem omnium divinorum Myſteriorum, quæ replevit mentem ſuam luminibus cæleſtibus, & cor ardentiſſima caritate, quæ unquam in mera creatura fuerit inventa.

Quomodo, & quare adſit connexio exiſtentiæ inter JESUM CHRISTUM, & Deiparam.

Beata Virgo nexum habet eſſentiæ, & exiſtentiæ vinculum cum Salvatore Mundi: ſola enim ratio, quæ Deum impulit, ut illam de mundo educeret, hæc fuit, ut pareret Filium ſuum. Hæc propoſitio eſt plurium inſignium Theologorum, quibus Patrum, & Bibliorum favet auctoritas, ſolidis fundamentis innixa. Cum Deus in æternis Conſiliis ſuis deliberabat, utrum feliciſſimam hanc mulierem creaturus eſſet, non agebat ſolum de exercenda ſua bonitate atque potentia; ſed alio ſpectabat. Cogitabat de Incarnatione Filii ſui, & poſito quod ille humanam carnem aſſumpturus eſſet, meditabatur, ſe illi Mariam in Matrem daturum: ita ut ſicuti humanitas Sancta JESU CHRISTI in decretis, & præſcientia Dei ſemper conjuncta fuerit hypoſtatice cum Verbo: *qui prædeſtinatus eſt Filius Dei*: Quemadmodum ſacrati hujus Corporis productio tunc tandem decreta fuit, cum tres Divinæ Perſonæ ſtatuerint, Verbum carne indutum iri; ſimiliter, antequam ſtatueretur, ut Maria naſceretur, jam illa delecta fuerat in Matrem hujus Hominis Dei. Ejus ad ita eminentem Sanctitatem electio præceſſit decretum abſolutum nativitatis ejuſdem, & glorioſus titulus, qui deſtinabatur illi, cauſa fuit, quæ impulit Deum, ut eidem vitam conferret. Illa creata

non

Seſſ. 36.

non fuit, inquit Concilium Baſileenſe, niſi ut Creatorem ſuum utero geſtaret. *Ipſam fabricavit Filius Dei, ut eſſet Mater ejus in terris.* Si JESUS CHRISTUS non veniſſet in Mundum, illi, quæ proprius, & peculiaris eſt Mundus illius, ut Sanctus Bernardus inquit, nequaquam veniſſet. Æterna Sapientia pulcherrimas has ædes non ædificavit, niſi quia ibi habitare cupiebat ſuper terram: *Sapientia ædificavit ſibi domum*: Et vivens hoc Templum præparatum non fuit, niſi ut reciperet Altiſſimum; *Ad hoc ſolum eſt effecta, ut templum eſſet Dei Altiſſimi.*

Incomparabilia privilegia gratiæ Sanctificantis in Maria in momento ſuæ Conceptionis.

Præterea cum Theologis animadvertenda ſunt tria privilegia, quæ nunquam occurrerunt in alia aliqua Creatura, videlicet admirabilem illius ſanctificationem ſimul fuiſſe originalem, immutabilem, & ſemper creſcentem. Angeli quidem creari fuerunt in gratia Sanctificante, non ſecus ac primus hominum parens, ſed illam potuerunt amittere; & profecto primus homo, & Angeli Apoſtatæ illam amiſerunt; ſed Maria in Conceptione ſua repleta fuit Sanctitate, quam nunquam amiſit, & quam per gratiam amittere non poterat. Apoſtoli in gratia confirmati fuerunt poſt Spiritus Sancti deſcenſum; ſed præterquam quod fuerant peccatores, non erant immunes a levibus quibuſdam noxis, cum Maria a primo vitæ ſuæ primordio immutabiliter hæſerit Amori ſuo, & per gratiam effecta fuerit impeccabilis. Beati in Cælo profecto ſunt ab omni imperfectione vacui, ac perfruuntur Sanctitate, quæ mutari, vitiarique non poteſt: ſed Sanctitas eorum creſcere, & perfectior fieri non poteſt: Verum Mariæ Sanctitas ſemper crevit, & in infinitum nova ſemper incrementa recepit donec in terris permanſit. Denique prima hæc gratia Spiritus Sancti donis aucta fuit, infuſis habitibus, Virtutibus moralibus, & intellectualibus, donis prophetiæ, miraculorum, intelligentiæ Scripturarum, in ſummo gradu perfectionis. Quid dicam de rationis uſu, qui divinitus in anteceſſum fuit illi conceſſus? Quid dicam de hoc privilegio, quod ad Angelos tantummodo pertinet, cogitandi modo prorſus ſpirituali, & a ſenſibus independenti? Ita ut quamvis ejus imaginatio vincta eſſet, quamvis organa, & corporis facultates nondum pares eſſent muneribus ſuis obeundis, Anima tamen Mariæ non ceſſaret quin operaretur; Nubes, & vapores, qui tenebras offundunt ſpiritui aliorum puerorum, non turbarent lumina ſpiritus ſui; cor ejus vigilaret; & deliciis afflueret agens cum Deo, donec membra ejus adhuc in Matris ſuæ utero eſſent involuta, & tempus, quod in ceteris hominibus deperit, in illa fuerit tempus benedictionis, & meritorum.

Ratio, quæ S. Thomas probat, Sanctam fuiſſe Virginis Nativitatem, probat etiam Immaculatam ejus Conceptionem.

Neque nullo in diſcrimine illud habendum eſt, quod Sanctus Thomas *3. part. quæſt. 27. artic. 1.* probaturus Virginis Nativitatem Sanctam eſſe, affert tamquam indubium argumentum, feſtivitatem, quæ ab Eccleſia celebratur. Nam Sanctus hic Doctor ſuppoſito, tamquam certo principio, Eccleſiam Romanam non celebrare feſtum alicujus rei diem, niſi hæc palam, & evidenter Sancta fuiſſet: ratiocinaremur huic innixi principio, eamdem Eccleſiam inſtituiſſe Feſtum Conceptionis Sanctæ Virginis, quaſi nemo dubitare poſſet; nonne inferendum eſſet ſecundum Sancti Thomæ Doctrinam, Mariæ Conceptionem fuiſſe prorſus Sanctam, non ſecus ac illius Nativitatem? quia eadem ratio, quæ alterutrum probat, conſequenter probat utrumque. Quapropter mirum eſſe non debet, ſi hic idem doctor ita reſponderit, ut reſpondit tertio argumento articuli ſecundi quæſtionis ejuſdem; quia tunc Eccleſia nondum celebrabat hanc feſtivitatem, atque, ut addit, tunc temporis dubitari poterat, quid peculiares aliquot Eccleſiæ, quæ illam celebrabant, Conceptionis hujus nomine intelligerent. Sed cum omnia jam explanata fuerint, & hoc nomine Eccleſia univerſalis intelligat primum illud momentum, quo Maria Vitam accepit, dubitare non licet, Mariam eo momento Sanctam non extitiſſe. Immo animadvertendum eſt hoc nomen *feſtivitatis Sanctificationis Mariæ*, ampliſſimum eſſe, & habere poſſe eumdem ſenſum, quem habet illud immunitatis a peccato Originali; quo tamen vulgo non utimur ad tollendam ambiguitatem, & quia Feſtivitas Conceptionis melius exprimit, quod Eccleſia intelligit, & intelligendum jubet.

Rationes quæ olim impulerunt Doctores, ne Immaculatâ crederent, locum hodie non habent.

Duæ rationes, quæ impulerant antiquos nonnullos Doctores, ne palam Conceptionis Immaculatæ ſententiam propugnarent, hodie prorſus evanuerunt. Prima quemadmodum a Sancto Bernardo accepimus; Sancti Thomæ, Sancti Bonaventuræ, & Scoti erat, Romanam Eccleſiam nondum permiſiſſe, ut celebraretur Diei hujus feſtivitas; ſed id modo non permiſit ſolum, ſed præcepit etiam, ut proprium componeretur officium, atque ſuam interpoſuit auctoritatem largiens indulgentias illis, qui eamdem recolunt feſtivitatem, quin ſermo fiat de Eccleſiis, Sacellis Confraternitatibus, quæ ipſa approbante ſub hoc titulo ædificatæ, atque inſtitutæ fuerunt. Ratio altera propter quam ſummi illi Viri hac in re ſententiam ſuam proferre dubitarunt in re, quæ ævo ſuo adhuc erat ſub judice, eſt, quia ſicuti plures, qui oppoſitam tenebant ſententiam, vere quidem optimum habebant zelum, qui tamen non erat omnino ſecundum ſcientiam, quoniam errores aliquot immiſcebantur, & inter ceteros videbantur auferre Filio Dei qualitatem Redemptoris Genitricis ſuæ. Sed cum modo doceatur, & affirmetur, Matrem a Filio vere fuiſſe redemptam, eo quod illam præſervaverit ab originali peccato; conſtat hanc illi non adimi qualitatem, & e contra probari ipſum magis univerſaliter eſſe Redemptorem; quia non ſolum Redemptor eſt omnium hominum, ſufficienter redimendo genus humanum, verum etiam talis eſt quoad modum; cum ſecundum hanc ſententiam ſit Redemptor noſter, quia nos eripuit a ſervitute, & longe præſtantius Redemptor Matris ſuæ, quam a ſervitute præſervavit. At quia improbare poteſt hunc Redemptionis terminum *per præſervationem*, quo uſi ſumus, & quo hoc in argumento paſſim Theologi utuntur: quandoquidem eo uſus eſt Sanctus Bernardus in Cantica, & paſſim in Scripturis nanciſcimur modos ſimiles dicendi? Hoc Redemptionis genus ſoli Mariæ convenit, in cujus gratiam adhibere voluit Deus univerſalem Redemptionem ſuam tanta cum dignitate, ut virtute Sanguinis, quem effuſurus erat, illam præſervaverit non ſolum ab omni peccato mortali, & veniali, ſed etiam originali, creans Animam illius, eamque ornans præſtantiori gratia, quam ea fuerit, quam dederat Angelorum omnium Principi in primo Creationis ejuſdem momento.

Probatur Immaculata Conceptio per D. Thomæ argumentum.

Cum Dei Filius Sanctus ſit ex ſe infinita, atque ineffabili Sanctitate, conjungere volens infirmam naturam noſtram cum ſua divinitate, & ex Virgine naſci, decebat, ut hæc digna futura Mater tanti Filii, prorſus pura eſſet, & Sancta, & nulla unquam peccati labe contaminata; nam ut Spiritus Sanctus inquit, increata Sapientia nullum habere poterat commercium cum Anima tali macula infecta, neque ſibi deligere manſionem in corpore, quod pollutum fuiſſet & ſubditum peccato. *In malevolam animam non intrabit Sapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sanctus Thomas ita argumentatur, & profert locum hunc Scripturæ probaturus, Sanctam Virginem nullum patraſſe crimen actuale, immo neque veniale. Verum neminem eſſe puto, qui non videat, huic argumento non ineſſe minorem vim ad probandam ab originali peccato immunitatem.

Sapient. 1.

Peculiaris animadverſio in S. Auguſtini auctoritatem.

Attulimus jam Sancti Auguſtini locum ex libro de Natura, & gratia, ubi poſtquam dixit, nullam eſſe puram humanam creaturam a peccato vacuam, ibidem adjicit hæc verba animadverſione digniſſima: Excipio Sanctam Virginem, de qua per reverentiam, quam Filio ejus debemus, verba facere non intelligo, ubi de peccatis eſt ſermo. Si diligenti examine excutiantur hæc Sancti Doctoris verba, quid per ea aſſerere voluerit; liquebit, ſenſum illius fuiſſe, velle ſe eximere Beatam Virginem non ſolum ab omni actualis peccati labe, verum etiam ab originali. 1. Quia in hac adverſus Pelagianos diſputatione loquebatur tam de originali, quam de actuali peccato; quippe contra illos aſſerebat, infantes ante baptiſmum, non carere peccato, quod nonniſi de Originali erat intelligendum. 2. Si Sanctus hic Doctor de actuali tantum peccato, non autem de originali voluiſſet intelligere, injuria excepiſſet ſolum Sanctam Virginem, quandoquidem plures ſunt, qui poſt baptiſmum decedunt, antequam rationis uſum attigerint. 3. Ratio, cui innititur hæc Sancti Auguſtini exceptio, vel nihil probat, vel probat etiam Matrem Dei immunem fuiſſe ab originali peccato, quia dicit, ſe illam excipere propter debitam Filio ſuo reverentiam, quaſi vellet innuere in JESU CHRISTI dedecus ceſſurum eſſe, ſi quis crederet illum originem duxiſſe ex Matre, quæ alicujus peccati ſordibus fuiſſet infecta, ideoque multo magis originali noxa, cujus infamia longe major eſt, quam ſimplicis venialis peccati.

Quamvis lata fuerit in Adâ mortis ſententia, tamen Filius Dei eximere potuit Matrem a peccato originali.

Dei Filium potuiſſe Matrem ab originali peccato præſervare, dicet aliquis, nemo dubitat; neque enim dubitat quiſpiam, utrum ſit omnipotens: ſed ſuppoſito æterno hoc decreto, & immutabili ſententia contra omnem Adæ progeniem lata, ſuppoſito inquam hoc decreto, creditur, non licuiſſe Deo eximere Mariam ab hac lege, quin ſibimetipſi adverſaretur; quandoquidem ipſe omnes, quicunque ex infelici eo parente naſcerentur, damnavit, ut contraherent hanc labem originalem, quæ ex patris ſcelere conſequitur. Objectio hæc difficultate non vacat, & ſi vacaret, Eccleſia, quæ tenet Immaculatam Beatæ Virginis Conceptionem pro pia, ſanctaque ſententia, nonne jam pridem illam propoſuiſſet tamquam arti-

titulum fidei, cum ſatis eſſe cenſuerit prohibere, ne impugnetur, & ne oppoſita ſententia doceatur? Tamen huic objectioni reſpondemus, quantumvis valida videatur; Æternum Dei decretum ſuper inobedientia Adam, vere quidem involvere omnes homines, qui ab illo erant naſcituri, decretum hoc illis jus adimere juſtitiam originalem oſtentandi, & perveniendi ad illum gratiæ ſtatum, quem recepiſſent in perſona protoparentis ſui; ſed dicimus ſimul, Deum ſibi nequaquam per eam ſententiam ademiſſe facultatam præſervandi ab hac mortali contagione quemcunque ſibi placuerit per ſpecialem miſericordiam, & peculiare privilegium: Quemadmodum non ambigimus, quamvis Deus idem protulerit mortis ſententiam contra omnem primi hujus nocentis progeniem, aliquem tamen inde eximere poſſe, & fortaſſe Eliam, & Henoch, uti vulgo exiſtimatur, exemiſſe. Secundo nonne verum eſt, vi ejuſdem decreti, non ſolum omnes homines in peccato fuiſſe conceptos, verum etiam omnes naſci in peccato, & propter corruptam hanc nativitatem, neceſſe eſſe, ut iterum naſcamur per baptiſmum? Igitur ſententia contra primum nocentem prolata, neceſſario ſubjicit illius poſteritatem nativitati corruptæ, ac nefariæ; & nihilominus legimus, Jeremiam ab utero matris ſanctificatum fuiſſe, ac ſimiliter factum de Sancto Joanne Baptiſta, de quo Angelus teſtatur: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex Utero Matris ſuæ*. Sequitur ergo decretum, & ſententiam Dei de hominum nativitaſe, atque conceptione, adhuc ſubſiſtere, quamvis ille ſibi reſervaverit facultatem diſpenſandi cum illa, a qua vitam erat accepturus.

Hoc unum probabilius objici poteſt Immaculatæ Virginis Conceptioni, Eccleſiam nondum definitive aſſeruiſſe tamquam veritatem de fide piam hanc opinionem, & quamvis Summi quidam Pontifices edicto caverint, ne quis tamquam hæreticam damnet oppoſitam ſententiam; videtur hinc, donec Eccleſia palam judicium protulerit, licere tantum ſequi piam opinionem, vel illam non amplecti, non ſecus ac aliam quamlibet, donec permanet in eodem gradu probabilitatis. Quibus reſpondendum eſt, ubi agitur de Religione, non deeſſe opiniones adeo univerſaliter receptas, probatas, atque auctoritatibus ſuffultas, ut propius accedant ad certitudinem fidei, quas deſerere magna ſaltem eſt temeritas, quia hoc eſt communi Doctorum, Eccleſiæque ipſius ſententiæ reſiſtere. Sed inter id genus opiniones Immaculata Conceptio proxima eſt infallibili certitudini de fide. 1. Quia docet S. Thomas, cum Eccleſia Spiritus Sancti lumine, & afflatu ducitur, non poſſe præcipere celebrationem feſtivitatis Myſterii, quod non habet veritatis characterem, vel rei, quæ vere Sancta non ſit, quemadmodum præcipit, ut Immaculatæ Conceptionis feſtivitas celebraretur; ſimiliter illam falli non poſſe in Canonizatione Sanctorum. 2. Quia cum Eccleſia nihil protulit de aliqua veritate, & Scriptura nihil explicite, vel perſpicue docet quid credendum ſit; dicendum eſt, Deum poſuiſſe in Eccleſia ſua Doctores, qui ſunt Sancti Patres, quibus divina ſua lumina communicavit, ut penetrent divinarum Scripturarum caliginem, eaſque populis interpretentur; & cum illi in alicujus loci explicatione conſentiunt, vel de veritate, quæ in eis continetur, nequaquam fas eſt ab eorum ſententia recedere, quia tenemur intelligere hos Scripturæ locos ſecundum unanimem Sanctorum Patrum conſenſum, quamvis ſinguli privatim non ſint fidei noſtræ regula. 3. Huic etiam argumento applicari poteſt ſcitum illud, atque Catholicum ejuſdem Sancti Thomæ principium; ſententiam, conſuetudinem, vel Eccleſiæ mandatum præferendum eſſe ſententiæ peculiaris alicujus Doctoris, cujuſcumque auctoritatis ille ſit; ita ut ſi quis re adhuc integra ſe objecerit huic Fidei Conceptionis Immaculatæ, ut S. Bernardus, & fortaſſe ipſe etiam Divus Thomas, dubitare non debeat, quominus in validiorem partem concedit. His poſitis ſequitur, Immaculatam Conceptionem non eſſe ſimplicem opinionem, quemadmodum plures alias Theologicas, ſed innixam Eccleſiæ Auctoritati, & unanimi Doctorum conſenſui, quamvis non propoſita fuerit tamquam veritas de fide.

D. Thom. 1. 2. q. 110. art. 12.

Qui ſequitur hac in re Sententiam Eccleſiæ, errare nequit.

Nihil æquius & rationabilius eſt, quam in re hac, non ſecus ac in ceteris, quæ ad Religionem pertinent, ſequi Spiritum Eccleſiæ; nemini quippe licet proferre infirmas cogitationes ſuas, Eccleſiæ hujus judicio, & conſequenter enuntiare Sententiam Immaculatæ Conceptioni contrariam. Cum igitur Eccleſia agnoſcat, & colat ſingulare hoc Virginis privilegium, ignorare non poteſt traditionem, ut ex quo probavit, & inſtituit ſub hoc Titulo feſtivitatem, Fideles, qui in hoc illius conſilium ſequuntur, errare non poſſunt, ſed ambulant in via Veritatis. Quis enim melius diſcere poteſt id quod docet Traditio de hoc Sanctæ Virginis privilegio, quam Eccleſia, quæ illius cuſtos eſt, atque ſequeſter? & cui JESUS CHRISTUS promiſit fore, ut uſque in Sæculorum finem ſpiritus ſui præſidium non deſit?

Cum Maria ſit opus quod prodiit ex manu Dei, eſſe debuit ſine defectu, non ſecus ac omnia quæ a Deo immediate creata fuerunt.

Operæ pretium eſt animadvertere inter Opera, quæ Deus ſolus operatur, & tamquam cauſſa particularis, & alia, quæ agit ſolum cooperatus cum cauſſis ſecundis, & quatenus agens univerſalis, hoc intereſſe diſcrimen, quod cum in his ſe accommodet naturæ, & exigentiæ creaturarum, ſatis eſt aliquam ex cauſſis deficere, ne ſentiatur effectus. Sed cum Deus ipſe manum admovet operi, & ſolus agit; tunc intereſt gloriæ ſuæ, ne opus maneat imperfectum. Ille nunquam deficit, nunquam fallitur, ideoque nullus eſſe poteſt defectus in operibus ejus, quemadmodum nullus eſſe poteſt in Deo; cum enim ipſe ſolus ſit auctor, probrum unice in ipſum laberetur. Sed hæc eſt Sententia æque ac ſermo Sanctorum, Mariam opus eſſe, in quo Deus peculiarem curam adhibuit; ideoque Doctores nonnulli non verentur, ubi de productione Sanctæ hujus Creaturæ verba faciunt, uti nomine creationis, quod invenitur etiam in aliquot Conciliis, quæ innituntur verbis illis Scripturæ: *Ipſe creavit illam in Spiritu Sancto*; ex quo inferri poteſt cum Sancto Auguſtino, & Sancto Bernardo, ſi Juſti ſolum refecti fuerunt per hominis Dei hujus merita, Mariæ ſingularem contigiſſe honorem, quod per eadem merita facta, & creata fuerit, quin peccatum ne minimum quidem vitiaverit id, quod omnino in aliis everterit; non eo quod effective illa creata fuerit, accipiendo hoc vocabulum ad apicem litteræ, & Scholæ rigorem; ſed quia id perinde eſt, ac ſi creata fuiſſet; quia gaviſa eſt omnibus privilegiis creationis, quorum primum eſt prodiiſſe ex manu Dei ſine labe, & ſine peccato, quemadmodum inde prodiit hominum parens.

Eccli. 1.

Quomodo infans contrahat originale peccatum, & quomodo ſit reus criminis ab ipſo non patrati

Quæritur, quomodonam fieri poſſit, ut Infans ſit peccator in ſua conceptione, hoc eſt in ipſo momento, quo illius anima cum corpore conjungitur: ſed animadvertendum eſt, nequaquam dici ullum ab eo ſcelus fuiſſe patratum, cujus capax eſſe non poteſt. Itaque proprie loquendo ille non eſt peccati reus, quia peccare non poteſt; ſed dico illum infectum eſſe contagione peccati primi parentis ſui, quæ infelici fluxu ad illum uſque manavit, ita ut anima ejus fieret objectum iræ Dei eodem temporis puncto, quo adhæſit carni, quæ ex primo peccatore duxit originem. Adam erat tamquam univerſalis homo, quia complectebatur in ſe omnem humanam naturam, ideoque illam infecit peccato ſuo. Dici igitur aliquomodo poteſt, filium Adæ in conceptione ſua nocentem eſſe innocentem; quodam in ſenſu dici poteſt innocens, quia nullum patravit ſcelus; ſed nihilominus eſt nocens, quia involutus eſt in crimine primi parentis ſui, quod moraliter in perſona ſua perſeverat. Sed unde nam proficiſcitur hæc labes, quæ ipſum tam miſere deformat: Nunquid ex animæ, an ex parte corporis? Hoc eſſe non poteſt ex animæ parte dicet aliquis; quia immediate egreditur ex Dei manu, ideoque prorſus munda eſt; at neque ex corporis parte; quia donec animatum non eſt, neque capax eſt peccati, neque obnoxium peccato. Si igitur Corpus, & Anima quæ duæ ſunt partes, ex quibus componendus eſt Infans in ipſo ſuæ conceptionis momento, culpa vacant, totum, quod inde conflatur, nonne & ipſum culpa vacabit? Sed dicendum eſt, neque corpus, neque animam ſeorſim, conſtituere infantem reum, & objectum iræ Dei, quia harum partium neutra nocens eſt. Hæc eſt cauſſa infelicitatis ejus; eo temporis articulo, quo ſimul junguntur, & quod eſt conceptionis momentum, per unionem ſuam conſtituunt filium Adæ; & ſatis eſt infantem exiſtere Adæ filium, ut involvatur in ſcelere patris ſui, & privetur gratia, quam hic pater amiſit per actuale peccatum, & hæc privatio illud eſt, quod originalis peccati macula nuncupatur.

Ex duabus viis, quibus Deus hominem liberare poterat ab originali peccato, elegit præſtantiſſimã qua Matrem redimeret.

Quid Dei Filium coegerit, ut tanta ſedulitate Matris ſuæ dignitati proſpiceret, illud fuit, quia non erat venturus in Mundum, niſi ut peccatum exterminaret, & mederetur malis omnibus, quæ Adæ peccatum gignebat. Ut hoc adimpleretur, duæ erant viæ; altera quidem, relevandi hominem a peccato, ſi in illud lapſus fuiſſet; altera vero occurrendi huic malo, & lapſum ipſum prohibendi. Priorem elegit utendam cum univerſa poſteritate Adam; ſed altera procuidubio erat melior, & aptior ad oſtendendam Dei Omnipotentiam, & Redemptoris Miſericordiam erga Matrem ſuam. Cum enim nulla calamitas comparari poſſit cum illa, quæ ex peccato proficiſcitur; ita nulla eſt Miſericordia par illi, quæ nos in æternum liberat a malo adeo funeſto. Opus igitur erat, ut Redemptor, ad oſtendendam vim meritorum ſuorum, hac uteretur ſpecie Miſericordiæ erga illam, quam tamquam ſuam Matrem futuram ſpectabat. Opus erat, ut modo præſtantiori, ac nobiliori, quo fieri poſſet, redimeret, & eo momento, quo originalis peccati labe erat contaminandi, illam præſtaret incolumen. Opus erat tandem,

dem, ut illam donis ſuis taliter exornaret, ut Matris puritas ſimilis eſſet puritati Filii, & ut uterque ſine peccato conciperentur, alter quidem jure ſuo, alter autem ex privilegio.

Unice per gratia Virgo accepta fuit in oculis Dei.

Maria ex ipſo ſuæ Conceptionis momento inventa eſt gratia plena, ut omnes Doctores uno ore fatentur; non inde tamen aſſerere tantum intelligunt, illam jam ex tunc Deo fuiſſe gratioſam; ad hæc ſignificare volunt quodnam fuerit principium illud, propter quod placuit Deo. Ad aſſequendum eorum mentem, atque ratiocinationem, conſiderare poſſumus gratiam vel tamquam a juſtitia diſtinctam; atque hoc in ſenſu gratia favor eſt; vel tamquam oppoſitam naturæ, & peccato; quo in ſenſu, ſi gratia non eſt Sanctitas eadem, ſemper tamen Dei donum eſt noſtræ Sanctificationi deſtinatum. Duplici hoc modo per gratiam Sacrata Virgo viſa eſt in oculis Dei digna illius amore, & obtutu. Deus prævenit illam per gratiam, atque favorem: illa enim per ſe præſervari non potuit a peccato, non ſecus ac ſemet ex nihilo non potuit educere: illa recepit a Deo hæc dona magnifica, hæc valida ſubſidia, has admirabiles gratias, quibus ſublata fuit ſuper omnes creaturas, & quæ poſuerunt prima ſpiritualis ædificii ſui fundamenta ſuper montium cacumina, hoc eſt, in perfectione, quæ omnium Angelorum, atque Sanctorum perfectionem excederet.

Gratia quam recepit Maria momẽto Conceptionis ſuæ cõveniens fuit qualitati Deiparæ, ad quã erat attollẽda.

Inter omnes Theologos conſtat, ſupereminentem Deiparæ dignitatem, eſſe magnitudinis ejuſdem, ac fundamentum. Hoc poſito generatim ferri judicium poteſt, ſi Deus, ut ſibi faciat electos, atque prædeſtinatos, ſecernit illos a reliquis hominibus, tribuens illis gratiarum, & ſupernaturalium qualitatum diſpoſitiones convenientes muneribus, ac miniſteriis, quibus ab æterno illos deſtinavit; quænam eſſe debuit gratia Mariæ beato illo ſuæ Conceptionis momento, quoniam eſſe debebat Regina Sanctorum omnium, & Sanctus Sanctorum permanſurus erat in viſceribus ejus? Profecto ſatis illi non fuit a peccatorum maſſa ſeparari, ſed in illa requirebatur gratia, quæ ab ipſo Conceptionis ſuæ articulo illam ab ipſis Sanctis diſtingueret; ſcilicet, quæ non eſſet illi cum ceteris communis; ſed quæ illam ad ſupereminentem Sanctitatem attolleret, ad quam mera creatura valeat aſſurgere; ita ut in ipſo ſuæ Conceptionis articulo conſiderari poſſet perfecta, & plena gratia, quia talem receperat, qualem Matri ſuæ conferre poteſt Deus, a qua erat in lucem emittendus.

Si Maria præſervata fuit a peccato actuali, & etiã veniali, potiori jure præſervata fuit ab originali.

Si in eo Filii Dei honor agebatur, ut Maria ab omni actuali peccato præſervaretur, qua de re nemini licet ambigere; igitur multo magis præſervanda erat a peccato originali, quod magis eſt contagioſum. Actuale peccatum, licet mortale ſit, ſemper eſt perſonale, & manet in perſona, quæ illud patravit: ſed Originale naturæ peccatum eſt, a Patre tranſiens in Filium, & omni officiens poſteritati. Intererat etiam gloriæ Filii Dei, illam ne veniale quidem peccatum committere, antequam etiam Mater fieret. Hoc docent Patres, & credit Eccleſia. Veniale dico peccatum, quod tamen illam Dei gratia nequaquam privaſſet, neque obicem ſtatuiſſet eminenti illius Sanctitati: & dicet quiſpiam, nequaquam ceſſurum fuiſſe in dedecus Filii, ſi illa contraxiſſet peccatum originale, quod ſubjeciſſet eam dæmoni, & quod Dei odio dignam feciſſet?

Maria, debuit immunis eſſe a peccato originali, cum fuerit immunis ab omnibus effectibus illius.

Cum Sancta Virgo immunitatem conſecuta fuerit a legibus generalibus, atque communibus ceteris filiis Adam, ſubjacere non debuit legi peccati originalis. Et ſane illa non erat obnoxia concupiſcentiæ, & legi illi membrorum, de qua loquitur Sanctus Paulus; illa non experta eſt dolores, ac ſordes partus; Corpus illius non fuit poſt mortem corruptioni obnoxium, immune fuit ab omnibus legibus, quibus noſtra infirmitas ſubjacet; quia in his rebus omnibus non deerat nonnihil, quod minime Dei Matrem deceret; ſed nonne multo magis dedecebat ipſam opprobrium originalis peccati, quod millies turpius eſt quam omnes id genus imperfectiones, quæ tandem citra ſcelus, & noxam ſubſiſtunt? Quod ſi mortem ſubiit, id accidit, quia cum Filius ſuus ſemet ab illa diſpenſare noluerit, nequaquam decebat illam immunem eſſe propter plures cauſſas, quæ ad hoc non pertinent argumentum.

Hæc ab originali peccato immunitas innititur relationi, quam Maria habet ad J. C.

Ut hæc Sanctæ Virginis prærogativa rite conſtituatur, ſcilicet illam in gratia fuiſſe conceptam, & ab originali peccato præſervatam, peculiariter confirmanda eſt per eam ſubjectionem, quam erga JESUM CHRITUM ſemper ſervavit; quia Deus non tribuit ſuos favores, & gratias, & neminem in hoc diligit mundo, niſi propter rationem illam, quam habent cum hoc dilecto Filio, quem reſpicit tamquam primum, & verum objectum amoris ſui; ita ut creatura quo ſimilior erit JESU CHRISTO, eo futura ſit nobilior, atque excellentior. Hæc ratio eſt propter quam primus homo prodiit ex manu Dei tot privilegiis prædiitus, quia erat figura JESU CHRISTI, & quia quo tempore Deus præ manibus habebat lutum, ex quo Corpus ejus effinxit, habebat JESUM CHRISTUM in mente, effingebatque veluti quoddam ſpecimen Myſterii Incarnationis. Undenam in Veteri Teſtamento Judæi tot benedictionibus cumulati fuerunt præ reliquis terrarum populis, ita ut Populus Dei vocarentur? Quia fiduciam habebant, & ſpem in JESUM CHRISTUM ex eorum ſobole naſciturum. In Evangelio Virorum omnium maximus fuit Joannes Baptiſta, propterea quod fuit JESU CHRISTI præcurſor. Igitur quo major erit inter creaturam, & JESUM CHRISTUM relatio, eo major, vel minor erit hujus creaturæ dignitas, præſtantia, gratia, & prærogativa ſuper ceteros. Sed quænam majorem habere debet rationem cum hoc homine Deo illa, quam ille ſibi Matrem delegit futuram? Nonne igitur illi magis ſimilis eſſe debuit Sanctitate, & innocentia? Nonne ille hanc reddere debuit perfectiſſimam, eamque ſupra ceteros ſingulari aliqua prærogativa condecorare? Quæ vero alia inveniri poteſt magis apta, & accommodata gratia, quam Sanctam, & Immaculatam eſſe ex primo temporis articulo, quo vitam accepit?

Conſilia quæ ab æterno habuit Deus de Maria, nobis fidem adſtruunt, ipſã eam ab originali peccato præſervaſſe.

Alterum principium ex quo judicare debemus, Deum nequaquam negaſſe favorem hunc, & hanc prærogativam Mariæ, eſt videre cogitationes, atque conſilia, quæ Dominus habuit de illa; etenim ex Dei corde proficiſcuntur diſtinctiones, & diſcrimina graduum Sanctitatis magnitudinis, & præcellentiæ inter homines; ita ut cum Deus aperit conſilia cordis ſui in aliquem, tunc ſolidum ferre poſſumus judicium de illius dignitate, atque ſtatu, & credere Deum illi contuliſſe gratias, atque favores conformes ſtatui, ac miniſterio, in quo eodem uti vult. Sed quas habuit Deus cogitationes, atque conſilia de Beata Virgine, hanc ſibi eligens in Matrem, niſi ut ingrederetur in decretum Incarnationis ſuæ, ac ſocium ſibi aſſumeret, efficeretque, ut cooperaretur Redemptioni hominum? Hoc igitur poſito, quæro, æquumne eſt, vel ſaltem veriſimile, voluiſſe Deum incipere magnum Incarnationis opus, ſerendo, Matris ſuæ Conceptionem, qui primus fuit gradus, pollui peccato, ad quod tollendum veniebat? Quis ſanæ mentis eſt, S. Cyrillus in Epheſino Concilio dicebat, qui credat Filium Dei ſibi elegiſſe Templum vivens, ac thronum animatum, ubi recipiendus eſſet in perſona ſua, & cujus jus, primumque uſum cedere deberet dæmoni infeſtiſſimo inimico? Poſſetne hæc cogitatio locum habere in animo ratione nequaquam deſtituto?

Immaculata Cõceptio fuit principium omnium gratiarum quibus Maria fuit cumulata.

Communis Patrum, atque Doctorum ſententia eſt, gratias omnes, quæ præter ordinem collatæ fuerunt Mariæ, effectus fuiſſe quodammodo neceſſarios divinæ ſuæ Maternitatis. Hoc quidem fatendum eſt; verum non deſunt, qui aſſerant, Mariam debere hanc Maternitatem Immaculatæ Conceptioni ſuæ, atque ita argumentantur. Cum ad quærebatur, ut oſtenderetur, Sanctam Virginem ab originali peccato fuiſſe præſervatam, validiſſima ratio, quæ fuerit in medium prolata, hæc fuit, quia hæc Redemptorem ſuum erat paritura: tanta inventa eſt oppoſitio inter peccatricis, & Matris Dei qualitatem, ut ſimul utramque ſubſiſtere nequaquam poſſe creditum fuerit; Hoc poſito opus fuit, illam ab omni peccati labe immunem eſſe, ut Verbum Æternum conciperet; opus fuit, illam, quæ erat Immaculata, præferri ceteris omnibus propter hanc admirabilem Conceptionem. Oportebat JESUM ex Matre naſci prorſus pura, & ſine peccato; oportebat igitur, eam ſolam, quæ præſervata fuerat a peccato Originali, hanc eſſe Matrem JESU.

Credunt nonnulli ex ipſo Conceptionis articulo Deũ Virgini oſtendiſſe, quem in finem eſſet deſtinata, eique ſua aperuiſſe conſilia.

Doctores quidam dixere, ex primo Conceptionis momento, Deum oſtendiſſe Mariæ prærogativam æternæ ejuſdem prædeſtinationis, eique aperuiſſe magna, & magnifica conſilia, quæ ſuus amor de eadem conceperat; eamque reſpexiſſe Patrem Æternum, utpote illum, qui ſibi aliquando ſuam eſſet fœcunditatem communicaturus. Cognovit illa Filium non ſolum tamquam Verbum Dei, ſed etiam tamquam illum, cujus aliquando Mater erat futura. Adoravit Spiritum Sanctum tamquam Sponſum, qui in ipſa magna hæc, & ineffabilia myſteria erat operaturus; ſed explicari non poteſt amor, quem in corde ejus accendit adſpectus, atque cognitio infinitæ Dei Bonitatis in ſe.

Pontifices, qui probarunt opinionem Immaculatam Conceptionis.

Præter rationes, quas habemus credendi, atque colendi Immaculatam Deiparæ Conceptionem, & feſtum illius diem celebrandi ſumma cum pietate, ac devotione, non inutile erit, neque importunum addere auctoritatem ejus, quo nihil ſanctius, & venerabilius eſt in Eccleſia ad fideles in hujus Myſterii fide, & cultu confirmandos.

Omnes Summi Pontifices, qui poſt Sixtum IV. Eccleſiæ Dei præfuerunt, excepto Pio III. Marcello II. & Urbano VII. qui paucis tantum diebus Sedem obtinuerunt, & quibus idcirco defuit tempus oſtendendi ſuam devotionem, magna conceſſere privilegia, & plures gratias iis, qui tenent Sanctam Virginem ſine peccati originalis labe conceptam, & ne unus quidem invenitur Pontifex, qui vel minimum quidem in oppoſitæ ſententiæ gratiam decreverit.

Nonnulli eximiis extulerunt elogiis, qui aliquam devotionem erga Sanctam hanc Conceptionem profitebantur; ſicut Sixtus ipſe IV.

Alii, & omnes fere largiti ſunt Indulgentias Templis, imaginibus, & feſtivitati Conceptionis Immaculatæ.

Alii, ſicut Alexander VI. & Adrianus VI. confirmarunt Confraternitates erectas in honorem Conceptionis.

Alii denique, videlicet Leo X. & Pius IV. conceſſerunt, ut aliquot Sanctimonialium monaſteria Ordinis Sancti Franciſci profiterentur ſub titulo Ordinis Conceptionis.

Conſtat, ut liquet ex duplici Bulla Sixti IV. Summum hunc Pontificem edidiſſe Officium a Veroneſi quodam Cœnobita compoſitum pro die feſto Immaculatæ Conceptionis Deiparæ cujus præcipuus finis eſt declarare Sanctiſſimam Virginem ab omni originalis peccati labe præſervatam fuiſſe.

Clemens Papa VII. multo poſt edidit Breviarium a Cardinali quodam compoſitum, in quo non modica pars hujus Officii inſerta eſt, & inter cetera Invitatorium Matutini; *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus, CRISTUM ejus Præſervatorem adoremus Dominum.*

Pius V. cujus Sanctitas, ac ſcientia nemini comperta non eſt, anno 1569. vivæ vocis oraculo conceſſit, ut in univerſa S. Franciſci familia recitari poſſit officium, quod Sixtus IV. ediderat.

Operæ etiam pretium eſt animadvertere, ſimul ac Sixtus IV. Conceptionis Feſtum inſtituit, Concionatores nonnullos prædicando illud impugnaſſe; quapropter idem Pontifex alteram edidit Bullam, in qua validius, quam in priori hanc devotionem conſtituit; quæ ipſa inſtaurata, & confirmata fuit in Synodo Tridentina.

Paulus V. vetat, ne quis audeat prædicare, docere, diſputare, vel ſcribere Beatam Virginem peccaſſe in Adam.

Gregorius XV. edictum hoc extendit etiam ad privatos ſermones, & collationes.

Pius V. approbat Bullam Sixti IV. *Cum præcelſa* editam anno 1476.

Alexander VII. novum edidit decretum de Immaculata Conceptione, die 8. Decembris 1661. & ait antiquam eſſe Fidelium pietatem credere, Deiparam præſervatam fuiſſe a labe originalis peccati, eumque diem Feſtum Romæ magna cum pompa celebravit.

Clemens XI. anno ſui Pontificatus octavo Conſtitutionem edidit, per quam præcepit, ut feſtivitas Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Immaculatæ impoſterum de præcepto ubique gentium ſervaretur, uti modo ſervatur.

Quid Concilia ſtatuerint de Immaculata Sanctæ Virginis Conceptione.

Quamvis nullum Concilium ſtatuerit tamquam articulum fidei, Conceptionem Sanctæ Virginis eſſe Immaculatam, oportet tamen, ut Fidelis quicunque habet cor docile, reverenter excipiat ea, quæ in Conciliis dicta fuerunt tamquam Oracula divinitus prolata; nam Spiritus Sanctus illa congregat, illuminat, & per os illorum nos docet. En igitur quomodo Concilia ſeu Generalia, ſeu Nationalia, locuta ſunt de Sancta Virgine, ex quibus inferre licet, quin ab eorum ſententia recedamus, ipſam immunem fuiſſe ab originali peccato, ideoque ſine peccato conceptam.

Primum Concilium Generale Epheſinum, quadringenteſimo ſalutis anno habitum illam vocat *Immaculatam*, videlicet nulla peccati labe pollutam; quemadmodum interpretatus eſt Sophronius, apud Sanctum Hieronymum: *ideo immaculata, quia in nullo corrupta.* Verum eſt illum non dicere palam, ipſam in Conceptione ſua fuiſſe immaculatam; ſed cum dicit ipſam nulla unquam labe fuiſſe inquinatam, non excipit labem originalis peccati, ſicut neque peccati actualis, quandoquidem nullum Concilium vel antea, vel poſt, decidit ipſam in aliquod incidiſſe peccatum.

Quartum Toletanum Concilium habitum anno 634. cum laudibus probat Miſſale a Sancto Iſidoro Hiſpalenſi Archiepiſcopo reformatum, in quo Conceptionis officium per octavam diſpoſitum connotatum eſt, & ubique dicitur, Maria ab Originali peccato præſervata per privilegium æquiſſime collatum Deiparæ dignitati.

Aliud Toletanum Concilium, quod undecimum dicitur, habitum anno 675. probat doctrinam S. Ildephonſi, & profitetur eum hoc inſigni Sanctæ Virginis devoto, Mariam nunquam originalis peccati labe infectam fuiſſe.

Sextum generale Concilium Conſtantinopoli habitum ſub Agathone Papa anno 680. excepit, omnibus plaudentibus epiſtolam Sophronii Patriarchæ Jeroſolymitani, in qua nominat Sanctam Virginem Immaculatam, ſanctam corpore, & anima, & ab omni peccati contagione vacuam. Omnes magni illius Concilii Patres approbare potuiſſentne hæc verba, ſi in Eccleſia creditum fuiſſet, illam pollutam fuiſſe in Conceptione ſua peccato originali? Hæc Sophronii verba conſideranda ſunt: *Mariam fuiſſe liberam ab omni contagione peccati.* In hac præclara Epiſtola, in qua fidei confeſſionem faciebat, conceptis, explicitiſque verbis ait: Mariam Salvatoris Mundi Matrem vacuam fuiſſe ab omni criminis contagione; ubi animadvertendum eſt, non dici ſolum, Mariam immunem fuiſſe ab omni peccato, ſed ab omni contagione peccati, quod innuit peccatum originale, quod per contagionem contrahitur.

Secundum Generale Concilium Nicææ habitum anno 787. & ab Adriano Papa approbatum, locutum eſt de Sancta Virgine eo modo quo tunc loquebatur Eccleſia, cum vocabat illam, *Sanctiſſimam, Immaculatam, irreprehenſibilem, ac puriorem, quam tota ſimul natura ſenſibilis, & intellectualis*, videlicet puriorem quam Cæleſtes Angeli, qui nunquam vel minimum actuale, vel originale peccatum committere potuerunt. Et ſi placuit Concilio ita generatim loqui, quin in particulari diceret illius Conceptionem fuiſſe Immaculatam, hoc accidit, quia tunc temporis hoc non quærebatur, & exiſtimatum fuiſſet magnum ab illo dedecus inferri Mariæ, ſi quis in ſuſpicionem, ac dubium vocaſſet, utrum illa vel minima actuali, vel originali culpa fuiſſet infecta; & nonniſi aliquot ante hanc diem ſæculis hoc in ſcholis quæri cœptum eſt.

Provinciale Concilium Oxonii habitum in Anglia anno 1222. præcepit diem feſtum Conceptionis coli, qui jampridem in Oriente pluribus ante id tempus ſæculis celebrabatur. Potuiſſetne illud Concilium præcipere hanc feſtivitatem, niſi crediſſet Sanctæ Virginis Conceptionem ſanctam atque immaculatam fuiſſe? Omnes enim conſentiunt, peccatorum feſtos dies non celebrari.

Concilium Generale Conſtantienſe probavit tamquam veriſſimas Sanctæ Birgittæ revelationes, quæ plenæ ſunt apertiſſimis teſtimoniis, quibus Sanctæ Virginis Conceptio pura, & immaculata probatur; qua in re conſiderandum eſt revelationes hujuſmodi plurimi habendas eſſe, ubi acciderint perſonis probatæ ſanctitatis; & cum ab Eccleſia ad examen revocatæ, probatæque fuerint, cujuſmodi fuerunt illæ Sanctæ Birgittæ, quæ anno 1377. probatæ fuerunt a quinque Cardinalibus, Epiſcopis duobus, & Sacri Palatii Magiſtro Gregorii XI. Commiſſario, a quibus pro ſanctis, & veris habitæ ſunt. Duos annos deinceps Urbanus Papa VI. illas iterum juſſit ad trutinam revocari a totidem Cardinalibus, pluribuſque Epiſcopis, atque Doctoribus, qui illas authenticas cenſuerunt plenas veritatis, & a Dei ſpiritu profectas.

Baſileenſis Concilii decretum in ſeſſione 36. locum habere poteſt, quamvis acta hujus Concilii a ſancta Sede confirmata non fuerint; nam ſervatur adhuc Romæ Bulla, quæ revocata non fuit, & quæ palam dirimit quæſtionem; ſed quæ ob hujus confirmationis defectum non habet vim definitionis extremæ. Quamvis autem Concilium hoc non habeatur pro OEcumenico, nihilo ſecius tot ſummi Viri, qui etiam interfuerunt, & qui cum zelo adlaboraverunt, ut hanc ſtatuerent veritatem, ac efficerent, ut ab Eccleſia Univerſa reciperetur, nobis credenda eſt, ſi minus tamquam articulus de fide, certe ſaltem tamquam certiſſima, & in dubium non revocanda.

Denique Tridentinum Concilium, quod noviſſimum eſt OEcumenicum in ſeſſione quinta docuit, & ſignificavit in decreto, quod ſpectat ad originale peccatum, ſibi mentem non eſſe comprehendendi beatam, & immaculatam Virginem Dei Matrem Mariam; ſed velle hac in re ſervari Conſtitutiones Sixti P. IV. ſub pœnis, quæ in illis proponuntur, & quæ ab ipſo confirmantur, & inſtaurantur. Qua in re notandum eſt, cum hoc declaret Concilium, ſe nolle comprehendere in decreto ſuo de originali peccato Sanctiſſimam Virginem, declarare conſequenter a ſe non comprehendi quidem in omnibus Scripturæ locis, ubi eſt ſermo de peccato originali.

Univerſitates quæ juraverunt articulū Conceptionis Immaculatæ Sanctæ Virginis.

Poſt auctoritates Conciliorum, & Sanctorum Patrum ad copiam argumentorum ſubnecti poteſt auctoritas Catholicarum Univerſitatum, quæ hodierna die non ſolum oppoſitam dereliquerunt ſententiam, ſed quæ Sacramento ſe adſtrinxerunt ad propugnandam Immaculatam Virginis Conceptionem.

Pariſienſis potiſſimum Facultas, cujus ſemper zelus enituit in tuenda Sanctæ Virginis gloria, videns Doctores ſcientia celeberrimos in Conceptionis Articulo diſſentientes, & anceps Conſilii utram ſequeretur ſententiam, tandem illam amplexata eſt, quæ tenet Immaculatam; antiquans enim decretum, quod aliquot annis ante ediderat, anno 1346. præcepit, ne impoſterum integrum eſſet docere, Mariam originalis peccati labem contraxiſſe; & poſt quadraginta circiter annos aliud proponit edictum, quo cautum eſt, ne quis Doctoratus lauream in præſtantiſſima illa Facultate obtineret, niſi antea Sacramento ſe adſtringeret, ſe innocentiam, & puritatem Conceptionis Deiparæ propugnaturum.

Colo-

Colonienſis Univerſitas Pariſienſem ſecuta, anno circiter 1451. cavit, ne Magiſtri Gradus cuiquam deferretur, niſi antea juraſſet, ſe nequaquam docturum, vel propugnaturum oppoſitam opinionem.

Moguntina hoc ipſum profeſſa eſt poſt annos quinquaginta, & paullo poſt Valentina in Hiſpania, & ne ſingulas recenſeam, dicere mihi ſatis eſt, omnes fere Doctores inſignium Univerſitatum, Salmanticenſis, Complutenſis, Hiſpalenſis, Barcinonenſis, hoc ipſum Sacramento polliceri, vel ſaltem hoc ipſum Immaculatæ Conceptioni Officium præſtare.

Sancti noviſſimorum ſeculorum, & probatæ ſanctitatis Viri pro hac ſententia ſteterunt.

Sicuti poſtmodum, quamvis hæc eſſet Eccleſiæ ſententia, tantaque veritatis, quæ non amplius in dubium revocanda eſſet, teſtimonia, recentes aliquot Doctores ſurrexerunt contra cultum Dominæ noſtræ, illum facilius antiquare non poſſe arbitrati ſunt, quam ſi in aciem contra opinionem, & Immaculatæ Conceptionis feſtivitatem deſcenderent; ad quorum ſcripta, & ſermones ſcandali refertos refellendos, ſatis eſſe puto, illis ſummos opponere viros, qui noviſſimis ſeculis hiſce prodierunt, & de quibus jam locuti fuimus, qui certe illis non cedunt ingenio, ac doctrina; quoniam alii nituerunt in noviſſime habito concilio; alii nominis ſibi celebritatem compararunt eruditiſſimis voluminibus, & alii diſertis prædicationibus. Neque puto illos audere amplius ſeſe comparare cum tot ſanctis Viris, & Religioſis Ordinibus, quales ſunt Dominicani, Franciſcani, Carmelitæ, Auguſtiniani, Servitæ, Jeroſolymitani, Theatini, Jeſuitæ, & univerſe omnium Ordinum, qui uno ore, & conſenſione admittunt devotionem Immaculatæ Conceptionis, ejuſque celebrant feſtivitatem. Proculdubio multitudo tot virorum ſummorum, quorum quidem alii inter Sanctos, vel Beatos ab Eccleſia recenſentur, & alii propter virtutem æque ac propter ſcientiam ſeculi ſui lumen extiterunt; magna hæc inquam multitudo præponderare debet pertinaciæ paucorum, qui alioquin non carent ſuſpicione novitatum, quæ periculo ſunt proximæ, & poſitive damnatæ.

Animadverſiones in ſententias Sanctorum Bernardi, Bonaventuræ, & Thomæ.

PUtabam me collegiſſe quidquid a Theologis dictum fuit pro Conceptione Immaculata, cum legens ea, quæ illi objiciuntur, animadverti, unam ex validiſſimis, cui nondum ſatisfactum eſt, eſſe trium inſignium Doctorum auctoritatem; nempe Sancti Bernardi, Sancti Bonaventuræ, & Sancti Thomæ, qui tamen omnes magno ſuccenſi ſunt zelo pro Sanctiſſimæ Virginis gloria, & qui vere tales ſemper habiti ſunt.

Teſtimonium S. Bernardi pro Immaculata Conceptione.

1. Quod attinet ad S. Bernardi ſententiam, præter ea, quæ ad illam probandam a nobis allata ſunt de Epiſtola ad Lugdunenſes Canonicos ab ipſo data, & locus ſuo loco a nobis proferendos, ecce quomodo palam aperit ſententiam ſuam in hoc argumento, in ſermone 4. *in Salve Regina*, cujus verba fideliter exſcripta ſunt. *Immo tu fuiſti ab originalibus, & ab actualibus peccatis: Nemo ita præter te*; & paullo poſt: *ex omni parte, hoc eſt ex parte originalis, & ex parte actualis peccati: Ea ergo ſola excepta, cæteri omnes, quid dicere poſſunt, niſi quod ait Apoſtolus Joannes: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; & paucis interjectis: *Ego quoque pia fide opinor, in utero Matris tuæ ab originalibus te abſolutam peccatis &c.* Idem Sanctus Bernardus ſermone 13. ex quindecim, quos edidit de Cœna Domini: *Non eſt in filiis hominum magnus, vel parvus, tanta præditus ſanctitate, nec tanta religionis privilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit conceptus præter Matrem immaculati peccatum non facientis, ſed peccata Mundi tollentis.* Poſt hæc licet de Sancti Bernardi ſententia dubitare?

Teſtimonium S. Bernardi pro Immaculata Conceptione.

Alter qui in medium affertur tamquam Immaculatæ Conceptioni contrarius, eſt S. Bonaventura. Profecto ſi dicere ſatis eſſet, tempus fuiſſe, quo ſuſpicari poſſimus ipſum, non ſecus ac tot alios incidiſſe in eorum opinionem, qui crediderunt Beatam Virginem, non ſecus ac cæteros Adæ Filios originalis peccati labe infectos fuiſſe; loci, qui ex Sancto hoc Doctore afferuntur ſuſpicioni huic locum poſſunt tribuere; ſed manifeſta afferimus argumenta, quibus probamus ipſum non ſemper in hac ſententia perſtitiſſe, vel mox ſententiam mutaſſe. In ſecundo enim Sermone de Sancta Virgine, qui reperitur in tomo tertio Moguntinæ editionis anni 1609. ita loquitur: *Dico primum Mariam plenam fuiſſe gratia præveniente in ſanctificatione ſua; videlicet gratia, qua præſervavit eam ab omni ſorde peccati originalis, quam contraxiſſet per naturæ corruptionem, niſi peculiari gratia, qua præventa fuit, fuiſſet præſervata. Credendum enim eſt per novum Sanctificationis genus, Spiritum Sanctum illam præſervaſſe in ipſo Conceptionis momento ab originali peccato, non quod in illa fuerit, ſed quod in illa fuiſſet, niſi gratia ſingularis eam præſervaſſet.* Hoc teſtimonium adeo explicitum, atque perſpicuum eſt, ut qui non alium ſenſum illis appingere potuerunt, illum eludere conati ſunt negantes hunc Sermonem, & hæc verba eſſe Sancti Bonaventuræ: ſed licetne ſine valida ratione, & cum levi tantum conjectura, refellere teſtimonium adeo apertum, ac tantæ auctoritatis?

. *Houdry Bibl. Conc. Theol. de Myſter.* Tom. III.

Teſtimonium S. Thomæ, & argumenta probantia locos, ubi docet oppoſitum corruptos eſſe, vel adulteratos.

Reliquum eſt ut de Sancto Thoma loquamur, qui in Summa, quæ nunc circumfertur, docet, Mariam originalis peccati labe infectam fuiſſe. Sed antequam ad trutinam vocemus hunc Articulum ex Summa incomparabilis hujus Doctoris, quæ Theologiæ eſt Oraculum, animadvertendum eſt, utrum alibi in aliis operibus palam, conceptiſque, & explicitis verbis ſuam ſignificarit ſententiam; dubitandi quippe locus eſſet, ipſum palinodiam canere voluiſſe in noviſſimo, quod eſt illius Summa; nam in lectione ſexta in caput tertium Epiſtolæ ad Galatas, ubi explicat hæc Scripturæ verba: *Non eſt, qui faciat bonum*, hæc habet. *Inveni virum, ſcilicet JESUM CHRISTUM, qui eſt ſine peccato; ſed non inveni mulierem, quæ prorſus immunis fuerit a peccato originali, & veniali præter Sanctiſſimam Virginem Mariam omni laude dignam.* Hæc verba, quæ pluribus in editionibus ſuppreſſa fuerunt, inveniuntur in Veneta, & in Pariſienſibus annorum 1529. & 1541. quæ Spondanus in pluribus Bibliothecis inveniri teſtatur; & ego ipſe unum vidi exemplar Gothicis characteribus expreſſum in Flexienſi Bibliotheca; ex quo ſuſpicari licet Articulum Summæ, ubi docet oppoſitum fortaſſe corruptum fuiſſe, vel additum. Præterea Sanctus idem Thomas in primum Sententiarum diſt. 44. artic. 3. ad 3. hæc habet: *Poteſt aliquid creatum inveniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit, & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ a peccato originali, & veniali immunis fuit.* Sed non ſine probatis auctoribus creditur, Summam, quam Sanctus Doctor ſub vitæ ſuæ exitum conſcripſit, plane fuiſſe corruptam, vetus enim Auctor, ex Sancti Dominici familia, qui ſeculo eodem, quo Sanctus Thomas obiit, vel paullo poſt, longe aliter exponit, quod modo legitur in parte tertia *quæſt. 27. artic. 2.* Eſt autem *Bromiardus in ſumma Prædicantium tit. Virgo Maria*, cujus exemplar unum extat in Bibliotheca Burgenſis Collegii, ubi hæc verba leguntur: *Ipſa vero* (Beata Virgo) *tam eminenter ſanctificata fuit, quod nec venialiter, nec mortaliter peccavit, ſicut patet per Sanctum Thomam in 3. part. de CHRISTO quæſt. 27. artic. 6. In eadem etiam quæſtione ponit ejus Sanctificationis excellentiam in hoc, quod ſanctificata fuit in ſua animatione, id eſt in conjunctione animæ cum ſuo corpore in utero Matris ſuæ; ſic ergo ſanctificavit Tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Inde vero in hac ſententia confirmari debemus, quod in Antverpienſi Operum Sancti Thomæ editione, a Coſma Morelles Dominicano procurata, locus, quem attulimus ex primo Sententiarum, fuit & ipſe corruptus, & Pater Theophylus Renaud in *Syntagmate de libris propriis*, narrat Dominum Bernardum de Thoro, qui Romæ cauſſam Conceptionis procurabat, cum hanc corruptionem deprehendiſſet, accuſaviſſe Coſmam Morelles coram Paulo V. qui acerrime exprobratum juſſit folium ſcindere, & locum primæ lectioni, uti oportebat, reſtituere. Hinc fit, ut injuria afferatur Sancti Thomæ auctoritas contra Immaculatam Virginis Conceptionem.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentibuſque Concionatoribus loci.

Non deerat Job aliqua cauſſa execrandi momentum quo conceptus, & quo in lucem editus fuit, quo conceptus fuerat in peccato, quod dici non poteſt accidiſſe in puriſſima Sanctæ Virginis Conceptione.

QUicumque ad examen vocaverit ſtatum hominis in nativitate ſua, & ſuæ formationis momento, facile parcet Job, eo quod funeſtis illis diebus ſuis maledixerit. Funeſtis inquam diebus! quibus homo ex nihili chaos emergens, aliud invenit in ſe longe informius, atque perturbatius illo, unde prodit! Dies miſeri, quibus homo de nihili egreſſus ignavia ſummo dolore conficitur, nec novit, quid eſt, niſi quia patitur! Funeſti dies, quibus homo in peccato conceptus inimicus eſt Creatoris ſui, ſtatim ac vitam accepit. Hæc eſt hominis conditio, & communis lex noſtræ nativitatis. Sed cogitarine poteſt ſine aliquo horrore, illam, ex qua natus eſt JESUS ab hac immunem nequaquam fuiſſe? Si hoc verum eſt, Eccleſia Sancta cur nos huc cogis? Quorſum hæc celebratura feſtivitas? Cur Templa noſtra exornantur? Fruſtra per prolixam hanc Regum nomenclaturam, quos inter majores ſuos recenſet, nobis jactat ſobolis ſuæ nobilitatem, ſi cum genteis ſui claritate inde hauſit peccati corruptionem. Fruſtra dicis, Conceptionem peperiſſe gaudium Mundi totius, ſi gaudium hoc perturbatum fuit infelicitate illud afferentis. Sapiens divinorum decretorum interpres, hos non præſtares Conceptioni Mariæ honores, niſi Conceptio hæc digna fuiſſet Sponſa Spiritus Sancti, de qua in omnibus

bus Canticis tuis prædicas: *Tota pulcra es amica mea, & macula non eſt in te*. Profecto, inquam, non coleres per novæ feſtivitatis inſtitutionem Mariæ Conceptionem, niſi eſſet Immaculata; neque enim colis, niſi quod Sanctum eſt. Citra cenſuras, & anathemata, hoc eſt ſatis aperte decidere, ut pietas noſtra excitetur, quin vis fidei inferatur. *P. Aurelianenſis in tomo 2. Sermonum de Conceptione Beatæ Virginis.*

Dei Filius Matrem ſibi deligens, non habuit rationem qualitatũ naturalium, ſed gratiæ tantũ.

Deus, ut ſibi Matrem ſe dignam eligeret, ut illam ſecerneret, nequaquam reſpexit naturæ, aut fortunæ bona, generis amplitudinem, mundanæ potentiæ nitorem, immo neque naturæ privilegia; ſed ſolam ſanctificantem gratiam, illi primo ipſius Conceptionis articulo infuſam. Verbum Æternum cum ſe hominem facere vellet, arbiter ſibi Matrem eligendi, quæ ſederet in throno, & quæ jura daret omnibus Mundi regnis, nil tale cogitavit. Si eduxit illam ex illuſtri progenia, ut colligeret in ſe Sacerdotium, & Regnum, hoc nequaquam fuit tantum propter generis amplitudinem, quantum ut remuneraretur fidem Abraham, Iſaac, & Jacob, atque Sanctitatem David: ſi enim ſplendorem natalium quæſiviſſet, nunquid elegiſſet genus ad plebejam conditionem dilapſum, obſcurum, egenum, ſine nomine, ſine honore, ad fabri lignarii tabernam redactum? Non ille cogitavit de bonis hujuſmodi, quibus ipſi allicimur. Naturalia hæc bona eſſent communia Mariæ cum omnibus. Mater Dei meretur prærogativam ita ſibi propriam, ut uni illi conveniat, & præterea nemini. Quænam autem hæc eſt prærogativa, quam ceteris præfert Deus, & quæ Mariæ characterem conſtituit? Hæc gratia eſt, quæ primum Conceptionis ejuſdem momentum diſtinguit: momentum hoc, quo pauper, & dives involvuntur in Domini offenſa, & cui applicari poſſunt verba illa Salomonis: *Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium*. Momentum hoc omnibus hominibus turpe, glorioſum eſt illi. Altiſſimi Filia, Cæli hæres, dignum objectum amore Dei, videt omnes filios Adam Dæmoni ſubditos, hæredes inferni, divinæque juſtitiæ victimas. Hæc ſola eſt prærogativa, quam Dominus dignam cenſuit Matre, quam ſibi elegit, & apertiſſimum argumentum, quod præbere hominibus poterat ejus pretii, in quo habet gratiam. *P. Cheminais Sermone de Conceptione.*

Sap. 7.

Quamvis de momento illo agatur, Deus pati non potuit, ut Mater ſua momento illo dæmonis dominatione ſubjiceretur.

Quanam de re agebatur, ut cogeretur Deus tantam, adeoque ſingularem Mariæ prærogativam conferre, qualis fuit conceptam eſſe ſine peccato? Agebatur, ut uno tantum momento ſub dæmonis captivitate, & in Dei inimicitia permaneret. Quid eſt momentum in hoc ſtatu, ſi judicium ferendum eſt ſecundum Mundum; & momentum, cujus defectus reparaſſet Deus omnibus gratiæ ſuæ donis? Nonne poterat illam deinceps ſanctificare, ut S. Joannem Baptiſtam, & Iſaiam? Non ita Fideles; ne confundamus Dei ſervos cum Matre illius: Momentum hoc erat tamquam lethale vulnus honori Filii ſui, æque ac Matris; cui ut occurreret, communes regulæ Providentiam non remorantur: Hæc pollicita eſt, ſe poſituram inimicitias ſerpentem inter atque mulierem; opus eſt, ut ne brevi quidem momento inter utrumque conveniat. Præſtat potius naturam invertere, & inducere Mariam in novum ordinem decretorum. Deus illam educet de corrupta Adæ Maſſa, in qua communis conſors eſſet calamitatis: ſed quomodo illam vocabit in partem Redemptionis Domini, niſi comprehenſa fuerit in numero nocentium, qui ſunt redimendi? Hujus particeps erit, Fideles, per viam præſervationis; quæ quidem auguſtior, ac ſpectabilior via eſt, quam viæ reparationis. Non, juxta ſententiam complurium Doctorum, qui tenent, a Deo liberatam fuiſſe a turpi hac neceſſitate, Eccleſia Spiritus Sancti lumine aſſiſta omnes haſce difficultates negligit; haud ægre concipit, Deum velle naſci ex paupere Virgine, ac ſemet ſubjicere miſeriis, atque infirmitatibus hominum. Nihil in hoc nanciſcitur, quod ſuæ officiat gloriæ; quod autem oriri velit ex Matre, quod vel brevi momento ab illo fuerit ſeparata, vel dæmonis captiva; hoc credere nequit Eccleſia; hoc illi monſtrum, & non ferendum videtur; & vetat, ne quis Fidelis doceat, Mariam ſubditam fuiſſe originali peccato; & ſi minus hanc cauſſam decidit, tamen ſatis ſuperque, quid ſentiat, oſtendit; non enim permittit ſolum, ut Immaculata Virginis credatur Conceptio, ſed ad eam credendam Fideles cohortatur. *Idem.*

Præcautio, qua uſa eſt Maria ad gratiam ſervandam.

Non ambigimus, Fideles, quominus extrema vigilantia, in qua vixit Maria, illi ſervaverit inæſtimabilem gratiæ theſaurum. Immunis ab omnibus naturæ corruptæ infirmitatibus, ſemper ſe geſſit, quaſi in rebus omnibus ſibi eſſet metuendum, ac trepidandum; ab infantia in Templo educata; in exercitatione præclariſſimarum virtutum innutrita, a Mundo ſeparata, in ſilentio, & ſeceſſu vivens, ignoravit quidquid vanitatem palpat, luxum, voluptates, Mundi pompas, quæ nos fallere ſolent, & per eam curam, quam gerebat pretioſi illius depoſiti, gratiæ, cujus jacturam facere potuiſſet, ſi fieri potuiſſet, ut Dei Mater illud amitteret; mortalibus omnibus reliquit exemplum, quo damnatur eorum temeritas, qui tot apertiſſimis objiciunt periculis bonum, quod ſumma cum difficultate aſſervatur. *Idem.*

Quænam ſunt recentia originalia peccata, quæ quotidie videntur in Chriſtianiſmo.

Noſtrorum malorum, & ærumnarum cumulus eſt, quod gratia, quæ perfecte ſanctificavit Mariæ Conceptionem, in perſona illius perfectum, abſolutamque retulit triumphum de originali peccato; nos vero e contra, quamvis Baptiſmi gratia in nobis hoc deleat peccatum, per graviſſimum infortunium, quod unice cordis noſtri pravitati acceptum referendum eſt, ſuſcitamus adhuc quotidie in Chriſtianiſmo, abſit invidia verbo, nova originalia peccata, videlicet peccata quædam, quæ primo ſunt deteriora, & effectum gignunt nobis pernicioſiorem. Quid ſibi volunt hæc originalia peccata? Videlicet peccata quorum ipſi ſumus auctores, quæ fatali propagatione ſeſe communicant, ac effundunt, ac de perſonis noſtris in perſonas aliorum tranſeunt. Originalia peccata ea voco, quæ ſunt cum ſcandalo conjuncta, contra quæ Dei Filius protulit in Evangelio adeo terribilia anathemata; Originalia voco peccata, quædam parentum crimina erga filios ſuos; patris, qui filiis ſuis inſpirat odia, inimicitias, & ultionis deſideria; matris, quæ ſe chriſtianam eſſe oblita, filiam pervertit, illi vanitatem, & Mundi amorem inſpirans. Originalia voco peccata quædam patrum familias erga domeſticos, domini, qui infideli nequior efficit famulos ſuarum libidinum miniſtros; Matronæ, quæ ſua abutens auctoritate ancillæ conſcientiam ſibi creditæ implicat, ac perdit, illi familiariter committens amorum ſuorum technas, & lenocinia. Originalia peccata voco quædam Principum virorum erga populos, Sacerdotum erga Laicos, ſuperiorum erga inferiores ſcelera. In quo enim Adæ peccatum enorme fuit coram Deo? In eo quod minime fuit peccatum unius, ſed plurium; in eo, quod Adam præceptum infringens nos omnes in ſuæ inobedientiæ ſcelere comprehendit; in eo, quod cum noſtrum eſſet caput, peccare non potuit, quin ejuſdem nos conſortes efficeret. Hoc eſt Myſterium fidei, quam colimus; ſed quod nobis Myſterium videtur in Adæ peccato, manifeſtum eſt, ac ſenſibile in memoratis peccatorum ſpeciebus, quapropter dico ſemper, infidelitatis cumulum eſſe, in alios noſtram effundere iniquitatem, & ſatis non eſſe, ſi nos ſoli peccemus, niſi cum nobis pervertimus innocentes animas, niſi eas pravitatis noſtræ conſortes efficimus, eoſque illa oneramus: hoc enim eſt, fieri non ſecus ac Adam alienæ etiam damnationis principium. Tu una, o glorioſa Virgo, præſervata fuiſti ab hac corruptione, & originali maledicto. Tu ſola in Conceptione tua viſa fuiſti coram Deo pura, & ſine labe; quapropter etiam confugimus ad te, & tuam imploramus clientelam; nam privilegium, quod a Deo recepiſti, ut immunis eſſes ab omnibus miſeriis noſtris, nonniſi miſericordiæ ſenſus erga nos tibi poteſt immittere. *Pater Bourdalove Sermone de Conceptione.*

Effectus quos in Maria peperit gratia Conceptionis.

Gratia Conceptionis Mariæ ſimulac perſonam illius ſanctificavit, fuit in illa fons inexhauſtus meritorum, ad conſecrandas, & extollendas omnes vitæ ejuſdem actiones: namque ſecundum Theologiæ regulas, certum eſt, Dei Matrem toto vitæ ſuæ curriculo ne unum quidem actum eliciuiſſe, qui non pretium, meritumque ſuum ab hac prima gratia perceperit. Ut id melius intelligatis, fingite vobis, exiguum illud Evangelicum ſemen, quod in agro ſatum, & germinans paulatim creſcit, donec in arborem præcelſam aſſurgat. Nihil cogitationem meam æquius exprimere poteſt. Ubi ſemen hoc radices jecit, profert germen ſuum, de terra prodit, emittit ramos, frondibus induitur, ſe attollit, extendit brachia, floribus ornatur, fructus affert; ſed ita, ut hæc omnia per ipſum ſubſiſtant, ac vigeant. Hoc ſymbolum eſt gratiæ, quam Maria in ſua Conceptione recepit; hoc fuit tamquam divinum germen, quod in illius corde efformatum fuit, ſed cujus virtus mox ſe effudit in omne corpus actionum illius. Quidquid a Maria factum fuit, ſanctum fuit & inæſtimabilis meriti apud Deum: quare? quia quidquid egit, oriebatur ex principio ſanctificationis; quod erat in illa, & quod omnibus actibus illius pretium afferebat. Quodnam vero illud erat Sanctificationis principium? Gratia Conceptionis. Hæc gratia, fateor, non erat niſi radix ſublimium donorum, quibus Cælum eam cumulaverat; Sed quia radix erat Sancta, ita & rami ſancti fuerunt: *Si radix ſancta, & rami*. Quid pro ramis intelligo? Sunt virtutes, quas incomparabilis hæc Virgo exercebat; bona opera; officia quibus perfungebatur; cultus quem præſtabat Deo; caritatis officia erga proximum; humilitatis exercitia, quæ illam adeo de ſe, & gratia ſollicitam efficiebat; neque enim hæc inania et conjectura, ſed ſolida veritas, hæc omnia ſanctificata fuiſſe per gratiam eamdem, quæ illius animam in ipſo Conceptionis ſuæ momento ſanctificavit. *Pater Bourdalove in ſermone de Conceptione.*

Ad Rom. c. 11.

Quamvis Deus rationem non habuerit nobilitatis, aliarũque naturaliũ qualitatũ Mariæ

Dicens, Deum, ut ſibi Matrem eligeret, rationem minime habuiſſe generis, opum, vel earum rerum omnium, quæ apud homines plurimi habentur, non ideo tamen intelligo imminuere prærogativas

etiam

ſuæ, illas tamen non neglexit.

etiam externas, ac temporales, quas in ipſo ortu poſſumus obtinuiſſe. Quod videmus in Mariæ Conceptione per Creatoris gratiam ſanctificatæ, aliam mihi ſententiam debet immittere: neque enim contempſit Deus in Maria hanc generis ſui amplitudinem, quam ipſa etiam Eccleſia commendare videtur in hac feſtivitate. E contra enim voluit Mariam ex nobili, ac regio ſanguine naſci: Quare? Ut eniteſceret Virtus gratiæ ſuæ, Sanctus Chryſoſtomus inquit, & ut Mundi Principibus hanc in ipſorum ſtatu daret conſolationem, nobilitatem etiam admittere poſſe ampliſſimam ſanctitatem. *Idem.*

Nonnulli Viri divinarum rerum contemplationi dediti, exhibent nobis tres divinas Perſonas intentas formandæ alteri huic Evæ, majori cum attentione, quam primæ. Singulæ peculiarem characterem ſuum imprimere voluerunt, & aliquod in ea lineamentum relinquere, per quod ſibi ſimilis fieret. Pater potitus eſt anima illius, tamquam Creator, eique Virtutem communicavit, & poteſtatem agendi ſupernaturaliter. Filius, quatenus Sapientia, ratione potitus eſt, eamque replevit lumine, & Veritate. Spiritus ſanctus, quatenus Charitas poſſeſſionem Cordis ejuſdem obtinuit, ibique collocavit quidquid aptum eſt ad magnum amoris ignem accendendum, ita ut Maria, cum primum eſſe cœpit, præclaris his decorata dotibus potuerit cognoſcere, & amare Deum, ſimul ac vivere incepit. Ipſa illum re vera intuita eſt, atque ſe ad illum omni virium ſuarum niſu convertit, atque promerita eſt infuſionem, vel ſaltem poſſeſſionem gratiæ hujus admirabilis. O præclara vita, quæ incipit a Dei cognitione! & fortaſſe a perſpicua ejuſdem viſione! Præclara vita, cujus primus actus fuit ardens ſuſpirium; & motus dilectionis, reverentiæ, adorationis, charitatis erga Creatorem. *Ex Manuſcripto Sermone.*

Mala, quæ originale peccatū peperit nobis, a quibus ſancta Virgo vacua fuit.

Quoniam in peccato fuimus concepti, bona fide fatemur nos eſſe iis malis obnoxios, quæ triſtes ſunt effectus illius: Videlicet, ſcimus primum hoc peccatum in caput noſtrum detraxiſſe malorum diluvium, & per lethalia duo vulnera, quæ nobis inflixit, ignorantiam, & concupiſcentiam, effudiſſe virus nequitiæ ſuæ in omnes animæ noſtræ facultates; ideoque nihil ſancti in nobis reliquum eſſe, mentem noſtram graviſſimis erroribus eſſe ſubjectam; voluntatem noſtram eſſe quodammodo traditam turpibus affectionibus; imaginationem noſtram ſedem eſſe, vel fontem illuſionum, ſenſus noſtros eſſe januas, & organa incontinentiæ; nos naſci repletos infirmitatibus, ſubjectos inconſtantiæ, & vanitati cogitationum noſtrarum; mancipia temperamentorum, ac ingeniorum noſtrorum, & quibus propria dominantur deſideria. Non ignoramus inde proficiſci hanc bonum operandi difficultatem; hanc proclivitatem in malum, hanc in omnibus officiis repugnantiam, hanc diſpoſitionem ad excutiendum legitimarum legum jugum, hoc Veritatis nos corrigentis odium, hunc amorem adulationis nos nobis ſublinientis, atque corrumpentis, hoc Virtutis faſtidium, hanc venenatam vitii illecebram, bellum hoc inteſtinum, quod in nobiſmet experimur, hæc prælia carnis adverſus rationem, has ſecretas rationis ipſius contra Deum rebelliones; hanc pertinaciam, qua nitimur in vetitum. Monſtroſa perturbatio, Sanctus Auguſtinus ait, ſed quæ ex hoc ipſo quod monſtroſa eſt, fit manifeſtum argumentum peccati, quod in noſtra Origine contraximus. Cum autem illud nequaquam contraxerit Virgo beata, his malis, & effectibus obnoxia non eſt. *Pater Bourdalove Sermone de Conceptione.*

Amor J. C. erga Mariam in ipſa Conceptione illam Sanctificavit.

Certum eſt, JESUM quatenus Mariæ Filium, omnes erga illam foviſſe amoris, & grati animi ſenſus, quos natura, & leges ſuadent, ac imperant filiis erga eos, a quibus originem, vitamque acceperunt. Sed certum quoque eſt, quemadmodum Filius Dei ipſius ante Incarnationem ſuam omnes erga Matrem ſuam fovebat ſenſus, quos aliquando habiturus erat, quia æternitas omnia illi præſentia efficiebat; tamquam Filium ſe ſe geſſiſſe in ipſo conceptionis ejus momento, quandoquidem futurus erat: ea repleviſſe omnia hujus officii munera reddendo illam Creaturarum omnium perfectiſſimam, præſervando illam ab omni peccato, quandoquidem poterat. Quomodo enim adimplerentur verba illa, quæ JESU CHRISTO conveniunt loquenti cum Matre Sanctiſſima, *Charitate perpetua dilexi te?* Hoccine eſt perpetuo amore, & ſine interpellatione complecti, relinquere dignam hanc Virginem ad aliquod tempus ſub peccati jugo, & eamdem odiſſe teneri? Quomodonam obſervaſſet leges, quibus jubentur filii eos honorare, a quibus vitam acceperunt, ſi paſſus fuiſſet, ut Maria vitæ ſuæ initium faceret a peccato, quod illam horroris objectum in ejuſdem oculis reddidiſſet? Nonne aliis filiis malas reliquiſſet impreſſiones, niſi abſolviſſet Matrem a vinculis impendentibus ipſi, cum illa prævertere poſſet per eam poteſtatem, quam habet in mortalium omnium inimicum? Leviſſima quælibet mora, ut videtur, ſcelus fuiſſet: Ardens amor tuus, Domine, erga illam, cui nihil umquam negatum voluiſti, te proculdubio impulit, ut mane diluculo, & ab ipſa vitæ ejus aurora auxilium eidem afferrens: *Adjuvabit eam Deus mane diluculo.* Tu præſens fuiſti momento Conceptionis ejus, ut ei immutabilem Sanctitatem communicares. *Biroat in Tomo Myſteriorum Mariæ Virginis.*

Pſalm. 45.

Maria reparatrix in myſterio Redēptionis eſſe debebat ſine macula.

Nonne Maria efficientius, & copioſius quam creatura aliqua experiri debebat effectus admirabiles Redemptionis, tum quia paritura erat illum, qui futurus erat Redemptor, tum quia Sanguine ſuo ſuppeditatura erat Materiam hujus Redemptionis, eique erat cooperatura per conſenſum ſuum offerens hanc adorabilem victimam, in quam integrum jus obtinebat? Ejus privilegium ſatis amplum nequaquam extitiſſet, ſi particeps tantum fuiſſet gratiarum Salvatoris eo modo, quo ceteræ creaturæ, & ſi nullum adfuiſſet diſcrimen inter ceteras, niſi, quod inter plus, minuſve, intercedit. Eſſentialis requirebatur diſtinctio inter Mariam ab originali peccato præſervatam, & alios, qui erant curandi; & ſicuti decebat Medicum de Cælo dilapſum, peccato non eſſe obnoxium, quandoquidem illud curaturus erat, decebat quoque Mariam ab omni peccati labe eſſe immunem, quia, ut Arnoldus Carnotenſis ait, decebat, ut JESUS, & Maria, quodammodo efficerent unam, eamdemque victimam pro univerſali reconciliatione; *Omnino tunc erat una Chriſti, & Mariæ voluntas, unumque pariter holocauſtum offerebant; unde communem in mundi ſalute effectum obtinuit.* Hinc Patres Mariam ſalutis noſtræ cauſam vocarunt, hominum reconciliatricem, humani generis redemptricem: licet inferiori modo, & ſubalterne Filio ſuo. Maria igitur immunis eſſe debebat a labe originalis peccati, ut dignius ſaluti omnium hominum cooperaretur. *Ex Serm. Manuſcripto.*

Arn. Carnotenſ. de laudibus Mariæ.

Præcautio Mariæ in tuenda gratia in Conceptione recepta.

Gratia Mariam ab originali peccato præſervavit per eumdem favorem, quo nos ab eodem expiat, favorem, qui animam ejus exornat, & omnibus gratiæ donis condecorat, qui cor illius per charitatem inflammat, qui mentem ejus per luminum copiam illuſtrat, & qui imminuit in illa ignem cupiditatum, quæ ſunt origo noſtrorum malorum, & meritorum ejus occaſio. Quæ gloria! Quod Virgini privilegium! Nonne hoc prodigii loco admirari debemus! Tamen hæc Virgo nata cum adeo ſublimi privilegio, quod videbatur inter ipſam, & peccatum infinitum fere ſpatium collocare, illi reſpondere non vult niſi ſua fidelitate, & vigilantia accurata. Hæc eadem gratiæ plenitudo, quæ illam ſuper ceteras creaturas attollebat illam cum reliquis hominibus, videtur confundere per religioſiſſimam hanc præcautionem, qua eamdem tuetur, non deferens in ſe hunc fundum corruptionis, quæ in laqueos Virtutes noſtras immutat, ſibi præcavere non ceſſat, perinde ac omnia ſibi eſſent metuenda. Lex videtur ipſi ſolum eſſe ſuæ innocentiæ perfugium; Oratio, ſeceſſus, collectio ſui, Sacrificium bonorum corporis, cordis, & mentis; conſtantes ſunt regulæ vitæ ſuæ, & principia regiminis morum ſuorum; cumque nihil illi ſit, quod reformidet, expaveſcit in ſingulis. Quodnam hoc nobis, Fratres, documentum! Si Maria in gratia confirmata, nullam habens rationem evitandi ullum periculum, timet mundum, fugit minimum quodvis diſcrimen, vivit in ſeceſſu, ac oratione ad gratiam, qua aucta fuit, conſervandam; nos calamr imbecilles, & fragiles, ſperabimus innocentiam noſtram inter objectorum fallentium illecebras poſſe tueri? *Idem.*

Immaculata Cōceptio prodigium eſt.

Moyſes curam gerens armentorum Jethro ſoceri ſui, vidit in Montis vertice rubum ardentem, & incombuſtum. Hoc excitatus miraculo ſe ipſum excivit, & dixit: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare rubus non comburatur.* Mutuemur hodierna die ſermonem hunc fidei, atque admirationis, contemplantes Mariam tamquam rubum ardentem, ortum ex Jeſſea propagine, ſeptum flammis peccati, & omnibus majoribus ſuis, qui ejuſdem labe infecti fuerunt, quin ipſa inficeretur: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam.* Maria igitur eſt hæc planta Jerichuntina, quæ quin aliquid ſuæ pulchritudinis, & amœnitatis amittat, creſcit inter æſtuantes ſceleris fluctus reliquam terræ partem devorantis. Spectaculo adeo mirabili perculſi cum Moyſe clamemus. *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam.* Profecto quale prodigium gratia hodierna die operatur in Maria, educta de corrupta Adæ maſſa! Inde egreditur prorſus innocens, & Sancta, hæres non ſecus ac homines ceteri pœnæ illius, non autem culpæ; induta inſignibus illius, non autem malorum ejus particeps; egreſſa de venenata peccatorum ſobole, quin tamen peccatum inhabitet in illa: murus ſeparationis attollitur inter animam ejus, & hunc torrentem iniquitatis, qui ab ipſis Mundi primordiis mergit, & inficit terram univerſam, & perinde ac minime deceret, illam, ex qua naſciturus eſt hominum Redemptor, & peccati Reparator, dæmoni ſubjici, & carnem, quæ erat futura Templum Hoſtiæ propitiationis pro omnibus, momento, aliqua peccati labe fœdari, Dominus il-

lam ſanctificavit, & immunem præſtitit ab omni ſorde, ab ipſo vitæ ejuſdem principio. *Pater Maſſillon.*

Fidelium pietas certatim colit Beatæ Virginis Conceptionem.

Credimus, ſemperque firmiter creditum fuit, fieri non poſſe, ut JESUS CHRISTUS Deus, & homo ulla, vel minima peccati labe inficeretur; quamvis dignatus fuerit in adorabili perſona ſua omnium hominum peccata ſuſcipere, & conſtat etiam Beatam Virginem Deo dignam nunquam ullo vel actuali, vel originali crimine fuiſſe coinquinatam. Singularis Fidelium pietas non vulgari zelo certat attollere gloriam Immaculatæ conceptionis; Eccleſia gaudens videre Filios ſuos adeo juſtis ſenſibus animatos erga Matrem communem, & peccatorum Advocatam, illos probat, eiſque favet, ubicumque poteſt; Suam teſtatur lætitiam publica, & ſolemni feſtivitate; Evangelicos Præcones excitat ad Virginis laudes celebrandas; ſilentium indicit iis, qui vellent in oppoſitam partem diſſerere, theſauros ſuos aperit, & large, effuſeque Indulgentiam impertit, ut orbem univerſum invitet ad honorandam cultu Religionis Immaculatam Conceptionem. Nonne omni carere ſenſu oportet, cum videamus eos pietatis affectus, quos hæc Fidelium Mater tot modis illis ſtudet immittere? Si quidam inſignes Sanctitate Viri re adhuc integra huic ſententiæ ſubſcribere detrectarunt; nonne illam modo propugnarent, & victas darent manus Sententiæ Eccleſiæ, videntes feſtum hunc diem ubique celebrari, tot Pontificum juſſu, ad ipſas Regum preces, ut cum generali conſenſu eorum omnium, qui vere Chriſtiani ſunt? Nonne igitur inferendum eſt Deiparæ Conceptionem omnino Sanctam eſſe, & Immaculatam? *Pater de Argentano Capuccinus, in libro de Magnalibus Virginis collat. quinta.*

Maria tamquam Adæ filia originale peccatum vitare non poterat; ſed tamquam Deipara erat ab illo præſervanda.

Satis erat Virginem prodiiſſe ex genere eodem, ex quo homines ceteri, ut eidem eſſet obnoxia neceſſitati; & niſi Deus in ejus gratiam naturæ curſum inhibuiſſet; hic torrens iniquitatis illam procul dubio pertraxiſſet, ſicut ceteros in eamdem calamitatem. Verum ſi Maria ſubiit hanc criminis conditionem, tamquam primi parentis filia, inde tamen fuit præſervata, tamquam Dei Mater futura; & electionis ſuæ prærogativa illi patrocinata eſt contra communem generis infelicitatem. Tantum abeſt, quod anima ejus cum corpore conjuncta inficiatur, ut mutuo ſe ſe utrumque ſanctificent, Mariæ Corpus nanciſcitur præſentiſſimum contra peccati corruptionem antidotum in gratia originali, quæ animam ejus exornat; & anima non prodit ex manu Dei tam formoſa, & ſancta, niſi quia animatura eſt Corpus, ex quo Mundi Salvator Corporis ſui materiam eſt mutuaturus. Tamen imperfecta fuiſſet Mariæ felicitas; ſi ab originali peccato immunitatem conſecuta, illius effectus fuiſſet experta. *Ex Collectione Sermonum oblatorum Academiæ Gallicæ anno 1681.*

Idem ſequitur argumentum.

Ne objiciatur univerſale decretum ſupremæ Juſtitiæ Dei, ſingulari huic privilegio, quod illius Miſericordia, & Sapientia conceſſit. Debebat ille ſibi Templi ſui ſanctificationem, magnitudinem, gloriam. Quamvis Maria eſſet hominum filia, ubi electa fuit Dei Mater futura, credendum non eſt, voluiſſe Deum illam ſubjicere communi hominum neceſſitati. Intererat honoris Filii Dei non ſolum omni carere culpa, verum etiam naſci ex Matre, quæ nunquam peccato fuiſſet obnoxia. Poteratne illa ex puriſſimo Parentis ſui ſinu delabi in ſinum, quem polluerat iniquitas? Matrem ab omni culpa eximere, hoc erat adem, ac nullum dubitandi locum relinquere de Filii Sanctitate. *Idem.*

Sanguis, Dei qui omnes homines, emundat, idem eſt, qui emundavit Sanctã Virginem, ſed alio modo, & in anteceſſum.

Si oportet Sanguinem Dei effundi, antequam emundemur, Maria per privilegium ceteris incommunicabile, in anteceſſum evitat communem corruptionem, quia pars Sanguinis ſui formatura eſt Deum hunc, qui primam hominum innocentiam eſt reparaturus. Idem pretium profecto illam, non ſecus ac nos a captivitate redemit: ſed felix ſequeſter pignoris adeo pretioſi, prima gaviſa eſt libertate, quam nobis erat procuratura. Videtur non eſſe Filia Adam veteris illius hominis, qui perdidit univerſum, niſi ut eſſet Mater hominis novi, qui ad illum reparandum venit, & quin particeps fiat funeſtæ hæreditatis, quam pater infelix filiis ſuis legavit, filium dedit Mundo, qui per illam incipiens opus admirabile Redemptionis, eidem innocentiam ſimul, & vitam largitur. *Idem.*

Probabile non eſt, Deũ, qui etiam atque etiam nobis commendavit, ut parentes coleremus, minime contuliſſe Matri ſuæ honorem quantũ poterat.

Credere ne poſſemus Dei Filium, qui etiam atque etiam nobis commendavit, ut parentes noſtros obſervaremus, & in honore haberemus, ipſum per ſe nequaquam Genitrici ſuæ maximum, quem poterat honorem procuraſſe? Sed quinam honos æquior, & Deiparæ accommodatior, atque auguſtæ huic Virgini optatior, quam ab omni peccati labe præſervari? Quantum malum eſt eſſe in ſtatu peccati, quantumvis ad minimum temporis ſpatium, ut ſummi Doctores aſſerere non dubitaverint, ſi duæ illæ gratiæ ſimul eſſe non poſſent, & Sanctæ Virgini optio fieret, utrum vellet ab originali peccato liberari, an Dei Matrem fieri, & Cæli, terræque Reginam, illam haud hæſitanter priorem fuiſſe experituram. Credere ne poſſemus, Salvatorem Matri ſuæ negaturum fuiſſe privilegium, quod aliis conceſſit creaturis, cum illa neque meritis, neque Sanctitate comparandis? Ille creavit Angelos, Adam, & Evam in gratiæ ſtatu; cur autem non etiam animam illius, quam ſibi aliquando matrem ſibi futuram elegerat? Quiſnam ſanæ mentis, cum ſibi integrum eſſet Matrem ſibi eligere irreprehenſibilem, & ſine macula, illam ex toto corde non concupiſceret, & omnes niſus exereret, ut voti reus fieret! Num fidei conſonum eſt, hunc hominem-Deum paſſum fuiſſe, ut Mater ſua dæmonis fieret ſedes, antequam eſſet ſancti Spiritus Sanctuarium? ut illa perditionis eſſet filia, antequam eſſet Dei Mater; & mancipium Satanæ, antequam eſſet Regina Angelorum? Hoc dici nequit, credi vero multo minus. *Pater le Jeune in Panegyricis Sanctæ Virginis.*

Maria eo majorẽ gratiã aſſecuta eſt ſuper Sanctos, quo Matris titulus ſpectabilior eſt nomine ſervi. Ad Hebr. 1.

Doctores quidam loquentes de gratia, quam recepit Maria in ipſo ſuæ Conceptionis momento, eodem niſi ſunt argumento, quo Sanctus Paulus probaturus, Dei Filium præ Angelis eſſe infinite ſanctiorem: *Tanto melior Angelis effectus, quanto præ illis differentius nomen hæreditavit. Cui enim Angelorum dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Simili ratione, dico ego, Doctores laudati in Mariæ gratiam argumentantur. Maria, inquiunt, venit in Mundum eo ſanctior, quam ceteri Sancti, quo prædeſtinationis ſuæ vi nomen ſuum attulit præſtantius nomine Sanctorum omnium: cui enim Sanctorum dixit uſquam Deus: Mater mea es tu, atque ut eſſes, hodie effeci, ut naſcereris? Sancto Hieronymo alte adeo perſuaſum erat de vi hujus argumenti, ut aſſerere non dubitaverit, gratiam, quæ ceteris Sanctis per partes duntaxat, conceſſa fuit, in Mariam effuſam fuiſſe cum tota plenitudine: *Ceteris per partes, Mariæ ſe infudit tota plenitudo gratiæ. Pater Aurelianenſis in ſermone de Conceptione.*

Beata Virgo immunis ab originali peccato, immunis etiam fuit a concupiſcentia.

Sancta Virgo ab originali peccato præſervata, nequaquam ſubiit periculoſum effectum ejus, qui eſt, concupiſcentia hæc miſera, quæ in nobis tot efficit clades. Non ſentiebat illa, uti nos tumultuario inſurgere in corde ſuo hanc cupiditatum multitudinem, quarum furor ſæpe nos excæcat, quarum præceps impetus nos rapit; non experiebatur imperioſam hanc membrorum legem ſemper legi divinæ contrariam, ſemper conformem, ac peccati propriam: hoc domeſticum inteſtinumque bellum carnis rebellis adverſus Spiritum, Spiritus carni reſiſtentis, quod tantopere Sanctum Paulum torquebat; id neſciens, quæ funeſta nos docet experientia, quod crudele ſit bellum ſecum ipſo pugnare; quam difficilis ſit victoria, ubi homo idem ſemper aut victor eſt, aut victus; quanto ſtet pretio triumphus, in quo idem eſt triumphans, & mancipium. His impedimentis vacua videbat Maria adimpleri in ſe illud vaticinium, ubi ſcriptum eſt, Salvatoris manſionem pacificam eſſe futuram in arce Sion, ibique profunda pace gaviſurum iri. *Factus eſt in pace locus ejus & habitatio ejus in Sion. Idem.*

Maria licet confirmata in gratia nullã prætermiſit curã, ac vigilantiam ut eamdem tueretur.

Maria ab omni infirmitate immunis, & in ſuæ Conceptionis gratia confirmata, tamen Mundum, & ſæculi corruptionem evitavit. Maria quamvis cum omnibus innocentiæ privilegiis concepta, vixit tamen in auſteritate, nec non in pœnitentiæ ſeveritate; Maria quamvis Spiritu ſancto a primo ſuæ originis inſtanti repleta, nunquam adlaborare ceſſavit, neque ullos conſtituit terminos ſanctitati ſuæ, quæ quotidianis profectibus, virtute, ac meritis crevit. Quid ipſi debemus inferre, qui vere quidem ſeu per baptiſmum, ſeu per pœnitentiam regenerati, & ſanctificati ſumus per gratiam, ſed per gratiam, cui non ineſt ſtabilitas gratiæ Mariæ, non ejus integritas, neque plenitudo, & quæ nos licet juſtificet, cum non ſit innocentiæ gratia, nequaquam nos diſpenſat a neceſſitate plorandi, ac noſmet mortificandi; & quantumvis ſit copioſa non prohibet, quominus in nobis ſuperſit inane meritorum, quod jubet Deus a nobis piis actionibus, operibuſque repleri? Tamen quamvis tantum ſit horum characterum diſcrimen, quamvis in peccatis, & iniquitatibus concepti ſimus, in mollitie, & voluptate vivere volumus; quamvis meritis, & virtutibus vacui, donum Dei detinemus, atque in mundana, inutilique vita Dei gratiam otiari permittimus .... Sed hoc nondum mihi ſtuporem injicit, illud autem ſtuporis mei eſt argumentum, quod videns, curam, diligentiam, vigilantiam, qua Maria gratiam hanc tuetur, quam nunquam amittere poterat; eamque cuſtodierit tanta cum ſedulitate, quanta ſi omnia illi ſubeunda fuiſſent pericula; nos cum infirmi ſimus, & gratiæ theſaurum in fictilibus circumferamus, ut inquit Apoſtolus, hoc eſt in mortalibus, atque corruptibilibus corporibus, nihil nobis timemus, nihil trepidamus. *Pater Bourdaloue in Sermone de Conceptione.*

Continuatio ejuſdem argumenti.

Gratia Conceptionis Mariæ impenetrabilis erat corruptioni hujus Mundi; gratia erat ſolida, quam tota Mundi iniquitas labefactare non poterat. Et eadem Theologia, qua docemur, Matrem Dei nunquam pec-

caſſe,

caſſe, docet etiam illam peccare non potuiſſe per gratiam, non ſecus ac JESUS CHRISTUS per naturam; in ipſo enim temporis articulo, quo fuit illa concepta, Deus confirmavit eam, & in Sanctitatis ſtatu collocavit. Mundus licet nequam, nihil habebat, quod illam inficere poſſet; Quacumque in occaſione illa adſtitiſſet, tuto ſemper incedere potuiſſet; & gratia, quam gerebat in corde nullis ſordibus potuiſſet inquinari omnibus Mundi flagitiis, & ſcandalis, non ſecus ac Solis radius luto, quod illuſtrat, infici, & fœdari non poteſt. Sed in hoc ipſo hæc Virginum Regina hodierna die fit noſtrum exemplum; & exemplum ejus per enormem contrarietatem, quæ inter ipſam, & nos intercedit, nos coram Deo rubore ſuffundit: etenim ecce Fideles, quanam in re illa conſiſtit! Maria vi Conceptionis ſuæ immutabilem poſſidebat gratiam, & ut Theologi loquuntur inamiſſibilem; verumtamen ſemper ambulavit in arcta via timoris Domini; & nos imbecilles, & lutea vaſa portantes ſine præcautione, & vigilantia inter ſcopulos, & vitæ hujus pericula oſcitanter incedimus? *Idem.*

Omnes homines experiuntur effectus originalis peccati, licet exundi per gratiam; cum Maria ſemper gavisa fuerit privilegiis Iuſtitiæ originalis. Ad Rom. 7.

Nonne ipſi quotidie experimur in nobis gratiam, quam per Sacramentum recepimus, ejuſdemque naturæ eſt ac illa Sanctorum, qui ceteris præluxerunt, quamquam peccatum extinguat, non extinguere tamen effectus peccati, & cum plurimis ſubſiſtere imperfectionibus? Cæcitas remanet in mente, perturbatio in voluntate, dementia in imaginatione, paſſionum æſtus in appetitu, & hic *peccati fomes*, hic ignis concupiſcentiæ, quot non parit incendia? Quot flammas non excitat? Quot rebelliones in corde noſtro non ciet? *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Sanctus Paulus exclamat. Numquid ſemper obnoxius ero inſultibus Angeli Satanæ, qui me colaphizet? Numquam ne ceſſabunt impuræ imaginationes, motus inconditi, acres cupiditates? Sanctiſſimus quiſque hac tranſit; Maria tamen, quid hoc eſſet, ignoravit. *Ceteris Sanctis magnificum fuit non expugnari;* inquit Richardus a Sancto Victore; *Maria non impugnari.* Hujus mens repleta fuit Sapientia, recepitque lumina naturalia, & ſupernaturalia, ut vitam ſuam, omneſque actus ſuos regeret. Voluntas ejus adhæſit Deo; imaginatio illius detenta; appetitus ſubjectus omnino, & ignis concupiſcentiæ extinctus ita, ut ne fumum quidem illius unquam conſpexerit. Sed nondum ſatis: ſecundo enim loco communium animarum gratia eſt gratia peculiaris, & admodum coarctata, & non omnes aliorum poſſident gratiam, ſed quiſque ſuam, eorum ſaltem qui ſublimiorem poſſident locum. Sed Maria, quæ ab ipſo ſuæ Sanctificationis primordio ſublata fuit ad gradum ſuperiorem Sanctis omnibus, Angelis, & hominibus per electionem, qua Deus perſonam illius divinæ Maternitati deſtinavit, ex eo tempore accepit omnem perfectionem, & gratiam Angelorum, & hominum, nec non aliquid præterea: *in plenitudine Sanctorum detentio mea.* Detentio mea, inquit illa, fuit in plenitudine Sanctorum: detinebar, & continebar in viſceribus Matris meæ, & jam plenitudinem, & Virtutem Sanctorum poſſidebam. Nonne hæc eſt glorioſa, & perfecta Sanctitas, quæ cum exceſſu, & eminenter complectitur omnes ceterorum perfectiones ſine ullo ceterorum defectu? *Pater Caſtillon, Sermone de Conceptione.*

In lib. de Emanuele.

Ab æterno tres Trinitatis Perſonæ conſilium habuere, ut in Maria perfectiſſimum opus efformarent.

Si Verum eſt, Deum antequam crearet Adam omnium hominum patrem, aliquandiu deliberaſſe, ut ex Scripturis innoteſcit, non miror, ſi ubi de Deipara efformanda agebatur, conſilium inierit, & ante ſæcula ideam conceperit; quapropter Sanctus Auguſtinus illam *Æterni Conſilii opus* appellat. Sed neſcio; quomodo tam diuturna meditatio, ac tanti momenti deliberatio tandem dæmonis mancipium turpem, atque abnormem imaginem producere potuerit peccato deformatam. Audire mihi videor (Fideles) divinas perſonas in conſilium coactas, & jam jam ad creandam Mariæ animam diſpoſitas, dicere: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Faciamus animam, quæ ſit imago noſtra, & qua nihil perfectius ex noſtris manibus prodierit: Corpus, quod præparavimus illi jam corporum omnium abſolutiſſimum eſt; ſed hæc minima eſt Magni hujus operis portio; reliqua eſt maxime neceſſaria, & ſpectatiſſima: faciamus ergo animam incomparabilis Mariæ, Virginis hujus admirabilis, quæ ſimul eſt Virgo, & Mater futura, puellæ hujus, quæ futura eſt exemplum Prædeſtinatorum, ſequeſter omnium gratiarum, terræ, cælique Domina, & Regina. Faciamus hanc animam, quæ ſola plures capere valeat gratias, quam omnes Sancti, omneſque ſimul Angeli acceperunt; Verbo, Creaturam faciamus, quæ non dedeceat Dei Maternitatem, qua illam decoraturi ſumus; creaturam, quam ipſe Filiam, & Spiritus ſanctus Sponſam vocare valeamus. *Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram.* Hæc erant Sanctiſſimæ Trinitatis conſilia, cum ſe ſe ad efformandam Sanctæ Virginis animam præparabat; Hinc conjicite quanam cura, & ſedulitate divinæ Perſonæ illam exornare procuraverint, & qualis tandem hujus animæ excellentia prodierit. Quæ lumina, quæ ſpiritus ſoliditas? quinam voluntatis ardor, quæ ſinceritas, quæ cordis charitas! Sed poſt hæc omnia, creditiſne tot perfectiones ſubſiſtere potuiſſe cum peccato in ipſo creationis ejus exordio? *Pater de la Colombiere ſermone ſecundo Conceptionis Deiparæ.*

Illud etiam in Maria eſt admirabile, quod uſque in fine vitæ ſuæ ſervavit gratiam, quam acceperat in Conceptione inter pericula, in quibus alii jacturam faciunt, gratiæ quam in baptiſmo acceperunt.

Verum in Maria nonnihil eſt, quod mihi videtur excedere privilegium illud, quo Immunis facta eſt a labe originali, & quod mihi videtur infinitis ſpatiis primæ illius prærogativæ nitorem ſuperare. Maria ab ipſo primo ſuæ Conceptionis momento recepit gratiam Conceptionis, quod quidem inſigne fuit beneficium; illud vero mihi videtur admirabilius, quod ſartam, tectamque ſervaverit gratiam hanc ad extremum uſque vitæ ſuæ ſpiritum, æque puram, æque integram, qualem receperat, quin ulla noxa, ulla imperfectio, ulla fragilitas, ullus caſus labem illi leviſſimam poſſet offundere. Mirum eſt videre aquam vivam e terræ ſinu emanantem æque claram, ac mundam perinde ac de cælo deſcenderet; ſed inauditum eſt, aquam hanc poſtquam irrigavit agros, & per lutulentos rivos pertranſiit, in mare tandem effluxiſſe nullis infectam ſordibus, & æque perſpicuam, qualis in ipſo fonte emanavit. Hoc tamen præſtitit Sancta Virgo. Vixit annos ſexaginta & ultra in hac lacrymarum valle, inter eadem mala, & eaſdem occaſiones, quæ quotidie animas integerrimas corrumpunt, quin cor illius puritatis ſuæ jacturam fecerit. Humilitas ejus, patientia iis tentatæ fuerunt periculis, quibus nulla unquam paria extitere, & inde recentem nitorem adeptæ ſunt. Vidit ſe prælatam ceteris mulieribus, quin intumeſceret; vidit ſe gloria cumulatam, & dolore confectam, quin vel ad breviſſimum momentum amitteret animæ ſuæ pacem, & tranquillitatem. Objiciamus modo noſmet ipſos Virgini huic ſemper Sanctæ, atque Immaculatæ: Ipſa gratiam cum vita recepit, & quod illi non minus glorioſum fuit, uſque ad mortem eamdem ſervavit. Nos autem miſeros! Concepti ſumus, & naſcimur in peccatis; non niſi ſero gratiam recipimus, quæ nos Dei amicos facit; & quod longe deterius eſt, vix acquiſitam amittimus, reliquos vitæ dies traducturi in crudeli incertitudine, utrum unquam illam reparaverimus. Confitendum enim nobis eſt, nos plerumque non vivere in Baptiſmi gratia, niſi quamdiu ignoramus, quid ſit peccatum, quo nobis illa ſurripitur. Videtur aliqua intereſſe oppoſitio rationem inter & innocentiam, ita ut raro ſimul inveniantur. *Idem.*

Primus amoris actus, quem eliciuit Maria in ipſo Conceptionis ſuæ momento, & illius erga Deum pro tanto munere gratitudo.

Utique, Fideles, Maria, ſe ſe devovit Deo ab ipſo vitæ ſuæ primordio. Primus cordis ſui motus impenſus fuit illi, a quo efformata fuit; grati animi ſenſus ſubſecutus eſt gratias, quas acceperat, & eodem momento quo cumulata fuit beneficiis, repleta fuit charitate erga Benefactorem: Sed qua charitate, o Deus! Quis ſatis poſſet dicendo aſſequi ardorem illius? Dicere ſatis eſt cum inſigni Sanctitate Viro, Sancto Vincentio Ferrerio, hunc amoris actum, per quem re adhuc integra ſe ſe devovit Deo fuiſſe ſecundum gratiæ extenſionem, quæ illius fuerit principium; videlicet, Dei amiciſſimos, ſi comparentur cum hac Sancta Virgine minus amaſſe, quam illam eo momento quo concepta fuit; hoc eſt, ſi omnes Seraphim, ignei illi Spiritus, omnes ſuos ardores colligerent, nequaquam exæquaturos eſſe ardorem illum, quem Maria tunc temporis experta eſt. Sed quod eſt adhuc mirabilius, ipſam cum tempore Conceptionis ſuæ haberet hunc amoris actum perfectiorem, & præſtantiorem, quam ulla mera creatura produxerit, quam, hunc inſtauraſſe, & perfeciſſe magis, magiſque ut ſingula vitæ momenta, quin vel diurnus labor, vel nocturna quies ipſum unquam interpellaverit. Hæc eſt Sancti Ambroſii ſententia attribuentis illi hæc Canticorum verba: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* *Idem.* Cant. 5.

Beatam reddidit Mariam ſecuritas ſe gratiam nunquam eſſe amiſſuram.

Imperfecta fuiſſet Mariæ felicitas, ſi poſt acceptam primo ſuæ Conceptionis momento gratiam cui recipiendæ par erat, periculum ſubiiſſet illius amittendæ, & ſi immunis facta ab originali peccato illius miſeros effectus fuiſſet experta; quemadmodum videmus aquas Baptiſmi poſtquam temperaverunt ignem cupiditatis in animabus noſtris, relinquere adhuc ſcintillas, quæ in ſingulas ferme horas exardeſcunt. Sed primus gratiæ effectus, quem recipit Maria, eſt certitudo ſe nunquam illius jacturam facturam, & felix quædam neceſſitas in illo perſeverandi. Hæc illa eſt fortis Mulier, cujus fundamenta ſita ſunt ſupra firmam petram: puritas ejus ſicut lilium inter ſpinas, inquinari non poteſt; anima ejus fons eſt ſignatus, qui nunquam inficitur; & gratia poſuit thronum ſuum in corde illius, ut ibi regnet in æternum. Sed nos miſeri filii Patris inobedientis, ac rebellis jure funeſtos ſceleris noſtri exitus ingemiſcimus. Incerti utrum reparaverimus gratiam toties amiſſam poſtquam in baptiſmo illam recepimus, ſumus adhuc incertiores, utrum illam ſervaturi ſimus, poſito, quod in Pœnitentiæ Sacramento eam reparaverimus: quinam nobis locus eſt dubitandi de inconſtantia noſtra, & fragilitate! Ploremus imperioſas hiſce cupiditates, quæ ſævam in nos exercent tyrannidem; has imbecillitates, quæ

nobis

Digitized by Google

nobis dominantur; cæcos tumultus, quibus rapimur, ſexcentaque alia mala, propter quæ gemit ratio ſub jugo carnis, quæ fere imperia illius rebellia eſt, & jugiter nos in diſcrimen vocat ex Dei gratia decidendi. Triſtis, & miſera peccatorum neceſſitas; facta non es pro Maria ab omni culpa immuni. Hæc naturæ corruptæ vulnera deſtinata ſunt filiis corruptoris ſui, non autem Matri ſui Redemptoris. *Ex ſpecimine Orationum Panegyricarum argumento ſecundo pro die Conceptionis.*

Beata Virgo immunis fuit a leviſſimis etiam noxis, & imperfectionibus.

Non nihil defuiſſet gloriæ Sanctæ Virginis hujus, ſi a gravioribus vitiis vacua, nequaquam fuiſſet immunis a levibus noxis, quæ charitatis ardorem imminuunt, quin illum extinguant; & quæ quin in Dei offenſionem incurrant, illi nihilo minus minime placent. Talis eſt naturæ corruptio: in terra ambulare non poſſumus, quin pulvere pedes ſordeſcant: integerrima pietas, aliquo ſemper cupiditatis affectu agitur; juſtiſſimus quiſque ſepties cadit in dies ſingulos, & perfectiſſimus aliquam ſemper habet imperfectionem. Sed Maria verſabatur inter pericula, quibus Virtus in hac vita patet, ſicut Adam in paradiſo terreſtri: noſtram habebat naturam, non autem naturæ corruptionem: nullus umquam inordinatus motus perturbavit interiorem animæ ſuæ pacem: nullum ex illis ſæcularibus deſideriis, de quibus verba facit Apoſtolus, cor illius tentare potuit. Nullam ne leviſſimam quidem culpam admiſit, ab Ipſo Conceptionis ſuæ articulo in gratia confirmata. Denique ſi Maria fuit Cælum animarum, quemadmodum illam Patres appellant, dici poteſt ſemper fuiſſe Cælum clarum, & ſerenum, nulla umquam, vel minima nube obſcuratum. Heu! quam longe ab illa diſtamus! Quid ſunt hominum plerique, niſi calami agitati, omnibus ventis cedentes, ſexcentis contrariis motibus in diverſa exagitati; ludibrium plurimarum affectionum ſibimet per intervalla ſuccedentium; quos vel leviſſimus flatus labefactare poteſt, & leviſſimæ tentationes uſque ad portas mortis adducunt, quos prima voluptatis illicia in Mundi partem convertunt. Vita noſtra non eſt niſi jugis morborum, & curationum viciſſitudo. Profecto ſemper in noſtra ſitum eſt poteſtate graves, mortaleſque lapſus evitare; ſed ſine peculiari gratia omnia venialium criminum genera evitare non poſſumus; quam gratiam Deiparæ conceſſam fuiſſe, dubitare non debemus. *Ibidem.*

Per noſtram Fidelitatem efficere poſſumus, ut gratiam triumphum referat de concupiſcentia noſtra, & hoc pacto participes efficiamur felicitatis Mariæ.

Undenam proficiſcitur hoc prælium carnis adverſus Spiritum, quod experimur in nobis, & in quo ſæpe vincimur, niſi quia contemnimus efficere, ut gratia triumphum referat de concupiſcentia? Hoc fuit privilegium Mariæ conceſſum; ſed per fidelitatem noſtram acquirere poſſumus partem privilegii, quod illa per gratiam conſecuta eſt. Profecto non poſſumus omnino deſtruere hunc corruptionis fundum, quem habemus in nobis, & quem Deus nobis ad mortem uſque relinquit ad exercendam fidelitatem noſtram, & ad oſtendendam gratiæ Virtutem per juges victorias, quas illius ope reportamus de hoc hoſte domeſtico, & internicino: verum ſi minime licet nobis concupiſcentiam penitus in nobis extinguere; integrum tamen eſt gratiæ ſubſidio, illam taliter infirmare, atque atterere, ut nobis nocere non poſſit. Alioquin nulla ſperanda eſt in nobis pax, vel perſeverantia in Virtute; nam ſicuti caro ſe ſe attollit ſemper adverſus ſpiritum, fieri non poteſt, ut anima firma fiat, atque tranquilla in via Virtutis, niſi ſpiritus per jugem carnis mortificationem illi præpolleat. Duæ hæ invicem appoſitæ facultates diu non poſſunt æquas ſervare vires, opus eſt, ut alterutra triumphet, ac alteram ſibi ſubjiciat. Regni uſurpator, & Rex legitimus eumdem thronum occupare non poſſunt; vel peccatum gratiam debet extrudere, vel gratia peccatum debet exterminare. Itaque tota Chriſtiani hominis occupatio eſſe debet mortificare, & inceſſanter infirmare corpus iſtud peccati, quod aggravat animam in terram, & efficere, ut lex iſta membrorum, quæ adverſatur legi Spiritus, cedat ſub pondere pœnitentiæ. *Ibidem.*

Sunt quædam peccata quæ dici poſſunt originalia.

Sunt peccata quædam, quæ de parentibus migrant in filios, atque ſeſe in familiis perennant. Quocumque id modo fiat, nihil vulgatius eſt; & nemo ad id animum advertit. Pater, qui Filios docere debet timorem Domini, inſpirat illis cum ſermonibus, tum actibus ſuis, vitia, quibus laborat, ac in illis ſenſim, & ſine ſenſu vitam ſuæ ſimilem format. Quin impugnet affectus in illis germinantes, eos alit indulgentia, excitat perſuaſione, fovet conſilio, roborat exemplo, ac ſæpe poſt mortem cum hæreditate bonorum male partorum, relinquit illis funeſtam ſucceſſionem ambitionis, avaritiæ, atque ultionis. Mater ubi meliores vitæ ſuæ annos tranſegit in vanitatibus, atque voluptatibus, geſtit componere ſecundum mores ſuos filiam, quam colit, & diligit. Illi ſatis eſt procuraſſe, ut levi manu quædam religionis rudimenta traderentur; ipſa vero ſtudet qua ratione eam Mundi ſpiritum doceat, gaudens ſibi ob oculos ſtatuere imaginem mundanæ adoleſcentiæ ſuæ, & in partem ſuimet ipſius derivare thus illud, quod ſibi ceſſat adoleri, & videre, ut ita dicam, repueraſcere vanitatem ſuam in illa, quam animæ huic inexpertæ immittere certat. Hinc quædam videntur progenies ſuperbæ, avaræ, crudeles, in quibus hæ corruptionis ſpecies palam dominantur, & quodammodo hæreditatis jure per manus quodammodo traducuntur. Si ergo verum eſt peccati communicationem fieri ab ordine ſuperiori ad inferiores, fateamur, omnes homines naſci in conditione prioris, qui cum humanam receperit naturam in ſua puritate, corrupit illam in hoc primo fonte, ex quo defluxit in poſteros. *In iiſdem ſpeciminibus pro Adventu.*

Quamvis Dei Filius deſtruxerit originale peccatum, non deſtruxit propenſionem in malum, quam in nobis peccatum reliquit.

Verum eſt JESUM CHRISTUM deſtruxiſſe in nobis peccatum, ſed ille nequaquam deſtruxit noſtram in peccatum proclivitatem. Serpentis caput abſciſſum quidem eſt, ſed habet adhuc motus periculoſos: ſalvati ſumus a morte animæ, ſed non ideo minus infirmi ſumus: JESUS CHRISTUS in nobis delineatus eſt, ſed nondum formatus: namque inter Creationem, & Spiritualem regenerationem hoc intereſt diſcrimen; in prima enim Creaturæ ſunt opera in bonitate, ac naturali perfectione ſua, ſed in regeneratione ſua opus imperfectum eſt, & Creaturæ principium, quod creare voluit Deus per gratiam ad gloriam ſuam; videlicet per Baptiſmum gratia effuſa eſt in animam peccatoris, ſed corpus gerit adhuc nota, & characteres peccati. Altera pars noſtrum nos attollit ad Deum, altera nos ad res creatas demittit; altera quidem nos ſubjicit legi, altera nos contra legem rebelles facit, & per deplorabilem cæcitatem ſæpe ſequimur illam, quæ devia eſt, ea poſthabita, quæ nos perducere poteſt. Gratia omnis, quam Deus Juſtis concedit eo tendit, ut temperet ardorem concupiſcentiæ ipſorum, & reprimat incompoſitas eorum cupiditates! Sed gratia, quam Mariæ largitur, extinguit uſque ad radices amorem proprium, & vetat, non ſolum ne in illa peccatum dominatur, ſed ne in illa ad breviſſimum quidem momentum inhabitet. *Ibidem.*

Primi ſenſus quos habuit Beata Virgo de magnalibus Dei, & illius gratitudo pro beneficiis in Conceptione receptis.

Primus actus vitæ ſanctæ hujus Creaturæ fuit admirari Dei Magnalia, & formoſa hæc anima vix animavit corpus ſuum, cum ſemet demerſit in profundam divinarum perfectionum contemplationem. Ex eo temporis momento, Sancti Patres inquiunt, adeo perfectam omnium fidei Myſteriorum cognitionem obtinuit, ut illam Prophetarum ſuperaverit; Ejus amor tunc reſpondit altitudini cognitionum ſuarum; & ſicuti Verbum in æterna generatione ſua redit ad Patrem per eamdem originem, quam ab illo recipit, ac redit inflammatus amore, quem cum Patre producit in ejuſdem principii unitate; ita Maria redit ad Deum per eamdem gratiam, quam recipit ab illius bonitate, & illam recipiens, ipſum adorat, & amat tamquam principium beatitudinis ſuæ amore ita ſuccenſo, ut Seraphim amorem excedat. Præterea dubitandum non eſt, quominus primis rationis ſuæ luminibus, quæ in anteceſſum Deus ipſi largitus fuerat, uſa ſit, ut gratias ageret tot beneficiis Creatoris ſui, qui illam tot favoribus cumulaverat, quin ipſa per ſe quidquam contulerit, & quin in abyſſum nihili ſui deſcenderet, ibique ſexcentas gratiarum actiones illi referret. *Pater Texier in Adventu pro die Conceptionis.*

Deus cum illa, quæ erat futura Mater ejus, ita ſe geſſit, quemadmodum nosmet gereremus ſi liceret nobiſmet Matres noſtras eligere.

Si nobis liceret, Chriſtiani, creatores eſſe patrum noſtrorum: & ſi per adynaton nobis fieret copia producendi illos, qui nobis vitam daturi ſunt, non ne illos omnibus numeris perfectos, atque abſolutos conaremur efficere? Ulli ne parceremus virtuti, bonitati, nobilitati, fortunæ in hujus operis productione quæ adeo cara nobis eſſet futura? Igitur Dei Filius, qui ſibi Matrem effinxit, ipſe ille, qui elegit eam ex omnibus ſanctis mulieribus, quæ in Mundo fuerunt, qui illam, ut ita dicam, propriis manibus creavit, credendus eſt non liberaliter effudiſſe in illa gratias, & qualitates, quæ decebant illam, quæ ad miniſterium adeo ſublime erat deſtinata? Ita procul dubio, Fideles, & quænam qualitas magis decebat eam, quæ erat paritura fontem gratiarum omnium, quam ut gratia repleretur in ipſo ſuæ productionis articulo; qui non aliud eſt niſi momentum Conceptionis ſuæ in ordine naturæ? Quid ergo? Dei Filius hoc videns, ſentiens, & prohibere valens, reliquiſſe credendus eſt Matrem ſuam ad breviſſimum temporis ſpatium in Satanæ poteſtate? Itane dici poterit aliquandiu fuiſſe objectum odii Deo, & ſubditam Principi tenebrarum? Hoccine credibile eſt? Econtra hoc repugnat omnibus ſenſibus pietatis, quos fovere debemus erga illam, quæ dedit Mundo Redemptorem, cujus potentia refulſit, inquit Apoſtolus, ut Mundi opera diſſolveret, ejuſque imperium everteret. *Ogier in actionibus publicis Tomo primo in Virginis panegyrico.*

J. C. eſt Salvator & Redemptor Beatæ Virginis modo præſtantiori, quam cæterorum.

Omnes objectiones contra immaculatam Virginis Conceptionem rediguntur ad hoc argumentum; Cum omnes in Adam peccaverint, indigere gratia Dei, ut a peccato liberentur; Cum hæc gratia illis per

JESUM

JESUM CHRISTUM fuerit communicata, per Sanguinem, & paſſionem ſuam, ipſum vere illorum eſſe Redemptorem. Hinc ſequi, Si Maria nulla peccati labe infecta fuit, JESUM CHRISTUM propter illam non eſſe mortuum, ideoque illius Redemptorem non eſſe, quæ non hæreſis tantum eſſet, verum etiam blaſphemia. Dicimus ergo JESUM eſſe Salvatorem, atque Redemptorem Mariæ; redemiſſe illam pretioſo Sanguine ſuo; dicimus etiam hunc præſtantiori modo fuiſſe illius Redemptorem, quam aliorum; quia ceteros ſalvavit, atque redemit, poſtquam revera per nativitatis ſuæ infelicitatem lapſi ſunt in ſcelus, & contraxerunt hoc debitum, cui primi hominis culpa miſere omnem ſubjecit poſteritatem; ſed pro Maria Dei Filium ſatisfeciſſe antequam ſolutionis terminos excederet. Sicut ille, qui prohibet, ne amicus incidat in manus hoſtium, protegens ipſum corpore ſuo in acie, & ſuſtinens omnem impetum oppugnantium Sanguinis ſui pretio, donec amicus e conferta acie dilabatur; illius eſt liberator ampliori, & præſtantiori modo, quam qui redemptionem ejuſdem perſolvit, poſtquam aliquot dies in captivitate traduxit; ita fatendum eſt, Dei Filium fuiſſe Matris ſuæ Redemptorem modo diviniori, atque admirabiliori, ab originali peccato illam præſervando, quam curando; prohibendo ne caderet, quam a lapſu relevando; illam in libertate ſervando, quam ea captivitate eripiendo, in quam alioquin per legem communem certiſſime prolapſura fuiſſet. *Idem.*

Cauſſæ, quæ Dei Filium impulerunt, ut Sanctam Matrem ab originali peccato præſervaret.

Cum dubitari nequeat, quo minus Dei Filius potuerit Matrem ſuam in Conceptione immaculatam ſervare, dubitandum non eſt utrum voluerit; ideoque utrum fecerit ad gloriam ſuam. Non igitur iſthic ſermo eſt de Divini hujus Verbi poteſtate, neque de illius voluntate, ſed ſolum de cauſſis, quæ impulerunt illum ut glorioſæ Matri hanc conferret prærogativam, & illius Conceptionem immaculatam præſtaret; quæ quidem cauſſæ hujuſmodi ſunt, ut nobis dubitandum non ſit de illius voluntate, vel poteſtate. Cauſſa fuit gloria Matris ſuæ, cujus quidem zelotypus erat; honor enim matris arctis adeo vinculis conjunctus eſt cum honore Filii, ut invicem nequeant ſeparari; itaque nihil illi antiquius eſſe debebat, quam ut Mater ſua omni careret labe, & irreprehenſibilis eſſet. Cauſſa gloriæ ſuæ; Sapiens enim inquit: *Gloria filiorum patres eorum.* Et profecto Dei Filius dedignatus non eſt hanc gloriam quatenus homo, & videmus etiam illum affectaſſe Filium hominis appellari in omnibus vitæ ſuæ caſibus, immo etiam in glorioſiſſima actione miniſterii ſui, quæ illa eſt, cum apparituras eſt Judex viventium atque mortuorum; vult enim ſcire omnes, ſe Hominis eſſe filium, videlicet Filium Mariæ. JESUS igitur gloriatur de Nomine Mariæ: ſed quiſnam merito gloriari poteſt de patris, matriſve nomine, ſi nomini, ac famæ eorum aliqua inhæreat infamia? Sed heu! quænam eſt veritatis ſpecies, Dei Filium tanta cum pompa, & magnificentia appellari voluiſſe Hominis Filium, ſi hæc humana creatura, cujus eſt Filius per originale peccatum, ſimul fuiſſet filia, & ancilla Sathanæ? Novi equidem, illum per humilitatem ad centrum uſque humiliationis deſcendiſſe, bonitatem ſuam effeciſſe, ut omnia ſuſtineret opprobria, & ignominias, quibus mortalium omnium noviſſimus affici poteſt, eaſque non ſolum æquo, & alacri animo ſuſtinuiſſe, verum etiam ſibi gloriæ vertiſſe: ſed ubi de minima peccati umbra, vel ſuſpicione agebatur, id ſuſtinere non valuit, & generoſe calumniam diluit, & propulſavit. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Idem.*

Proverb. 17.

Joann. 8.

Levis momenti non eſt ſcire, utrum Virgo immunis fuerit a peccato, quod hæretici, quidem jactitant.

Hinc facile eſt conjicere, utrum quæſtio de Immaculata Mariæ Conceptione, exigui ſit momenti, quod hæretici jactitant; quandoquidem agitur de honore Filii Dei, ubi Sanctæ Matris ejuſdem honor agitur. Si enim Sanctus Ildephonſus olim cenſuit, quærere, & in dubium revocare, utrum ipſa Virginalem integritatem ſuam ſartam, tectamque ſervaverit, horribile crimen eſſe contra honorem puriſſimæ hujus Virginis, ideoque contra honorem ipſius etiam JESU CHRISTI. Libenter etiam quærerem, quid Mariæ, vel JESU CHRISTO fuerit antiquius, utrum animæ ejuſdem Innocentia, an integritas corporia? Facile enim eſt per hanc comparationem judicare, utrum quæſtio hæc adeo exigui ſit momenti propter honorem Matris, & Filii cognoſcere, an anima Virginis hujus puriſſimæ infecta fuerit labe originalis peccati, quam Sanctus Cyrillus execrabilem vocat, an ſemper ſervaverit innocentiam; videlicet utrum a primo vitæ ſuæ articulo ſemper adhæſerit Deo per ſanctitatem, atque juſtitiam, an ab eo ſeparata fuerit per originale peccatum; utrum ſemper habita fuerit a Deo pro dilecta filia, an in Conceptione ſua nocens fuerit, & Sathanæ ſubdita: denique utrum fuerit ſemper vas electionis, & gratiæ, an fuerit vas maledictionis, & iræ. Non igitur ſolum magni momenti eſt hæc quæſtio propter honorem Filii, & Matris, ſed quo magis glorioſa eſt Mariæ immunitas a peccato, eo magis oppoſita ſententia utrique videtur contumelioſa. *Ex tractatu Patris Juſtiniani Antiſt. de Conceptione.*

Nulla eſt ratio dubitandi Matrem Dei conceptam fuiſſe ſine macula peccati Originalis.

Quorſum in dubium revocanda eſt Immaculata Virginis adeo caræ Deo Conceptio, & cujus Catholica fides ampliores adhuc gratias nos credere jubet? Nunne enim admirationis cauſſa eſt Chriſtianis omnibus ſcire, & credere, Creaturam peperiſſe Creatorem ſuum, factamque eſſe Dei Matrem, quin virginalis puritatis jacturam faceret? Quomodo fidei conſonum eſt, ipſam prædeſtinatam fuiſſe, ut ſine corruptione frueretur Maternitatis privilegio cum gloria Virginitatis? Quomodo hæc duo ſimul credi poſſunt, ipſam per puritatem ſuam ſublatam fuiſſe ſuper Sanctos, omneſque choros Angelorum. & originali macula fuiſſe coinquinatam? Nonne defuiſſet puritas aliqua, & gratia huic Virgini incomparabili, ſi quæ labes fuiſſet imputanda illi, quam Cæleſtis nuntius gratiæ plenam, & benedictam inter mulieres appellat? Nonne decebat illam in omnibus vitæ ſuæ partibus eſſe puram? & eam, quæ habuit pro Filio ipſum illum, qui eidem puritas eſt, & fulgor æternæ lucis, in principio vitæ ſuæ lumine Solis eſſe puriorem? *Idem non ſine quadam mutatione.*

Cum Sancta Virgo de manibus Filii Dei prodierit, credendum eſt ipſam electam fuiſſe, qualem eſſe decebat Matrem hominis Dei.

Sanctus Auguſtinus loquens in JESU CHRISTI perſona, dixit Manichæis detrectantibus honorare Dei Matrem, ejuſque dignitatem contemnentibus: ait, *Hanc quam deſpicis Manichæe, Mater mea eſt, & de manu mea fabricata:* Si hæc vera ſunt, quis dubitare poteſt, quominus ipſam tamquam opus ſuum coronaverit originali Juſtitia, illum inſignioribus gratiæ perfectionibus locupletaverit, omnibus Cæli gaudiis ditaverit, ita ut non ſolum nihil amiſerit de magnitudine ſua eo quod caro factum eſt, & natus fuerit ex utero illius, verum etiam glorioſius naſci non potuerit, permanens æque purus poſtquam de incomparabili hac Virgine natus eſt, ac erat, cum illam per infinitam potentiam creavit. Hoc idem docet S. Auguſtinus: *Si potui inquinari cum facerem, potui inquinari cum ex ea naſcerer.* Si illa peccato originali fuiſſet infecta, cum illam formavi, potuiſſem ego quoque per illam fœdari, ubi ex illa vitam accepi. Quapropter cum ipſe illius opifex fuerit, talem fecit, ut cum illa ne Spiritus quidem Cæleſtes poſſint comparari. Hinc ſequitur, inde incœpiſſe, quo aliorum Sanctitas pervenire non poteſt: cum Filius Dei repleverit illam gratia, & ab eadem amoverit ex ipſo Conceptionis ejuſdem articulo umbram eamdem peccati, quemadmodum ipſum decebat facere, ut & ſuo, & Matris ſuæ honori conſuleret juxta illud S. Bernardi effatum. *Talem ſibi delegit, immo talem ſibi Matrem condere voluit, qualem ipſum decebat, & qualem noverat ſibi placituram. Auctor recens.*

In iis, quos eligunt Homines, meritum præſupponunt, ſed Deus per electionem ſuam conſtituit meritum eorum, quibus vult uti.

De eorum delectu, quem Deus facit, non idem dicendum eſt, quod de illo, qui fit ab hominibus; Nam in deligendis hominibus præſupponimus meritum; ſed Deus illud ponit per electionem ipſam; & quantumvis parum aliquid per ſe ſit creatura aliqua, ex quo Deus eadem dignatur uti, illum excellentiæ gradum acquirit, quem per ſe habere non poterat. Ex quo igitur Maria fuit objectum divinæ electionis ab æterno, dicere poſſumus, illam ſine macula fuiſſe, & talem effectam per electionem Dei, neque enim credendum eſt, Deum illam eligendo id ſaltem effeciſſe, quod homines in iis eligendis, quos ſibi adoptant in filios iis in locis, ubi adoptiones ipſæ fieri conſueverunt: & adoptivi filii iſti in hoc differunt a naturalibus, quod hi quales ſunt, tales ferendi ſunt, etiam ſi fuerint deformes; neque enim culpa ſua, aut voluntate ſunt tales; ſed in illis, qui adoptantur, quot illis deſunt perfectiones, tot ſunt prudentiæ defectus in eligente, qui non præcavit, & qui alium ſibi eligere poterat: *Errare neſciunt, quos judicia pepererunt.* Caſſiodorus ait: Poteſt quidem Sanguis degenerare fluens de venis Patris in venas Filii; ſed in illis quos electio, & judicium noſtrum nobis efficit filios, ſi perfecti non ſint, hoc unice vitio noſtro vertendum eſt. Quod ſi Deo applicetur, quis auderet cogitare, Chriſtiani, Deum licet Sapientiſſimum electurum Filio ſuo Matrem, quæ erat futura filia ſua adoptiva peculiari modo: Deum, inquam, non ſervaſſe decori menſuras, & non amoviſſe ab illa defectus omnes, quos homines rejicere conſueverunt in libertatis defectum? Potuit hoc facere, igitur debuit; debuit, ergo fecit. Hæc naturaliter conſequuntur ex eodem principio, alioquin evitare non potuiſſet probrum, quod defectus hic merebatur. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta ſermone 2. de Conceptione Beatæ Virginis.*

Licet nequeamus eſſe participes privilegii Beatæ Virginis in Conceptione, poſſumus tamen imitari illam, quæ ſemper gratiam ſervavit.

Hæc Dei gratia erga Mariam nequaquam conſideranda eſt tamquam commune jus, quia excedet regulam generalem in gratiam illius, quæ Mater ipſius erat futura. Sed ſi homines reliqui non poſſunt eſſe participes hujus gratiæ, hoc non prohibet, quominus imitentur incomparabilem hanc creaturam ſaltem in hoc pretioſo dono gratiæ, quæ Sanctos facit, & vulgo appellatur nova creatio a Deo facta in anima

Crea-

Creatoris: etenim quid veſtra quidem ſententia reddidit Virginem hanc adeo Sanctam, atque glorioſam ex ipſo Conceptionis ejus articulo? Rite perpendite. Nihil potuit Dei oculos in illam convertere, niſi gratia Sanctificans: ponite in Maria maculam culpæ originalis: eximium hoc opus evertitis, & ex creaturarum omnium pulcherrima, horroris objectum, & iræ filia exiſtet. Labem hanc auferre, & gratiam impertimini; jam talis eſt, ut Dei cor ſibi conciliet, quod peccatum perhorreſcit. Ah! quæ cauſſa eſt, quæſo, quod anima peccati horrore deterſo adeo accepta fiat divinæ huic Majeſtati, ut inſignis Sancta quædam diceret, ſe non obſtupeſcere, Deum ſuum effudiſſe Sanguinem ad illam redimendam, quandoquidem ipſius pulcritudinem Deus illi aperuerat, niſi quia gratia, quam in Sacramentis recipit anima per applicationem Sanguinis Salvatoris, eſt inſtar luminis ſupernaturalis, quod illam exornat, eique hunc nitorem impertit. *Idem.*

Satis eſt intelligere quid ſit Dei Matrem eſſe, ut illam ab omni peccato immunem fuiſſe judicemus.

Vix Sancta Virgo incepit eſſe, cum Dei eſſe cœpit; & vix anima corpus illius animavit, cum caritas cor ejus poſſedit; quia Filius ſuus in ipſo Conceptionis ejuſdem momento prævenienti gratia eam cumulavit, quæ illam exemit a culpa originali. Debebat quodammodo hanc prærogativam gloriæ Mariæ, & qualitati Deiparæ, ad quam illam extollebat. Sufficit cognoſcere quid ſibi velit eſſe Dei Matrem, ut cognoſcamus hanc eſſe non poſſe obnoxiam originali peccato. Hæc una qualitas apertiſſima eſt hujus veritatis manifeſtatio. Ex quo Maria Dei Mater eſt, eximenda eſt ab iis omnibus, quæ turpia ſunt, & abjecta, quippe quæ cum hac dignitate conciliari non poſſunt. Quamobrem Sancti Patres illam immunem prædicant ab omni motu concupiſcentiæ, dum viveret, & ab omni corruptione poſt mortem; ejuſque animam a leviſſimis etiam noxis, ſpectantes hæc omnia tamquam repugnantia dignitati Genitricis Dei, quem utero eſt geſtatura; Sed eſſe Dæmonis mancipium nunquid cum hac dignitate repugnat? *Pater Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus Parte 4.*

Tenebatur quodammodo Filius Matrem eximere a culpa originali.

JESUS CHRISTUS immunem præſtitit ab originali peccato Mariam, quia hoc debebat gloriæ ſuæ, & qualitati Filii Mariæ, cui ſeſe ſubmittere dedignatus non eſt; alioquin enim Matris probrum ceſſiſſet in dedecus Filii, & infamia peccati, quæ dedecore affeciſſet Mariam, ut videtur, offudiſſet labem præcipuis attributis JESU, videlicet bonitati, ſanctitati, ſapientiæ. Poteratne quin officeret bonitati ſuæ, gratiam negare Matri, quæ illi modico ſtaret pretio, Matri vero tantum afferret honorem; tunc potiſſimum, cum præcepent, ut quiſque parentes ſuos colat, ipſe Matrem ſuam dedecore afficere voluiſſet? & nonne affeciſſet, ſi illam Dæmonis mancipium fieri paſſus fuiſſet? Cum Matris dedecore nonne Filii ſanctitas ipſa aliquid detrimentum ſuſtinuiſſet? Quid? illi ferendum erat, Matrem ſuam, quæ Templum erat futura divinitatis, antea per Dæmonis poſſeſſionem contaminari? Fuiſſetne illa deinceps dignum Deo habitaculum? Sapientia tandem cogebat eum, ut Mariam eximeret de originali peccato, quandoquidem ab illa mutuaturus erat Sanguinem, quo deleturus erat peccata noſtra? Sanguis hic aptus ne fuiſſet emundandis ſceleribus noſtris, ſi antea peccato fuiſſet coinquinatus? *Idem.*

Si Deus tantam habuit rationem propter Adam donec innocentiam ſervavit, quid non præſtitit Mariæ, quæ fuit exemplar innocentiæ, quã nunquam amiſit.

Credibile non eſt quouſque proceſſerit bonitas, & Domini erga primum hominem benevolentia, donec in primo innocentiæ ſuæ ſtatu permanſit. Non erat ſimilis hero impetioſius dominanti in famulum ſuum; amicus erat familiarius utens amico. Omnibus illius neceſſitatibus proſpicit accurate; quærit peramanter quidquid illi convenire poteſt, adducit ad eum omnia terræ animantia, ut Dominum agnoſcant ſuum; ponit illum in paradiſo voluptatis; dat illi adjutorium ſimile ſibi, & ſociam, cum qua ſolitudinis ſuæ pœnam partiatur. Sed quibus amoris ſignificationibus utitur, ut illi ſuas curas, ſuamque prævidentiam teſtetur? *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum.* Non oportet, ut aliquid prætermittamus, ut hominem felicem efficiamus. Ecce Dei indulgentiam, quam hominis juſtitia juſto promeretur; Ecce non minimum fructum, quem in primo ſuæ Conceptionis inſtanti recipit Maria. Mihi videre videor Deum amore occupatum in primo hoc Conceptionis articulo; quem præſetulit erga Adam, ſimulac effinxit illum: *Non eſt bonum.* Oportet nihil deeſſe integræ illius juſtitiæ; bona corporis, & ſpiritus omnia in hoc uno momento illi prodigenda ſunt. Alii infantes ad rationis uſum niſi ſenſim, & per gradus perveniant; in illis lento gradu ratio evolvatur; ſed hoc in Maria, *non eſt bonum*, non eſt operæ pretium momenta perfectionis ejus differri. Hinc quis exprimere poſſet ſecretas communicationes, quas Dominus illi largitus eſt, & amoris impetus, quos tunc erga Deum ſuum Maria concepit? Sed quo me rapi ſinerem, ſi ea perſequi vellem omnia, quæ Sancti Viri contemplationi dediti hac in re meditati ſunt. *Ex Sermone Manuſcripto Patris Catrou, de Conceptione.*

Hæc Originalis juſtitiæ prærogativa ſeſe cum aliqua proportione communicat illis omnibus, qui vivunt in innocentia, præſertim vero illis, qui baptiſmi ſui integritatem ſartam, rectam ſervarunt. Juſti conſolamini! Anima Juſti innocentis deliciæ ſunt Dei ſui. Quantæ voluptatis eſt dicere poſſe in corde ſuo, Dominus diligit me; Ipſe eſt in medio mei, ut protegat me, quia ſum ex numero timentium illum. Inde illa oritur confidentia, quam juſtitia tribuit iis, qui vere boni ſunt; confidunt in amore Domini ſui, & hæc eſt cauſſa tranquillitatis eorum. Sed illi potiſſimum, qui nondum jacturam paſſi ſunt primæ innocentiæ, videntur a Deo impenſius amari. Patratum ſcelus, quamvis deletum, quamdam ſemper relinquit poſt ſe timoris impreſſionem in corde, & quamdam veniæ impetratæ diffidentiam. Videtur tandem Deus nequaquam ſeſe cum eadem benevolentia pœnitentibus communicare, qua juſtis innocentibus ſeſe communicat. *Idem.*

Juſti, qui baptiſmi innocentiam ſervarunt participes ſiunt bonorum Originalis Juſtitiæ.

Adnitamur, Chriſtiani, ſi minus potuimus noſmet devovere Deo ab ipſis vitæ noſtræ principiis, ſaltem in reliquum vitæ ſpatium eidem famulari, hoc enim tandem illud eſt, in quo Sanctiſſimam Virginem imitari valeamus. Non poſſumus illi ſimiles fieri in ea poſſeſſione, quam illius ſuſcepit Deus ab initio viarum ſuarum, neque in perfecta, ac pacifica ratione, qua poſſedit illam. Gratia hæc locuplex illud munus eſt, quo Mariam hodie cumulavit; & velut ſignum electionis, qua illam aliquando Matrem ſibi futuram prælegit. Invertit ille ordinem naturæ, & communis providentiæ ſuæ, prohibiturus ne ad breve quidem momentum privaretur hac gratia, quam deinceps eum incredibili cura ſervavit in omne vitæ ſuæ ſpatium; nos vero quin magnum aliquid conemur, & dignum Chriſtiano eam ſervaturi gratiam, quam per Baptiſmum ſumus adepti, amittimus illam minimæ cuipiam tentationi cedentes. *Auctor recens.*

Si non licuit nobis eſſe Dei ab ipſis vitæ noſtræ primordiis, ſaltem adnitamur in reliquum temporis gratiam ſervare.

Hodie Cælum exequi cœpit magna Conſilia, quæ ab æterno de B. Virgine conceperat, & quæ in temporum plenitudine erat perfecturus. Dare volebat Salvatorem terræ, & in divinis decretis ſtatutum erat, ut Deus iſte Salvator caro fieret, ſicut nos, & ex muliere naſceretur. Sancta Virgo felix eſt Mulier hæc inter omnes delecta Mulieres, & propter electionem hanc vitam accepit, & cum vita dona adeo ſingularis, & adeo glorioſa privilegia! Heu! nos miſeros filios parentis nequam; ab ipſa conceptione noſtra peccati ejuſdem pœnas luimus, & Deus ita adjecit naturæ noſtræ hoc originale maledictum, ut nemo præter Dei Filium, & Sanctam hanc Virginem ab illo immunis extiterit. Eo ipſo momento, quo egredimur de manibus Creatoris noſtri, tamquam opus ſuum, tenetur ille odiſſe nos, tamquam inimicos; & cum primum nobis tribuit ſui erga nos amoris argumentum per primum beneficiorum ſuorum, quod vita eſt, nos reperit omni dignos anathemate. Hæc eſt triſtis quidem, ſed tamen communis omnium hominum conditio; hæc lex generalis. Tamen Providentia non habet leges adeo generales, a quibus Maria non excipiatur. Eduxit illam de maſſa corrupta filiorum Adam puram, & immaculatam. Sancta hæc Virgo concepta fuit cum gratia, & in gratia; Supremus Auctor, qui dedit illi vitam, deduxit eam per viam peculiarem. & in recentem ordinem introduxit eam, ideoque nullum prætermiſit miraculum. Sed quo majus miraculum eſt, & ordo recens, & vis particularis, eo glorioſior eſt etiam Deo prærogative, qua beatam hanc creaturam diſtinguit . . . . . Non decebat Dei Matrem unquam vel ad breve momentum eſſe in Dei odio; non oportebat, Virginem delectam ad deſtructionem peccati eſſe quodammodo peccato obnoxiam; neque in Dei honorem ceſſiſſet, ſi Sanctuarium, in quo erat inhabitaturus, fuiſſet præcipuum ex inimicis ſuis perfugium. Denique amor ſuus cogebat eum, ut omni uteretur miſericordiæ erga Matrem ſuam; neque illam omnimodo exercuiſſet, niſi præſervaſſet eam a lapſu profundiſſimo, & a lethali vulnere, cum non deeſſet illi certiſſima, & validiſſima ratio eamdem præſervandi. Hæc ratio, beatiſſima Virgo, fuit redimere te, non quidem ex peccati ſtatu eripiendo, ſed prohibendo, ne in illum laberetis. Ita particeps fuiſti redemptionis divini Mediatoris, quem es paritura. Ipſe noſter Salvator eſt, confringens compedes noſtros, & nos de ſervitutis jugo ſubducens; Et eſt Salvator tuus, te ſemper in ſancta libertate præſervans; Noſter Salvator eſt nos expians, & tuus, eximens te ab omnibus ſordibus. Denique Salvator eſt noſter per viam reparationis, & tuus per viam protectionis. Altera hæc via eo eſt excellentior, quo gratia pretioſius bonum eſt; & peccatum, malum eſt maxime pertimeſcendum. Sed æquiſſimum eſt, Cælum te tot decoraſſe privilegiis, formando te, ut aliquando ad ſummum celſiſſimæ dignitatis apicem eveheretis. *Pater le Valois in operibus Spiritualibus.*

Immaculata Virginis Conceptio initium eſt executionis Conſiliorum Dei, quæ ille de ipſa, deque hominibus concepit, eſt compendium privilegiorum Mariæ, & fons omnium meritorum ejus.

M Y S T E R I U M
NATIVITATIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MATRIS DEI MARIÆ.

M O N I T U M.

DIFFICULTAS, quam experiuntur Concionatores in ſeparanda Nativitate Beatæ Virginis ab Immaculata ejuſdem Conceptione efficit, ut alii utrumque hoc Myſterium confundant; alii mutato tantum nomine Conceptionis, *vel* Nativitatis *eodem utantur ſermone pro utraque ſollemnitate, quam diverſis temporibus celebrat Eccleſia; alii denique non invenientes tantum copia, quantum ſatis ſit, ut materiam ſuppeditet ſermoni ſpecifico, & omnino diſtincto ab alio alterius argumenti, excurrunt in devotionem Sanctæ Virginis, ubi Auditorem præparaverint per exordium, ſperantes majorem inde fructum percepturos.*

Vidi equidem eamdem difficultatem, quæ invenitur in elucubrandis duobus diverſis ſermonibus in duo argumenta, quæ tantam invicem habent rationem, & cujus alterum ex altero conſequitur, inventum quoque iri in colligenda tanta rerum ſuppellectile, quanta ſufficeret duobus rite exornandis omnino diverſis; ſed ne crambe recocta faſtidium creet, Adniſus ſum, 1. ubi coactus fui eamdem proferre ſententiam, vel eamdem exponere veritatem, aliis uti vocabulis, eamque magis propriam efficere, & que aptare Myſterio de quo agitur. 2. Fuſius de iis loqui, quæ præcipue ad illud pertinent. 3. Si minus occurrit quod neceſſe eſt ad replendam ſermonem prorſus diſtinctum ſeu quod attinet ad ipſum Myſterium, ſeu ad Moralem, & ad animadverſiones, ut fiat didaſcalicum, ſuppleri poterit per ea, quæ in titulo ſuperiori in medium protulimus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum Synopſis hujus argumenti,

1. PRIMOGENITA *ante omnem creaturam. Eccli.* 24. Quin in anteceſſum memoremus alia Sanctæ hujus Virginis Myſteria, fert animus unice in Nativitate illius immorari, atque inter cetera feliciſſimæ hujus Nativitatis privilegia illud perſequi, quod in Principum virorum nativitate ſpectabilius eſt, jus videlicet primogeniti, nobis exhibendo Mariam tamquam creaturarum omnium primogenitam. *Primogenita ante omnem creaturam.* Hoc unum eſt ex præſtantiſſimis elogiis, quibus Scriptura Sapientiam extollit, & quod Eccleſia tribuit glorioſæ Dei Genitrici; quod elogium, & prærogativa nunquam melius illi convenit, quam die ipſa Nativitatis ejuſdem. 1. Hujus ſententiæ titulos, & jura in prima Sermonis hujus parte probabimus; 2. In altera vero videbimus bona, quæ hinc illi cedunt, & in quorum ſpem nos quoque erigi poſſumus.

Pars prima. Maria eſt primogenita ex puris omnibus creaturis. 1. Quia ab æterno comprehenſa in primo illo Conſilio, in quo Filius ejus in Dei intellectu: cum enim ſecundum plurium Doctorum ſententiam nonniſi propter hunc Filium creata fuerit, & ſine eodem nunquam fuiſſet: profecto cum Filius iſte primogenitus fuerit ex omnibus fratribus ſuis, quo nomine Sanctus Paulus eum vocat, videlicet primus prædeſtinatus, primus, in quem reſpexerit Deus, ut illum præponeret omnibus operibus ſuis, tamquam ceterorum ampliſſimum, perfectiſſimum, & præſtantiſſimum; Maria, quæ illius Mater erat futura in eodem Conſilio fuit procul dubio comprehenſa. Hinc ſequitur, Sanctus Auguſtinus inquit, ſicuti negari non poteſt Salvatoris prædeſtinatio, quin ſimul illius quoque negetur Incarnatio, & quicumque hujus Myſterii fidem recepit, credere tenetur, JESUM CHRISTUM Filium Dei eſſe Mariæ filium, opus eſt, non deeſſe ordinem inter duas haſce Nativitates, & cum altera ſit deſtinata propter alteram, utramque comprehenſam fuiſſe in ordine eodem conſiliorum Dei. Maria ergo primogenita eſt ante omnem meram creaturam, tamquam primum obtinens locum poſt Filium ſuum in Dei cogitatione. Ita antequam naſceretur in tempore, ab æterno jam nata erat in Dei ipſius intellectu, quæ prima vita eſt, quam habent creata, ut dilectus inquit Diſcipulus. Quod ſi cogitavit de Maria Deus ante omnia propter illum, qui naſciturus erat ex illa, & ſi omnia ſuum ſervant ordinem in hoc intellectu ſecundum ſingulorum excellentiam, diſpoſitionem conſiliorum Dei, & miniſterium, cui deſtinantur; quiſnam certare poterit cum illa de jure primogeniti, niſi certare velit cum Filio Dei ejuſdem, qui ex illa naſciturus eſt? Oſtendendum eſt deinde, quam auguſtus ſit iſte titulus, & quam ſingularis iſta prærogativa, monſtrando, quomodo illam ſecernat inter meras creaturas; non ſolum diſtinctione conditionis, & dignitatis, aliiſque donibus ſpiritus, & corporis, ſed etiam ſecundum Alberti Magni ſententiam, per ordinem omnino peculiarem; & licet non ſit illa ſpeciei alterius, ac nos, tamen peculiarem in gratia ſpeciem conſtituit. 2. Primo huic titulo, qui probat glorioſam Virginem eſſe primogenitam, & qui deſumitur ab æterna illius Nativitate, alter ſubnectendus eſt, qui recentior quidem eſt, non ideo tamen minus authenticus, & probatus. Hunc deſumo ex temporali Nativitate, quam hodierna die celebramus, & cum Sancto Joanne Damaſceno, dico Mariam digniſſimam eſſe, quæ vocetur omnium creaturarum primogenita, quia propius attingit Verbum Incarnatum, cujus intra paucos annos Mater futura eſt: *Oportebat*, inquit ille, *primogenitam in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum primogenitum paritura erat.* Ratio eſt, quia Nativitas Filii Dei incepit in illa Mariæ, ſicut Sanctus Ildephonſus ait: *in qua ejus eſt inchoata Nativitas.* Serm. de Nativ. Virg. Non dicit ſolum ipſam unice natam fuiſſe pro illo, ſed ipſum oriri incepiſſe in ejus perſona per arctam affinitatem, & neceſſariam, quam ipſa habuit cum illo, non ſecus ac aurora; quæ non ſolum diei adventum prænunciat, ſed illum etiam incipit. Hac mente canit Eccleſia, Nativitatem illius attuliſſe gaudium univerſo Mundo, quid enim æquius habere poterat lætitiæ argumentum, quam videndo tenebras, quibus terrarum orbis involutus erat, diſſipari, Cælum aperiri, ut mitteret in terras Optatum gentibus, ac recipere tandem in Nativitate Matris certam ſpem adventus Filii, non diu cunctaturi, quandoquidem alterius adventus erat diſpoſitio ad alterum, vel potius pignus erat certiſſimum alterius. Maria ergo æquiſſimo jure eſt primogenita ante omnes creaturas, quia in lucem editura eſt Creatorem, & Patrem ſæculorum futurorum, &c.

Pars altera, Poſtquam legitimos intuiti ſumus titulos, quibus innititur jus primogenitæ ante omnes creaturas, videndi modo ſunt privilegia huic juri inhærentia, quæ aliquam habent rationem illis, qui ſunt primogeniti in Familiis, quæ nitent generis nobilitate, & loco, quem obtinent in Mundo. Ab ipſis rerum primordiis, & apud omnes populos ſemper habita ratio fuit eorum, qui erant primogeniti præ natu minoribus, & quamvis conſuetudo variaverit ſecundum varias Regnorum, Regionumque leges, nullus tamen locus eſt, qui non adjudicet jus aliquod peculiare præ reliquis fratribus. Deus ipſe auctoritate ſua probare voluit hanc conſuetudinem in lege, quam dedit populo ſuo, ubi videmus paternam benedictionem, & meliorem hæreditatis partem primogenitis ceſſiſſe, & in ipſis familiæ decus, & incrementum collocati. Quod autem ratio, & jus gentium in natura conſtituerunt, hoc videtur Deus in gratia tamquam ſibi legem propoſuiſſe; quibus poſitis dico, glorioſam Virginem, cum ſit rerum omnium

mere

mere creaturum primogenita, gaudere etiam omnibus privilegiis, quæ habent primogeniti ſuper fratres ſuos. Hæc autem tria eſſe arbitror, videlicet illos plerumque magis diligi, meliorem habere partem in familiæ bonis, & denique illos primos eſſe, quibus uberrime providetur. Non eſt arduum tria hæc bonorum genera Sanctæ Virgini applicare. 1. Horum primum eſt, primogenitos ut plurimum præ ceteris a parentibus diligi, quia poſſederunt cor eorum indiviſum donec ſoli fuerunt, & mox ratio peculiaris habita fuit eorum, quippe qui erant futuri præſidium, & domus fulcrum: ita enim conſiderantur. Sed dubitari non poteſt, quominus Deus quatenus primogenitam Mariam prædilexerit, quandoquidem prælegit illam inter plurimas velut objectum, quod reſpexit, ut illam Filii ſui Matrem eligeret: Verbum æternum non minus dilexit eam, tamquam illam ex qua aliquando erat naſciturus, & Spiritus Sanctus eam conſiderans ex eo tempore tamquam illam, quæ ſibi in Sponſam erat eligenda. 2. Meliorem obtinuit partem in bonis familiæ, ſecundum jus primogenitorum; quamobrem in ordine naturæ, gratiæ, & gloriæ maxima quævis privilegia conſecuta eſt, quemadmodum per enumerationem partium poteſt oſtendi. 3. Secundum legem latam in primogenitorum gratiam primum de eorum ſtatu cogitatur, antequam ceteris conſulatur: ac potiſſima eorum habetur ratio in affinitatibus jungendis. Ita Maria vix in lucem edita fuit, cum deſtinata fuit Sponſa Spiritus Sancti, Cæli, terræque Regina, &c.

II. Aſſumentes pro textu verba illa: *Quæ eſt iſta quæ progreditur*, *Cant.* 1. Conformare poſſumus ſenſus admirationis, quæ concipitur in Sanctæ Virginis Nativitate, cum illis, quos Cælum, ac terra concepit.

1. Oſtendendo illam, quam Eccleſia ſeu militans, ſeu triumphans hodierna die admiratur, creaturam eſſe perfectiſſimam, & ſanctiſſimam, non ſolum ad imaginem, & Dei ſimilitudinem efformatam, ſed eam, quæ poſt JESUM CHRISTUM gerit apertiſſimos hujus ſimilitudinis characteres, & omnes poſſidet divinas perfectiones. Hanc decoratam eſſe ſingularibus donis, ſelectiſſimis gratiis repletam, verbo in omni perfectionum genere perfectiſſimam, quæ illam attollunt non ſolum ſuper omnes Mulieres, verum etiam ſuper omnes homines, & Angelos. *Quæ eſt iſta?* Hæc eſſe debet omnium admirationum noſtrarum, omniumque elogiorum, cultus, & venerationis noſtræ argumentum.

2. Promittendo illam, quam admiratur Eccleſia, nobis quamprimum Deum-hominem parituram, & admirabili hac fœcunditate adimpleturam veteres prophetias, probaturam Dei fidelitatem in promiſſionibus ſuis, conſolaturam veros Iſraelitas, qui tot ante hanc diem ſæculis præſtolantur Meſſiæ adventum, ita ut illam, cujus Nativitatem celebrat Eccleſia, intueri debeamus tamquam objectum, quod omnes ſæculorum omnium Sancti reſpexerunt, tamquam centrum benedictionis legis antiquæ ſimul, & novæ, tamquam illam, ad quam Patriarchæ tendebant per fœcunditatem divino innixam conſilio, Chriſtiani vero per privilegium, quo gaudebant, ſe Filios eſſe Dei; ubi fateri debemus, ſicuti antiqui pro modulo ſuo non pervenerunt ad JESUM, niſi per Mariam; nos quoque pro noſtro non perventuros eſſe niſi per peculiarem divinæ ipſius Maternitati ſubmiſſionem. Quandoquidem non ſumus futuri Filii Dei, niſi tamquam incorporati humanitati, quam alla tribuit Filio ſuo Unigenito.

III. Invenio Virginis Nativitatem triplicem habere diverſam rationem; videlicet cum præterito, præſenti, & futuro. Præteritum complectitur principia, quæ præceſſerunt, & quæ Nativitatem illius operata ſunt; Præſens reſpicit circumſtantias, quæ concomitatæ ſunt, & hanc Nativitatem ornarunt. Futurum continet ea, quæ hanc Nativitatem conſequuta ſunt, vel ea egregia munera, quibus fuit deſtinata.

1. In prima ratione, quam habuit cum præterito, conſiderare poſſumus curas, quas divina ſibi ſumpſit Providentia, inita ab eadem ab omni æternitate conſilia; quomodo Mundum præparaverit huic Nativitati per tot figuras; quomodo ab æterno Nativitas JESU, & Mariæ in eodem Dei decreto continebantur, &c.

2. In ratione altera quam habet cum præſenti, conſiderari poſſunt privilegia cum quibus nata eſt, dona naturalia, & ſupernaturalia, quibus Cælum decoravit illam, gratiæ, quas recepit, verbo omnes natalium ſuorum prærogativas.

3. Ratio tandem, quæ habuit cum futuro ſita eſt in eximiis officiis, propter quæ Deus illam oriri voluit, ut Mundo pareret Reparatorem, ut Mater eſſet Salvatoris, ideoque ut humani generis ſaluti cooperaretur. Hi tres ſunt radii gloriæ; qui collimant in ejus incunabula, ut ortum illius ſpectabiliorem efficiant: hæ ſunt tres ſermonis hujus partes. *Biroat in primo ſermone de Beata Virgine Nativitate*.

IV. Conſiderari ſimpliciter poſſunt duæ in Deo Providentiæ, quæ ſunt principia Nativitatis Sanctæ Virginis.

1. Supernaturalis Providentia, quæ illam ab æterno prævenit, elegit, prædeſtinavit, promiſit.

2. Providentiæ naturalis, quæ produxit illam in tempore. Per primam dedit illi nativitatem æternam in ordine Sanctorum; per alteram dedit illi nativitatem temporalem in natura, ſed cum eminenti fulgore, & cum privilegiis gloriæ. *Idem*.

V. Mariæ Nativitatem celebraturi referre poſſumus ad hoc momentum quidquid illi faciendum erat deinde per omne vitæ ſuæ ſpatium; neque enim hæc fallacia ſunt vaticinia incertis innixa caſibus, ſed in ipſa Dei prædeſtinatione, quæ falli non poteſt, conſtituta. Quænam vero ſunt Dei viæ in Maria, niſi effectus, & operationes divinæ bonitatis, quæ eadem uſa eſt, ut inde Verbum Divinum in humana miſereretur natura, & ut reciproce homines in Dei natura viverent; ideoque duæ miſericordiæ viæ, quæ hodierna die incipiunt in Mariæ Nativitate.

1. Quarum altera eſt Incarnatio Filii Dei. 2. Altera Hominum ſalus.

VI. Deſumendo pro textu verba illa ex Pſalmo 138. *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*. Hoc argumentum eſt hujus Myſterii proprium, oſtendere, quantum Nativitas Sanctæ Virginis coram hominibus humilis eſt, & obſcura, tantum in oculis Dei eſſe glorioſam, a quo inſignibus prærogativis ornata fuit. Sermo hic in duas partes dividi poteſt, in quarum prima oſtenditur, quantum hæc Nativitas Sanctiſſimæ, & præclariſſimæ inter omnes meras creaturas, humilis, & obſcura videtur extrinſecus coram hominibus, ex extima duntaxat ſpecie judicium ferentibus; in altera vero quantum glorioſa, & pretioſa ſit coram Deo, qui longe aliter, ac homines judicat. Duplici verbo: Humiliatio, & gloria Mariæ in Nativitate ſua.

Pro parte priori, oſtendere poſſumus Beatam hanc Virginem vere magnis cum privilegiis ortam eſſe; ſed quæ ab hominibus ignorabantur, & quibus caliginem offundebat Nativitatis humiliatio, ſi feratur judicium ea iis, quæ in oculos incidunt. Primo enim; Quamvis nihil habeat corruptionis Adam, tamen orta videtur ex hac corrupta progenie, & particeps veneni, quo infecti fuerunt quotquot ex eadem propagine orti ſunt. 2. In Mundum venit cum qualitate Deiparæ, ad quam ab ortu deſtinata eſt; & ſublimis hæc dignitas ab ejus perſona inſeparabilis; ita latet, ut ne cognoſcatur quidem tamquam ex progenie David, ſed ſicut una ex filiabus Iſrael, & Juda, ex populi fæce. Quod ſi in hac feſtivitate canit Eccleſia, ipſam formoſam eſſe, velut Lunam, & Solis inſtar nitentem: *Pulcra ut Luna, electa ut Sol*. Nitor hic, & hæc ſpecies nonniſi in oculis Dei emicat, non autem lucet in oculis hominum: Si enim quæris, quænam ſit Maria, dicetur tibi eſſe Annæ, & Joachim filia, conſueto pacto concepta, non ſecus ac ceteri homines nata, vagitus, & gemitus edens, quibus & præſens miſeria, & illa, cui objicienda erat, ſignificantur. Admirabilis hæc humiliatio in creatura, quæ jam fruebatur inſignibus privilegiis, quæ omnibus illis calamitatibus erant oppoſita, non aliud haber exemplum, niſi JESU CHRISTI humiliationem. Oportebat ut Mater ſimilis eſſet Filio ſuo, ejuſque ingreſſus in Mundum iis omnibus humiliationibus conſociaretur in ſpeciem, & iiſdem honoribus realibus quidem, ſed occultis. Glorioſus hic Deiparæ titulus, ad quem ab æterno erat deſtinata, non nitet in illa; ſecretum eſt Myſterium, ſanctis tenebris involutum, & cum Maria adeo prope particeps eſſet Myſterii Incarnationis, quæ peracta fuit virtute, atque obumbratione Spiritus Sancti, qui illam dæmones, ſapienteſque ſæculi celabat; ita Nativitatis Mariæ Myſterium particeps erat futurum harum tenebrarum. Ita omnis Spiritualis ejus magnitudo, ſimulque etiam temporalis, in hominum oculis evaneſcebat. Ex ampliſſimis Regibus Juda egreſſa in Avorum, majorumque ſuorum nomenclatura Patriarchas, Prophetaſque recenſens, nihil retinet neque de generis ſui amplitudine, neque de virtutis eorum nobilitate. Familia Juda jam priſtinum decorem amiſerat, cum orta eſt Maria; & ſicut JESUS CHRISTUS habebatur tamquam Fabri Filius, quamvis eſſet Verbum æternum ſecundum Divinitatem, & Filius Virginis, quæ divinitus illum conceperat; ita Maria in Nativitate ſua viſa non eſt, vel tamquam Mater Dei, vel tamquam filia Regum Juda, & Iſrael. Facile hinc eſt præclarum moralis diſciplinæ documentum elicere, quo diſcamus, noſtra celare talenta, virtutes, & nativitatis decora, &c.

Pars altera ſita eſt in oſtentandis magnalibus, privilegiis, & prærogativis Nativitatis Beatæ Virginis. 1. Nata eſt cum perfecto rationis uſu, quem in anteceſſum obtinuit. 2. Cum nova gratiarum plenitudine, quæ ſemper crevit. 3. Nata eſt tamquam Cæli,

ac terra-

ac terrarum Domina. Hæc eſt ſententia Sanctorum Patrum, atque Doctorum, Mariam omnem obtinuiſſe rationis uſum eo momento, quo vitam recepit, non ſecus ac JESUS CHRISTUS; ſed JESUS CHRISTUS per naturam, Maria vero per gratiam. JESUS CHRISTUS, quia Deus erat; Maria, quia naſcebatur ſupra leges naturæ. Verum eſt; quemadmodum JESUS CHRISTUS hoc diſſimulavit privilegium, & ratio illius creſcere viſa eſt cum ætate, ne Mundi Sapientes intelligerent Incarnationis Myſterium. *Creſcebat Sapientia, & ætate apud Deum, & homines*; ſimili ratione Maria fidelis imitatrix humilitatis Filii ſui, non præſetulit rationis uſum, niſi prout ætas ſua evolvebatur. Ita illa viſa eſt creſcere gratia, & ſapientia coram hominibus. Sed ſicuti JESUS CHRISTUS perfectum ſui ipſius efficiebat ſacrificium, cum in Mundum ingrederetur, & Patrem adoraret, ac ſe tamquam Holocauſtum immolaret ex primo ipſo ſuæ Conceptionis articulo: ita Maria quoque ſe geſſit, & in Mundum ingrediens dixit: Ecce me, ut faciam voluntatem tuam. Hæc ratio in anteceſſum illi collata præterea innuebat, cuinam rei vacare deberet, donec per Cæleſtem nuncium Dei ſe Matrem futuram intelligeret.

VII. Sanctiſſima Virgo tantum veræ gloriæ poſſidet, ut non ſit petenda laudum ejus copia ab iis rebus, quæ ad ipſam vel procul tantum, vel minime attineant. Ita ad celebrandam Nativitatis illius gloriam ex meritis, honoribus, egregieque factis a Majoribus ſuis nequaquam proferam coronas, & ſceptra David, & Salomonis; & præteribo quæcumque decora vetuſtiſſimæ nobilitatis per quadraginta, ac ultra generationes deductæ. Sed prorſus divina dignitas Deiparæ ad quam prædeſtinata eſt, & propter quam orta eſt; miraculoſa ſanctitas quam poſſidet, ex qua oriens cumulata eſt; infinita poteſtas, quam habet jam apud Deum, ſunt qualitates reales, & effectivæ, quæ ipſi ſunt propriæ, & in quibus nobis eſt immorandum. 1. Dignitas ejus noſtra illi conciliabit obſequia; 2. Sanctitas fovebit devotionem noſtram; 3. Potentia ſpes noſtras excitabit.

VIII. 1. Maria naſcitur pro Deo modo prorſus ſingulari, ideoque tota Dei eſt a primo momento vitæ ſuæ, & nos illius eſſe debemus, ſimulac eſſe poſſumus.

2. Utitur, ut ſerviat Deo omnibus privilegiis, quæ a ſua Nativitate recepit; nobilitate, felici ingenio, talentis corporis, & ſpiritus; & quid nobis ad exemplum ejus faciendum ſit.

IX. Gratia, quam recepit Maria naſcens, ab ipſo primo vitæ ſuæ momento tres præcipuos habet characteres, qui illam a ceteris quibuſcumque infantibus diſtinguunt. 1. Characterem adoptionis. 2. Characterem conſecrationis. 3. Characterem elevationis. Per primum recepta fuit pro primogenita Patris æterni. Per alterum conſecrata fuit in Templum Spiritus Sancti. Per tertium denique erecta fuit per omnes ſanctas, & præclaras actiones ad gloriam æternam. Ita tres hi ſunt gratiæ characteres, quos in Baptiſmo recipimus: Gratiam adoptionis, per quam evadimus in Filios Dei; Gratiam conſecrationis, per quam ſimus totidem viventia Spiritus Sancti Templa; Gratiam elevationis, per quam recipimus praxim virtutum, ut perveniamus ad eam, quæ nos manet beatitudinem. Per tres hoſce gratiæ characteres oſtendere poſſumus Mariam eſſe debere noſtræ ſanctificationis exemplum, & per eoſdem videmus, quam ſimilitudinem habere debeat noſtra regeneratio cum illius Nativitate.

X. Triplex Mariæ Nativitas ſermonis partitionem poteſt conſtituere. 1. Ut intelligamus, quænam ſit Maria cum egreditur de ſinu Sanctæ Annæ, primum conſideranda eſt in mente Dei, in qua concepta eſt, & ubi æternam recipit maternitatem; *Contemplari liceat mentem Dei ab æterno gravidam*, ut quidam S. Pater ait. Ibi deſtinata eſt ab æterno divinæ Maternitati, &c. 2. Conſiderari poteſt per temporalem Nativitatem in Mundo viſibili, ubi videtur cum omnibus qualitatibus, gratiis, virtutibus, omnibuſque neceſſariis prærogativis ad munus, & officium, ad quod eſt deſtinata. 3. In Nativitate, quam habet in corde Fidelium, atque prædeſtinatorum.

XI. Conſiderari poteſt Maria tamquam eximium opus naturæ, & gratiæ; opus dignum hoc nomine, & vere eximium tres habere debet conditiones, quæ mirum in modum in admirabili hac Virgine inveniuntur. 1. Opus eximium eſſe debet unicum & ſingulare; nam non modicum de illius pretio decedit, ſi quodpiam aliud inveniatur meritis par. Ita Sol eximium naturæ opus vocatur. 2. Superare debet Sanctitate omnes homines, Angeloſque. 3. Ornatum eſſe debet perfectionibus omnibus, quæ ipſius decent naturam, quin deſit quidpiam ad hoc, ut fiat excellentius. Facile eſt tres has conditiones applicare Sanctæ Virgini, ut inferatur, ipſam vere eſſe opus eximium Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis Dei.

XII. Deſumptis pro Textu verbis illis ex Apocalypſi c. 12. *Signum magnum apparuit in Cælo, Mulier amicta Sole.* Oſtendere poſſumus Beatam Virginem vere eſſe magnum hoc ſignum, quod de Cælo venit, & apparet in terra.

1. Signum miſericordiæ, & reconciliationis Dei cum hominibus, qualis olim fuit Iris.

2. Signum benedictionis, & copioſæ gratiæ, qualis fuit nubecula, quam Propheta vidit, quæ facta eſt in magnam pluviam.

3. Signum gloriæ, & magnitudinis, qualis fuit exiguus ille fons, quem in ſomnis vidit Mardochæus, qui crevit in magnum fluvium, & mutatus eſt in Solem.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, ex quibus hauriri copia poteſt ad has partitiones exornandas.

SAnctus Auguſtinus tres elucubratus eſt Sermones de Virginis Nativitate. Sancti Patres, aliique Doctores.

Sanctus Hieronymus, *Epiſtola ad Chromatium, & Heliodorum*, narrat peculiares hujus Nativitatis circumſtantias.

Sanctus Joannes Damaſcenus tres habet ſermones, vel tres Orationes hujus argumenti; & hic eſt ille, qui fuſius egit de hoc Myſterio, cum ceteri data ſolum occaſione pertractaverint illud.

Venerabilis Beda Tomo 9. unum habet ſermonem, de quo ambigitur, utrum ſit auctor.

Sanctus Ildephonſus in Bibliotheca Patrum tres habet hujus argumenti Sermones.

Petrus Damiani tres habet Sermones de hoc Myſterio.

Unum Sanctus Bernardinus Senenſis.

Unum Sanctus Innocentius Papa.

Unum Sanctus Laurentius Juſtiniani.

Unum Sanctus Bruno.

Guerricus Abbas duos.

Hugo a Sancto Victore in ſecundo Tomo duos, 34. & 66.

Guillelmus Pariſienſis duos.

Gerſon duos.

Albertus Magnus Quatuor.

Alcuinus unum.

Toletus unum.

Sanctus Thomas Villanovanus tres.

Quos attulimus pro Conceptionis Myſterio, recenſeri poſſunt inter eos, qui de Nativitate loquuntur, quæ de alterutro dicunt, alteri quoque conveniunt.

Pater de Argentano Capuccinus Tomo de magnalibus Virginis collat. 6. fuſius hoc tractat argumentum. Aſcetici aliique.

Pater a Ponte in altera parte Meditationum in Fidei Myſteria, meditatione quarta.

Pater Novet in vita JESU CHRISTI in Sanctos, die 8. Septembris meditationem habet de Beatæ Virginis Nativitate.

Pater Haineuve *in Parte 4. medit.* habet meditationem in eamdem feſtivitatem, & diem.

Pater Poire tractatu primo de triplici Corona c. 11. de dotibus corporis, & animæ Beatæ Virginis.

Pater Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus Tomo 3.

Pater le Valois in aſceticis Tomo 4. colloq. 2. de Nativitate Beatæ Virginis. Concionatores.

Molinier in Tomo, cui titulus: *Myſterium Crucis*, ſermonem habet de Nativitate Mariæ,

Pater le Jeune Tomo 4. Sermonum, qui continet Sanctiſſimæ Virginis Panegyricos.

Pater Duneau in Tomo Sermonum de Maria Virgine duos habet hujus argumenti Sermones.

Pater Texier in Sermonibus de feſtis diebus Beatæ Virginis.

Dominus Verjus in Panegyricis.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta Tomo 2. Myſteriorum.

Biroat in Tomo de Myſteriis Beatæ Virginis duos habet ſermones de Nativitate.

Pater de la Colomblete Tomo ſecundo ſermonum ſermone 33.

Labatha titulo *Maria*. Qui collectanea ediderunt.

Homiliæ Carthagenæ in Myſteria Beatæ Virginis.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, Figuræ, applicationes Scripturarum huic argumento.

C*Oncepit Anna, & peperit.* 1. Reg. cap. 1.

Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget Virga de Iſrael. Numer. 24.

Egredietur Virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet. Iſaiæ 11.

Ipſa eſt mulier, quam præparavit Dominus filio Domini mei. Geneſ. 24.

Benedicentur in ſemine tuo cunctæ tribus terræ. Geneſi 28.

Quæ

Digitized by Google

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens? Cant. 6.

Creavit Dominus novum ſuper terram, fœmina circumdabit virum. Jerem. 31.

Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur Nomen ejus Emanuel. Iſaiæ 7.

Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Prov. 8.

Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram … ante colles ego parturiebar. Ibidem.

Ab initio, & ante ſæcula creata ſum. Eccli. 24.

Radicavi in populo honorificato. Ibidem.

Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ibidem.

Generationem ejus quis enarrabit? Iſaiæ 53.

Fons parvus crevit in fluvium magnum. Eſther 11.

Quam pulcri ſunt greſſus tui, Filia Principis. Cantica 7.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas. Prov. 31.

Liber generationis JESU CHRISTI. Matth. 1.

Jacob genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt JESUS. Ibidem.

Evangelizo vobis gaudium magnum. Lucæ 1.

Sapientia ædificavit ſibi domum. Prov. 9.

Nativitas tua Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit univerſo Mundo. Ut canit Eccleſia.

Glorioſæ Virginis Mariæ ortum digniſſimum recolamus, quæ Genitricis Dei dignitatem obtinuit. Eadem.

Nativitatem hodiernam perpetuæ Virginis Genitricis Dei ſollemnitatem celebremus. Eadem.

Exempla, Figuræ, ſimilitudines antiqui, novique Teſtamenti.

TErtullianus quærit, cur ex omnibus operibus, quæ produxit Deus in ipſo creationis articulo, unicum aquæ elementum uno ictu perfectiſſime fuerit efformatum. Terra quidem ſterilis erat, & tertia tantum die cœpit germinare, & producere arbores, & plantas; Cælum nondum obtinuerat perfectionem ſuam, & quinta die tandem Deus ſtellas affixit illi, quæ ſunt præcipuum ejuſdem ornamentum; Aqua una, qualem videmus ex Creatoris ſui manibus prodiit. Ratio quam hic adfert Auctor eſt, quia aqua futura erat prima ſedes Majeſtatis Dei: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Ita Sancta Virgo in ortu ipſo perfecta eſt, quia futura ſedes eſt Divinæ Majeſtatis: *Divini Splendoris ſedes, & receptaculum,* quemadmodum a quodam Sancto Patre vocatur. Hæc habitura eſt gloriam geſtandi in utero Deum; Hæc futura eſt non ſolum ſponſa, verum etiam Dei Mater. Oportebat igitur, ut majori cura præpararetur per gratiam, & a ceteris creaturis illa ſecerneretur, quæ illarum Regina erat futura.

Geneſ. 1.

Deus quovis ſæculo oſtendit aliquam Sanctæ Virginis figuram.

Omnia ſæcula; ut Sanctus Joannes Damaſcenus inquit ſibi venditare cupiebant Sanctæ Virginis Nativitatem: *Certabant inter ſe ſæcula, quodnam ortu ſuo gloriaretur.* Sæcula Adam, Noe, Abraham, Iſaac, Jacob & aliorum Patriarcharum ſpem fovebant, ſe viſura præclaram hanc auroram illuceſcere, eamque ſibi gaudium allaturam. Sed ſatis fuit Deo aliquot illius figuris præbere ſingulis ſæculis reſervaturo in dimidio temporum hunc theſaurum. Ita ſæculum Adæ habuit arborem Vitæ; ſæculum Noe Arcam, in qua ſalvæ factæ ſunt naturæ humanæ per diluvium ſubmerſæ reliquiæ, ſæculum Abraham habuit Saræ fœcunditatem; ſæculum Jacob Scalam myſticam de terra pertingentem in Cælum, & ſic de ceteris. In temporum plenitudine apparuit Sancta Virgo bonorum omnium plenitudinem receptura.

Probabilius eſt Deum pro Maria in ejus Nativitate feciſſe, quod fecit in Sancti Joannis Baptiſtæ Præcurſoris ſui Nativitate.

Credibile nonne eſt, ſi Sanctus Joannes Baptiſta ſuper ceteros homines ſublatus eſt pro gratiis, quas in ſua Nativitate recepit, Sanctam Virginem majorem plenitudinem recipere debuiſſe, quam Sanctus Joannes receperit? Scio hoc nos latere, & mirum eſt, Nativitatem illius, qui futurus erat Præcurſor Meſſiæ, æque ſollemnem fuiſſe; illam vero Mariæ, quæ ejuſdem Mater erat futura, in caligine delituiſſe, & ſine ullo fulgore, qui extrinſecus illuceſceret. Sed nobis comparanda eſt utraque Nativitas ex ſpecie exteriori; vel judicium ferendum eſt de interiori Mariæ gratia ex exteriori Sancti Joannis. Evangeliſta omnem gloriam Nativitatis glorioſi hujus Præcurſoris acceptam refert duabus circumſtantiis; privilegiis, quæ recepit ex parte Dei, & honoribus, quos illi homines detulerunt. Recepit ille admirabilia privilegia, quia ſanctificatus fuit in utero Matris ſuæ, quæ gratia Nativitatem ejus præceſſit, & antequam lucem adſpexiſſet, Maria, & Salvator ipſe, qui ſanctificaverat illum, inviſunt eum. Deinde vix prodiit in lucem, cum Mundus ob illius nativitatem exultat; fama in finitimas regiones manat, & Maria cum Eliſabeth gratulatur, & omnes Judææ montes plauſibus, & lætitiæ clamoribus tinniunt. Eſſetne credibile, JESUM CHRISTUM pro Maria facere noluiſſe, quod fecit in gratiam Præcurſoris ſui? Cogitare non poſſumus de illa, quæ deſtinata erat, ut eſſet aliquando Mater Dei, & de privilegiis, & honoribus, qui tantæ huic dignitati debebantur, quin admiremur. Sed quamvis hac in re altiſſimum ſervet ſilentium Scriptura, propter rationes, quas nobis ſcrutari negatum eſt; tamen conſtat. 1. Sanctificationem illius pluribus, majoribuſque privilegiis fuiſſe cumulatam, quam Præcurſoris, quia facta fuit in ipſo temporis articulo, quo vitam recepit, cum ejus immaculata fuerit Conceptio; & quod pertinet ad ortum illius, nata eſt cum inexplicabili gratiæ incremento; quoniam novem menſibus, quibus fuit in Annæ Matris ſuæ utero, in ſingula momenta crevit Sanctitate. Quod ſi hujus Nativitatis nuncium, licet tot ſæculis expectatum, extrinſecus minus illuxit, dubitari ne poteſt, quominus Cælum univerſum lætitiam teſtatum fuerit, & quo minus hominum plauſus, & obſequia reſervata fuerint in ſæcula futura, quemadmodum hodierna die fieri videmus.

Omnes illi, qui per miraculum nati ſunt, non ſecus, ac Beata Virgo, aliquem habuerunt magnitudinis characterem.

Animadvertitur in Scripturis, quoſcumque, qui nati ſunt per miraculum, aliquem habuiſſe magnitudinis characterem, qui illos ab ipſo nativitatis exordio ſpectabiles reddidit. Seu quia via hæc miraculoſa innuat peculiarem Providentiam ſuper illos, ſeu quia oſtendit non communem divinæ Potentiæ curam in gratiam eorum, quæ ſupplet naturæ defectus. Iſaac Abrahæ, Saræque Filius in ætate effœta, promiſſus fuit Abrahæ in præmium fidei, & natus eſt non ſine quadam miraculi ſpecie; & nonne fuit fructus benedictionis, quandoquidem per ipſum adimpleta fuit benedictio Abrahæ promiſſa; & Meſſias natus eſt ex ejuſdem progenie? Samſon ſimiliter ex ſterilibus parentibus ortus, nonne fuit unus ex liberatoribus populi Dei, & propterea voluit Deus, ut ejus nativitas nunciaretur ab Angelo? Samuel a Deo impetratus precibus ſterilis genitricis ſuæ, nonne electus fuit a Deo ab ipſa nativitate ſua, ut regeret populum ſuum, & magnus eſſet Propheta; & in lege nova, quod gaudium non peperit Joannis Baptiſtæ nativitas, qui ſimili miraculo natus eſt, quod extitit futuræ magnitudinis ejuſdem præſagium; quamobrem ex eo tempore dictum fuit: *Quis putas puer iſte erit!* Sed ubinam Deus excellentius duos hos characteres Providentiæ, & Potentiæ ſuæ impreſſit, quam in Nativitate Mariæ? Cum illam oriri juſſit ex Sancta Anna, & Sancto Joachim, quibus diuturnæ ſterilitatis experientia omnem ademerat ſpem filios gignendi? Hæc adorabilis Dei Providentia hoc pacto oſtendit, quodnam de illa foveret conſilium; ut videlicet iſta Conceptio, atque Nativitas miraculoſa præparaverit Homines ad maximum omnium miraculum, videlicet Verbi Incarnationem.

Maria deſtinata fuit, ut eſſet Templum Dei viventis, potiori jure, quam olim Templum Salomonis.

Poſtquam Salomon inſigne illud Templum abſolvit, quod habitum fuit tamquam magnificentiæ ejuſdem miraculum, tamen vix ſibimet ſatisfacere potuit. Quamvis Pater illius meliorem regni ſui partem inſumpſiſſet in opibus congerendis in hujus Templi ædificationem, & ipſe congeſſiſſet aurum, argentum, ac pretioſos lapides tanta in copia, quæ ferme videtur incomprehenſibilis: poſtquam plures annos uſus eſſet infinito opificum numero, ut admirabile hoc ædificium extrueret; nihilominus coram Deo profitetur, ſe nihil divina Majeſtate dignum feciſſe; pulcritudinem, & magnificentiam, numerum, & apparatum ſacrificiorum longe minorem eſſe, quam deceret ſupremum univerſorum Dominatorem. Non miror Salomonem id confiteri: erat ille opulentiſſimus, & magnificentiſſimus Regum; ſed tandem erat homo; & homo non cognoſcit ſuam paupertatem cum agitur de præparanda domo Deo; Sed cum Deus ipſe ſibi Domum ædificat, oportet Domum hanc dignam eſſe Deo ædificante, ac illam habitaturo. Quapropter ad aſſequenda magnalia, & decora myſtica hujus Templi, quod præparat ſibi, & quod incipit eniteſcere in Nativitate illius, quæ hoc nomine indigitatur, intelligenda eſſent magnalia, atque excellentiæ Dei ipſius, qui fecit, ut pro ſe tantum naſceretur, & illam tot ſpiritualibus opibus non locupletavit, niſi ut Templum hoc tanta Majeſtate dignum efficeret.

Nativitas Mariæ cum aurora proprie comparanda eſt.

Quantumvis formoſa exhibeatur aurora, primæ tamen illius claritates vix a tenebris ſeparandæ ſunt; ſed prout progreditur, fit ſplendidior, ac melius indigitat Solem quamprimum oriturum. Hoc dici poteſt de Mariæ Nativitate habita ratione Conceptionis ejuſdem; dicere enim poſſumus, cum tunc adhuc in Matris ſinu deliteſceret, tamquam in nube primos ejuſdem albores non ſatis illuxiſſe, vel non ita fulgorem ſuum effudiſſe, ut ſecerneretur, quemadmodum refulſit in Nativitate; ubi dedit præſagia ſerenæ diei noſtræ felicitatis, quæ incipiebat, & acceſſus Solis gratiæ, qui Mundum univerſum erat illuſtraturus.

Applicatio quorumdam locorum Scripturæ huic argumento.

Maria eſt fons ille exiguus, qué in ſomnis vidit Mardochæus.

F*Ons parvus crevit in Fluvium ; & in lucem, Solemque converſus eſt. Eſther cap.* 10. Fons hic de quo ſermo eſt in libro Eſther ; & quem Sanctus vir Mardochæus vidit in ſomnis, profecto ſomnium eſſet, ſi tantum cogitaremus id, quod accidit in natura poſt mundi nativitatem ; quia nihil unquam tale viſum eſt. Sed ſi altius attollimus noſtras cogitationes in opera Dei, quæ in gratia operatur, quam primum intelligemus myſticam hanc eſſe figuram Nativitatis creaturæ illius, quæ deſtinata eſt Dei Mater futura. Ita Maria eſt fons in ortu ſuo adeo exiguus, & parum cognitus ab hominibus in Nativitate ſua, & in ſpeciem adeo contemnendus. Sed modicus hic fons quamprimum crevit in fluvium Magnum per congeriem aquarum gratiæ, & diluvium miſericordiæ, quod Dominus oblectatus eſt effundere in ſinum ſuum. Magnus eſt fluvius, quoniam in profunditate ſua aperit nobis abyſſum Sapientiæ Dei, qui ab æterno iniit conſilium quod mundo incipit manifeſtare ; Fluvius latitudine immenſus, quoniam quamprimum terram exundaturus eſt, illuc effundens aquas Salutis ; Fluvius denique prodigiorum, & miraculorum, qui quamprimum immutabitur in lucem, & Solem ad ejiciendas tenebras mundi, ut ibi Sanctæ fidei claritates eluceſcant, & effundant amorem Dei in cordibus noſtris &c.

Nativitas Filii Dei incipit ab illa Mariæ.

Evangelizo vobis gaudium magnum. Luc. 2. Hæc verba ſunt, quæ dixit Angelus Domini ad Paſtores Bethlehem in Nativitate JESU CHRISTI; ſed mihi videntur Evangelici Præcones, qui Dei Viventis miniſtri ſunt non ſecus ac Angeli, eadem omnibus hominibus dicere poſſe, & gaudium, quod in nobis ciere debet Filii hujus Nativitas, incipere debere a Matris Nativitate. Et profecto ſi Angelus ait plures in Joannis Baptiſtæ nativitate gaviſuros: *In nativitate ejus multi gaudebunt*: quo potiori jure in Nativitate Mariæ multi ſunt gaviſuri? quandoquidem nativitas Præcurſoris JESU CHRISTI, innuit adventum illius minus proximum, quam ſit nativitas illius, quæ ipſum eſt paritura? Mariæ Nativitas eſt aurora, quæ diem inchoat, illum annuntians ; & claritates illius ſunt veluti primi radii Solis juſtitiæ, qui eſt proditurus. Sicut autem nihil magis lætificat eos, qui ſepulti ſunt in noctis umbra, niſi ortus auroræ ; ita ex omnibus Myſteriis, quæ ab Eccleſia celebrantur, nullum eſt cujus memoria jucundior eſſe debeat Fidelibus, quam Nativitatis Mariæ. Eccleſia quoque hac die oſtentat eos lætitiæ ſenſus, quos inde concipit: *Nativitas tua gaudium annunciavit univerſo Mundo; quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ*. Sol iſte Cæleſtis, qui diſſipans tenebras, quas peccati maledictio in terram effuderat, replet illam benedictione, eam ſuo lumine illuſtrans: *Qui ſolvens maledictionem dedit benedictionem*. Ob hanc cauſſam Sanctus Joannes Damaſcenus hanc diem Nativitatis Mariæ diem *lætitiæ natalem* appellat.

Maria comparatur cum Luna, & uni ex duobus magnis luminaribus, quæ Deus in Mundi primordio creavit.

Fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus, & luminare minus. Geneſ. cap. 1. In ordine gratiæ Deus, ubi voluit reparare Mundum peccatis corruptum, ita ſe geſſit tamquam in ordine naturæ, ubi illam educere voluit ex nihilo. Videns enim Univerſum hunc futurum eſſe confuſum Cahos ſine lumine, cujus ope diſtinguerentur objecta, quæ oculis noſtris objicit, creavit aſtra duo, quæ ſunt duo luminaria magna, quæ, ut inquit Scriptura, Mundum illuminant; ſimili ratione, ut hominem in priſtinum ſtatum reſtitueret, eumque educeret de tenebris, in quas peccatum illum projecerat, produxit duo magna luminaria JESUM, & MARIAM; quorum alterum majus eſt altero, ideoque Sol juſtitiæ vocatur, qui univerſum orbem illuminavit: *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*. Sed ut alluſio recta, atque integra ſit; Sancta Virgo venit in Mundum, ut eſſet veluti gratiæ luna; *Pulcra ut luna*. Verum eſt illam mutuari a Sole totum lumen ſuum, atque virtutem, & ipſam ex duobus iſtis luminaribus minus eſſe; ſed præterquamquod lucet per noctem; potentia ejus magna eſt in hoc Mundo, ejuſque influxus ſuaves ſunt, ac ſalutares. Hoc fuit Providentiæ de Maria conſilium; hanc ante Filium ſuum miſit in terram, ut inciperet fovere tenebras peccati, donec Filius, qui pater eſt, & fons luminis veniat, ut magna gratiæ dies illuceſcat.

Joann. 1.

Maria per Annam Samuelis matrem figurata.

Concepit Anna, & peperit. 1. Reg. cap. 1. Cum Sacer Hiſtoricus hæc verba ſcriberet, profecto Prophetiæ Spiritus ducebat æque mentem, ac illius calamum ; animoque minus volutabat præteritum, quam futurum ; & prodigium minus, quam Myſterium, & Elcanæ uxorem, quam conjugem Joachim ; matremque Samuelis minus quam Mariam incomparabilem. De una tantum Anna loquitur, ſed alteram deſignat, longe ſanctiorem, & beatiorem, quæ fœcunda non fuit per ſimplicem Cæli gratiam, ſed per miraculum duplex ; quæ non peperit liberatorem populi ſui, ſed Mundi totius Redemptricem ; quæ non dedit vitam Prophetæ Dei, ſed Virgini a qua Deus ipſe Nativitatem accepit. Itaque in exſpectatione feliciſſimi hujus partus hærebant Cælum, ac terra ; Angeli votis ſua nuncupabant, Patriarchæ ſua concipiebant deſideria, homineſque omnes ſumma cum impatientia præſtolabantur ; & cum modo fruamur fructu beatæ hujus ſterilitatis, & videamus illam coronatam per nativitatem miraculo, quod omnes exhaurit theſauros naturæ, & gratiæ ; æquum eſt, ut per ſuaviſſimum admirationis, & gaudii impetum erumpentes exclamemus: *Concepit Anna, & peperit*: Anna jam effœta, ac ſterilis puellam enixa eſt, quæ cum omnibus præſtet creaturis, neminem ſupra ſe videt, niſi Deum.

Eramus natura filii iræ. Ad Epheſ. 2. Omnes naſcimur iræ Dei Filii; vix inter hominum filios numeramur, cum jam ſumus filii dæmonis per originale peccatum, & tales permanemus donec regeneramur per baptiſmum, ut regeneratio deleat maculam, quam per generationem contraximus. Sancta Virgo non ita nata eſt; antequam in lucem ederetur a Matre, prorſus divinam obtinuerat Nativitatem, cum anima illius antequam produceretur, ſanctificata fuerit ; privilegium, quod conceſſum fuit animæ Filii ſui, & ſuæ: Nam quamvis Sanctus Joannes Baptiſta fuerit ſanctificatus in ventre Matris ſuæ, & natus ſit adoptivus Dei Filius, tamen non conceptus fuit talis, ideoque una Virgo jactare poteſt, ſe non alium habuiſſe Patrem, niſi Deum ſecundum ſpiritum.

Primogenita ante omnem creaturam. Eccleſiaſtici 24. Maria eſt creaturarum omnium primogenita, ideoque ſuper omnes Deo cara, & dilecta. Et nonne credi poteſt, in temporali ejus Nativitate Deum cum illa loquentem dixiſſe non ſecus ac Filio ſuo: *Filius meus es tu. Filia mea es tu: ego hodie genui te*. Cum alias creavit, illis dicere non potuit, Filia mea es tu; quia natæ ſunt cum labe originalis peccati ; ſed Maria ab illo præſervata fuit, cum acceperit eſſe ſupernaturale, ſtatim ac naturale, ideoque de illa dicere potuit Deus, quod dixit de unico Filio ſuo: *Hæc eſt filia mea dilecta, in qua mihi bene complacui*. Tempus fuit, quo ſibi ceteræ diſplicuerunt ; ſed in hac beata Virgine ſibi bene ſemper complacuit; hæc electa fuit, ut Dei Mater eſſet, cumque illa unica ſit Mater illius, unica etiam eſt ejus Filia. Non equidem dico filiationem ejus ejuſdem eſſe naturæ, cujus filiatio Filii ſui, quæ eſſet blaſphemia ; ſed dico ſolum, ſicuti Verbum Incarnatum eſt Dei Filius eo in ſenſu, qui unum illum decet; Sanctam Virginem quoque ita eſſe Dei Filiam in alio ſenſu, qui unam ipſam decet, quia illa ſemper extitit talis.

Ab initio, & ante ſæcula creata ſum. Eccleſ. 24. Ab æterno in Deo nata ſum, antequam ſæcula naſcerentur. Verum eſt Dei Filium quatenus hominem eſſe primam productionem mentis Dei, primogenitum inter creaturas in Deo: non per temporum intervallum, ſed per excellentiam, & cauſſalitatem, ut Scholæ loquuntur ; quia primogenitus prædeſtinatorum, pro quibus Deus creavit cetera, eſt prototypus, & exemplar ceterorum: Sed Maria quoque eſt prima, & præſtantiſſima divini hujus prototypi imago ; & ſicuti Filius Dei eſt imago perfectiſſima Patris Æterni ; Virgo prima eſt, & perfectiſſima Verbi carnis facti: ita ut ſimulac naſci video in Decretis Dei Redemptorem propter homines, ſimul videam Deum concipere, & facere, ut in iiſdem decretis oriatur Mater pro hoc Redemptore; cumque opus ſit, ut adſit ſimilitudo, & conformitas meritorum, & qualitatum inter Matrem, & Filium, Deus non poteſt inire conſilium dandi univerſo Mundo humanitatem dignam perſonali affinitate cum divinitate, quin ſimul teneatur illi in Matrem dare præſtantiſſimam creaturam, quæ finis eſt, & hæc eſt felix illa Creatura, cujus Nativitatem in tempore celebrat Eccleſia.

Quæ eſt iſta quæ progreditur. Cantic. 6. Cum admiratione, ac ſtupore Spiritus Cæleſtes ſciſcitantur in Nativitate parvulæ hujus creaturæ, quæ quaſi aurora progreditur, & quæ jam luminibus circumfuſa conſpicitur? *Quæ eſt iſta?* Nonne illis reſponderi poſſet, hanc Virginem eſſe natam quidem ex corrupta Adam progenie, nihil tamen habentem de corruptione originis ſuæ ; Virginem eſſe, quæ Dei Mater eſt futura, & nihilominus Virgo permanſura ; ſtellam eſſe Jacob, quæ licet ſupra nubibus humilitatis, apparebit aliquando *pulcra ut luna, & electa ut Sol*; Fontem eſſe terreſtris Paradiſi, cujus aquæ ſeſe effundent in omnem faciem terræ ; hanc eſſe radicem Jeſſe, ex qua exient flores, & fructus, qui erunt lætitia omnium populorum ; Virginem quæ futura eſt Cæli deliciæ, dæmonum terror, peccatorum perfugium, ſpes Fidelium, amor, & admiratio omnium ſæculorum.

Quæri poteſt cũ admiratione, quænã eſt illa, quæ hodie naſcitur.

Quam pulcri ſunt greſſus tui Filia Principis. Cant. 7. Maria in Mundum ingreſſa cum hoc Sanctitatis nitore, qui effecit illam poſſeſſionem Dei tot eximiis rationibus, nonne meretur, ut Angeli adorent primos progreſſus ejus in Mundo, & ad gloriam Nativitatis ſuæ prædicent verba illa Sapientis: *quam pulcri ſunt*

Progreſſus primi Sanctitatis Sanctæ Virginis in Mundum venientis.

greſſus tui Filia Principis. O Filia, & Mater Principis quam glorioſæ ſunt viæ tuæ, & quam ſpecioſi greſſus tui! Vere de te dici poteſt, quod de quibuſdam terræ domitoribus dixit adulatio: palmas ſub pedibus eorum creviſſe, & eorum triumphos ex paſſuum numero potiùs cenſeri; primus enim illius in orbem ingreſſus quædam eſt triumphi ſpecies propter relatam de peccato, & dæmone victoriam.

Maria veniens in Mundum reddit Deo primum obſequium rationis, & cognitionis ſuæ. Ad Hebr. 10.

Ingrediens Mundum dicit; hoſtiam & oblationem noluiſti, tunc dixi: ecce venio. Ad Hebr. 10. Hoc unius Mariæ privilegium eſt, naſci in plena die rationis ſuæ, & integram habere libertatem, ut naſcens Deo deferat primum ſuæ cognitionis, & amoris obſequium, & incipiat ſeſe illi dare, ſimulac incipit eſſe ſui; imitata hac in re in anteceſſum, id quod Filius ſuus aliquando facturus erat, cum in Mundum ingrediens, ut Sanctus Paulus inquit, ſeſe obtulit Patri tamquam victimam: *Ingrediens Mundum dicit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, tunc dixi: ecce venio.* Mihi videtur ergo ingredi in Mundum, tamquam in Templum, ubi offert ſe tamquam victimam gratia, & ſanctitate coronatam: dicens in anteceſſum, quod mox in Annunciatione ſua iteravit: *Ecce Ancilla Domini*: Ecce me, Deus, futuram tibi famulam, recipe me ex hoc momento quatenus talem, & diſpone de me ſecundum tuæ Providentiæ conſilia.

Luc. 1.

Maria eſt domus illa, quã Sapientia ædificare voluit, ut reciperet Deum.

Sapientia ædificavit ſibi domum. Proverb. 9. Verba hæc melius applicari non poſſunt, quam Beatæ Virgini ipſa die ſuæ Nativitatis. Spiritus Sanctus nos docet, Sapientiam ſibi ædificare voluiſſe domum, in qua ſibi ſedem ſtatueret. Quid intelligendum eſt Sapientiæ nomine? niſi JESUS CHRISTUS, quem Sanctus Paulus appellat: *CHRISTUM Sapientiam Dei!* & tritum eſt illud axioma, Sapientiam tribui Filio, ſicuti potentia tribuitur Patri, & bonitas Spiritui Sancto. Dicere autem Sapientiam ſibi domum ædificaſſe, nonne dicere eſt, Dei Filium auctorem eſſe propriæ Matris ſuæ, quæ Maria eſt; ſed ad trutinam revocemus vim horum verborum, quæ totidem oracula ſunt habenda. Sapientia ædificavit ſibi domum, & hanc ædificavit ſibi. Hæc omnia plena ſunt magnalibus Deiparæ in ſua Nativitate: cum enim infinita Sapientia hoc opus ſuſceperit; ſequitur Sapienter feciſſe: aptavit ergo ædificii hujus magnificentiam magnitudini illius, a quo erat inhabitanda; non enim ædificabitur pro ruſtico, & colono, eodem pacto, quo pro Rege, & Monarcha. Quid autem inferri potest ex hoc principio ad Sanctæ Virginis gloriam? Videte quam magnificum, & luculentum palatium divina Sapientia poſuerit homini? Mundum videlicet. Hoc quam auguſtum eſt, quam vaſtum! quam opulente exornatum! Rex Propheta in admirationem rapiebatur, ubi illum attentius inſpiciebat; ſed Sancta Virgo eſt domus illa, quam ſibi ædificavit Sapientia. Hinc eſto judicium de illius magnificentia.

Nativitas Mariæ cum admiratione.

Quæ eſt iſta? Cant. 8. Si mihi apud vos verba eſſent facienda de alia quapiam Virgine, quam de illa, quæ recens naſcitur; ſicuti Religio nihil nobis detegeret, quod in mente relinqueret ideam aliquam gloriæ, & magnitudinis; humile ſervaretur ſilentium; immo etiam lacrymæ funderentur, quia jugum, quod aggravatum eſt ſuper omnes filios, illos obruit ex ipſo ſuæ Conceptionis articulo, & nativitatis momento, ita ut in utroque inuratur illis ea turpitudinis nota a protoparente ſibi relicta; ideoque nequaquam clamarem, *quæ eſt iſta?* Licet hæc de qua vobis verba facturus ſum, non majorem haberet gloriam, quam Sanctus Joannes Baptiſta in utero Matris ſuæ ſanctificatus, cujus nativitatem & prævenit, & ſubſecuta eſt tanta miraculorum copia; ne quærerem quidem, quiſnam hic aliquando futurus eſſet! *Quis putas puer iſte erit?* Sed hæc eſt ordinis novi filia; hæc novam conſtituit claſſem inter filios Adam, ex quo prodit in terra; hæc ita in admirationem rapit univerſos, ut Sacri Oratores, qui audent illius laudes celebrare, videntes illam tanta luce circumfuſam, exclament; *quæ eſt iſta?*

Maria orta ex Regibus Juda.

Regali ex progenie Maria exorta refulget. En Offic. B. Mariæ. Ad Mariæ laudes celebrandas repetemuſne avos illuſtres Mariæ? Nonne orta eſt ex ampliſſimis Principibus Juda, & Iſrael? Patriarchæ nonne fuerunt majores illius; & quidquid magnitudinis, & virtutis fuit in illis, nonne uſurpandum eſt, ut texatur corona Mariæ naſcenti? Prophetæ ſuum contulere ſanguinem ad illam formandam, & magnum objectum prophetiarum ſuarum fuit JESUS, & MARIA, uterque in lege antiqua prædicti. Ita cum Abraham benedictus fuit, ut eſſet pater omnium credentium; nonne Maria meliorem obtinuit partem in hac benedictione, quandoquidem erat benedicenda ſuper omnes mulieres, & ſuper viros omnes, uno excepto JESU CHRISTO? Ita majorum virtutes factæ ſunt virtutes Mariæ; hæreditas hæc ad eam pertinebat. Video jam, & admiror in illa obedientiam, & ſubmiſſionem Abraham, & Iſaac: temporales gratiæ, quas Deus conceſſit Jacob, præfigurabant gratias ſpirituales, quas Mariæ impertiturus erat; victoriæ David, victorias pollicebantur, quas de Inferno ſerpente erat relatura; & lumina Salomonis ſignificabant illam, quæ ab ipſo deſcenderet, exquiſitiſſimis donis præventum iri; & emicaturam eſſe tamquam auroram, & futurum, ut omnes Patrum ſuorum virtutes, ſine eorum vitiis, eniteſcerent in ipſa, quæ conjungeret nobilitatem ex illuſtri deductam ſanguine cum nobilitate vitæ ſanctiſſimæ. *Regali ex progenie Maria exorta refulget.*

Tres Nativitates ineffabiles.

Generationem ejus quis enarrabit? Eccleſia, & Scriptura nobis exhibent tria Nativitatis genera ad admirandum æque ineffabilia, quia ſunt æque incomprehenſibilia. Generationem Verbi in Patris ſinu; hoc eſt lumen de lumine; Deus Æternus, qui gignit Deum æternum ſibi ſimilem. Nativitatem Mariæ, quæ oritur ex ſterili, & infœcundo fundo; & illam JESU CHRISTI, qui natus eſt ex Virginis ſinu recens conſecrato per ſuum puerperium, quin inde inquinaretur. Terminus primæ Generationis eſt Deus æque magnus, & potens; verbo, in omnibus æqualis terminus ſecundæ eſt Mater Dei; & terminus ultimæ eſt homo Deus. Tres has generationes, quis valet explicare? *Generationem ejus quis enarrabit?* Hoc factum eſt! Pater Æternus non poteſt quidquam majus producere, niſi Verbum; nihil dare poteſt excellentius, aut perfectius ab extra, niſi JESUM CHRISTUM. Verbum habet naturam, & infinitas perfectiones principii ſui; Humanitas JESU CHRISTI conjuncta Verbo poſſidet omnem Divinitatem, in ipſa corporaliter inhabitantem. Creaturæ quamvis perfectæ videantur, huc uſque pertingere non potuiſſent; Sed propter rationes varias, per quas voluit Deus quemadmodum ſemet pingere in vobis, vos eſtis; præter propter, ad illius imaginem efformatæ. Admirabilis infans, quæ naſcitur, cum fuerit objectum illud in quo ſibi Pater Æternus bene complacuit, illius erat imago adeo perfecta, & ſi omnia illius lineamenta conſideravimus, cogemur dicere cum Sancto Bernardo: *Generationem Verbi, Aſſumptionem, & Nativitatem Mariæ, quis enarrabit?*

Maria in Nativitate ſua comparata Verbo in generatione illius.

Vapor eſt virtutis Dei, emanatio quædam claritatis omnipotentiæ Dei ſincera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit; candor enim eſt lucis. Sapient. 7. Verba hæc, verum eſt, de JESU CHRISTO intelliguntur, qui eſt lumen de lumine, & ſplendor Patris Æterni; ſed nonne applicari poſſunt Mariæ in Nativitate ſua? Ubi nam in terris inveniri poteſt comparatio, quæ ſatis valeat exprimere Nativitatem illius, quæ ſuperat entia omnia mere creata, & quis non invenit proportionem aliquam inter illam, quæ Dei Mater eſt, & Filium ejus, qui eſt Homo-Deus? Hæc igitur eo momento, quo prodit in lucem, eſt emanatio puriſſimæ virtutis Dei, in qua natura nullam obtinet partem; in qua ſolus Omnipotens operatus effecit eam puriſſimam omnium creaturarum ab ipſo primo Nativitatis ejuſdem articulo. Hæc eſt puriſſima emanatio claritatis Omnipotentis; nam ſicuti quidquid Sanctorum fuit in lege veteri, hauriebat Sanctitatem ſuam a JESU CHRISTO venturo; univerſale hoc lumen illuceſcebat etiam antequam appareret. Quam claritatis copiam divinum hoc Verbum Matri ſuæ non communicavit? Nonne collegit quidquid dederat antiquis Patriarchis, Prophetis, aliiſque Mariæ Atavis, ut omnia illi communicaret? Nonne maximum addidit incrementum non permittens, ut aliqua ſordes ortum illius coinquinaret; *& ideo nihil inquinatum in eam intravit.* Noſtra calamitas eſt, fratres mei, ubi in Mundum ingredimur, ferre nobiſcum imaginem Sathanæ, quæ tegit, operit, & dedecorat imaginem Dei, qua per creationem ſumus condecorati. Mariæ felicitas eſt ferre ſecum naſcendo perfectiſſimam imaginem Dei.

Maria ſuperat virtute, & ſpiritualibus divitiis cæteras Virgines. Cantic. 5.

Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu ſupergreſſa es univerſas. Proverb. 31. Cum Maria nunquam egreſſa fuerit de manibus Dei, & cor illius ſemper conjunctum fuerit cum corde ejus a primis uſque momentis Conceptionis, & Nativitatis ſuæ, & mens ſua ſemper cæleſtibus inhæſerit non ſolum per ſomnum, de illa enim ſcriptum eſt: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, non ſolum dum exterioribus rebus vacaret; illi enim Eccleſia hæc applicat verba: *dilectus meus mihi, & ego illi:* ſed ipſo etiam infantiæ ſuæ tempore, quod reliquis hominibus tempus eſt tenebrarum, ac ſtupiditatis, quo homines a ceteris animantibus minime diſcrepant: Maria Deo vacabat, & congregabat theſauros divitiarum, cum alii nihil agant, & inertes ſint: quia igitur celerius cœpit congerere, divitiæ illius prævalent opibus Virginum ceterarum: *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu ſupergreſſa es univerſas.* Quæ verba intelligenda ſunt de creaturis omnibus, quæ ſub antiqua, & recenti lege vixerunt; ſed etiam comprehendendum eſt Mariam congeſſiſſe opes magis exquiſitas præ omnibus Virginibus, quas non quantitate ſolum, verum etiam qualitate ſuperavit, ideoque unica eſt in omni ſpecie virtutum: *Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.* Amor illius ferventior eſt, & latius patet; ſpes ejus conſtantior,

S. Bernard. de Laudib. Mariæ.

altior

altior humilitas, & hoc etiam modo ſuperat quidquid eſt infra JESUM CHRISTUM Filium ſuum, neminem agnoſcens ſupra ſe, uno illo excepto.

Maria elegit meliorem partem in rebus omnibus.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Martha, quæ recepit JESUM CHRISTUM in domum ſuam, & Maria quæ illum recepit in corde ſuo, ſunt duæ veræ figuræ Sanctæ Virginis, quæ in ipſis momentis Conceptionis, & Nativitatis ſuæ recepit JESUM CHRISTUM in ſpiritu ſuo per cognitionem in anteceſſum maturatam, & præcocem; recepit illum etiam in corde ſuo per amorem; nam ex primo Conceptionis, & Nativitatis ſuæ momento, jugem amoris actum elicuit. Pars hæc electa fuit a Maria, quæ nunquam auferetur ab ea, quoniam e contra perfecta fuit, & in tempore per aſſidua incrementa, & in æternitate per gloriæ conſummationem: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Sancta Virgo meliorem etiam partem elegit recipiens JESUM CHRISTUM in ſinu ſuo per conſenſum quem præſtitit Angelo: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum:* Sed hic conſenſus jam erat in corde Mariæ in ipſo ſuæ Nativitatis momento; talis erat illius diſpoſitio, ut ſeſe conformaret omnibus conſiliis Dei, tamquam ancillam humilem; ita illa jam poſſidebat omne hujus conſenſus meritum, quem præſtitit deinde; quia Deus bonas conſiderat voluntates, & intentiones bonæ coram illo, qui renes ſcrutatur, & corda, ſuos habent effectus. Ex eo igitur momento meliorem partem elegerat, tamquam illa, quæ JESUM CHRISTUM in corde conceperat, eumque receperit etiam in ſinu ſuo per præparationem voluntatis ſuæ; quemadmodum Martha receperat illum domi ſuæ; & hæc pars Marthæ, & Mariæ a beata Virgine nunquam auferetur: *Maria optimam partem, &c.*

Fecit mihi magna, qui potens eſt. Lucæ 2. Reipſa videtur Deus omnem impendiſſe vim brachii ſui, ut illuſtrem redderet Nativitatem Sanctæ hujus Virginis. Eam naſci voluit ex atavis, quibus nihil erat nobilius in orbe univerſo; cumque Principum Mundi nativitatem præcedere ſoleat pompa, & magnificentia, & qui nobiliores ſunt, anteire conſueſcant; videntur Sancti Hiſtorici, qui Spiritu Sancto afflati loquuntur, hoc ipſum obſervaſſe in Nativitate Mariæ. Duodecim Patriarchæ, duodecim Prophetæ, duodecim Reges, duodecim Summi Sacerdotes præcedunt illi, poſt quos glorioſa hæc Virgo tamquam triumphatrix ingreditur in Mundum. Sed non ſatis eſt illis anteire huic Virgini, illi etiam communicant merita ſua, & ſicuti omnes iſti legis amatores Sanctique Viri contulerunt aliquid ad Mariam efformandam, effecerunt ex illa eximium, perfectumque opus; ita dici poteſt, ipſam in ſe una complecti, & colligere omnes illorum virtutes. Habuit fidem Abraham, obedientiam Iſaac. Saræ fidelitatem, humilitatem Abigail, affectum Eſther, fortitudinem Judith; quapropter Sanctus Anſelmus ait ex omnibus creaturis, ſe credere, Deum nullam majorem feciſſe, & addit, nullam fieri poſſe majorem Maria, ita ut in omnibus ſtatibus ſit nobis exemplo.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas. Beata Virgo a Conceptione ſua uſque ad Nativitatem tot elicuit actus amoris Dei, quot momenta effluxerunt: Illa quæ a primo ipſo momento ſuis meritis exæquavit, & ſuperavit etiam omnia merita hominum, & Angelorum: quinam debet eſſe theſaurus, quem attulit ſecum ab utero Matris ſuæ, poſtquam ibi novem integros menſes permanſit: Ut aliqua juſta concipiatur idea; ſupponendum eſt cum Theologia univerſa, ubi agimus propter Deum, mereri, ut caritas, quæ actionis noſtræ principium eſt, creſcat in nobis pro magnitudine fervoris, cum quo operamur; Exempli gratia, duos habes gradus caritatis, ſi elicis actum amoris Dei ſecundum omnem latitudinem duorum graduum iſtorum, duos alios acquiris, & evadis duplo ſanctior, duplo acceptior Deo, quam eras ante hunc actum; & ſi perges in lucro ponere fundum hunc tuum, ſimiliter creſcis; ſemper nova fit acceſſio divitiis tuis; hoc eſt cum eadem proportione tua merita accumulas. Secundo loco ſupponendum eſt hoc multiplicationis genus, licet parum lucelli accreſcat, brevi magnum numerum efficere, ut nemo illud valeat recenſere. Hoc poſito, numera ſi potes gradus ſanctitatis, & caritatis, quos congeſſerat Maria antequam lucem ipſam adſpiceret. Quamvis in prima Sanctificatione ſua nonniſi unicum gratiæ gradum recepiſſet, & deinde nonniſi centum amoris actus eliciuſſet, in ipſa Nativitate ſua creſcens, & augens eo modo, quo diximus, tantus exiſteret numerus, ut omnis algebrica ratio exhauriretur. Quod igitur nobis ferendum eſt judicium de divitiis Sanctæ hujus Virginis? Nonne dici de illa jure poteſt: *Multæ Filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas?* Poſt hæc non obſtupeſco Sanctos Patres loquentes de gratia, qua Maria cumulata inventa eſt poſt tres & ſexaginta annos vitæ ſuæ (& hoc ipſum licet dicere ab illius Nativitate) uſos fuiſſe terminis tantum emphaſim habentibus. Profecto Sanctus Epiphanius jure affirmavit, gratiam hanc eſſe immenſam, Sanctus Auguſtinus, eſſe ineffabilem, & Sanctus Joannes Chryſoſtomus vocat Mariam gratiæ theſaurum; & ſi Sanctus Hieronymus ait, gratiam effuſam fuiſſe totam in ſinu illius; ſi Sanctus Bernardinus Senenſis addit, illam tantum gratiæ recepiſſe, quantum concedi poteſt meræ Creaturæ: hæc omnia credibilia ſunt poſt ea, quæ diximus; quandoquidem adeo prompta eſt, adeo ſollicita, & conſtans, ut in lucro ponat magnum illud talentum ſibi commiſſum; quoniam illud duplicavit non ſolum ſingulis annis, ſed horis, & momentis diei, ita ut receptum lucrum ad immenſam ſummam excreverit.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Omnem electa creatura altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit. Sanctus Gregorius in cap. 1. lib. 1. Regum.

Certabant ſæcula quodnam ortu Virginis gloriaretur. Joannes Damaſcenus orat. de Nativitate Virginis.

Vaticinium Prophetarum. Sic eam vocat Sanctus Hieronymus in Michæam 6.

Summa divinorum Oraculorum. Andreas Cretenſis.

Pignus promiſſionis, & genitale votum naſcituri Dei. Joannes Damaſcenus.

Vitam natura præſtantiorem habebis, o Beata Maria, non tibi ipſi, neque tui ipſius cauſſa progenita es: quocirca Deum habebis ob quem in lucem prodiiſti. Idem orat. 1. de Nativitate Virginis.

Oportebat eam (Virginem) *in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum primogenitum erat paritura.* Idem ibidem.

Nullus in ſuperbiam de gloria parentum elevetur, ſed conſiderans progenitores Domini reprimat mentis tumorem, & de ſolis virtutibus glorietur. Sanctus Chryſoſtomus homil. 3. in Matth.

In Nativitate Virginis ſolin CHRISTI eſt inchoata Nativitas. Sanctus Ildephonſus ſermone 3. de Nativitate Virginis.

Hodie nata eſt illa per quam omnes renaſcimur. Petrus Damiani.

Opus, quod ſolus artifex ſupergreditur. Idem.

Sicut aurora finis præteritæ noctis eſt, ſic Nativitas Virginis finis dolorum, & conſolationis fuit initium. Rupertus lib. 6. in Cantic.

Non enim Beata Virgo feſtis laudibus naſcens honoraretur, niſi ſancta naſceretur. Sanctus Bernardus.

Per arcam illi tantum animæ ſalvantur, per Mariam omnes ad æternam vitam vocantur. Idem.

Quid ſydereum micat in generatione Mariæ, plane quod ex regibus orta, quod ex ſemine Abrahæ, quod generoſa ex ſtirpe David. Idem ſermone in capit. 12. Apocalypſis.

Longe ante patribus eſt cælitus repromiſſa, myſticis præfigurata miraculis, oraculis annunciata propheticis. Idem.

Ipſa eſt ſtella ex Jacob orta, cujus radius univerſum Mundum illuminat, cujus ſplendor, & in ſupernis refulget, & inferos penetrat, ac terras etiam perluſtrat. Idem ſerm. 2. ſuper miſſus eſt.

Tanta gratia Virgini data eſt, quanta uni, & puræ creaturæ dari poſſibile eſt. Sanctus Bernardinus Senenſis.

A Maria vita ipſa vere in Mundum introducta eſt, ut viventem pariat, & ſit Mater Maria viventium. Sanctus Epiphanius adverſus hæreſes.

Eva hominibus cauſſam mortis attulit; per eam quippe mors intravit in Mundum: Maria vero vitæ cauſſam præbuit: per quam vita nobis nata eſt. Idem ibidem.

Pretioſum hodie munus Cælum nobis largitum eſt, ut dando, & accipiendo felici amicitiarum fœdere copularentur humana divinis, terrena Cæleſtibus, ima ſummis. Sanctus Bernardus ſermone de Aſſumptione.

Dei Genitricis natalem complectamur, per quam mortalium genus redintegratum eſt, per quam primigeniæ Matris Evæ mœror in lætitiam mutatus eſt. S. Joannes Damaſcenus in natali B. Virginis.

PARAGRAPHUS V.

Quid depromi poſſit ex Theologia in hoc argumento.

Diſcrimen inter Nativitatem, & Conceptionem S. Virginis ratione gratiæ, quam duobus his diverſis temporibus accepit.

Quamvis Sancta Virgo præſervata fuerit ab originali peccato, & repleta fuerit gratia in ipſo Conceptionis momento; deprehendi nihilominus poteſt aliquod diſcrimen inter ſtatum, vel Myſterium Nativitatis, & illud Conceptionis, ac dici ſtatum, in quo felix hæc creatura naſcens inventa fuit proculdubio perfe-

perfectiorem fuiſſe, & poſſeſſionem, quam tunc illius adiit fuiſſe integriorem, atque abſolutiorem, quam fuerat, ubi eſſe cœpit, vitamque recepit. 1. Quia in Conceptione ſua non erat adhuc juris ſui, neque efficiebat perſonam a Genitricis ſuæ perſona diverſam, ſecundum juriſconſultorum ſententiam aſſerentium Matres, & infantes eo in ſtatu unam duntaxat perſonam efficere, non duas: ita ut cum Maria in ſtatu illo non cenſeretur pars univerſi, & in Mundo non videretur palam, Deus ab illa non reciperet publica obſequia, & apertas gratiarum actiones, quas exigit, & exſpectat a creaturis ratione prædits, quæ confitentur, ſe illi uni debere, quidquid ſunt. Sed cum Maria diviſa fuit a Matre per Nativitatem, tunc incepit ſui juris eſſe, & in Mundo videri; tunc pertinuit ad Deum nova quadam ratione, & utens ratione ſua, cujus jam compos facta fuerat, ſeſe Deo mancipavit abſolutiori, perfectiorique devotione. 2. Si Nativitatis ejuſdem gratiam comparamus cum gratia Conceptionis, liquebit eam, quam recepit in Nativitate ſua toto Cælo eſſe majorem; nam poſt primum illud momentum, & dum ſecretam hanc, interioremque vitam ageret in Matris ſinu, hæc gratia inceſſanter crevit, & ſicuti menſium novem ſpatio, natura præparavit corpus illius, ut juſtam illi tribueret magnitudinem; ita toto hoc temporis intervallo, gratia præparavit ejus animam, ut illam in dies divinæ Majeſtati digniorem efficeret. 3. Credibile eſt, Deum, ut honor accederet ad primum Mariæ ingreſſum in hunc Mundum, momento hoc gratiam prorſus ſingularem contuliſſe, quæ naſcentem efficeret ſanctiorem, quam fuerint unquam homines, & Angeli; ſed quæ fuerit tamquam novus character, qui illam Deo conſecravit, & per quem Deus iterum poſſeſſionem adiit illius.

Incarnatio Filii Dei incipit proprie in Nativitate Mariæ.

Dici jure poteſt Incarnationis Myſterium quodammodo incepiſſe in Conceptione Mariæ, quæ futura erat Mater hujus Hominis Dei; ſed tunc hoc initium latebat in tenebris; & ſicuti dici nequit rivus incipere, niſi tunc, cum fons extrinſecus prodit, non autem donec in terræ venis delitescit, ita Myſterium Incarnationis non incipit in ſinu Sanctæ Annæ, ubi concepta fuit, quæ erat Incarnati Verbi futura Mater, ſed ubi hæc Solis lucem adſpexit. Profecto donec Filii continentur in ſinu Matrum ſuarum, illis non attribuuntur dignitates, neque honores, qui ab illis exercendi ſunt; Rex nondum Rex eſt, cum nondum in lucem editus fuit, ſed exſpectandum dum in Mundum prodierit, & inter homines numeratur. Sed cum Maria in Mundum venit cum corpore, in quo adimplenda eſt Verbi Incarnatio, dici poteſt, a Deo reſpici tamquam illa, quæ futura eſt Mater Filii ſui, ideoque Nativitatem ejus ab hoc momento inchoare; & conſtat ratio, quia eſſentialiter deſtinata eſt ad hoc, ut ſit Mater Dei. Neque dico Deum, poſtquam fecit, ut hæc Virgo naſceretur, illam ad Myſterium hoc elegiſſe; ſed quia de induſtria ad hoc illam creaverat, decretum Creationis ejuſdem involutum fuiſſe in prædeſtinatione ſuæ Maternitatis; & illam vivere incepiſſe tantum, ut Deo vitam tribueret.

Prima Mariæ Nativitas deſumitur ab æterna illius prædeſtinatione in Matrem Dei.

Per prædeſtinationem tribuit Deus Sanctis primam nativitatem in idea, & in corde ſuo, illos ex tunc reſpiciens tamquam opera manuum ſuarum, & tamquam bona ſua. Sed quod Sanctis omnibus commune eſt, peculiare eſt Mariæ propter prædeſtinationem, quam Dei providentia ſingulariter efformavit. Quamobrem Eccleſia tribuit illi hæc Sapientiæ ipſius verba: *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum.* Ne reſpiciatis ſolum viſibilem hanc Nativitatem, quam recipio; mihi glorioſior eſt Nativitas, quæ iſtam præceſſit; ab æterno nata ſum in ideis Dei mei per æternam prædeſtinationem, quæ fuit alterius hujus Nativitatis principium. Hoc ſignificat, Mariam tamquam Dei Matrem conjunctim prædeſtinatam fuiſſe cum Filio ſuo, & Nativitatem ſuam in tempore decretam ſimul fuiſſe cum illa Filii ſui; quod magis proprium eſt Nativitatis beatæ hujus Virginis, quam Conceptionis ejuſdem, quamvis ſit utrique Myſterio commune.

Cur hominum ortus ſit turpis, Mariæ vero glorioſus.

Noſtis cur communis hominum nativitas ſit adeo turpis, & infelix; quia videlicet omnes in originali peccato concepti ſumus; hæc enim miſera eſt hæreditas poſteritatis Adam; & ſicuti eo tempore, quo permanſimus inter latera matrum noſtrarum, nequaquam delere potuimus hoc peccatum, hinc fit, ut oriamur tamquam rei, & iræ filii, ut Apoſtolus inquit, cum adhuc in incunabulis ſumus, & eo momento, quo vitam accipimus, in dæmonis poſſeſſione verſamur. Hinc Patres animadvertunt, infantes in ortu ſuo plorare non ſolum propter naturalem inſtinctum, quo docentur, fore ut plurimis obnoxii malis ſint, ſed propter peccatum, cum quo oriri coguntur. Sed Maria non venit in Mundum hiſce miſeris conditionibus ſubjecta; nam præterquamquod ab originali peccato præſervata fuit ab ipſo ſuæ Conceptionis momento, in Nativitate ſua repleta fuit integerrima Sanctitate, ita ut nequaquam orta ſit quatenus nocens, ſed victrix, atque triumphans eo quod jam dæmonem vicerit, & merita fuerit ingredi in Mundum cum clamoribus gaudii, atque lætitiæ.

Quomodo dici poſſit Mariam ſe dignam præbuiſſe divina Maternitate.

Scio nos ex nobiſmet nihilum eſſe, & nulla re dignos. Deus nos reddit dignos ea re, cui nos pares facit, & dignos ea, quam nos facere complacet ſibi: ideoque ipſe ille Mariam dignam præſtitit, quæ eſſet arca vivens novæ legis, & Mater Filii ſui; *ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur*, ut in quadam ex precibus ſuis canit Eccleſia. Quod non obſtat quominus Sanctiſſima Virgo ab ipſo ortu attulerit adeo ſanctae diſpoſitiones ad divinam Maternitatem, ut dicere poſſimus, illam promeruiſſe non quidem merito juſtitiæ, eo modo quo Sancti ſe dignos præſtant gloria, qua Deus eorum opera bona remuneratur, ſed merito convenientiæ; nam licet Maternitas divina ceteras ſuperet gratias, & habeat aliquem gradum Sanctitatis, ad quem mera creatura pervenire poteſt, honorem adeo ſublimem exigere non poterat, & tandem ſola Dei electio fuit elevationis ejus initium. Tamen ſicuti hæc electio mere bonitatis Dei conſociata fuit omnibus gratiis, quæ poterant præparare Sanctam hanc Virginem ad tantam dignitatem, illa ſemet diſpoſuit per fideliſſimum uſum harum gratiarum, quem facere poterat, ut reſponderet divinis de ſe ipſa Conſiliis, quod præſtitit, ex quo vivere cœpit uſque ad momentum, quo Angelus Dei nomine dixit illi, ipſam plenam eſſe gratia, quaſi vellet innuere ab illa adimpletam fuiſſe menſuram gratiarum, quam Deus exigebat tamquam noviſſimam huic Maternitati diſpoſitionem.

Magnitudo, meritum, & quidquid diſtinguit Sanctiſſ. Virginem, incipit ab ejus Nativitate.

Omnes gradus magnitudinis Mariæ ab ejus Nativitate ſumpſerunt initium, quemadmodum ſemen arboris continet quodammodo omnem pulcritudinem, & fructuum ſuorum præſtantiam. Ita dicere poſſumus, Myſterium, quod celebrat Eccleſia in honorem beatæ Virginis, ſimul eſſe principium, & compendium gloriæ, quæ in ceteris eniteſcit. Eccleſia quoque comparat Sanctam Virginem non ſolum Auroræ prodeunti, ſed auroræ progredienti: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens*, quoniam gratia hæc novem menſibus creverat per optimum uſum illius, quem fecerat. In Mundum ingreſſa eſt tamquam Domina, cum ceteri ingrediantur tamquam captivi; illa ingreditur tamquam Angelorum Regina, quoniam per illam replendæ ſunt ſedes, quas horum ſpirituum rebellio vacuas fecerat; ingreditur tamquam Regina Patriarcharum, & Prophetarum, quo nomine eam vocat Eccleſia, quippe per illam eorum explentur oracula: tamquam Regina Apoſtolorum, quoniam Nativitas ejus initium præbet Evangelio, quod nunciaturi ſunt; tamquam Regina Virginum, quia naſcitur in puritate, quæ eſt perfectior Angelica; denique tamquam Regina Sanctorum omnium, quia naſcitur in ſtatu gratiæ, & innocentiæ plenitudine.

Aliud diſcrimen gratiæ, quam recepit Virgo in Conceptione, & in Nativitate.

Quædam eſt gratia, quæ merus eſt effectus divinæ Miſericordiæ, & quæ nos prævenit, quin id nos illam mereri valeamus; nec deeſt alia gratia, cujus uſum optimum facere valeamus, & quæ optimi hujus uſus eſt remuneratio. Beatiſſima Virgo habuit utriuſque hujus gratiæ plenitudinem die Conceptionis ſuæ, & Nativitatis. In Conceptione recepit illa quidem gratias prævenientes, quæ fuerunt merus effectus divinæ Miſericordiæ; ſed gratia, quam in Nativitate recepit, fuit meriti ſui remuneratio.

Glorioſa Virgo ideo nata eſt ut pareret Dei Filium.

Cum Sanctis Patribus, omnibuſque Theologis dicere poſſumus Sanctam Virginem ideo natam fuiſſe, ut vitam tribueret JESU CHRISTO, & ut hic ex illa, & per illam naſceretur. Hac de cauſſa proculdubio hujus feſtivitatis Evangelium poſtquam accurate recenſuit majores Virginis hujus, concludit tandem per JESUM CHRISTUM, ut innuat hunc finem eſſe Nativitatis ſuæ, & hinc ipſam omnem nitorem ſuum recipere, & ſi in aliis filiis gloria deſcendit de patribus in filios, hic per ordinem inverſum gloria aſcendit a Filio in Matrem: & propter hanc eamdem cauſſam Deus miraculoſam effecit illius Nativitatem, efficiens, ut naſceretur ex parentum ſuorum ſterilitate, non ſolum, ut oſtenderet, ipſam ad magnum aliquod Conſilium deſtinatam fuiſſe, & ſicut Sanctus Joannes Damaſcenus ait, eſſe magnum aliquando miraculum: *Ut ad miraculorum omnium caput, via per miracula ſterneretur*; ſed etiam; ut eſſet opus gratiæ, in quo natura modicam ſane partem haberet.

Damaſc. orat. 1. de Nativ. Virginis.

Conceſſit illi Deus in Nativitate temporali prærogativas, quas ab æterno cenſuit eſſe neceſſarias ad finem, ad quem illam deſtinabat.

Quemadmodum Deus nihil operatur in tempore, quod prius non decreverit in æternitate Conſilii ſui, cumque creata omnia reſpiciant divinas ideas tamquam auguſta exemplaria, ſecundum quæ formata fuerunt, ita ut creaturæ nihil habeant in tempore auguſtius eo, quod illis in æternitate conſtituit; ſequitur, ſi Maria in Dei idea incomparabilis eſt, & ſi dedit illi omnem magnitudinem, perfectionem, omneſque corporis, & animi prærogativas ad hoc neceſſarias, ut eſſet digna Mater Hominis-Dei, inferendum eſſe, in temporali Nativitate nil horum ab eo negatum fuiſſe, & econtra non ſolum omnes has qualitates, talenta,

& pri-

& privilegia fuiſſe conceſſa, ſed quæcumque erant poſſibilia, ut illa ſecernerentur a reliquis creaturis, de quibus non concepit adeo nobilia conſilia.

Singulare Mariæ privilegium obtinuiſſe cum ratione & libertate uſum omnium habituum infuſorum, & ſupernaturalium, quos cum vita receperat.

Singularis eſt gratia Beatæ Virgini conceſſa ab ipſa Nativitate, immo etiam ab eo temporis articulo, quo vitam recepit, obtinuiſſe uſum, & exercitium habituum infuſorum, & ſupernaturalium, quos a Dei bonitate receperat; idque per præcocem rationis, & libertatis uſum, ſupplente Deo infirmitati organorum illius, ita ut, quemadmodum Deus in univerſorum creatione produxit primas arbores fructibus onuſtas, necnon creavit Angelos, & primos homines in ſtatu perfecto, præditos omnibus qualitatibus naturalibus, & infuſis, quæ illis ad agendum erant neceſſariæ, ita voluit Deus, ut Maria eodem tempore ſanctificata, quo reciperet vitam, haberet uſum rationis, & libertatis, & uti poſſet donis, quæ illi communicabat. Quod effecit, ut in Nativitate ſua illa fuerit Sanctior, & meritis ditior, quam fuerat in Conceptione ſua, quia per uſum donorum, & gratiarum, quas in illa receperat, exercuiſſet infinitos actus virtutum præſtantiſſimarum.

Maria non venit in Mundum niſi Dei Mater futura, hæc eſt qualitas perſonæ ejus inhærens.

Eſſe Matrem, & Regis Matrem eſſe non eſt conditio, nec qualitas abſolute perſonis inhærens; hoc quidem pertinet ad felicitatem, & gloriam earum, quibus id contigit; ſed nulla eſt neceſſitas, lex nulla, propter quam tales eſſe teneantur. Hæc qualitas Matris Regis vere quidem illuſtris eſt, ſed quemadmodum illæ, quas fortuna extulit ad hanc dignitatem vivere poſſunt, quin ſint Matres, ita poſſunt eſſe Matres quin ſint Matres Regis; qualitas enim Regis nonniſi accidentalis eſt erga homines, quos pepererunt. Sed Maria non eſſet in Mundo, niſi futura fuiſſet Mater, & nunquam Mater fuiſſet futura, niſi futura fuiſſet Mater Dei. Hæc eſt aurora hujus Solis juſtitiæ, cum aurora neceſſario pendet a Sole, & illa formata non ſit, niſi ut illum promat ex ſinu ſuo, ita Maria ideo fuit, ut in lucem ederet JESUM CHRISTUM, qui ita ſinus eſt illius, ut non alium poſſit habere.

Dei mens fuit non ſolum faciendi B. Virginem Matrem ejus, ſed Matrem ſuam digniſſimam.

Nobis perſuaſum eſſe debet, Dei in Sanctæ hujus Virginis Nativitate Conſilium non ſolum fuiſſe efficiendi illam aliquando Matrem Filii ſui, ſed etiam digniſſimam Matrem, videlicet Matrem, quæ digna eſſet; Matrem, quæ eſſet perfecta, & in omni perfectionum genere ornatam, qualem expetit dignitas Matris Dei, quæ ita ſublimis exiſtit, & excellens, ut Deus nequeat facere Matrem hac majorem, neque evehere ad altiorem dignitatis gradum meram creaturam, niſi ad hypoſtaticam unionem attollat. Cum igitur Conſilium hoc captum fuerit per divinam Sapientiam, cogitare poteſtis, utrum illam ornari voluerit iis gratiis, & privilegiis præditam, quæ meretur hæc dignitas, cui par nulla eſt.

Deus dedit Sanctæ Virgini gratias, & qualitates neceſſarias ad ſuſtinendam dignitatem ad quam illam deſtinaverat.

Nunquam Deus aliquem attollit ad aliquod munus, quodcumque illud ſit, quin ſimul tradat illi qualitates elevationi ejuſdem appoſitas ſecundum illud axioma, Eum, qui dat eſſe, dare etiam ea, quæ ad hoc, ut ſit, ſunt neceſſaria; itam exempli gratia, ſapienter non ageret, qui magnifici alicujus ædificii graphidem, atque veſtigium proponeret, ac illud ex ſtipulis tantum, & gypſo ſtrueret; qui grande meditaretur opus, & in illo adimplendo deficeret, eo quod non admodum ſollicitus fuiſſet, ut ea excogitaret media, ut omnia ſibi cederent ex voto. Opus igitur, quod minime reſpondet magnitudini conſilii propoſiti arguit vel imprudentiæ, vel impotentiæ, vel nequitiæ auctorem illius: imprudentiæ quidem, ſi non ſatis meditatus eſt; impotentiæ, ſi exequi non potuit, quod cœpit; nequitiæ vero, ſi noluit operi ſuo eam perfectionem tribuere, quam debebat. Infinita Sapientia! Omnipotens bonitas Dei mei! Suſceptum ab æterno Conſilium de Maria, fuit illam parentem tuam facere. Hic fuit ille finis quem tibi propoſuiſti, illam nempe Matrem tuam facere; finis ampliſſimus, maximeque nobilis, & admirabilis, quem concipere poſſes; hoc poſito, quod nolles ſupergredi terminos creaturæ. Hinc ergo conjicite, utrum opus ſit, ut hic Filius, Sapientiſſimus, Potentiſſimus, & Optimus ſummo niſu teneatur Matrem ſuam ſe dignam præbere? Nonne Filii hujus honor agitur, communicare, quantum fieri poteſt, divinitatem illi, per quam homo efficiendus eſt? Ita ſane; & huic rationi incumbentes Sancti Patres, atque Theologi Dominæ noſtræ gratiam metiuntur, & dicunt admirabilia: aliqui enim tenent, ſatis probabiliter, gratiam illam non fuiſſe aliis gratiis ſimilem, ſed peculiaris ſpeciei, ſine ulla comparatione majoris, & præſtantioris, quam illa ſit, per quam efficimur adoptivi Dei Filii; & ſi quæritis ex his doctoribus cujuſnam ordinis ergo iſta ſit gratia, & quomodo vocanda ſit, ajunt ordinis eſſe hypoſtatici, & nomen eſſe inveniendum, quod aliquam habeat proportionem cum dote, quam Pater omnipotens dare debet dilectiſſimæ Filiæ, cum uſufructu, quem Filius ſupremi rerum omnium moderatoris Matri ſuæ dilectiſſimæ concedere. Dicam melius; hæc illa eſt gratia, quæ fecit Mariam primogenitam Æterni Patris filiam, quæ illi jus contulit, ut Verbi Mater eſſet, & quæ illam dignam reddidit, ut eſſet Sponſa Spiritus Sancti.

Impeccabilitas propria Sanctæ Virginis, cum qua venit in Mundum.

Sanctiſſima Virgo non omnino fuiſſet immunis a peccato, neque eam, quæ ipſi debebatur, libertatem obtinuiſſet, niſi impeccabilitas fuiſſet, aut fructus illius, aut neceſſaria concomitantia. Ne vobis ſtuporem incutiat nomen hoc impeccabilitatis. Novi hoc attributum, ſi preſſius accipiatur, ad unum pertinere Deum, & JESUM CHRISTUM, ad Deum per eſſentiam, utpote qui eſt ipſa rectitudo, & omnis rectitudinis norma, quæ flecti, & declinare non poteſt; & JESUM CHRISTUM per oppoſitionem, quam habet peccato per unionem hypoſtaticam, beatumque ſtatum, qui illi debitus eſt. Sed novi quoque Filium Patris Æterni, Matrem JESU CHRISTI, Sponſam Spiritus Sancti orientem ſecum tuliſſe in Mundum privilegium quoddam, quod quocumque nomine vocaturi ſitis, ego dicam impeccabilitatem, quia hujus privilegii virtute non ſolum reipſa non peccavit, ſed moraliter loquendo, ne poteſtatem quidem habuit peccandi. Albertus Magnus tenet confirmationem in gratia, in qua erat, & hanc impotentiam peccandi, nequaquam ſimilem fuiſſe illi Sanctorum quorumdam, ſimplicem videlicet protectionem Providentiæ Dei, quæ protectio tutabatur illam adverſus objecta, & incurſus, qui illam rapere poſſent ad aliquid minus rectum; ſed interdictum aliquod magis naturale, & pulchrum magis intimum, conſiſtens in plenitudine gratiæ debitæ Dei Genitrici. Sanctus vero Thomas de hac loquens impeccabilitate, ſatis oſtendit ſe loqui de quadam impeccabilitate, quæ non longe diſtat ab illa Beatorum; videlicet, quæ formata, & ſtatuta fuit in illa per interiorem ſtatum gratiæ, & non tamquam immunitatem a peccato, quæ eſſet extra illam per ſpeciem protectionis, & circumvallationis procedens a providentiæ cura, quæ omnem ab illa tentationem removebat.

Omnes actiones S. Virginis ordinatæ fuerunt ſecundum gratiam Matris Dei.

Quemadmodum JESUS CHRISTUS ſecundum humanitatem poſſedit ſemper gratiam ſubſtantialem, quæ illum ſemper egit in hoc ordine, quin inde poſſet egredi ne ad unum quidem momentum, neque uno quidem motu; ita Mariam taliter poſſedit hæc gratia Matris Dei, ut nunquam agere potuerit ab ipſo primo vitæ ſuæ momento uſque ad finem, niſi ſecundum hanc qualitatem, & deinde cum omnes affectiones, & actiones JESU fuerint humanitus divinæ, omnes actiones Virginis Sanctæ fuerunt cum aliqua proportione ad gratiam, a qua ſuam mutuantur originem.

Ex ipſa Nativitate Sanctæ hujus Virginis tribui debent honores, qui illius dignitati debentur.

Nativitas illud primum eſt, per quod perſona fit nobilis, & quod illam educit ex tenebris, ut eam proferat in hominum lucem. Quamvis recipiamus eſſe, antequam naſcamur, hoc tamen non eſt niſi incognitum eſſe, quod ſemet in Nativitate producit, atque tunc juxta perſonarum qualitatem honoratur. Principum filiis, ſimulac nati ſunt, debentur honores congrui magnitudini generis ſui, & ſi Reges futuri ſunt, ex illo momento habentur pro Regibus. Statim oculi conjiciuntur in id, quod illos magis commendat, & ſecundum hanc normam metimur honorem, quem illis debemus, & noſtræ congratulationis officia. Denique quandoquidem Sancta Virgo in lucem prodire cœpit ea die, qua nata eſt, Nativitatem hanc celebrare debemus ſecundum ea, quæ in hac maxime eniteſcunt; quod quidem eſt, Naſcentem hanc Virginem futuram eſſe Verbi Incarnati Matrem, ideoque æquum eſt, ut reddamus illi honores, qui tantam hanc decent dignitatem. Hoc nobis ſuadet Eccleſia in hodierna Feſtivitate. *Glorioſæ Virginis Mariæ ortum digniſſimum recolamus, quæ Dei Genitricis dignitatem obtinuit.*

Illuſtris Nativitas Sanctæ Virginis ſecundum naturam & gratiam.

Sancta hæc Virgo nata eſt ex nobiliſſima, & vetuſtiſſima univerſi progenie; quidquid enim ſanctius, atque illuſtrius invenitur in Regibus, & Patriarchis veteris Teſtamenti, occurrit in illius genealogia, quæ ut Sanctus quidam Pater ait, incipit a Divinitate, & deſinit in JESU CHRISTI humanitatem; ſed poſt omnia, ſi quem inde percipit ornatum, fatendum eſt, ipſam longe majorem ſine ulla comparatione conferre, quandoquidem eſt non ſolum gloria Jeruſalem, qui locus eſt Nativitatis ipſius, & honor domus David; verum etiam humani generis corona. Unde ſequitur, ipſam natam eſſe Reginam, & Mundi Dominam ſecundum virtutem nominis ſui, & Eccleſiæ ſententiam, quæ illi hunc titulum impertit; & quatenus talem illam colere debemus, & nos beatos cenſere, ſi vixerimus ſub imperii ejuſdem ſuavitate; nam ſervire illi regnare eſt; egregie dicit Sanctus Anſelmus. Ita felix eſt hora, felix momentum Nativitatis tuæ, o Mundi Regina; Felix tibi, felix omnibus hominibus, quoniam ad eorum ſalutem nata es.

Cur Evangeliſtæ fuſius locuti non ſunt de Nativitate Sanctæ Virginis.

Myſterio non vacat ſilentium Sacræ Scripturæ, quæ nihil ſingulare nos docet de Sanctæ Virginis Nativitate, & in recenſione genealogiæ ſuæ ſatis eſſe putat ipſam fuiſſe conjugem Joſeph, & de illa

patum fuiſſe JESUM CHRISTUM. Ita enim ſecundum Scripturarum ſtylum, quæ paucis verba plura complectuntur, innuit, ad cognoſcendas Nativitatis ejuſdem prærogativas, ſcire ſatis eſſe illam prædeſtinatam fuiſſe, ut eſſet Dei Mater, inde enim judicium ferendum eſt. Sed judicium quoque, quod inde fit, & cognitio, quæ illinc elicitur, nos jubet confiteri gratias atque favores adeo eminentes, ut illos nunquam credere poſſemus, niſi cognoſceremus magnitudinem dignitatis Matris Dei, quæ tanta eſt, adeoque ſublimis, ut Deus nequeat facere Matrem majorem, neque meram creaturam ad altiorem dignitatem evehere. Ita dicimus ex triplici hoc verbo, ſi illa, uti opus eſt, ponderare noverimus, liquere, quidquid dicendum eſt de Sancta Virgine. Quid opus eſt latius ſe extendere de omnibus Nativitatis ejuſdem privilegiis? Qui dicit, illam eſſe debere Dei Matrem, dicit omnia.

Ratio propter quam gaudet Eccleſia in B. Virginis Nativitate.

Si homines tantam præ ſe ferre conſueverunt lætitiam, cum filii ſuo Regi naſcuntur, quia ſibi Reges naſcuntur, & Domini; mirum eſſe non debet, Nativitatem Sanctæ Virginis tantam peperiſſe Cælo, ac terris lætitiam, ut canit Eccleſia; quia futura eſt Angelorum hominumque Regina; ſed multo major eſſe debet lætitiæ cauſſa in Mariæ Nativitate, quam in Principum aliorum; latet enim, utrum regnum horum felix ſit futurum, an infelix; & fieri poteſt, ut gratulemur de maxima calamitate, quæ accidere valeat regioni, videlicet incidendi in manus Regis inſipientis, ut inquit Scriptura.

Regulæ quas ſervavit Deus in gratiis, quas fecit Sanctiſſimæ Virgini.

Animadvertunt Theologi, Deum tribus uti regulis in gratiarum ſuarum diſtributione. 1. Eſt dignitas perſonarum, quibus illas concedit; etenim aptare debet gratiam dignitati. Hinc ſequitur, quandoquidem Maria ſuperatura erat dignitate ceteras creaturas per Deiparæ qualitatem, eas gratia quoque ſuperare debuiſſe. Altera hujus diſtributionis regula eſt amor, quo creaturas complectitur; amare enim, eſt velle alicui ea, quæ bona ſunt; & in Deo, amare, & velle alicui bona, unum & idem eſt. Si Deus ergo plus dilexit Beatam Virginem ab ortu ejus, quam aliam quampiam creaturam, illi etiam quam ceteris plures gratias communicavit. Tertia diſtributionis hujus gratiarum regula eſt munus, cui ſingulas deſtinat creaturas; ſed quodnam majus munus, quam eligi in Matrem Salvatoris, & hoc modo fieri Mundi Redemptricem?

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Quæcumque invenitur difficultas in celebranda ſummorum virorum die natalitia, quia nihil tunc poteſt efferri, hoc dici nequit de illa, quæ naſcitur Dei Mater futura.

EX omni genere Panegyricarum orationum, de quibus Rhetores nobis reliquerunt præcepta, illud proculdubio eſt difficillimum, quod habetur ad hominum natalitiam diem celebrandam. Quodcumque adſit ingenium, & quæcumque dicendi facultas, arduum ſemper eſt gloriæ laudem aſſequi in argumento quod nihil ad dicendum ſuppeditat: laudare enim puerum, quia claris ortus eſt genitoribus, & parentibus ampliſſimis, hoc eſt laudare majorum nobilitatem, atque virtutem, non autem peculiare hominis meritum celebrare: Horoſcopis vero detegendis tempus terere, hoc eſt multa quidem effutire verba, & mendacia, ut plurimum, venditare. Hoc tamen mihi negotium minime faceſſit; & beatæ Virginis Nativitas eſt argumentum, in quo difficilius eſt principium, quam exitum invenire. Non ita Auditores; non reſarciam Virginis elogium aliunde petitis laudibus; non exornabo ejus incunabula trophæis tot ſtrenuorum ducum, neque capiti ejus imponam coronas David, & Salomonis, neque illam induam purpura tot Regum, a quibus originem duxit, neque ejus gloriam extollam honoribus Thiaræ, ſummique Sacerdotii, quod illius avi ultra annos mille poſſederunt. Præteribo illius jura ad Judææ regnum, aliaque privilegia, quæ probant antiquitatem quadraginta generationibus vetuſtiorem. Nimis refulget vera gloria, ut aliam extra ipſam inquiramus; vel ut illam emendicemus ab iis rebus, quæ nonniſi eminus ad ipſam pertinent.

Omnes homines in ortu pares ſunt, & externas ad ſummum habent, & accidentales qualitates. Hoc de B. Virgine dici nequit.

Quodcumque inveniatur diſcrimen in hominum conditione, dum vivunt, omnes ſunt pares venientes in Mundum. Qui naſcuntur in croco, & in purpura, non mitiorem inveniunt naturam iis, qui ſunt pauperiores. Utrique ex Matrum utero nudi prodeunt, atque certum eſt ipſos eo temporis momento ex æquo deſtitutos eſſe vitæ hujus commodis, atque ingenii viribus; nam tandem tituli, quibus per conſuetudinem decorantur, & nomina, quæ ad arbitrium illis imponuntur, ſi proprie loquamur, illos diſtinguere nequeunt. Ille Princeps vocatur, hic ruſticus, quia ille quidem Monarchæ filius eſt, & hic Agricolæ: ſed præter quam quod hæ qualitates ſunt alienæ, & accidentales, fieri poteſt, ut invitis hominibus, & contra humanarum legum diſpoſitionem Agricolæ Filius aliquando ſceptrum geſtet, & Regis Filius vomere terram ſcindat. Sed hoc accidere non poteſt beatiſſimæ huic Virgini, quæ in lucem prodit amicta ampliſſima dignitate, cui par eſſe poſſit ſimplex creatura, & quamquam ab Annæ utero rubeſcat adhuc, jam poſſidet admirabile nomen Matris Dei. Dico illam jam poſſidere; cum enim Deus hoc illi per æternum, & immutabile decretum illi deſtinaverit, poſſeſſio illius rata, certaque habetur: in communi enim ſermone id factum cenſetur, quod certiſſime faciendum eſt; & quoniam ab æterno decrevit Deus, Salvatorem naſciturum ex ſacrato Mariæ ſinu, nonne dici poteſt Mariam Matrem eſſe Salvatoris; & quoniam Matris officium obitura eſt, nonne hæc illi dignitas eſt deferenda? *Idem.*

Maria ab ipſa Nativitate jam avecta eſt ad celſiorem dignitatem, ad quam mera evehi poſſit creatura.

En igitur Virginem hanc ab ipſo ſuæ Nativitatis exordio jam evectam ad eam dignitatem, cui par eſſe poſſit mera creatura; Ecce illam jam ſublatam ſuper ea omnia quæcumque in terra magnitudinem habent, imperium, majeſtatem; ecce illam, quæ ſola licet, conſtituit in Mundo peculiarem Hierarchiam. Angeli, Virtutes, Dominationes, Throni, Seraphim, accedite ad honorem Reginæ veſtræ tribuendum. Voſmet in obſequium compoſiti proſternite coram illius incunabulis, deoſculamini cum veneratione ſacra lintea, quibus eſt involuta, & tandem quin tantam hanc illi felicitatem invideatis, fateamini eam Matrem eſſe illius, cujus nonniſi vos eſtis famuli, & Miniſtri. *Idem.*

Maria ab ipſa Nativitate eſt omnibus modis Sancta.

Maria Sancta eſt in Nativitate ſua; hoc recens eſt miraculum; quoniam nihil tale uſpiam viſum, & auditum eſt: admodum difficile, Deus enim unus illud facere potuit; admodum eximium, quia ſuperat omnes conſuetas leges Providentiæ. Si Sanctitas deſumitur pro immunitate a peccato, omnes homines ad illam diem nati erant in corruptione; ſi accipitur pro gratia habituali, nemo adhuc illam ſecum attulerat; ſi denique confunditur cum operibus bonis, & meritis, tamquam eſſentialiter a voluntate profectis, liquet perſonas ſine cognitione, & ratione omnino mereri non poſſe. Sola Beata Virgo Sancta omnibus hiſce modis invenitur veniens in Mundum; & hæc naſcens aurora ſimul peccati umbras expellet, rutilat gratiæ luminibus, & meritis, virtutibuſque coruſcat. *Idem.*

Nativitas Mariæ parum aliquid eſſe videtur extrinſecus, ſed multa complectitur magnalia.

Opera Dei eminent præ operibus hominum quodam magnitudinis charactere, qui ſibi proprius eſt. Hominum opera nonniſi externam habent ſpeciem ſine virtute, ac interna ſoliditate, cum Dei opera, ut plurimum, extrinſecus parum aliquid eſſe videantur, ſed in ſemetipſis continent infinitam magnitudinem, & ipſe gaudet nonnunquam re adhuc integra abſcondere in oculis Mundi, quæ mox factura ſunt Cæli, terræque admirationem. Hinc ſi carneis oculis Mariam naſcentem intuemur in domo Matris ſuæ, non concipimus ſublimem ideam parvulæ hujus creaturæ, quæ Mundo videtur ſimilis filiabus hominum; ſed ſi oculis fidei inſpiciatur, hæc illa eſt Virgo per Prophetas prædicta, quæ Judæis Meſſiam datura eſt, & nubes illa, quæ Juſtum pluere debet; intelligitur decus totum filiæ Regis ab intus eſſe, & quamvis in oculis Mundi non rutilet, eſſe tamen opus eximium gratiæ Dei. *Ex ſermone MS. Patris Garnerii ex Auguſtiniana Familia.*

In Nativitate Mariæ conſideranda ſunt tantum gratiæ bona.

Mundus in ortu pueri naturæ tantum, vel fortunæ bona conſiderat; ut palpet ambitionem illius, ſi capax eſſet, vel ſaltem illam parentum illius, quæ quidem eſt magna. De generatione in generationem altius ea petuntur, quæ exornare valent illius incunabula nobilitate majorum, & ſæpe ut in vanitatis trophæum convertant argumentum dedecoris, educunt puritatem ex rivo, qui de corrupta origine manat, perinde ac ſplendidiſſima quælibet nativitas, non eſſet ſemper turpis, cum ſit nequam. Omnes naſcuntur peccatores, & indigent gratia Salvatoris: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*, Apoſtolus inquit; & perinde ac filii Adam, qui in pauperiem inciderunt per primi parentis peccatum, poſſent haurire gloriam ſuam ex ſanguine corrupto, donec nobilitentur per gratiam JESU CHRISTI; *Ad Rom. 3.* qui ex Judæis maxime callebant annalia Synagogæ, reſpicere poterant Mariam in Nativitate ſua tamquam puellam natam ex Patriarcharum, Prophetarum, Regum Iſrael, ac Summorum legis Pontificum ſemine, quorum ſinguli totidem erant inſignium encomiorum argumenta: Sed domus ſuæ lapſus, & plebeja conditio gloriæ majorum videbatur officere. Neſciebant fortaſſe, Deum permiſiſſe ideo fortunarum ſuarum exinanitionem, ut tanto magis extolleret opus gratiæ ſuæ; opus eſt enim vacuum eſſe Mundi hujus ſubſtantia illum, qui replendus eſt Dei donis; & ſæpe deficientia fortunæ naufragium eſt diſpoſitio ad obtinendas Cæli benedictiones. Ita Deus non reſpicit in Maria hos magnitudinis, nobilitatis, rerumque præclare geſtarum ab illius majoribus titulos; quæ omnia ſine gratia nullius erant meriti; quia minime perhibebant, quominus (non ſecus ac plures e ſua progenie) reprobarentur. Honores, & opes hujus Mundi peccatoribus æque, ac Juſtis communes ſunt. Maria diſtinguenda eſt bonis gratiæ, quæ ſunt ordinis ſuperioris, & ille, qui infinite ſuper omnia Mundi magnalia excellit, vult eam in paupertate, & humilitate naſci,

quam

quam cupit attollere ſuper omnia opera ſua per gratiæ ſuæ magnificentiam. *Idem*.

Diſcrimen inter Mariæ, aliorumque Nativitatem. Maria in hanc lucem prodeunte, oſtendit Dominus in illis gratiæ ſuæ largitatem. Dicere audeo, Judææ colles illi fuiſſe recentem Paradiſum, ubi coruſcabat originalis Juſtitiæ fulgoribus, perfectionibus cumulata. Sancta eo in ſtatu, quo infantes alii ſunt nequam; illuſtrata luminibus eo tempore, quo alii in tenebris ignorantiæ verſantur, libertatis ſuæ domina, dum alii ſerviunt cupiditati. Tale eſt diſcrimen inter Filiam Dei, & reliquos filios hominum. Heu! mirumne videatur alicui, Deum plures contuliſſe gratias illi, quam deſtinabat futuram Filii ſui Matrem, quam Patriarchis, & Angelis? Ah! proculdubio illam extulit ſupra celſiſſima montium cacumina. *Fundamenta ejus in Montibus Sanctis*. Præventa gratia ſimul, ac in natura formata, eſt in poſſeſſione Dei ab Initio viarum ſuarum; Dei eſt, antequam ſui. Hoc efficit Nativitatem illius eo mirabiliorem, quo majoribus nitet privilegiis; cum e contra ideo miſera eſt noſtra, quia in Mundum ingredimur tamquam in terram maledicto obnoxiam, & quæ, qua die vitam nobis conferre videtur, mortem infert. *Idem*.

Maria orta eſt immunis a cupiditate, cui ceteri ſunt obnoxii. Maria in lucem edita immunis a peccato, & effectis peccati, non ſentiebat ſicuti nos fatalem hanc membrorum legem adeo oppoſitam legi Dei, quæ efficit, ut juſtiſſimus quiſque gemat ſub pondere carnis ſemper rebellis Spiritui. Non obnoxia certaminibus illis, in quibus homo idem modo victor eſt, modo victus, ea gaudet malacia, quam cupiditatum procellæ perturbare non poſſunt. Cupiditas, quæ naſcitur cum nobis, ut nos ad mortem uſque in malum impellat, in illa mortua eſt, antequam naſceretur, & non prohibet, quominus integrum ſit animæ ſuæ tendere in Deum toto vitæ ſuæ ſpatio; diceres, illam diverſæ naturæ eſſe a noſtra, immunem ab infirmitatibus noſtris, paſſionum ſuarum dominam, liberatam a ſervitute filiorum Adam, in cordis ſui innocentia cum hac Sancta libertate ambulare. Nativitas noſtra, Fratres, hac non gaudet prærogativa, quia peccatrix eſt. Heu! Naſcimur in peccatis, in tenebris ignorantiæ, & in cupiditatum ſervitute. *Idem*.

Nativitas ſanctiſſimæ Virginis eſſe debet exemplar noſtræ regenerationis ſpiritualis per baptiſmum in qua gratiam recipimus. Nativitas Sanctæ Virginis eſt veluti ſignum noſtræ regenerationis. *Hodie nata eſt illa per quam omnes renaſcimur*, inquit Petrus Damiani; & prima nativitas noſtra infelix eſt, quatenus filiorum Adam, qui omnia geſtant lineamenta peccati protoparentis ſui. Secunda nativitas noſtra glorioſa eſt, quatenus ſumus Filii JESU CHRISTI, geſtantes Salvatoris veſtigia; gratiam, quæ denuo in nobis deliniat fidei lumina; gratiam, quæ nobis tribuit libertatem filiorum Dei. Ita Pater Cæleſtis cogere volens eos, quos ſibi in filios adoptat, ut ſeſe præbeant conformes Sanctitati Filii ſui, vult illos ſpiritaliter renaſci in Eccleſia, quemadmodum facere vult, ut temporaliter naſcatur JESUS CHRISTUS de Maria. Quapropter Sanctus Auguſtinus eos, qui baptizantur, appellat filios *Natos, & conceptos in utero Eccleſiæ*. Sed plerique non intelligunt virtutem divinæ hujus Nativitatis, quia in regenerationis Sacramento non reſpiciunt niſi viſibilem ablutionis cæremoniam, non autem inviſibilem gratiæ unctionem, quæ imprimit in anima Chriſtiani characterem; per quem pertinet ad JESUM CHRISTUM jure eo, quod alienari non poteſt, & tamquam nova creatura, quæ Sancta eſſe debet, quia illi prorſus eſt conſecrata. *Idem*.

Excellentia gratiæ divinæ adoptionis, quam ſuſtinere debemus ad exemplum Mariæ. Intelligitiſne, Chriſtiani, hanc gratiam adoptionis, quæ vobis tribuit jus vocandi Deum Patrem veſtrum, Mariam Matrem veſtram, & fratrem veſtrum JESUM CHRISTUM; Suſtinetis ne divinas has qualitates ſanctitate vitæ veſtræ? Vera Chriſtiani nobilitas eſt, Dei Filios eſſe; qualitas hæc omnem complectitur; ſed illam intelligunt pauci, pauci ſervant, pauci vivunt, ut decet Filios Dei. Vir nobilis dedignatur a genere ſuo degenerare; & Chriſtianus non erubeſcit degenerare a Nativitate adeo divina per vitam prorſus animalem, & carnalem, reverſus in lutum originis ſuæ, & in primas tenebras! alias coinquinati eratis, Apoſtolus ait: *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis*! Alias eratis tenebræ, nunc autem lux eſtis in JESU CHRISTO; quia gratia regenerationis effundit lumina prorſus divina in animam Chriſtianorum, qui egreſſi de nocte infidelitatis, ut ingrediantur in lumen fidei, cum ſint filii lucis, abrenunciare debent operibus tenebrarum, ita ut vita eorum debeat eſſe lumen coram Deo, & coram hominibus: *Ut filii lucis ambulate*. Denique hæc veſtræ regenerationis gratia conterit vincula originalis peccati, & confert nobis libertatem filiorum Dei, & hæc libertas ſecundum S. Auguſtini doctrinam in hoc ſita eſt, ut criminibus careat. *Vera libertas eſt carere criminibus*. *Idem*.

1. Ad Cor. 6.

Ad Ephel. 5.

Nativitas Mariæ illi quidem lætitiæ cauſſa eſt, nobis autem gloriæ. Magna afficimur lætitia in Principum Virorum nativitate; tamen peccatores oriuntur, ut ceteri, atque ideo damnati, ut non ſecus, ac ceteri ſint miſeri. Videntur quoque ipſi ploratibus ſuis, quos non ſecus, ac alii effundunt, damnare gaudium, quo ſua nativitas celebratur. Mariæ Nativitas huic malo obnoxia non eſt; hæc illi quidem gloriæ cauſſa eſt, nobis autem lætitiæ. Maria non naſcitur, ut ſit miſera; cum enim non ſolum Sancta ſit, ſed creaturarum omnium Sanctiſſima; Quænam hinc tibi gloria eſt Virgo! Sed quod nobis conſolationis, & confidentiæ argumentum! Bonitatis, atque Sapientiæ Verbi æterni erat replere Matrem ſuam gratia uberiori ipſo primo vitæ ſuæ momento, quam fuerit gratia Sanctorum omnium in ipſo mortis articulo. Inquiet fortaſſe quiſpiam, illam in Nativitate ſua nondum fuiſſe Dei Matrem; ſed nonne jam Mater erat in mente Dei? Non erat Mater in æternitate, cui omnia præſentia ſunt; deinde vero fundamenta nonne aptantur altitudini, & magnificentiæ domus, quæ ſuper eſt ædificanda? Diſpoſitiones nonne congruere debent excellentiæ formæ illius, quæ aliquem eſt animatura? Quamvis nondum ſit Mater, quænam ergo eſſe debebat gratia, quæ Mariam erat præparatura ad Deum recipiendum? quænam eſſe deberet noſtra, qui quotidie in communione Deum eumdem recipimus? *Pater Nepveu in 3. Tomo Conſiderationum*.

Si gaudemus in ortu eorum, a quibus bonum aliquod ſperamus, quid nobis faciendum eſt in Mariæ nativitate. Mundus congaudet, feſtiviſque ignibus celebrat nativitatem eorum, a quibus ingentis ſperat ſe boni conſecuturum. Hæc vulgata eſt publicarum lætitiarum cauſſa. Si liqueret fore, ut pueri qui naſcuntur, allaturi populis excidium, vel eorum exemplum cedat in publicæ rei detrimentum, lacrymæ effunderentur, non lætitiæ voces; gemeretur; ſed quia latet, quod futurum eſt, & tales præſumuntur futuri, quales optantur, omnes exultant. Si pater Principis orti amatur a ſubditis, quia paterne eos regit, facile ſibi perſuadent filium quoque Patri ſimilem futurum, ejuſque virtutes imitaturum; & hæc cauſſa eſt, propter quam ſubditi in lætitiæ ſenſus erumpunt videntes novum Succeſſorem, a quo ſuæ ſperant felicitati conſultum iri. Evangelium meminit duarum nativitatum, quæ plurimam attulere lætitiam, quarum prima fuit Sancti Joannis Baptiſtæ: *multi in nativitate ejus gaudebunt*. Gaudii hujus cauſſa ab Angelo allata fuit, quia futurus erat magnus coram Domino, & plurimos converſurus erat ad Deum vitæ auſteritate, & prædicatione. Cujus vaticinii veritas cum fuerit confirmata ſæculorum omnium experientia, videmus quotannis magnis lætitiæ ſignificationibus natalem Sancti hujus diem celebrari. Idem Evangelium ſubinde narrat, Salvatore in Bethlehem nato, Angelum Paſtoribus apparuiſſe, excubias agentibus ſuper armentis ſuis, eiſque dixiſſe, ſe annunciare illis nativitatem Salvatoris, qui liberaturus erat populum ſuum, & dicere ſatis eſt, nullius unquam nativitatem tantum bonorum Mundo eſſe allaturam. Eamdem ob cauſſam nonne congaudere debemus in Nativitate Beatæ Virginis, quæ in lucem edidit illum, qui peperit etiam omnium felicitatem? *Ex Sermone Patris Dureau de Mariæ Nativitate*.

Lucæ 1.

Nihil prædictio eſt falſo in SS. Virginis Nativitate. Nequidquam vanitas, & oſtentatio futuri tenebras ſcrutari voluere, atque ut adularentur amori Patrum erga filios quæſiverunt in lineamentis male impreſſis in facie illorum, vel in aſtris nativitati eorum præſidibus futuræ eorum magnitudinis præſagia. Eventus rerum ſæpe aperuerunt aſſentantium horum vaticiniorum mendacia: nihil tale nobis metuendum eſt de puella hac admirabili, cujus natalitium diem celebramus. Nulla ſunt, quæ tuto de illa ſperare, & polliceri nequeamus. Aurora eſt, quam dies omnium pulcherrima excipiet; vix quidem in ortu ſuo percipi poteſt; cooperta eſt umbris humanæ infirmitatis, ſed quam primum videbimus eam omni coruſcantem fulgore Solis, cui præcedit. *Ex ſpecimine ſermonum pro Panegyricis*.

Maria naſcens infans quidem videtur, ſed ſatent futuræ magnitudinis præſagia. Mariam in ſua Nativitate conſidero tamquam parvulum fontem, qui primum quidem anguſtum rivulum efficit, Fontem ſignatum, & abſconditum; ſed qui mox in fluvium magnum excreſcit. *Fons Signatus*. Hodierna die recipimus tantum primitias virtutum, & gratiarum Mariæ; ſed hanc naſcentem Auroram excipiet Sol juſtitiæ per Nativitatem Filii Dei, qui infinitas benedictiones ſuper terram effundet. Parvulam nubem, quæ in oculis Eliæ levis tantum vapor videbatur, ſubſecuta eſt ingens pluvia, quæ miram attulit univerſæ terræ Iſrael ubertatem. Maria in incunabulis parvula videtur creatura, ſed ex hac manare debet fons omnium benedictionum. Inde præſertim Nativitas ejus efficitur noſtris obſequiis digna, quia egreſſa ex Annæ ſterilis ſinu, dicere poſſumus ipſam a gratia non a natura vitam excepiſſe. Natura enim homines facit, gratia vero Deos. *Ego dixi Dii eſtis*. Perficit in animabus noſtris imaginem, & ſimilitudinem Dei, quam natura inchoat; Sed hæc nativitatis lineamenta, quæ ſemper imperfecta ſunt in hominibus, in Maria inſolita luce coruſcarunt. Ordinis ſuperioris gratia efformavit primum in hac Anima electa imaginem Dei, longe perfectiorem, quam in alia qualibet creatura. *Ibidem*.

Maria toto Cælo majorem meruit gloriam a Filio quem Unica gloria, quam jactare poſſunt naſcentes filii, ducitur ex eorum nobilitate, atque virtute, a quibus vitam accipiunt; ſed en Filiam, quæ licet originem

paritura eſt, quam a majoribus, a quibus ſanguinē duxit.

ducat a Regibus, atque Patriarchis toto Cælo minorem haurit ex avis illuſtribus, ex quibus genus duxit, gloriam, quam a Filio, quem eſt paritura. Filius hic nondum natus jam conſtituit gloriam illius, de qua naſciturus eſt, & alterius Nativitas efficit, ut alterius Nativitatem jam celebremus. Aurora eſt, quæ aſſurgit, ſed quæ lucem a ſubſecuturo Sole mutuatur; flos eſt, qui germinare incipit, ſed qui eo nobilitatur fructu, quem eſt producturus. Fit quædam veluti pugna inter naturam, & gratiam in Mariæ Nativitate. Ordo naturæ petit, ut Matris Nativitas præcedat Filii Nativitatem; ſed gratiæ ordo poſtulat, ut Matris gloria unice deſumatur a Filio. Dabis Maria Corpus Filio tuo; ad id Providentia te hodierna die in lucem prodire jubet; ſed tu JESU, conſtitues omnem magnitudinem, & gloriam Mariæ. Hinc Evangelium non aliud profert elogium Sanctæ Virginis, perinde ac cum dixerit, *de qua Natus eſt JESUS*, nihil addi poſſet ad gloriam illius celebrandam. *Ibidem.*

Cauſſa gaudii noſtri in Mariæ Nativitate.

Si primum, quod tribuunt populi majeſtati Regum ſuorum obſequium, eſt in eorum nativitate gratulari; ſi feſtivos accendunt ignes, ſi illis coronas offerunt, ſi illis in ipſis incunabilis trophæa attollunt; nonne hodierna die æquum eſt, a nobis eoſdem honores deferri Mariæ naſcenti, non ſolum propter ſublimem dignitatem eidem præparatam, verum etiam propter gratias, & virtutes, quibus Anima ejus ornata eſt ea in ætate, qua alii non recipiunt niſi maledictionem peccati, & qua in Mundum non ingrediuntur niſi tamquam dæmonis mancipia. Sancta hæc puella jam gratiis, meritiſque referta eſt; ſimilis eſt arboribus miraculoſis creationis Mundi, quæ momento prodeunt in omni decoris ſpecie, & ex terræ ſinu exiliunt onuſtæ foliis, fructibuſque. Ita Maria prodit ex Matris utero puriſſimis exornata luminibus, ſanctiſſimiſque moribus gratiæ, in exercitatione perfectiſſimorum actuum Fidei, Spei, & Caritatis. Hominum plerique id faciunt in terris, quod faciebant Fideles primoribus Eccleſiæ ſæculis; Conſecrant Deo profana delubra, quæ ſervierant Dæmonis, cor ſuum devovent Deo; poſtquam illud Mundo devoverant. Sed longe aliter accidit in corde Mariæ. Templum hoc ubi primum ædificatum eſt, fuit Sanctificatum. Nunquam idolis vanitatis, voluptatum, ac divitiarum adoletum fuit thus ſacrilegum in hoc Sanctuario, in quod gloria Domini erat deſcenſura; nunquam profanæ victimæ mactatæ ſunt in hoc altari, quod conſecrandum erat per victimam deſtinatam ad Cælum cum terra reconciliandum. *Ibidem.*

Cur decebat, ut Maria rationis uſum ea vita reciperet.

Dicunt, nec immerito, naturæ artem eſſe, homines naſci ſine uſu rationis, ne patiantur cum naſcuntur; & ut abſcondita cognitio malorum, quæ illos manent, celet eos dolorem, atque triſtitiam. Sed cum Maria deſtinata eſſet præſtantiſſimis gratiæ operationibus, recipere debuit rationis uſum antequam naſceretur, ut Nativitas ſua, quæ omnibus erat gaudium allatura, ſibi quoque eſſet lætitiæ argumentum. Alii naſcentes plorant, & ingemiſcunt, quia in Mundum ingrediuntur cum characteribus peccati, quibus fiunt iræ filii, & objecta odii in oculis Dei, ſed Maria naſcens in gratia, ipſa prior experiri debet gaudium, quod Mundo ipſa eſt allatura. *Ibidem.*

In gaudio vitā noſtram tranſigimus quaſi nunquam peccaviſſemus, cū nobis de pœnitentia tantum eſſet cogitandum.

Maria nata eſt, ut eſſet Dei Mater; nata eſt ut Mater eſſet Auctoris gratiæ, & vitæ: nos vero miſeri naſcimur, ut ſubjecti ſimus corruptioni, & peccato. Tamen vivimus quaſi nati, & concepti fuiſſemus in gratia, & quaſi ſemper vixiſſemus in innocentia; Quin conſecremus annos noſtros pœnitentiæ, cujus tantum ſolliciti eſſe deberemus ad reparanda ſcelera noſtra, ſæpe vitam noſtram conſumimus in noxis, lætitiis, & voluptatibus, quæ nobis æternis ſtatutæ ſunt doloribus, & pœnis. Heu! licet non alia nobis eſſet infelicitas, quam in peccato fuiſſe conceptos, quemadmodum Propheta teſtatur verbis illis: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea*, licet in hoc tantum ſita eſſet calamitas noſtra, nonne totum vitæ ſpatium nobis tranſigendum eſſet in ſqualore, atque triſtitia? Sed quot adjecimus peculiaria peccata peccato huic univerſali? & nihilominus adeo cæci ſumus, ut gaudeamus, cum prope eſt, ut Dei in nos detonet iracundia, & patientia illius fatigata ingratitudinem noſtram ulterius ſuſtinere non valeat? *Ibidem.*

Pſalm. 50.

Nobis conſiderandum non eſt, ex quibus Maria nata ſit, ſed qui natus fuerit ex illa.

Sive cogitem incomparabilem hanc Virginem in Sanctis, ex quibus nata eſt, ſive in JESU CHRISTO, qui ex illa natus eſt; inde haurio privilegiorum, & virtutum ejus argumenta. Filia eſt Patrum familias, qui Sacerdotii dignitatem, cum Principum qualitate conjunxerunt; qui poſteris ſuis tradiderunt cognitionem, & cultum veri Dei; qui in tanta tot populorum corruptione, ſartam tectamque ſervaſſerunt legis naturalis puritatem, & qui per fidem ſuam meriti ſunt Patres eſſe Fidelium. Filia eſt ſtrenuorum Ducum, qui toties ſanguinem ſuum effuderunt pro ſalute patriæ, Principum, qui regnarunt in populo Dei, quorum auctoritas non humana præſcriptione erat conſtituta, ſed Dei Ipſius Potentia, qui per manus Prophetarum capiti illius coronam impoſuerant. Filia tandem eſt David omnium mortalium Mitiſſimi, Salomonis Sapientiſſimi, Joſiæ Principum omnium Religioſiſſimi. Sed ne intueamur ex quibus ſit nata, videamus ſolum, quis ex ea natus fuerit; ne aſcendamus ad Originem, deſcendamus ad poſteritatem, & gloriam, quæ Matri cedit a Filio. *Eodem ſpecimine pro Adventu, de Conceptione.*

Maria comparata cum arca fœderis, quæ moratur aquas Jordanis.

Videriné poteſt admirabilior effectus Omnipotentiæ Dei illo prodigio, quod arca fœderis operata eſt? Sacerdotes glorioſa hac ſarcina onuſti in medio Jordane ſubſiſtunt; aquæ illius præſentiam verentur, & in montes hinc inde aſſurgunt, ut ſiccam præbeant populo Dei viam. Nonne ſimile quiddam occurrit in Mariæ Nativitate? Quis eſt ille, qui non peccaverit in Adam? Sanctus Paulus nonne dicit explicite, nos omnes Filios eſſe iræ, & maledictionis: *Natura filii iræ?* Nonne dicit nos omnes in communi jugo contineri? Tamen, quod prodigium! Donec natura univerſa hoc iniquitatis torrente ſubmergitur, Maria vera fœderis arca hanc cohibet exundantiam; concipitur, & naſcitur, quin particeps ſit criminis Adam, quin ſit objectum iræ Dei; naſcitur tamquam filia, in qua ſibi complacet Pater æternus. Iniquitas, quæ in ceteros ruit, repetit fontem, non ſecus ac Jordanis aquæ, ut Mariæ tranſitum aperiant, venerantes eam non ſecus, ac aquæ fluminis arcam reveritæ ſunt. Denique hæc illa eſt, cui Deus benigno, ſerenoque vultu dixit, quod Rex Aſſuerus ad Eſther; hæc lex mortis contra univerſum humanum genus, prolata non eſt pro te. Labes originalis, quæ dedecorit nativitatem omnium filiorum Adam, Mariæ Nativitatem minime inficiet, *Hæc lex non eſt pro te. Recens auctor.*

Nativitas Mariæ comparata cum iis rebus omnibus, quæ in lege veteri præ ceteris eluxerunt.

Minus conſiderantur ea, quæ exiſtere incipiunt, quam quid aliquando ſunt operatura. De felicibus eorum principiis fertur judicium de eo, quod deinceps operabuntur. Ecce quam qui videbant prodigia, quæ concomitabantur ortum Sancti Joannis Baptiſtæ, minus immorantur præſentibus miraculis, quam prodigiis futuris: hinc exclamaverunt illi; *quis putas puer iſte erit; etenim manus Domini erat cum illo?* Videns in Maria, & quod eſt naſcens, & quod aliquando eſt futura? judicium ferens ex magnalibus ſuæ nativitatis, & ex privilegiis, quæ illi conceſſa fuerunt, dico illam eſſe, & futuram arcam admirabilem, quæ ſalvam fecit familiam Noe ab univerſali diluvio. Hæc non octo duntaxat ſalvas fecit Animas de naufragio, ſed quidquid hominum eſt ſuper terram per gratias, quas Filius ſuus promerebitur illis, ſentient illius ſubſidium. *Sentiant omnes tuum juvamen; per illam* Sanctus Bernardus, inquit, *octo tantum animæ ſalvantur: per iſtam omnes ad æternam ſalutem vocantur.* Myſtica Moyſis virga, qua domuit Ægyptum, qua Iſraelitis tranſitum rubri Maris aperuit, nonne imago erat divini hujus Infantis, qui futurus erat terror, & flagellum omnium poteſtatum tenebrarum; nonne aperiet nobis vias ſalutis, non eripiet nos de periculis omnibus, non auxiliabitur nobis in omnibus neceſſitatibus noſtris? Nonne nobis erit illa ignis columna, quæ præcedebat, & deducebat quocumque Iſraelitas, ut illis facem præferret? Hæc mens eſt Sancti Bernardini Senenſis, ut oſtendat, ille inquit, varia ſubſidia, quæ aliquando a Maria ſumus percepturi. *Aliquando præcedebat, aliquando ſequebatur, aliquando ſuperferebatur; ut myſtice multiplicia patrocinia indicentur erga populum electum. Idem.*

Lucæ 1.

Maria adfert lætitiam Mundo, dum alii naſcuntur, ut patiantur.

Nonne jure ſuo maledicto perculit Job diem nativitatis ſuæ; quandoquidem naſcimur, ut patiamur, & moriamur? Philoſophi ita hanc cognovere veritatem, ut omnes inſpexerint ingreſſum hominis naſcentis in Mundo, tamquam miſerarum omnium principium. Ita Scriptura teſtatur, homines naſci plorantes, & Salomon ait, ſe & omnes Regas non aliter natos fuiſſe. *Primam vocem ſimilem omnium emiſit plorans.* Hoc autem non accidit Glorioſæ Virgini, cujus Nativitatem hodierna die celebrat Eccleſia; naſcitur enim, ut fontem noſtrarum lacrymarum exhauriat, & cumulet gaudio Cælum, ac terram. Hac de cauſſa utramque ſibi vindicat partem triumphi Nativitatis ejus exclamans. *Nativitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annunciavit univerſo Mundo.* Ita loquitur Eccleſia; reſpicit enim Mariam tamquam Dei ſui Matrem, tamquam Cæli Reginam, tamquam humani generis Reparatricem, tamquam Mediatricem noſtram apud Omnipotentem, tamquam illam, quæ finem facere debet maledicti, quod mulier in omnium hominum caput pertraxerat. Hæc omnes ſuperat privilegiis ſuis; quia Pater æternus naſcentem omnibus cumulavit privilegiis, utpote quam ſibi adoptabat in filiam, & cui Filius communicabat dona Sapientiæ, atque intelligentiæ eam tamquam Matrem honorans, & quam Spiritus Sanctus replebat caritate, tamquam Sponſam. *Auctor recens.*

Sapient. 7.

Ibidem.

Ibidem.

Heu!

Heu! quot in mala cupiditas ſemper vivens nos impellit! Quod triſte incendium hic ignis non parit! quam cæcitatem in mente? quam perturbationem in voluntate? quot obſcenas ſpecies in imaginatione? quot igneos affectus in appetitu? quot incompoſitos motus in corpore? Non facimus bonum illud, quod volumus; quod facimus, non ſine magnis præliis facimus; & quod ægre facimus, non facimus ſemper. Hi ſunt obices, qui vetant, ne ſimus immutabiliter Sancti: Ecce *grave jugum ſuper filios Adæ*; propter quod ingemiſcunt. Maria nil tale experitur. Præventa benedictionibus Domini e primis vitæ ſuæ momentis, nonniſi motus compoſitos habuit. In te Virgo Sancti Dominus influxit *ut flumen pacis*. In te nulla eſt affectio ſeditioſa; ratio tua lumen eſt; voluntas tua virtus; cor tuum caritas; quidquid eſt in te, Sanctitas eſt. Ex parte quidem altera avertit a te Deus quidquid Animam tuam deformare poterit; ex altera vero poſuit in te quidquid illam poterat ornare, ſanctificare, & confirmare. Recta es ſicut Cedri Libani, procera ſicut cypariſſi in Sion, candida tamquam lilium inter ſpinas; cum interea homines reliqui gemant ſub dura tyrannide indomitæ concupiſcentiæ. Tu hortus concluſus es, fons ſignatus, cujus aquæ mundæ ſunt; es tamquam turris David nullis hoſtium viribus, & inſidiis labefactanda. *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in Monte Sion. Idem.*

Eccli. 4.

Eccli. 24.

Canon qui vetat ne opera laudemus initia, locum habere non debet in ortu Mariæ.

Lex communis eſt, res initio ſuo, atque ipſa nativitate laudandas non eſſe; ſeu quod initia fere imperfecta ſunt, ſeu quod earum nitor pendet ab eventis, quæ cum ſint incerta, eſſe nequeunt ſolido fundamento legitimæ laudis. Architectus non commendat ædium, ex quo earum jacit fundamenta, majeſtatem; neque pomarii cuſtos fructus jactat, cum adhuc arbores floribus ornantur; ſexcenti enim accidere caſus poſſunt, qui fallant ſpem illorum, eoſque cogant palinodiam canere earum laudum, quas præmature protulerunt. Quod ſi verum eſt in operibus naturæ, & artis, multo magis verum eſt in hominum nativitate, cujus principia turpiora ſunt, & magis imperfecta, & cujus eventus eo magis incerti ſunt, quo ſunt magis obnoxii inconſtantiæ ſuæ libertatis. Quamobrem Sapiens nos admonet, ne quempiam ante mortem laudemus: *Ante mortem ne laudaveris hominem.* Undenam ergo Eccleſia univerſa Sanctam Virginem laudat ab initio vitæ illius, & ſe teneri putat ab incunabulis ejuſdem Nativitatem celebrare, immo etiam celebrem inſtituit Nativitatis ejuſdem feſtivitatem? niſi quod illi perſuaſum eſt, Spiritum Sanctum huic potiſſimum operi adlaboraſſe; cumque hic ſit effectus gratiæ ipſius, non poteſt non eſſe in fine glorioſus. *Biroat ſermone prime Nativitatis Sanctæ Virginis.*

Eccli. 11.

Quomodo Providentia diſpoſuit omnia pro temporali ortu Mariæ; & quare.

Verum eſt, curas, quas geſſit Dei Providentia in Nativitate temporali Mariæ, illam educens ex præclariſſima totius Orbis familia; curas has, inquam, reſpicere proprie gloriam, & merita JESU CHRISTI. Deſtinaverat Deus pretioſum hunc Mariæ Sanguinem, ut fieret materia, ex qua Salvatoris corpus aliquando coaleſceret. Quid agit Providentia? Traducit hunc Sanguinem per varios rivulos, ut illum præparet huic Myſterio; vult illum ſanctificari in venis Patriarcharum, regnare in Regum throno, triumphare per Ducum Strenuorum manus, loqui per os Prophetarum; & poſt tot præclare geſta glorioſius, atque ſplendidius ingredi in Mariæ venas, mox in illas JESU CHRISTI traducendus. Fatemur tamen Dei Providentiam reſpicere etiam Mariæ gloriam, ut illam his præparet muneribus per nitorem temporalis hujus nobilitatis: nam licet nobilitas non ſit niſi quid morale, quod ſubſiſtit ſolum in hominum æſtimatione; quamvis ſecundum veteris neſcio cujus auctoris ſententiam, ſanguis eumdem ſemper habeat colorem, fierique nequeat ut plebejus ſanguis a nobili dignoſcatur; fatemur nihilominus, nobilitatem paſſim imprimere in illis, in quibus nitet, quoſdam gloriæ, magnificentiæ, Magnitudinis, & generoſitatis characteres, qui ad Virtutem diſponunt, & fieri poſſunt gratiæ inſtrumenta. Ideo Providentia Dei oblectata eſt, hanc quoque prærogativam præparare Mariæ, ut illam ad Dei Maternitatem diſponeret. *Idem.*

Momentum Nativitatis Mariæ non conſiderari debet tamquam ſolum & ſeparatum ab eo, quod deinde futurum eſt.

Quamvis gaudium noſtrum teſtemur in Principum virorum, maximeque Regum nativitate, non conjicimus tantum oculos in præteritum, vel in præſens, ſed etiam in futurum. Non reſpicitur quod ſunt, ſed etiam quod aliquando futuri ſunt; non conſideratur ſolum momentum nativitatis eorum, tamquam a reliquis avulſum; ſed tamquam initium glorioſæ vitæ, & præclararum rerum deinceps gerendarum, quarum nitor ita anteceſſum rutilat, ut diem hunc nitidiorem efficiant; & qui delecti ſunt ad laudibus extollendam horum Principum nativitatem, potiſſimum immorantur in ſpe futurorum, vaticinantur quidquid illi facturi ſint, conſulunt horoſcoporum magnalia, ut quanta futura ſit eorum gloria, conjectura aſſequantur. Verum ſi hoc pacto ſpectatur communis Regum, & Principum nativitas; ſi in anteceſſum huic momento adnectitur quidquid deinceps in eorum vita ſucceſſurum eſt, ut his conſiderationibus magis eluceat, quamvis eventus ut plurimum fallant ſpem de virtutibus illorum conceptam; potiori tamen jure hodierna die Mariæ Nativitatem laudaturi ad hoc momentum referre poſſumus, quidquid in reliquum vitæ ſpatium factura eſt: neque enim fallacia hæc ſunt præſagia incertis eventibus innixa; ſed incumbentia prædeſtinationi Dei, qui falli non poteſt. *Idem.*

Aſtrum Dominans Nativitati Mariæ eſt J. C.

Ne laboremus conſiderare ſydera, ut Mariæ detegamus horoſcopum: Aſtrum illius Nativitati prædominans eſt JESUS, & ſicuti Sanctus Auguſtinus verba faciens de ſtella, quæ nato Domino apparuit, ait. Stellam nequaquam fuiſſe fatum pueri; ſed puerum fuiſſe fatum ſtellæ, quia hæc nonniſi propter illum lucebat; dicimus pariter JESUM, qui ex hac Virgine naſciturus eſt, eſſe illius fatum, & ſydus. Maria nonniſi propter illum naſcitur, & non naſcitur, niſi ut ille naſcatur. *Idem.*

Æquum eſt, ut creata omnia obſequium præſtent Reginæ ſuæ in Mundum venienti.

Maria hodierna die naſcitur, ut intra aliquot annos Rex Cæli, ac terræ naſcatur; & per hanc divinam Maternitatem, ecce jam deſignata eſt omnium creaturarum Regina. Juſtitiæ igitur, & gratitudinis ordo poſtulat, ut omnes creaturæ hodie coeant Reginæ ſuæ honorem delaturæ, cujus admirabilia privilegia hactenus ignorata latuerunt, ut æquiſſimo perfungantur munere, quandoquidem Eccleſia teſtatur, Mariæ Nativitatem gaudium univerſo Mundo attuliſſe: *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit univerſo Mundo.* Fieri nequit, quo minus Mundus ediderit lætitiæ hujus monumenta, ſed unde nam profectum eſt, hæc nequaquam palam eniteſcere? Inde hoc factum eſt quod Mundus impius particeps non fuit felicis hujus Nativitatis, ſed Mundus Sanctus tantummodo; quoniam lætitia, quam Mundo affert, extenditur ſolum ad illius conſanguineos, ad Angelos, ad Verbum æternum; quæ omnia latent, & ſunt abſcondita; ſed ſi nobis integrum eſſet pervadere myſticas haſce umbras, quot ibi inveniremus utiliſſima documenta! *Sermo Manuſcriptus.*

Cur tanta nobis ſuppetit gaudendi cauſa in Nativitate Mariæ.

Natalis dies non ſolum apud infideles nonnullos, verum etiam apud fideles, & juſtos olim fuit dies lacrymarum; & quod mirabilius eſt, dies maledictionis. Sapiens beatos vocat illos, qui quam primum fato funguntur; beatiores, qui nunquam nati ſunt, atque aſſerit diem mortis beatiorem eſſe die nativitatis: *Melior eſt dies mortis die nativitatis*; & quod majorem in me ciet admirationem, Sanctus Job imprecationibus obruit diem quo in lucem editus fuit: *Pereat dies in qua natus ſum.* Undenam ergo Sancto hoc die Nativitatis Mariæ lacrymæ convertuntur in gaudium, gemitus in tripudia, & maledictio in benedictionem? Quod ſydus adeo propitium præeſt huic Nativitati, quæ univerſum orbem lætificat? *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit univerſo Mundo*; vel quod novum privilegium concomitatur illam, quæ hodierna die naſcitur! Cum ceteri, qui ante Ipſam nati ſunt, triſtitiæ, mœroriſque cauſſam attulerint? Inde hoc factum eſt, quia hæc nativitas annuntiat Mundo bonum univerſale, annuntiat adventum communis Redemptoris, ideoque communem lætitiam. Dat nobis principium noſtræ felicitatis, ejuſque præparat conſummationem: dat nobis arborem vitæ, fructumque præparat: dat nobis Matrem Redemptoris, eumdemque præparat Redemptorem. Facit, ut illuceſcat aurora, quæ peccati noctem concludit, & aperit diem gratiæ, mundique tenebras diſſipat. Per hanc Nativitatem compleri incipiunt Prophetiæ, promiſſiones implentur, ceſſant figuræ, maſa ceſſant, umbræ evaneſcunt; prodeunt veritates, Redemptor accedit, mala deſinunt, & omnia in nos bona perveniunt: ita ut ſecundum Sanctorum Patrum verba Mariæ Nativitas ſit nativitas noſtræ felicitatis. Hæc aurora eſt diei noſtræ reconciliationis, initium manifeſtationis Myſterii latentis in ſinu antiquorum dierum; hoc tempus eſt, quod elegit Deus, ut de Cælorum vertice veniat ad viſitandos eos, qui in tenebris, & in mortis umbra latebant. *Molinier non ſine quadam mutatione.*

Eccleſ. 7.

Difficultas quæ occurrit natalitium Principum diè celebrantibus non invenitur in illis, qui Mariæ celebrant Nativitatem.

Nullum Orationis genus tantum faceſſit negotium Oratoribus, quam quod fieri conſuevit in principum ortu; quid enim dici poteſt de infante nuperrime nato? Seu id cogitemus, quod eſt primis vitæ ejus momentis, ſeu illi velimus hærere, quod in poſterum futurus eſt; ſive ad trutinam vocetur quod fecit, ſeu quod facturus eſt, nullus invenitur aditus, per quem dicendi copia inveniatur. Primis illis momentis homo eſt valde imperfectus, & qui a brutis non differt hac una in re, quia aliquando rationis uſum eſt habiturus. Quod ad futurum ſpectat, hoc unum prævideri poteſt, non defuturas illi miſerias; ceterum latet utrum probus futurus ſit, an improbus, ingenio pollens, an rudis; liberalis, an avarus, generoſus, an iners; utrum gloriæ ſtudioſus, an ignavus; verbo nihil fecit adhuc, & quid deinceps facturus ſit, ignoratur. Hoc ipſum de Maria dici non poteſt: quamvis nuper in lucem venerit, liquet ipſam jam plurimum feciſſe,

& igno-

& ignoratæ non licet nobis, quid ſit in poſterum factura; quoniam ejus hiſtoria jam ante plurima ſæcula in Sanctis Libris ſcripta eſt, & Prophetæ plura dixere, quam Evangeliſtæ ſcripturi ſint. Maria venit in Mundum meritis cumulata, ſcimus certo certius ipſam cumulaturam eſſe Mundum felicitate, & benedictionibus. Non igitur admodum laboraturus ſum, ad argumentum elogii ſui deligendum. *Pater de la Colombiere primo ſermone de Nativitate Mariæ.*

Quid fecerit Maria ab ortu ſuo, & quas Virtutes exercuerit.

Si quæris, quid fecerit hæc Virgo Sancta ab ipſa Nativitate, ipſoque primo momento, ex quo vitam accepit, dicere ſufficit ipſam feciſſe, quidquid facere poterat cum immenſo hoc gratiarum fundo, & cum omnibus iis diſpoſitionibus, de quibus locuti ſumus. Nullum ex naturalibus hiſce talentis, nulla ex infuſis id genus qualitatibus, in illa otioſa fuit; omnia operata ſunt, omnia fructum attulerunt: ex eo tempore tota illius mens vacavit cognitioni Dei, laudibus ejuſdem prædicandis, & cor ejuſdem amori. Quinam amor! O Deus! quæ flamma! ne breve quidem amiſit momentum, quo ceſſaverit amare Deum, eumque tanta, quanta poterat, proſequi dilectione cum ea gratia, qua nunquam plena non fuit. Eruditiſſimorum Theologorum doctrina eſt, ipſam nunquam habuiſſe inefficacia ſubſidia, & nihil unquam habuiſſe, quod non ſtatim poneret in lucro, & ex quo non hauriret fructum illum, qui maximus percipi poterat; ita ut bonus primorum fructuum uſus inceſſanter alios produceret, & inceſſanter ſemper amaret; *Mens Virginis in ardore dilectionis continue tenebatur. Idem.*

Hujus Veritatis conſideratio.

Cum nobis jam ſit de hac veritate perſuaſum, paulisper in noſmetipſos animum advertimus. Non quæro ex vobis Fideles, utrum inceperitis diligere Deum æque celeriter ac Sancta Virgo: hoc nequaquam integrum fuit vobis; quæro tantum utrum poſt multos annos, quorum jacturam feciſtis, ſaltem aliquando inceperitis. Non quæro ex vobis, utrum ad illius exemplum in lucro poſueritis Cæleſtes omnes afflatus, omnes motus Cælitus vobis immiſſos, ex quo rationis uſum eſtis adepti: quæro tantum utrum Cæleſte hoc ſemen germinaverit in corde veſtro; & quem in vobis fructum pepererit? Audacter dicite, ullamne inde utilitatem percepiſtis? Vos ne in Dei amore ardentiores cognoſcitis? Divinæ voluntati eſtis obedientiores; ac in malis, atque adverſis, quæ vobis incidunt, patientiores? &c. *Idem.*

Cum S. Virgo ab ortu ſuo rationis uſum, & libertatem, potuit exercere in Virtutibus ab ipſo primo vitæ ſuæ articulo.

Quænam extitit Sanctæ hujus Virginis felicitas, ſtatim ac eſſe cœpit, potuiſſe Deum ſuum cognoſcere, & amare! Credibile eſt enim, Deum nequaquam hanc illi gratiam negaſſe? Quænam illius extitiſſet jactura, ſi ſex, vel ſeptem anni fuiſſent illi expectandi, donec ſpiritus illius efflореſceret, & bonum a malo ſecernere poſſet, quin interea temporis quidquam mereretur? Cogitari ne poteſt, Deum tandiu tanto bono illam privaſſe? Cum illam præparare vellet, eamque diſponere ad Maternitatem Filio ſuo dignam, nonne æquum erat, ut quin momenti jacturam faceret, melius ſe diſponeret huic dignitati, quam tot annos inutiliter terendo? Nonne hac de cauſſa præventa fuit tot benedictionibus Cæli, & gratiis, quæ ſemper magis, magiſque percrebreſcebant, & illam in ſingula momenta recentibus incrementis cumulabant. *Pater Hamoneus, Meditatione in hunc feſtum diem.*

Cur voluit Deus, ut Maria de nobili progenie orietur.

Quamvis voluit Deus, ut Matris ſuæ Nativitas obſcuro eſſet in loco, & hominum oculos falleret; ita tamen diſpoſuit omnia, ut Maria ex adeo illuſtri progenie orietur, ita ut inter Majores ſuos & Reges, & Summos Pontifices recenſeret. Verum quis ignorat, in illius genealogia, quæ tanta cura deſcripta eſt, Deum id unum ſpectaſſe, quomodo remuneraretur fidem Abrahæ, Iſaac, & Jacob, non autem ut Mariæ daret avos, qui in Mundo opibus eniteſcerent? Ad hæc quis ignorat, Deum ideo eduxiſſe Matrem ſuam ex regio, & illuſtri genere, ut doceret Terræ principes hinc quidem Magnitudinem nequaquam oppoſitam eſſe Sanctitati, & e contra ſterni poſſe tamquam fundamentum aliquod eminenti virtuti; inde vero Magnitudinem ſine Sanctitate titulum eſſe nullius pretii coram Deo? Ita eſt. Deus Mariam ex illuſtri progenie, ac regio ſemine ortam voluit, ut erudiret Principes, non ut commendaret Matrem his qualitatibus, quas flocci facit. Verum quis ignorat, ſi hodie videtur Eccleſia honori vertere Mariæ præcelſam hanc originem, id agere, ut nobis apertiori modo detegat hanc Religionis noſtræ Nativitatem, hæc omnia ſine gratia, & extra gratiam nullius eſſe meriti, & nequaquam prohibitura fuiſſe, quominus Maria fieret in perſona ſua objectum iræ Dei; non autem argumentum allatura ad incomparabilis hujus Virginis elogium in ſola illuſtris genealogiæ recitatione celebrandum. *Sermo Manuſcriptus Patris Stephani Chamilard.*

Mariæ non eſt optandi locus, ut S. Job, ſe natam non fuiſſe.

Olim Sanctus Vir Job confundens infinita mala, quæ ſibi acciderunt in vita cum privilegiis, & felicitate ſuæ nativitatis, millies optavit ſe nunquam diei lucem vidiſſe, & voluiſſet, diem, qua in Mundi lucem venerat, ſibi nunquam illuxiſſe. *Pereat dies in qua natus ſum.* Quis noſtrum, Fideles quoſdam miſeros vitæ ſuæ locos conſiderans non potuiſſet potiori jure, quam Sanctus iſte Vir plorare diem, in qua natus eſt, & cum Job dicere: *Pereat dies in qua natus ſum*, & quæ me in tot, ac tanta mala redegit. Hoc ipſum de Sancta Virgine dici non poteſt; quo magis emicat egregiis privilegiis ſuis ſuper ceteris meras creaturas, eo magis dies Nativitatis ſuæ celebrandus eſt per ea omnia, quibus gloria ejus augetur, quandoquidem bajulat in ſinu ſuo Juſtitiæ ſolem, quem genuit. Hac die radiis ejuſdem erat illuſtranda, & in partem luminis ejuſdem arceſſenda. Mater illius, qui ſalutis eſt auctor, prima omnium donis, & gratiis illius erat cumulanda; Sancta, & glorioſa Mariæ Nativitas, quæ hodie nobis maxima qua fieri poteſt magnificentia, celebranda eſt; quandoquidem adeo præclara eſt; admirabilis Nativitas! quæ eſſe debet prototypus Sanctificationis noſtræ, & ſpei noſtræ fundamentum. *Sermo Manuſcriptus.*

Non naturalia bona ſed gratia conſideranda eſt in Mariæ Nativitate.

Deus illam creaturus, quæ ventura erat in Mundum, futura Mater ipſius, cum tota ea perfectione quam tanta dignitas postulabat, voluit proculdubio ſimul congerere in hac illuſtri perſona omnia privilegia: cum enim eminere ceteris, quæ ſuperiora ſæcula otiri conſpexerant, pluribus etiam niteſcere debebit prærogativis. Pro nihilo habeamus omnia naturalia bona, quæ addere voluit amplitudini Generis ejus; ſed admiremur omnes gratiæ theſauros, quibus illius decoravit animam, ut ad altiſſimum attolleret gradum, ad quem contendere valeat mera creatura; & quorſum tanta hæc profuſio? quorſum hæc diſtinctio; quia JESUS erat ex illa naſciturus: *De qua natus eſt JESUS.* Pater Æternus illam cumulavit gratiis ex eo momento, quo extra nihilum eſſe cœpit; & hæc gratia totum conſtituit decorem Nativitatis, totam illius magnitudinem, totam ipſius nobilitatem, & id quod nobis potiſſimum in illius Nativitate colendum eſt. Non ita, Fideles. Non eſt ſpiritus, neque meritum hujus Infantis jam majus, quam in illis, quæ provectiores erant ætate, non ſublime genus, non nobilitas Virginis ortæ de Regibus Juda, & de vetuſtiſſima Mundi familia; non inquam hoc eſt pulcherrimum Nativitatis ejuſdem ornamentum. Si in his immorati fuerimus prorſus humanis prærogativis, licet niteant, & rutilent, profanum potius quam Sanctum elucubraremur elogium, & injuriam faceremus legibus noſtræ Religionis, Jubentis in Solemnitate Nativitatis hujus, nos haurire ejus elogium a gratia, quam ei contulit JESUS CHRISTUS, cujus illa Mater eſt. *Idem.*

Maria naſciſcitur gloriam ſuam in Nativitate ſua, ubi alii inveniunt unde erubeſcant.

Proprium Sanctæ Virginis eſt magnitudinem, & gloriam ibi invenire, ubi alii dedecus, & humiliationem inveniunt; eaque de cauſſa hodierna die applicat illi Eccleſia verba illa ex Canticis deſumpta, quam pulcri greſſus tui, Principis Filia! Gradus primus; & primus mortalium omnium ingreſſus eſt illorum in Mundum introitus; ſed hic ingreſſus, quam turpis eſt, & indecorus filiis Adam! Reges, & Monarchæ licet nobili, ac illuſtri Sanguine nati, quamvis purpura involuti, æquiſſimas inveniunt cauſſas ſeſe confundendi, atque humiliandi. Ædes magnificæ, & aulicorum turba, qui illos naſcentes excipiunt, ipſos curis non eximunt; naſcuntur eo modo quo ſubditi ſui, & tamquam noviſſimi hominum, circumdati infirmitatibus, atque miſeriis; naſcuntur inimici Dei, & peccatores in ſinu matrum ſuarum; deſtinati ſunt, ut lucem amittant, quam vix ſalutarunt; & vix vivere inceperunt, cum jam morte damnantur. Terræ Principes, illi ipſi, quos vota, ac preces populorum flagitarunt impenſius, nonnunquam naſcuntur futuri deinceps Mundi dedecus, & excidium, cujus felicitatem, & gloriam videbantur conſtituturi. Sed Maria per privilegium uni ſibi conceſſum, colligit in ſe eas prærogativas, quas nemo alius præter ipſam obtinuit, & quæ illam beatam, ac glorioſam efficiunt. *Auctor recens.*

Quid efficiat Sanctæ Virginis Nativitatem felicem ſingularem & glorioſam.

Ortum ducere ex illuſtri familia, in venis nobile genus geſtare, inter Majores ſuos Principes, & Reges cenſere, naſci præditum bonis ſpiritus, & corporis, naſci per peculiare Providentiæ conſilium, naſci tandem ad magna, & ad Mundi honorem, & gloriam, hæc proculdubio felix, & glorioſa eſt Nativitas; ideoque dico, Sanctam Virginem in Nativitate ſua gloria, & honore fuiſſe cumulatam. Aliorum hominum nativitas generalis tantum Providentiæ effectus eſt; & cum accidit, ut plurimum ignoratur, Naturæ ſolius opus eſt; ſed Nativitas Mariæ peculiaris providentiæ eſt effectus; peculiari Domini Juſſu venit in Mundum, & Deus in Conſiliis ſuis nequaquam cum reliqua creaturarum ſuarum turba commiſcuit; illam ſeorſim reſpexit; Dominus, inquit illa, poſſedit me ſingulari modo in principio viarum ſuarum: Nativitas mea ab initio, & ante ſæcula decreta fuit, & ſicuti Deus peculiari decreto Filii ſui Incarnationem conſtituit, ita peculiari decreto determinavit illius Nativitatem, ex qua Filius ſuus erat naſciturus, *Idem.*

Eſſe

Ad quid Beata Virgo deſtinata eſſet a Nativitate ſua.

Eſſe creaturarum omnium Sanctiſſimam in Cælo, & in terra, eſſe in gloria celſiſſimam, eſſe objectum cultus omnium mortalium; eſſe totius Mundi felicitatem, & gloriam, nonne magnum aliquid hoc eſt? Hoc illud eſt, ed quod Maria ab ipſa Nativitate ſua deſtinata eſt. Creſce tantum, Filia, creſce, & cumulus gloriæ, atque magnilium erit portio tua... Sexcenta ædificabuntur, atque ſacrabuntur in illius honorem templa; altaria mille illius memoriæ dicata in nominis ſui gloriam fumabunt; oomen ejus coletur uſque in extremis terrarum plagis; ſexcenti feſti dies in illius honorem inſtituentur: Ordines integri Religioſorum erigentur, quorum elii quidem ejus inſignia deferre gloriabuntur, alii vero ſervi illius nuncupari concupiſcent: tandem erit illa per eminentes virtutes ſuas Mundi gloria &c. *Idem*.

Jure Eccleſia celebrat Nativitatem illius, quæ Dei Mater eſt futura.

Jure optimo Eccleſia inſignem celebrat feſtivitatem die natali Sanctiſſimæ Virginis; dicere enim poſſumus, ſecundum Sancti Auguſtini ſententiam, hanc eſſe natalitiam diem ſalutis humanæ. Eccleſia conſiderat naſcentem hanc Virginem, velut ſydus potens, ac ſalutare, quod ad totius orbis felicitatem coruſcat; velut fulgidum aſtrum, quod incipit rutilare inter horribilem mundi totius confuſionem, quod incipit mulcere fluctus, ac tenebras diſſipare, ac pollicetur, ſe nobis quamprimum ducem futurum, ut in portum perveniamus. Ipſa illam reſpicit tamquam auroram beatam, quam non multo poſt ſubſecuturus eſt Sol Juſtitiæ ad Gentes omnes gratiarum ſuarum luminibus illuſtrandas. Profecto Mariæ Nativitas pignus eſt pretioſum reconciliationis Dei cum hominibus; certum ſignum eſt divinæ erga nos Miſericordiæ, veriſſimum eſt noſtræ ſalutis auſpicium. Virgo naſcens eſt, ut ita dicam, myſticus ille Cæleſtis arcus ex terræ nubibus, & gratiæ luminibus efformatus, quem Deus oſtentat ad nos certos faciendos, ſe jam decreviſſe ultionum ſuarum diluvium in ſuaves gratiarum, & benedictionum imbres convertere. Merito igitur hodierna die magnis plauſibus exultat Eccleſia, & vult ut Mariæ magnos tribuamus honores, gratumque animum teſtemur. *Verjus in Panegyricis*.

Gaudiū quod Cæli ac terra teſtata ſunt in Nativitate hac tandiu expoſtata.

Hæc dies eſt Nativitatis Sanctæ Virginis, quam expectabant ante tot ſæcula fideles, quam tanto cum gaudio Prophetæ nuntiaverant, quam omnes veteris Teſtamenti Sancti votis omnibus concupierant. Credere poſſumus Angelos, ut gaudia ſua teſtarentur, attuliſſe nuntium Sancto Joachim, & Annæ; quandoquidem parentes Iſaac, Samſonis, & Sancti Joannis Baptiſtæ eodem favore digni habiti ſunt; neque dubitandum eſt, quominus in orbe univerſo illam præceſſerint multa prodigia ad innuendum breviſſimum tempus factum iri feliciſſimam mutationem. Quæ lætitiæ cauſſa in terris, ubi viſa eſt illa quæ paritura erat Mundi Salvatorem, Liberatorem, & Regem! Quæ furoris cauſſa dæmonibus, ubi vident conſurgere formoſam hanc Stellam ex Jacob, quam quidam ex

Num. cap. 24.

eorum Prophetis nuntiaverat: *Orietur ſtella ex Jacob*, dixit Balaam in libro Numerorum. Hanc pro comete fatali ſuo imperio reſpiciunt, imperii ſui excidium, ac tyrannidis finem portendente. *Idem*.

Qua in re hæc Creatura eſt Angelis præferenda, licet ſit adhuc infans.

Verum eſt Mariam eſſe adhuc infantem, cui Natura videtur dediſſe tantum vagitus, atque ploratus ut conqueratur de miſeriis vitæ, in quam ingreditur, & hac de cauſſa inferior eſſe Angelis, qui æternis felicitatibus perfruuntur. Sed hæc deſtinata eſt, ut ſinu ſuo eum gerat, quem Cælum, & terra capere nequeunt; ſed electa eſt, ut pariat Deum, coram quo Seraphim contremiſcunt; Hoc illam infinite ſuper omnes Angelorum choros attollit; & dici poteſt de illa æque ac de Filio ſuo. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit*. Ita eſt: Auguſtum hoc Nomen Deiparæ, ad quod deſtinata eſt, attollit eam ſuper quidquid ſublimius eſt in conditione omnium ſpirituum Cæleſtium. Hinc ex hoc præclariſſimo Genitricis Dei titulo omnem recipit magnitudinem ſuam, & prærogativas omnes, quibus ceteris creaturis præcellit; & in hunc finem naſcitur hodie. *Idem*.

Paupertas & obſcuritas Nativitatis Mariæ nos docet contemnendas eſſe Mundi vanitates.

Quod pertinet ad exteriora bona, quæ fortunæ dicuntur, Sanctiſſima Virgo fere deſtituta eſt; non oritur illa ſuperbo in palatio, neque in purpura; neque ſub umbella in Mundum ingreditur: non videtur circum ejus incunabula miniſtrorum turba, & famulorum: obſcuro naſcitur loco, humilique, ut nos docere incipiat, quæ Filius ſuus in præſepio docturus eſt; terræ videlicet vanitates eſſe contemnendas; quoniam homo in incunabulis cum ſit miſerrimus, & ſuperbiſſimus omnium animantium, tota hæc exterior pompa, & totus hic vanitatis apparatus illius auget ſuperbiam, quin miſeriam imminuat. Quam decet Matrem Dei-Hominis paupertas, qui per humilitatem ſuam dæmonis conteret ſuperbiam, & confundet ſua nuditate, infirmitate, egeſtate Mundi vanitatem, ſuperfluitatem, & luxum; Sed divitiæ Virginis omnes

Pſalm. 44.

ſunt in anima ejus: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*. In interiori parte illius oſtentat Deus ſuam magnificentiam; ibi omnes aperit gratiarum ſuarum theſauros. *Idem*.

Sola Sanctitas enituit in Mariæ Nativitate, cum aliorū Nativitas pompa, & ſplendore coruſcet.

Virgo Sanctiſſima naſceris, & quod tua in Nativitate refulget, eamque beatam fecit, non eſt Majorum tuorum gloria, neque Generis tui nobilitas. Alii ideis Mundi occupati hæc Naturæ bona plurimi faciant, ex Patriarchis, & Regibus ortam coram Deo non avitarum fulgor dignitatum, non nobilitas, non potentia, non præclare res geſtæ commendant; Sanctitas ſola, quæ conſtituit felicitatem Conceptionis tuæ, facit etiam glorioſæ tuæ Nativitatis felicitatem. Naſceris, non ſicut Mundi Principes in ſplendore, non ſicut Reges terræ inter ſæculi pompas; ſed ſine his pompis, ſine hoc fulgore, Nativitas tua, licet obſcura videatur, præferenda eſt nativitati Principum, & Regum omnium. Naſcuntur illi in peccatis, iræ filii, Dei odio digni, ejuſque Juſtitiæ ſuppliciis expoſiti; Tu vero naſcens es objectum, in quo ſibi complacet Deus, dilecta Altiſſimi Filia, uberrimis benedictionibus ejus cumulata, quas adhuc in momento Nativitatis tuæ multiplicaſti. Locuples hoc talentum non fuit inutile in manibus tuis, & primum quod præſtas obſequium Creatori tuo in Mundum ingreſſa, eſt gratias agere illi peramanter ob ſingulariſſimum illius beneficium, ejuſque illi fructus offerre. Hoc veram conſtituit gloriam tuam. Nimis tibi vulgare eſſet privilegium temporalis fortuna, & peritura divitiæ: nimis communis eſſet diſtinctio humana, honores inepti, & fulgor inanis, quo oculi perſtringuntur: Naſceris pauper & vives pauper: Naſceris Mundo incognita, & Mundo incognita vives: ſed in paupertate tua poſſides omnia; poſſides enim gratiam, unicum illud bonum, quod ceteris bonis aliis præſtat: in hac tua humilitatis ſpecie ad altiſſimum dignitatis verticem aſcendis; gratia enim, qua commendaris, illa ipſa eſt in eminentiſſimo gradu. *Pater le Valois, tomo 4. Operum Aſceticorum*.

Vota, & congratulatio noſtra cū Virgine propter felicitatē illius Nativitatem.

Creſce; Virgo naſcens, creſce, & Deo, qui te naſci voluit, & tibi, quam in hanc lucem emiſit, & nobis, pro quibus nata es. Tu aliquando paritura es hunc Deum ipſum, a quo hodierna die accipis Nativitatem, & ex illius ſinu egreſſa, illum tuo es complexura: vive, & creſce, ut præpares illi Tabernaculum ſuum. Seſe in tuo ſinu concludens collaturus eſt tibi eximium characterem, teque ad divinam attollere Maternitatem; vive, & creſce ad hanc adeo excelſam dignitatem, & deſtinatam tibi gloriam. Denique per te venire cupit ad nos, & nos inde eripere de ſervitute: Vive, & creſce ad ſalutem noſtram, ut parias Liberatorem, quem præſtolamur. *Idem*.

Similitudinis lineaměta inter Patrem Æternum, Mariam, & S. Annam.

Quomodonam concipitis Mariam in Nativitate ſua perfectiſſimam eſſe Dei, poſt JESUM CHRISTUM, imaginem? Numquid communicavit illi aliquot ex infinitis perfectionibus ſuis eo in gradu, qui decet Deum? Verum conſtat inter totum, & nihilum, inter Creatorem, & creaturam nullam inveniri poſſe proportionem. Undenam ergo Maria Naſcens eſt adeo perfecta Divinitatis imago? Inde, quia ipſa puriſſimum eſt opus gratiæ, quod natura unquam elaboravit, cum ſanguinis ardor, & concupiſcentiæ jura jam eſſent extincta in Joachin, & Anna, ut locus fieret omnipotentiæ, atque ut divina hæc efformaretur puella, cujus Conceptionem, & Nativitatem Sanctus Joannes deſcripſit luculentius, quam alias, cum ait illam ex Deo, non ex hominis voluntate fuiſſe conceptam. *Qui non ex Sanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt*. Mihi igitur fingo Mariam in ſterili Sanctæ Annæ ſinu, tamquam terras illas, quæ in extima ſuperficie nihil producunt; ibi nullas arbores, nullumque ſemen vides, & nihilominus continent in ſinu ſuo auri, argentique metalla. Ias Deus, cui omnia perſpecta ſunt, & explorata, reſpiciebat Mariam in Annæ ſinu tamquam illam, quam Filii ſui Matrem deſtinabat futuram. Ita cum vellet aliquam inveniri ſimilitudinem inter ſe gignentem ut Deum decebat, & Virginem, quæ ſine Virginitatis jactura Mater evaderet; voluit etiam ut aliqua inveniretur ſimilitudo inter diutinam ſterilitatem, quæ ad Patris Æterni Virginitatem accedebat & Mariæ Virginitatem, quæ ſterilitas erat nihilominus fœcunda; non ſecus ac ſemper fœcunda erat Virginitas Patris, & ſicut Virginitas Mariæ, cujus Deus-Homo terminus erat fœcunditatis. *Idem*.

Cur Maria comparetur Auroræ.

Contineamus noſmet intra Myſterium Nativitatis Mariæ, quin in curſu vitæ ejus argumenta inquiramus Magnitudinis, & admirationis. Hæc ſollemnitas enim ſatis copiæ ſuppeditat, quin lucem emendicemus ab aliis Myſteriis hujus Deiparæ; & quin illa confundamus. Relinquamus ſingulis argumentis, quidquid unicuique ſingulare eſt, & rutilantem hanc Auroram contemplemur. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens? Pulcra ut luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata*. Profecto ad quid noſtra nos curioſitas agit ubi videmus puerum naſci? Nonne ut inſpiciamus in faciei ipſius lineamentis, quem imitemur,

Digitized by Google

tur, & cum puer ex illuſtribus genitoribus naſcitur, ſinguli quærunt ſortem illius in ſignis, quæ in illo eniteſcunt. Ad cognoſcendam autem omnem Mariæ Magnitudinem, & dignitatem, dicendum eſt, poſt JESUM CHRISTUM, hanc illam eſſe, quæ ex creaturis omnibus creata fuit ad Dei ſimilitudinem; hujus lineamenta magis expreſſa præ ſe ferre; hanc plus hauſiſſe luminis ex hoc lucis Oceano, unde emerſit; plus perfectionis ex divino authographo expreſſiſſe, denique in ea ſimillimos characteres divinæ ſimilitudinis clucere. Addendum eſt, hanc Auroram eſſe, quæ Solem juſtitiæ nobis pollicetur, & ſicuti Aurora Solem prænuntiat, tenebras diſſipat, naturam lætificat, novamque illi ſpeciem inducit; Mariam ſimiliter polliceri, non ſolum ipſam benedictam eſſe inter Mulieres; ſed ex ſinu ſuo Virginali proditurum eſſe filium, qui inter omnes gentes benedictionibus erit cumulandus. *Ex Sermone Manuſcripto.*

Æ nnnæ noſtræ cũ Mariæ privilegiis cõparatæ.

Omnia Nativitatis Mariæ privilegia quomodo oculis noſtris objiciunt noſtras calamitates! Quæ major calamitas, quam naſcentem naſci miſerum Sathanæ mancipium; involuntarium hoc ſcelus addere ſexcentis perſonalibus, ex noſtra voluntate pendentibus; abuti noſtra ratione, & a divino Capite noſtro ſeparari per id, quod illi indiviſos deberet conjungere? Quot dies, menſes, & anni perditi. Quam bene cum Sancto quodam pœnitente dicere poſſumus. Quot

Jobi 7.
Pſalm 23.

menſes habui vacuos! In vanum accepimus animam noſtram. *In vanum accepit animam ſuam.* Quam ſero cognovimus, & amavimus Deum, pulcritudinem hanc ſemper antiquam, & ſemper novam, quemadmodum conquerebatur Sanctus Auguſtinus! Heu! infantiæ tenebris ſuccedunt, adoleſcentiæ flagitia; his ætatis provectioris mala, quæ pretioſiſſima vitæ auferunt momenta. Errores mentis, cordis corruptio, cupiditatum violentia, fallentium objectorum præſentia, proximæ occaſiones, nonne ſæpe nos uſque ad mortis portas adducunt? Talis eſt vita, quo infelix noſtra proclivitas rapit. Maria naſcens aliud affert pondus, quod illam ſemper ſurſum attollit; quod illam a creatis omnibus divellit. Illa nullos habet vacuos dies, nec momenta; omnia in illa ſunt plena; ab initio Nativitatis illius ad extremum uſque ſpiritum, unum habet jugem actum amoris aſſidui; de illa dicendum eſt, quod de Juſti Juſtitia, quam Scriptura deſcribit; ſicuti lumen fulget in ortu, ac ſemper creſcit uſque in perfectam diem, atque meridiem, ita naſcentem in Maria Juſtitiam, juſtitiam hanc Originalem ab ipſis incunabulis in illa eniteſcere; lumini huic nullas nubes, nullaſque obiicere tenebras, ſed has diſſipari, & ipſum ſemper augeri donec ad extremam ſuam perfectionem perveniat. *Auctor recens.*

Maria ab ipſa Nativitate gratiis cumulata.

Antequam Maria in lucem ederetur, erat imago Divinitatis abſconditæ, & ex quo prodiit, imago illa manifeſtata eſt. Beati Spiritus, vos illam eſtis admirati; hæc fuit vobis lætitiæ dies, & ideo laudaſtis Dei Filium, quemadmodum teſtatur Eccleſia: *De cujus Nativitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.* Omnia Cæleſtia dona, omneſque virtutes, quas fundit Deus in alias Creaturas, in illa conjuncta ſunt. Anima ſine labe, corpus ſine ſordibus, Anima, & corpus tot benedictionibus repleta; ut Sanctus Sanctorum Sanctam hanc Virginem in Sanctuarium delegerit; *Sanctuarium Spiritus Sancti*: Natura, & gratia conſpiraverant, ut illam formoſiſſimam redderent. Quinam pudor in fronte! Quæ Majeſtas in ore! quæ in oculis modeſtia! Quantum illecebrarum hæc Regis filia extrinſecus habet? Intus autem quantum

Pſalm 44.

decoris, & gloriæ? *Omnis gloria filiæ Regis ab intus?* Id quærite a Gerſone, dicet ille vobis, quemadmodum princeps Archangelorum poſſidet omnes perfectiones eorum, qui ſibi ſunt inferiores; ita Mariam Archangelorum Reginam poſſidere Virtutes Sanctorum omnium ab ipſo ſuæ Nativitatis articulo, earumque actus ab illa productum iri prout ratio ſua ſeſe evolvet, eaſque omnes in praxim rediget in ſupremo perfectionis gradu, ſecundum multiplices occaſiones, quas illi aperiet Providentia. Interrogate Sanctum Bernardum, & dicet, dubitandum non eſſe, quominus ingentia bona, quæ receperunt illi, qui per gratuitam electionem a Deo benedicti fuerunt, conceſſa fuerint huic Virgini per Miniſterium, & conſenſum cujus omne genus humanum vitam recepit. Dionyſium Carthuſianum ſciſcitamini, & affirmabit, poſt ſingulares gratias, quas JESU CHRISTI recepit Humanitas, illas quibus cumulata fuit primis Nativitatis momentis Maria, primum obtinere locum: ſicuti operæ pretium erat, ut humana natura, quam perſonæ ſuæ adſciſcere volebat Deus, eſſet ornata omnibus gratiis ſanctificantibus, & gratuitis; decuiſſe, ut Virgo, quam ſibi in Matrem delegerat, veniens in Mundum prædita eſſet Cæleſtibus hiſce donis, quæ dignitatis ſuæ ſublimitas flagitabat. *Elogia Hiſtorica.*

Humilitas Nativitatis Mariæ cum J. C.

Theſaurus Nativitatis Mariæ theſaurus eſt Mundo abſconditus. Spiritus Sanctus, qui moderatur omnes Nativitatis ejuſdem circumſtantias, & prima adeo pretioſæ vitæ momenta, imprimit jam in Maria humilitatis lineamenta; quia ibi humilis JESUS CHRISTUS aliquando naſciturus eſt. Profecto cum ejus Nativitas conſequens ſit Nativitatis JESU CHRISTI ſecundum divina Conſilia, opus eſt, ut aliqua in re repræſentet exinanitionem, per quam venturus eſt in Mundum, & quæ futura eſt fundamentum omnium Myſteriorum, ac vitæ totius. Igitur colo te, Virgo Sancta, naſcentem quidem in Mundum, ſed Mundo ignotam; in familia Sanctiſſima quidem, & auguſtiſſima, quæ fuerit in terris, ſed cujus ſtatus, & magnitudo de gradu deciderat; naſcentem per miraculum, ſed miraculum abſconditum; naſcentem cum Anima repleta gratiis, & inauditis prærogativis, ſed cooperta communibus corporis infirmitatibus: deſtinatam ex tunc, ut Dei Mater eſſet, ſed adhuc miſeriis Adæ ſubjectam. Homines igitur diſcant ex hoc Dei de Maria conſilio, & ex diſpoſitionibus, quas poſuit in corde ejus ab eo temporis momento, negligere externa bona, & contemnere quidquid illos ſupra aliorum nativitatem extollit; tegere gratias, & dona Dei vero amore humilitatis JESU CHRISTI; nolle inter ceteros eniteſcere; pluris facere gratiam pertinendi ad JESUM CHRISTUM per Nativitatem Sanctam, atque Spiritualem, quam ab illo recipimus in baptiſmo, ubi per Spiritum ejus concipimur, & ut ita dicam, formamur ex illius Sanguine, quam omnem Mundi nitorem, & omnia ejuſdem magnalia. *Idem.*

humilitate ſeparata.

Nemo debet ſemper magnã aliquid ducere, ut fecit Maria, niſi quod ad JESUM CHRISTUM pertinet, neque propter genus ſe ſublimare.

Unde nam fit, quod neque Scriptura Sancta, neque primi Eccleſiæ Scriptores verba fecerint de Mariæ Nativitate? Undenam illius genealogia non invenitur in Sancto Luca niſi ſub Nomine Joſeph? Nonne id factum eſt ad confundendam hominum vanitatem in genealogiis ipſorum, & ut doceamur oblivíſci quidquid ſumus per Adam, & meminiſſe tantum quid ſimus per JESUM CHRISTUM novum Adam. Per baptiſmum a primi, ad alterius familiam tranſgredimur, & quidquid ſperamus ad æternitatem innititur ſolum regenerationi, quam inde recepimus. Maxima eſt igitur hominis Chriſtiani dementia gloriari, ut ſæpe facere conſueſcit de ea nobilitate, cujus hæres efficitur per nativitatem nequam, quæ per peccatum ſeſe communicat, & quæ cum Mundo Adæ eſt peritura. Pauperes e contra, & imo loco nati non erubeſcant, non obliti Mariam in Mundo non apparuiſſe, niſi poſtquam tota Majorum ſuorum gloria ex ſua exciderat familia, & hæc jamjam cum aliis erat permixta. Meminerint in nativitate nihil vere eſſe turpe, niſi peccatum, quod ſummis eſt commune ſimul ac imis; divitibus æque ac egenis. Hujus utroſque pudere decet coram Deo; & hinc coram hominibus etiam debent humiliari. Maria nunquam nobilitatem ſuam præ ſe tulit; immo e contra obſcuritatem, & abjectionem dilexit. Deus hoc præceperat, ac diſpoſuerat, ut Nativitati JESU CHRISTI deſerviret, qui cum naſciturus eſſet ex progenie David, & Regum Juda, debebat tamen ignorari ad evitandum furorem Herodis, & ut in omnibus exequeretur legem exinanitionis, quam ipſi Pater impoſuerat. Maria hujus particeps erat futura in Nativitate ſua; & alacriter Cælesti huic paruit imperio. *Idem.*

Maria mundũ ingreſſa offert ſeſe Deo ſuo.

Vita Filiorum Adam, cum in Mundum ingrediuntur, tota in ſenſibus eſt, & habent mentem, & cor, quaſi non haberent. Si fidem habemus omnibus Sanctis, Maria uſum obtinuit rationis, & voluntatis ſuæ, & uſa eſt hac libertate, ut ſe daret Deo, & avelleret ſe a ſenſibilibus rebus, quibus ſepta erat, ut Creatori ſuo omnia præſtaret fidelis creaturæ officia. Credere poſſumus, tunc illam intra ſe dixiſſe, quod Sanctus Paulus docet dictum fuiſſe a JESU CHRISTO, cum in Mundum ingrederetur. Venio, Domine, ut faciam voluntatem tuam, & quidquid mihi præcepiſti in libro Sapientiæ tuæ; non abnuo humiliari in nativitate mea in oculis hominum, judicans, Moyſis inſtar, qui haberi noluit pro nepote Pharaonis, exinanitionem, & paupertatem majorem eſſe theſaurum, quam omnes Ægypti divitias, ac univerſi Mundi gloriam. Non potuimus ipſi in Mundum ingreſſi hoc ipſum Deo facere Sacrificium, quia rationis uſu deſtituti eramus; & quamvis illum habuiſſemus; non noſtra, ſed Dei voluntas nobis norma fuiſſet. Hoc igitur munere in præſentiarum perfungamur, quandoquidem Maria nobis præbet exemplum, & dicamus Deo, ſicut illa; Domine in Mundum venio, ut faciam Voluntatem tuam; fateor enim admirabilem hanc voluntatem ſemper debuiſſe normam eſſe meæ, & eam, quam in omnibus vitæ meæ actionibus ſequi debeo. Devotio mea in Sancta hac Solemnitate erit ad examen revocare in minimis quibuſcunque rebus, utrum tu Deus meus, me agere jubeas, & ſicuti Sancta Mater tua, nihil ſequi niſi motum, & afflatum tuum. *Idem.*

Maria humilis in Ortu ſuo ſeſe deponit futura Mater Dei humilis.

Certum eſt, Mariam ex nobili Davidis progenie prodiiſſe, & dubitari non poteſt, quo minus de parentis ſuæ utero prodierit plena gratiis, & Spiritu

Sancto

Sancto repleta, & hunc adorabilem Spiritum illam repleviſſe in ſingulos dies recentibus gratiis, recentique Sanctitate, ut dignam efficeret, quæ conferret Virginali Sanguine Corpus Filio Dei, ejuſque Mater fieret. Sed theſauri tot gratiarum, atque virtutum latuerunt, quia Deus jam veſtiebatur Sanctis diſpoſitionibus humilitatis Mariæ, & conſiderabat humilitatem ancillæ ſuæ, nihil aliud quærentis, quam celare oculos hominum pretioſa dona, quæ ipſe in eamdem congeſſerit? *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ;* quippe æquum erat, ut ipſa eadem geſtaret lineamenta, quæ Filius ſuus, qui in caligine erat naſciturus. Fideles potiſſimum conſiderare debent illud, quod ipſos ædificare poteſt, & meminiſſe illam, quæ hodierna die in Mundum ingreditur, deſtinatam eſſe, ut ſit Mater Dei; Deum tandem promiſſionum ſuarum recordatum, ſe videlicet miſſurum Salvatorem hominibus, hunc educere ex Jeſſæa progenie, & Mariam eſſe germen illud, quod aliquando producturum eſt florem hunc, ſuper quem Spiritus Sanctus effuſurus eſt cum plenitudine dona ſua. Maria ergo Aurora eſt, ex cujus ſinu proditurus eſt Sol juſtitiæ. Noſmet colligamus inſpecturi, utrum participes ſimus lætitiæ, qua hodie exultat Eccleſia: Auroræ nativitas, & Solis ortus non exhilarant oculos eorum, qui tenebras diligunt, & Nativitas Mariæ non afficiet gaudio cor eorum, qui de Redemptionis beneficio ne cogitant quidem. Intelligat, oportet, miſeriam ſuam, ut gaudio efferatur videns illam, quæ nobis annuntiat futurum, ut quam primum graviſſimum Adæ jugum, quo obruebimur, computreſcat. *Computreſcet jugum a facie olei. Tourneux Anno Chriſtiano.*

Congaudere propter gratias a Deo Mariæ collatas.

Admiramini, Fratres, gratias, quibus Dominus Mariam cumulavit; ex primis momentis Conceptionis ejuſdem ſanctificat illam in utero Matris ſuæ, liberans eam ab omni labe noxæ Originalis, auget hanc gratiam momento Nativitatis ejuſdem, & dies ſinguli vitæ Mariæ, non aliud ſunt niſi perennia virtutum incrementa. Admiremur ergo, laudemus, & gratias agamus Deo propter inſignia hæc beneficia, & mox noſmet colligamus. Nos ſanctificati ſumus in aquis baptiſmi, ubi ex utero matrum egreſſi ſumus. Servamuſne innocentiam, quam in hoc Sacramento recepimus? Nobis curæ eſt illam augere per praxim virtutum? an potius coinquinavimus illam ammixtione cupiditatis, noſmet effrænis concupiſcentiæ deſideriis mancipantes; Nos igitur pudere debet omnium malorum, quæ patravimus. Fatemur natos eſſe filios iræ, & extremis eſſe dignos ſuppliciis; tu peperciſti nobis immergens nos in balneum, quod Sanguinis tui meritum nobis præparavit. Ibi Sanctam recepimus Nativitatem, in qua carnis, & ſanguinis voluntas nullam partem obtinebat; ſed ubi feciſti nos divinæ naturæ tuæ conſortes, amiſimus ſtatim hanc prærogativam, neque alia nobis reliqua ſpes eſt, niſi ſua miſericordia; ad quam promerendam offerimus tibi puritatem, & inviolabilem Mariæ fidelitatem a qua nunquam læſus fuiſti. Exemplum quod nobis præbet naſcens in Mundo, doceat nos flocci facere omnia exteriora bona, & gratias etiam, ceteraque dona tua celare vero humilitatis amore, & toto Cælo pluris facere gratiam, qua tui ſumus per ſanctam, & ſpiritualem baptiſmatis Nativitatem, quam omnem fulgorem. & omnes Mundi hujus honores, atque divitias. *Idem.*

Prærogativa Nativitatis Mariæ, ut digna ſit Mater Salvatoris. Ad Rom. 7.

In Maria concupiſcentia adeo coarctata fuit, ut illa ſicut nos exclamare non debeat; *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Cupiditates in illa domitæ ſunt, ita ut rationem minime prævertant; ſed illam rebus in omnibus ſubſequantur: ita ut privilegium, quod habuit JESUS CHRISTUS jure naturæ ſuæ, ut minime inferiori parte perturbaretur, ſed illam ſibi ſemper haberet ſubjectam, Maria per gratiam id obtinuerit, ita ut ſemper in illa tranquillitas Sancta fuerit dominata. Dæmon ſenſit imperium ſuum labefactari, ubi naſci videt Creaturam, in quam nullum habuerat dominium, ne in ipſo quoque Conceptionis ejus momento, neque in ejus Nativitate. Corpus, & anima Mariæ ſimul conjuncta fuere, ut fierent templum, & ſanctuarium Divinitatis; Corpus hoc ſine macula per beatam fœcunditatem, & hæc anima per gratiarum plenitudinem; Corpus hoc, ut Sanctam præpararet Manſionem Verbo Divino; anima hæc, ut illi in rebus omnibus placeret; Corpus hoc ut illud conciperet, ac pareret; anima hæc ut illi eſſet pacate, & immutabiliter conformis; talia enim fuerunt Dei de Maria Conſilia. Si igitur ex me quæritis, cuinam illa ſimilis ſit, vobis dicam ſimilem eſſe Deo, qui fecit illam ad imaginem ſuam, & ſi urgere volueritis interrogationem veſtram, ut ſciatis, quid vobis Maria pollicetur, dicam, illam nobis promittere Deum, qui cum carnem accepturus ſit in ſinu illius, fiet & ipſe ad imaginem noſtram. Ita ex quo Maria naſcatur, videtur Verbum Dei dicere Æterno Patri ſuo verba eadem, quæ olim dixit Angelus Jacob: *dimitte me, jam enim aſcendit Aurora*: Mariæ Nativitas ita eſt conjuncta cum mea, ut illam ſequi debeam, ut umbram ſequitur corpus. Prophetæ, & Patriarchæ, qui me expectant, & reſpiciunt Mariæ Nativitatem, tamquam ſignum meæ, & me brevi proditurum putant, quia illa eſt radix Jeſſe, quæ productura eſt florem, ſuper quem Spiritus Domini cum omni plenitudine ſua debet quieſcere. *Elogia Hiſtorica.* Gen. 32.

Conſolamini, afflicti mortales, conſolamini; longum hoc intervallum inter Dei Verbum, quod vobis datum eſt, & verbi hujus complementum non amplius vobis crucem figet, vel negotium faceſſet. Gratiæ, quæ jam eminus vobis monſtratæ fuerunt adimplebuntur. Iris jam de Cælo fulget; recordabitur Deus fœderis ſui: jam libertatis, ac felicitatis veſtræ dies illuceſcit. Steriles, quæ non peperiſtis, lætamini, puellæ quæ oritur ex Annæ ſinu pluris valet, quam infinitus puellarum numerus. Super hanc Dominus collocabit lapides neceſſarios ad ſibi domum ædificandam. Hæc eſt pignus Verbi illius; & ſignum ipſum, quod dedit vobis: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium; & vocabitur Nomen ejus Emmanuel.* *Ecce* hæc Virgo de domo Jacob, unde prodire debet ſtella, quæ omnes gentes illuminabit: *Ecce* hæc Radix Jeſſea, quæ electum fructum pariet: *Ecce* aurora, quæ pariet Solem Juſtitiæ. Hæc non eſt quidem lux vera, non ſecus ac Joannes Baptiſta; ſed ut ille, & magis etiam quam ille teſtimonium perhibet vero lumini, quod illuminat omnem hominem venientem in Mundum. *Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Hæc eſt etiam majus aliquod ipſo Præcurſore, & Angelus, qui præparat vias ejus, nobis aliquod certius dicit, quam ille. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi.* Verbo; hæc illius Mater eſt; & Eccleſia, quæ quin confundat ordinem feſtivitatum noſtrarum, illarum tempus novit prævertere, nos hodierna admonet die hanc illam eſſe, *de qua natus eſt JESUS.* Deferantur igitur laudes Deo, qui in Sacris Scripturis, quæ fideles ſunt Verbi ejuſdem ſequeſtres, nobis promiſit, quod nunquam ſperare fuiſſemus auſi: quo ſigno? Nativitate Mariæ, quod ſignum eſt, promiſſiones Dei jam adimpletum. *Idem.*

Mariæ Nativitas ... placata.

Iſaiæ 7.

Joann. 1.

Oratio ad Deū pro gratiarum actione quod nobis dederit Mariā hominum Advocatam.

Adoro te Deus meus in Nativitate novæ hujus Creaturæ tuæ, quam hodie das Mundo, & quam inter omnes Adæ Filios, ſplendeſcere facis tamquam lilium inter ſpinas per gratiam, & ſanctitatem, quæ fecerunt Nativitatem illius a nativitate iniqua aliorum hominum, qui naſcuntur inimici tui, & iræ tuæ filii. Promiſeras Deus novam hanc Creaturam, in qua incipit alluceſcere ſpes peccatorum; & inimicitia, quam poſueras, ut promiſiſti, inter hanc Mulierem, & ſerpentem, ſtatim in ipſa illius Nativitate deprehenditur, quemadmodum in ipſius Immaculata Conceptione illuxit. Hoc igitur eſt præludium victoriæ, quam Filius ejus relaturus eſt aliquando de principibus tenebrarum. Omnes te laudent, tibique benedicant, Domine, quod Mariam elegeris prærogativa adeo ſingulari, & omnes gratiæ, omneſque miſericordiæ, quibus illam prævenisti, laudent te, teque in æternum glorificent. Tu quoque Virgo cælitus data pro ſalute univerſæ terræ, benedicaris; & modo Creaturæ omnes ſalutent te gratia plenam, ut Angeli ſalutationem prævertant: Nam cor, quod naſcitur, eſt nihilominus cor cumulatiſſimum Sanctitate Dei præ ceteris, quæ adhuc in rerum natura extiterunt. Spiritus Dei, qui inde facere quærit Templum Sapientiæ æternæ, in anteceſſum efficit vivam Virtutum omnium imaginem, cujus Incarnata Sapientia futura eſt verus prototypus; & quouſque Spiritus hic adorabilis efformabit ex Virginali tuo Sanguine corpus Filio Dei ipſius, non ceſſabit in ſingulos dies effundere gratias recentes, novamque Sanctitatem, ut anima tua, tuumque corpus dignum fiat Omnipotentis habitaculum. *Auctor Recens.*

DE

DE SANCTO MARIÆ NOMINE, MONITUM.

CUM Feſtivitas Sancti Nominis Mariæ non ita pridem fuerit inſtituta; mirum non eſt, ſi nullus ex antiquis Scriptoribus de eadem verba fecerit, & pauciſſimi recentiores Concionatores peculiarem de illa Sermonem ediderint. Verum Sanctum hoc Nomen apud Chriſtianos ita eſt venerabile, ut nullus ſit Eccleſiæ Pater, qui ejuſdem elogium prætermiſerit, neque ullus aſceticus Auctor, qui de illa ſingulari veneratione non loquatur. Itaque ſicuti ratus non ſum hoc mihi prætermittendum eſſe argumentum verba facienti de Myſteriis Beatæ Virginis, ita arbitratus non ſum defuturam mihi rerum copiam ad plures etiam Sermones concinnandos.

Profecto præſuppoſito, quemadmodum uſu, & recto ſenſu inſtitutum eſt, nomina exprimere naturam rerum, eaque earum æquam nobis ideam adſtruere, & quod pertinet ad perſonas quibus imponuntur, eaſdem repræſentare, ac deſignare; quod amplius argumentum inveniri poteſt, quam loqui de ſanctitate, virtutibus, meritis, magnalibus, & prærogativis illius, quæ hoc Mariæ Nomine deſignatur?

Ad exornandum igitur Auguſti hujus Nominis Elogium, quin per omnia Myſteria percurramus cum quibus habet aliquam rationem, operæ pretium me facturum ratus ſum, me ipſum coarctando ad varias ſignificationes, quas, qui præ ceteris melius linguam primigeniam calluerunt, ex qua deſumptum fuit, nobis tradiderunt. Hinc ſpem nactus ſum me viam invenire efficiendi ex argumento, quod ſatis ſterile videtur, plures amplos, novoſque Sermones in laudem Sanctæ Virginis ex proprio illius Nomine depromptos.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum Synopſis hujus Argumenti.

I. QUAMVIS Sanctus Ambroſius, & Sanctus Bernardus, aliique plures non aſſererent, Auguſtum Mariæ Nomen de Cælo dilapſum fuiſſe, ſola Myſteria, quæ continet, ſatis oſtenderent, hoc Divinam Sapientiam impoſuiſſe illi, quæ ab æterno deſtinata erat Dei Mater futura. Profecto veritas, Magnitudo, & felix omen, quod complectitur, præcipuæ ſunt conditiones, quæ in Nomine requiruntur; cumque ibi collectæ inveniuntur, concipitur idea ſublimis perſonæ illius quæ hoc Nomine nuncupatur; vel ſaltem, cum illi imponitur, vota nuncupantur, ut Nominis omen repleat, & ſpem, quæ inde concipitur. Hoc illud eſt, quod mihi fert animus, vobis oſtendere in Sancto Mariæ Nomine, cujus a me laudes celebrari expectatis. 1. Nomen, ſi quod fuit unquam glorioſum, quoniam in originali lingua *Dominam* ſignificat. 2. Nomen quod illi proprium eſt, ſecundo enim loco ſignificat, *illuminatam*, vel *illuminantem*, quod munus eſt, vel officium, quod exercuit in terra, Mundum illuminans, eique facem præferens. 3. Denique Nomen eſt ominis optimi, quoniam ſtellam maris ſignificat, quæ deducit nos pee procelloſum Mundi hujus pelagus, ut ad æternæ felicitatis portum perveniamus. Hæ tres ſunt ſignificationes, quas Sancti Patres dederunt Auguſto Nomini Mariæ, & quas adoptavit Eccleſia; quamobrem ajo, Nomen hoc ſimul eſſe glorioſiſſimum, maxime proprium, & feliciſſimum, quod tribui poſſit meræ creaturæ; quoniam Magnitudo, veritas, & Spes in eo collectæ inveniuntur, ſimulque nobis repræſentat dignitatem, ad quam Deus Sanctam extulit Virginem, miniſterium, vel munus, quod exercuit, & felicitatem, quam inde ſperare debemus; Nomen idcirco, quod noſtra poſcit obſequia, noſtram gratitudinem, & peculiarem confidentiam, quod futurum eſt Sermonis hujus argumentum, atque partitio.

Ad primum punctum amplificandum, oſtendere poſſumus: 1. Mariæ Nomen exprimere altiſſimam dignitatem, quam aſſequi poſſit mera creatura. 2. Quia exprimit opus nobiliſſimum gratiæ, & naturæ, quod ex Dei manu prodierit. 3. Quia ampliſſimas deſignat prærogativas, quæ tantam ſuſtinere debent dignitatem; ideoque Nomen hoc eſt compendium, quod oculis objicit ſimul, & menti quidquid magnum eſt, illuſtre, & ſingulare in beata Virgine, quæ quatenus Creatoris Mater habenda eſt pro Domina Cæli, ac terræ poſt Filium ſuum &c.

In altero puncto, oſtendere poſſumus Beatam Virginem merito Mariam appellari, videlicet illuminatam, & illuminantem. 1. Quia peperit Mundo illum, qui vere lumen eſt, 2. Quia cum propius accedat ad Solem juſtitiæ, & eum, qui lux eſt per eſſentiam; nemo illam copioſius poſſedit, neque ad illam communicandam eſt aptior. Et ſane eſt auroræ, quæ illum peperit, qui, ut Sanctus Joannes ait, *illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*. Nationes a JESU CHRISTO illuminatæ, Joann. 1.
populi ſedentes in tenebris, vidiſtis lucem magnam; ſed per quam? Per Mariam, quæ Solem hunc peperit. Hæc illa Mulier eſt, quæ in Eccleſiæ Cælo retulit, amicta Sole Juſtitiæ; hæc Mundum ſua luce illuſtravit, ſed ipſa quoque fuit infinita luce perfuſa, & ſecundum ſui Nominis vim, ſimul extitit & illuminata, & illuminans.

Pro tertio puncto, oſtendendum eſt, hoc Mariæ Nomen eſſe ominis feliciſſimi, quia qui primævam linguam præ ceteris callent, uno fatentur ore: *Stellam Maris* ſignificari: quam ſignificationem in precibus ſuis conſecravit Eccleſia: *Ave Maris Stella*. Hæc ergo Sancta Virgo eſt velut polaris ſtella per quam adduci poſſumus tuto in portum ſalutis; hæc noſtra ſpes eſt, & fauſti ominis illis, qui a recto tramite aberrantes illam detegunt. Hæc vim Nominis replet; non enim ſolum lætificat eorum corda, qui confidunt in illa, verum etiam procurat illis media ſeſe expediendi in iis difficultatibus, quæ ipſis negotium faceſſere poſſunt. In adverſis, atque periculis omnibus tibi incurrentibus *reſpice ſtellam* hanc, *Mariam voca*, Sanctus Bernardus inquit. Moralis, quæ huic reſpondet argumento in quinto, & ſexto Paragrapho invenitur.

Ut nomen illuſtre ſit, & venerabile tres præſertim habere debet conditiones, quæ in Matiæ Nomine ioveniuntur, eamque veneratione digniſſimam præbent. II.

Prima eſt; oportet illius ſignificationem nobilem eſſe, & replere mentem magna quapiam idea; cum enim nomen eſſentialiter referatur ad rem, vel ad perſonam, quam ſignificat, & quæ illius objectum eſt, ex eodem mutuatur quidquid habere Magnitudinis poteſt. At quænam eſt illa quæ antonomaſtice vocatur Maria? Illa nempe, quam Prophetæ nuntiarunt, & quæ expectabatur tamquam Mater Hominis-Dei. Hoc igitur Nomen eſt magnum, & potens, & perfectiſſimum, quod fuit, eritque, uno Incarnati Verbi Nomine excepto.

Secunda conditio; oportet Nomen hoc verum eſſe; videlicet exprimere qualitates, virtutes, bona, quæ inſunt perſonæ, quam repræſentat. Cum enim per ſe naturaliter ſit ſignum rei, quam repræſentat, cumque factum non ſit, niſi ut illam repræſentet, ceſſaret eſſe Nomen, ſi ceſſaret eſſe illi conforme; & ſi hanc non haberet conformitatem, verum eſſe ceſſaret. Ad omnes autem Auguſti hujus Nominis, quas ex Sanctis

Patri-

Patribus attulimus ſignificationes examinandas, quis non videt a Sancta Vergine perfecte adimpletas fuiſſe, Ideoque Mariæ Nomen perfecte pertinere ad perſonam, quæ eodem nuncupatur, & præterea nemini ſecundum omnem illius latitudinem?

Tertia demum conditio eſt, nomen proprium eſſe debere, & ſingulare perſonæ illud deferenti; cum enim ſit veluti nota, qua homines alii ab aliis diſtinguuntur, patet, illud pluribus convenire non poſſe, niſi aliquod agnomen adjiciatur, quo tollatur æquivocatio, & quo tamquam charactere diſtinguantur, vel munere, vel ſtatu, vel profeſſione, vel ſtudio aliiſque perſonalibus qualitatibus. Sed ſolum Mariæ Nomen primo ſtatim intuitu ingerit perſpicuam, diſtinctamque notionem virtutum, dignitatis, & prærogativarum ſingularum illius, quæ Dei Mater eſt, qualitatum, quæ ita illius ſunt propriæ, ut audito ſolum Nomine ejus, innoteſcant: hinc ſit, ut quæ hoc Nomine appellatæ fuerunt, nonniſi figuræ fuerunt illius, vel ab illa diſtinctæ alio quopiam titulo, ex earum familia deſumpto. Hoc unum igitur Mariæ Nomen efficit, ut quid ſit, cognoſcatur, præſtat omnibus elogiis, quæ poſſunt excogitari, complectitur quidquid virtutis eſt, meriti, excellentiæ in ceteris creaturis; deſignat ordinem, claſſem, dignitatem ſuperiorem iis omnibus, quæ mere creata ſunt.

III. Pro ſermonis partitione deſumi poſſunt hæc puncta duo, quæ colligunt quidquid dici poteſt de hoc argumento, & morales concluſiones, quæ inde poſſunt depromi.

1. Præſtantia, & dignitas Nominis hujus, quod ciet reverentiam, & venerationem in Angelis, & in hominibus; quia Nomen eſt Deiparæ, quam tradit cognoſcendam, & cujus revocat memoriam, & meritum, prout Nomen JESU operatur. Cum enim Mariæ Nomen ingreditur in ordinem hypoſtaticum eo modo, quo docent Theologi, & per hanc elationem mereatur cultum ſuper Sanctos omnes; ſolum Nomen, quod illam repræſentat, eamque nobis tradit cognoſcendam, meretur poſt Nomen Filii ſui, qui ſimul homo, & Deus eſt, reverentiam, & venerationem conformem excelſæ huic dignitati Matris Creatoris ſui.

2. Virtus, & poteſtas auguſti hujus Nominis ſeu in gratia, ſive in natura excitare debet noſtram Confidentiam, & quemadmodum Salvator aſſeruit, nos certiſſime conſecuturos eſſe quidquid a Patre Nomine ſuo petierimus; ſimiliter adhibentes Nomen Mariæ, hoc eſt, illud invocantes, & ad illam in omnibus periculis, atque urgentiſſimis neceſſitatibus confugientes, fieri nequit quo minus opem inveniamus, ſi in Sancto hoc Nomine confiderimus.

IV. Sanctum hoc Nomen triplici modo poteſt conſiderari. 1. In ſemet, & Sanctum eſt, quia Dei juſſu impoſitum, prolatum ab Angelo, pluries in Scripturis expreſſum, & quia Sancta eſt perſona illa quam deſignat, concepta, & nata ſine peccato, & gratiis, meritiſque plena.

2. Ratione illius, cui fuit impoſitum, & quæ hoc appellatur Nomine; & Nomen eſt glorioſum, innuit enim finem propter quem naſcitur; munus, & officium ab illa præſtandum; ordinem, & dignitatem qua erit honoranda &c.

3. Ratione eorum, pro quibus hoc illi Nomen inditum fuit, Nomen eſt plenum ſuavitate, ſpe, & conſolatione: quia illis in memoriam revocat, eam, cui fuit impoſitum, pariturum eſſe in Mundo Liberatorem, & Salvatorem illorum, & ipſam illam cooperaturam ad ſalutem ipſorum, modo prorſus peculiari; quapropter erit vocanda Mediatrix, & Redemptrix hominum.

V. Nonne de Nomine hoc adeo auguſto, & venerabili dici poteſt, quod S. Bernardus ait de adorabili Nomine JESU; Nomen hoc vacuum non eſſe? *Non enim meus iſte JESUS ad inſtar priorum nomen vacuum, & inane portat, non eſt in eo Magni Nominis umbra, ſed veritas.* Profecto ut Nomen vacuum non ſit, ſumi debet, Sanctus idem Bernardus ait, 1. Ab ipſa ei natura; 2. Ab officio, videlicet uſu, ad quem adhibetur; 3. A merito, ejuſque excellentia; quod facile applicari poteſt Nomini Mariæ, quod certe vacuum non eſt; ſignificat enim perſonam præſtantiſſimam, & præ ceteris quæ in Mundo ſunt ad ſubliniorem dignitatem evectam; Nomen quod deſignat officium ab illa in terris exercendum; denique meritum ejus, virtutes, eminentes actiones, & gloriam, qua in æternum perfruetur.

VI. Poſt Sanctiſſimum, & adorabile Nomen JESU, nullum hoc 1. Sanctius; 2. Auguſtius, excellentius; 3. potentius, & a quo majus ſubſidium, & opem expectare debeamus, quam Nomen Mariæ. Sequentes Paragraphi abunde rerum copiam ſuppeditabunt ad tres haſce propoſitiones amplificandas.

VII. 1. Sanctum MARIÆ Nomen habet nonnihil commune cum Dei ipſius Nomine, eo quod hoc Nomen ſignificat Dominum, & Dominatricem; & Deus in omnibus Scripturæ paginis ſeipſum Dominum, & univerſorum Dominatorem appellat: *Ego Dominus.*

2. Hoc Nomen ipſum hoc habet commune cum Nomine JESU, quod Salvatorem ſignificat, quod JESUS eſt lux mundi, & venit in terras ad illuminandos omnes homines, & ad erroris tenebras diſſipandas; & Maria ſignificat illuminatam, & illuminantem, quia cæleſtia recipit lumina, eadem in univerſum terrarum orbem effuſura, & communicatura.

3. Quid hoc Mariæ Nomen in Sancta Virgine habeat ſuper ceteras, quæ eodem appellatæ ſunt ſeu ante, ſeu poſt illam.

VIII. Ut omnes Sancti hujus auguſtique Nominis prærogativas duabus tantum propoſitionibus licet magis generalibus complectar, dico

1. Mariæ Nomen habere neſcio quid tenerum animæ juſtæ, quod inſpirat illi pietatem erga Dei Matrem.

2. Nomen hoc habere neſcio quid ſolatii in peccatore, qui ſperat ſe criminum ſuorum veniam impetraturum ope, ac ſubſidio Matris hujus Miſericordiæ. *Sermo Manuſcriptus Patris Stephani Chamillard.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Sermonum partitiones exornandas: & Auctores, qui hoc argumentum pertractant.

Sanctus Ambroſius *lib. de inſtit. Virg. cap. 5.* tribuit huic Mariæ Nomini ſignificationem omnino peculiarem; ut alibi innuimus, & oſtendit in hoc capite, Nomen hoc de Cælo veniſſe, & Dei juſſu impoſitum fuiſſe. Sancti Patres.

Liber *de ortu Deiparæ*, de quo S. Hieronymus loquitur, oſtendit Nomen hoc Sanctæ Virgini datum per peculiarem Dei revelationem factam parentibus illius Sanctis Joachim, & Annæ.

S. Ephrem *Orat. de laudibus Virginis* de Sancto hoc Nomine magnifice loquitur.

Sanctus Chryſologus *lib. de Virgin. cap. 6.* facit elogium auguſti hujus Nominis Mariæ, ejuſque ſignificationem aperit: de quo etiam verba facit Sermone 142.

S. Epiphanius *Orat. de laud. Virg.* oſtendit Nomen hoc ſignificare Dominam, & Beatam Virginem replesse præclari hujus Nominis dignitatem.

S. Ildephonſus *ſerm. 2. de Aſſumptione* oſtendit eam vere fuiſſe Maris Stellam, ſecundum Nominis ſui ſignificationem.

Cardinalis Petrus Damiani *ſerm. de Epiph.* hoc ipſum ferme dicit.

Arnoldus Carnotenſis de hoc verba facit, differens de laudibus Mariæ.

S. Joannes Damaſcenus præ ceteris fuſius de hac re locutus eſt.

Idiota de *Contemplat. cap. 3. 5. & 6.* latius verba facit, ubi inter cetera inquit, Nomen hoc de Cælo veniſſe.

Rupertus Abbas ſupponit hujus Nominis ſignificationem, quod idem ſonat, ac illuminata, & illuminatrix, Sanctam Virginem vocat Apoſtolorum Magiſtram, & docet, quamvis illi eruditi fuerint a Spiritu Sancto, plurima tamen a Maria didiciſſe.

S. Anſelmus *lib. de Excellentia Virginis* oſtendit Sancti hujus Nominis virtutem ad nos de ſalutis noſtræ periculis liberandos.

S. Bonaventura *in ſpeculo Beatæ Virginis c. 13.* & in Pſalterio pie loquitur, & oſtendit quid inde proficere valeamus.

S. Bernardus *Homil. 2. ſuper Miſſus eſt*, uberrime de hac re loquitur, & peccatores hortatur, ut in hoc Sancto Nomine confidant.

S. Fulbertus *ſerm. 1. de Nativ. Virginis* probat Mariæ Nomen impoſitum fuiſſe per divinam revelationem.

S. Thomas *opuſcul. 8.* de hoc Sancto Nomine loquens, latius differit de illuminatæ, & illuminantis ſignificatione.

Sanctus Antoninus *part. 4. tit. 15.* oſtendit Mariam ab alto illuminatam fuiſſe, & fuiſſe Doctorum Magiſtram. Theologi, aliique Doctores.

Dionyſius Carthuſianus *lib. 3. de laudibus Virginis in cap. 1. Lucæ* hoc Nomen exaltat.

Albertus Magnus *in cap. 1. Lucæ.*

Spinellus *de Beata Virgine cap. 14. num. 11.*

Caniſius *in Mariali lib. 5. cap. 1.*

Cornelius a Lapide *in cap. 15. Exodi.*

Poza *lib. 2. de Beata Virgine tract. 17.*

Richardus a Sancto Laurentio *lib. 1. cap. 3.* oſtendit varias ſignificationes Nominis Mariæ.

Toletus *in cap. 1. Lucæ Annot. cap. 2.*

Delcio, *2. Polemic. de orig. hujus Nominis.* Aſcetici.

Theophyli Raynaudi *Diptycha Mariana.*

Pater a Ponte parte 2. Meditat. de Myſteriis Fidei, puncto ſecundo Meditationis quartæ.

Pater Poire in triplici corona tract. 1. cap. 3.

Pater de Argentano Capuccinus Collat. 2. de Magnalibus Sanctæ Virginis. Concionatores nuperi.

Mathias Faber *conc. 3. in Nativ. Virg.* adfert, & explicat omnes Sancti hujus Nominis ſignificationes.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta in Tomo Myſteriorum Beatæ Virginis habet Sermonem de hoc unico argumento.

Qui collectanea ediderunt. Pater Theophylus Renaud *in Dipsycis Marianis.*

Pater Niquet in libro, cui titulus: *Nomenclator Marianus.*

Juſtinus Miechovienſis *Diſcurſus prædicabiles ſuper Litanias Lauretanas diſcurſu 82.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, Figuræ, & applicationes Scripturarum de hoc argumento.

NOmen *Virginis Maria.* Luc. 1.

Ne timeas Maria, inveniſti gratiam apud Deum. Ibidem.

Ave gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus. Ibidem.

Dedit illi Nomen, quod eſt ſuper omne Nomen, ut in Nomine ejus omne genuflectatur, Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Ad Philipp. 2.

Vocabitur Nomen ejus: quod os Domini locutum eſt. Iſaiæ 40.

In Nomine ejus gentes ſperabuar. Matth. 12.

Nomen habes, quod vivas. Apoc. 3.

Scribam ſuper eum Nomen novum, Nomen Domini mei, & Nomen civitatis Dei. Ibid. cap. 12.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, & ſanctum Nomen ejus. Luc. 1.

Jacob genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt JESUS. Matth. 1.

Dixit autem Maria, ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum. Luc. 1.

Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Luc. 1.

Secundum Nomen tuum, ita & laus tua ſit in fines terræ. Pſalm. 47.

Dicite quia magnum eſt Nomen meum in gentibus. Malach. 1.

Exempla, & Figuræ Veteris, noviqus Teſtamenti.

SOror Moyſis cum Maria vocata fuerit pluribus ſæculis antequam hoc ipſum Nomen Beatæ Virgini tribueretur, recenſeri meretur inter antiquas Deiparæ figuras. Sanctus Ambroſius, Sanctus Gregorius Nyſſenus, & Sanctus Chryſologus hunc illi locum aſſignant, non ſolum propter Nomen utrique commune; verum etiam ſecundum eorumdem Sanctorum teſtimonium, propter conformitatem ſtatus, & profeſſionis, quam utraque complexa eſt; utraque enim Virginitatem in omnem vitam ſervavit. Etenim quod pertinet ad Mariam Matrem JESU, nemo dubitavit unquam, niſi hæretici quidam, quorum nomen fere ignotum eſt; & quod pertinet ad priorem, quæ in lege veteri hoc nomine vocatam ſcimus, hoc probat Nyſſenus ex Scripturarum ſilentio, in quibus nullibi occurrit nomen viri ſui; quem ſi habuiſſet, ex illius nomine vocata fuiſſet non ſecus ac aliæ eorumdem temporum mulieres, neque ſemper, & conſtanter fuiſſet Moyſis, & Aaronis ſoror vocata. Tamen hoc titulo non fuit niſi figura Mariæ Matris Salvatoris; nam hæc præter Virginitatis profeſſionem honoravit eximiam virtutem hanc voto inſolubili, quod fecit omnium prima in nova lege, uti docent Sanctus Auguſtinus, Sanctus Bernardus, & omnes paſſim Theologi. Ubi animadvertere licet, hoc Myſterio non vacare illam, quæ in veteri teſtamento prior Mariæ Nomine vocata fuit, recenſeri poſſe inter figuras Genitricis Dei, repræſentaſſe hanc ea in virtute, qua nihil habuit antiquius, ita ut illam divinæ prætulerit Maternitati; ſi duo iſti glorioſi tituli Virginis, & Matris ſimul eſſe non potuiſſent.

Ex Scripturis innoteſcit, poſtquam Moyſis Soror, de qua verba fecimus, Maria fuit appellata, Nomen hoc fuiſſe commune pluribus ſexus ejuſdem; veluti Mariæ Sororis Marthæ, & alteri Mariæ illi, quæ cum Maria Magdalena venit cum aromatibus ad Salvatoris ſepulcrum; quemadmodum narrat Evangelium. Dicere poſſumus illas, ſi minus fuere figuræ Matris Dei, ſaltem imitatas fuiſſe admirabilem hunc prototypum, quia imitatæ ſunt illius fervorem, amoremque tenerum erga Filium Dei. Ita videmus alteram quidem ſequi ſolitam fuiſſe illum, ut divinum illius Verbum audiret; alteram vero ex illius comitatu fuiſſe, ut ita dicam, quandoquidem quocunque illum comitabatur, illum ſecuta uſque ad Crucem, ut illum quærebat in monumento, cum altera cognomine una cum Maria Matre JESU, ut cum illa dolores ſuos partiretur.

Conſtat etiam hoc ipſum Mariæ Nomen aliis inditum fuiſſe poſt mortem, atque Reſurrectionem Salvatoris; uti docemur Epiſtola Sancti Pauli ad Romanos *cap. 16.* ubi Magnus hic Apoſtolus ſalutat ſanctam quamdam Matronam perhibens virtutis ejus teſtimonium per hæc verba: *Salutate Mariam, quæ multam laboravit in vobis.* Meo nomine ſalutem dicite eximiæ huic Matronæ, quæ vobis ignota eſſe non debet; noſtis enim quid fecerit vobis, & quo zelo laboraverit, ut vos confirmaret in fide, & qua caritate veſtræ ſalutis curam ſuſceperit. Multum illi debetis, & magnas ſuſcepit curas, ut neceſſitatibus veſtris conſuleret. *Multum laboravit in vobis.* Ex unico verbo hoc, quod perfectam caritatem ſignificat, nonne cognoſcitis fidelem imitatricem illius, cujus nomen gerit, videlicet Mariæ Matris JESU, quæ ſine ulla comparatione magis laboravit pro nobis, magis cooperata eſt ſaluti noſtræ, magis ſollicita fuit de æterna felicitate noſtra, quam Mortalium quipiam, uno excepto Filio ſuo? *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis.* Neſcio, utrum profecta ſit hinc pia conſuetudo reverenter ſalutandi illam, quæ intelligitur, cum profertur hoc Sanctum Mariæ Nomen; ſaltem ex traditione didicimus, primos Fideles hoc facere conſueviſſe, neque facere prætermittebant non ſine aliquo ſuæ venerationis indicio. Ad Rom. 16.

Nonnulli hodierna die quamdam profanationis ſpeciem putant, Mariæ Nomen indiſcriminatim nulla habita meriti, vel conditionis ratione proferre; tandem enim inquiunt Nomen JESU ſatis in nova lege in honore eſt; nemo enim audet hoc Nomine vocari, ſed Nomen Mariæ datur, & imponitur mulieribus ex ima plebe. Non audeo improbare, vel damnare hanc reverentiam, quam populi hujuſmodi Beatæ Virginis cultui addicti venerantur hoc Nomen, quod nunquam ſatis coli poteſt, cum rationes illorum a religione proficiſcantur. Conſuetudo eorum religioſa eſſe poteſt, ſed cum ratio colendi Sanctam Virginem alibi alia ſit, ſi inter ceteras rationes præ ſe ferendi obſequium, vel æſtimationem erga aliquam, hæc quoque cenſetur, aſſumere nomen illius: cur non erit argumentum cultus noſtri, atque noſtræ venerationis erga Dei Matrem, ab ejus Nomine nuncupari? Nonne hæc ipſa valida ratio eſt imitandi virtutes illius, cujus Nomine appellari digni effecti ſumus, eamque ſingulari devotione complecti?

Eſther Regina, quæ inter Beatæ Virginis figuras recenſetur, in quibuſdam ejuſdem Myſteriis, aliquam habet rationem cum Mariæ Nomine in communiori ſignificatione, ſcilicet Dominæ, ac Dominatricis. Hæc autem ratio in hoc ſita eſt, quod ſtatim ac Eſther electa fuit Magni Regis uxor eo Dei Conſilio, ut poſſet uti ejuſdem auctoritate, & gratia apud Regem ad ſalutem populi ſui, quem ſuperbus Aman perdere decreverat; Eſther, inquam, ſimulac ad tantum dignitatis apicem evecta fuit, & præconis voce declarata totius imperii Aſſueri Regina, Rex ipſe, Scripturæ ipſius teſtimonio, *poſuit diadema Regni in capite ejus, fecitque eam regnare.* Nonne hoc ipſum fecit Spiritus Sanctus cum Maria, electa ab ipſa Nativitate ſibi in Sponſam? Nonne dici poteſt ex tunc jam illam ſibi ſociam elegiſſe, impoſito illi Mariæ Nomine, quod Dominam, & Dominatricem ſignificat? Cujus vero ditionis, & imperii, niſi illius Sponſi hujus Cæleſtis, quod latiſſime patet in Cælo, & in terra? Quod ſi non poſuit in illa diadema Regni in capite in ſignum ſupremi honoris, ac poteſtatis, dedit illi coronam Juſtitiæ; & Gloriæ, quæ decebat illum honoris gradum, ad quem illam evexerat. Eſther 2.

Quod pertinet ad figuras Symbolicas glorioſi hujus Nominis Mariæ, nullam in Bibliis invenio, niſi quatenus ſignificat illuminatam, & luce undique amictam; tunc enim dicere poſſumus, Sanctam hanc Virginem repræſentari per illam Apocalypſios Mulierem prorſus fulgentem, cujus indumentum erat Sol, ſub cujus pedibus erat Luna, & ſtellæ coronam illius decorabant, figura, quæ uni tantum Mariæ convenire poteſt, cujus Nomen deſumptum eſt a lumine, quod cælitus recipit, & quod terræ communicat, juſtis, & peccatoribus, tamquam lucem Solis, Lunæ, aliorumque ſyderum, quæ univerſum Mundum illuminat.

Applicatio plurium locorum Scripturæ ad hoc argumentum.

ET *Nomen Virginis Mariæ. Luc. 1.* Videtur nihil magis ad arbitrium confingi poſſe, quam nomina, & ad hominum voluntatem atque libidinem temere, & fortuito imponi. Quamvis plurima id genus inveniri poſſint, conſtat tamen, in nominibus eſſe debere quamdam cum rerum natura rationem, & cum earum perfectionibus, & qualitatibus, ita ut ſint tamquam definitio, & elogium perſonæ, vel rei, quæ nominatur. Hinc illud profectum adagium: *Sapientis eſt, imponere nomina rebus;* & dicitur primus, & omnium perfectiſſimus nomina impertiens operibus Dei, nominibus rerum naturam expreſſiſſe. Hoc ipſum hodierna die dici poſſet de Auguſto Nomine Mariæ. In hoc libido, & ſors nullam ſibi partem vindicarunt: Pater Æternus Sacri hujus Nominis eſt Auctor; per Angeli afflatum S. Anna impoſuit illud Matri Dei: Mariæ Nomen non eſt arbitrarium, eſt Oraculum.

Dei: Evangelium, quod illud nobis aperit, illud etiam conſecrat, atque veluti Oraculum celebrat; complectitur totum Mariæ elogium; eujus hoc eſt veluti compendium; & ſicuti Scriptura omnia dixit, dicens, Filium Dei vocatum fuiſſe JESUM, omnia ſimul dicit, dicens Deiparam *Mariam* vocatam fuiſſe. Et *Nomen Virginis Maria.*

Mariæ Nomen oleo comparatum, & quare.

Unguentum effuſum Nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te. Cant. 1. Olei proprium eſt, ſeſe effundere, & odorem perflare, prout magis effunditur. Hæc Scripturæ locutio Unguentum effuſum Nomen tuum, teſte Sancto Ambroſio ſignificat, quemadmodum unguentum in aliquo vaſculo contentum, retinet intra ſe odorem ſuum, & ſtatim ac effunditur undique ſuum odorem communicat: ita Mariæ Nomen ante Incarnationem clauſum erat in prophetiarum caligine; non cognoſcebatur niſi ſub titulo Virgæ, quæ erat proditura de radice Jeſſe: *Exurget virga de radice Jeſſe*: Quemadmodum divinum Nomen JESU latebat in tenebris, & in ænigmatibus, quæ illud præfigurabant, tamquam in vaſculo, vix in angulo Judææ cognoſcebitur: *Notus in Judea Deus.* Sed divinum hoc JESUS Nomen ſe effudit in univerſum Iſrael, & inter gentes, fuitque velut unguentum gratiſſimi odoris, quod omnes populos attraxit. Similiter ex quo Mariæ Nomen illuxit, & umbræ evanuerunt, divinum hoc Nomen ſe ſe effudit, & factum eſt veluti objectum amoris, & admirationis univerſæ terræ. Virgines dilexerunt illud, & cucurrerunt in odorem unguentorum, manantem a Nomine Sacro primæ, & puriſſimæ Virginum: *Unguentum effuſum Nomen tuum; ideo adoleſcentula dilexerunt te.*

S. Ambr. l. de Spir. & lit. c. 7.

Iſaiæ 11.

Hæc eadem comparatio cū oleo aliter explicata.

Oleum effuſum Nomen tuum. Cant. 1. Mariæ Nomen Chriſtianis carnalibus, & irreligioſis eſt velut oleum, quod effuſum non eſt. Hi Chriſtiani poſſident quidem hoc unguentum in libris aſceticis; ſed non penetrant litteram; vas tantum attrectant, quod illis clauſum, & ſignatum eſt, & quod aperire negligunt, ut unctionem ſpiritualem recipiant, quæ latet intus, & qua linirentur, ſi penetrarent ſenſum ſub littera Nominis hujus latentem. Aperite igitur Chriſtiani vas hoc, & uncti eſtote, ut criminibus veſtris abrenuntietis. Quid agit oleum in vaſculo, donec unctionem illius non experimini? Quid vobis prodeſt reſonare in ore veſtro auguſtum Mariæ Nomen, niſi agnoſcatis illam tamquam Matrem veſtram, & advocatam? Sinite vos trahi exemplo plurium adoleſcentularum, quæ Mariæ manu adducuntur ad Sponſum: *Ideo adoleſcentula dilexerunt te nimis*, & quæ trahuntur odore unguentorum, quæ divinum illius Nomen effundit. Hoc humilitatem perflat, & puritatem, quæ fructus eſt humilitatis. Ita videtis has Virgines ad Mariæ exemplum conſecrare corda, & corpora ſua tamquam hoſtias viventes per Virtutem caſtitatis; quod vos exercere non poteritis, quod tot adoleſcentuli utriuſque ſexus facere non potuerunt in tenera ætate, ac lubrica, inter ea, quæ Mundus plurimi facit. *Tu non poteris, quod iſti, & iſta.* Sequimini illos in odorem unguentorum, quæ effundunt, quemadmodum illæ Mariam ſequuntur in odorem Nominis ejus, quod eſt illis *Oleum effuſum* &c.

S. Auguſtin. in Conf.

Contra falſos devotos Nominis Mariæ.

Filii Matris mea pugnaverunt contra me. Cantic. 1. Quotidie convertimus ſalutis noſtræ adminicula in excidil, æternæque damnationis argumenta. Quid Chriſtianis ſalubrius quam Mariæ Nomen? JESUS CHRISTUS in illos tranſtulit jura ſua; illis cedit Matrem ſuam, illiſque omnibus dicit, Fili mi, ecce Mater tua; *Fili, ecce Mater tua.* Invoca Nomen Sanctum illius in omnibus dubiis rebus tuis, ubi incertus fueris conſilii, maxime vero in noviſſimis vitæ tuæ momentis, ubi graviora adſunt pericula, & tentationes vehementiores; ubi ultima diſpoſitio de beata, vel miſera æternitate decidit. Sed ubinam illi ſunt, qui remedium hoc amplectuntur? In numero illorum ipſorum, qui Mariam invocant; quot inveniuntur, quot ſunt qui hoc faciunt in ſpeciem duntaxat; & quot adhuc calamitoſiores in ore quidem geſtant Mariæ Nomen, & in corde ſuo impietatem, & Sancti Nominis mei odium; pugnant contra me, & ambulantes ſub Mariæ vexillis exteriori hac religionis ſpecie abutuntur, ut proplus vulnerent me; *Filii Matris mea pugnaverunt contra me.* Nonne hæc mira inverſio eſt; abuti Nomine Mariæ quaſi quodam integumento ad illam dedecorandam, cum dedecore afficiunt Filium illius; profiteri, ſe eſſe in numero ſervorum, & filiorum illius, ut hoc titulo impune perſeverent in flagitiis ſuis? nonne hoc eſt abuti eo Nomine, quod poſt Nomen JESU CHRISTI noſtrum perfugium eſt, quod nobis dat Deus tamquam impenetrabilem armaturam adverſus omnes tentationes Spiritus nequam?

Sanctū Mariæ Nomen oppoſitum ſuperbis nominibus Principū Mundi.

Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis. Pſalm. 48. De Sancto Mariæ Nomine aliter ſentiendum eſt, ac de magnificia nominibus, quæ ſibi vendicant homines, ut in Mundo ſe attollant. Vanitas, & ſuperbia multo magis, quam ratio cauſſa fuit titulorum, quibus tantus ineſt faſtus celſi, ac potentis Domini, & Vanitas hæc nihil eſt, nomen vacuum, ſi excipias imaginationem eorum, qui ſtolide hoc ſibi nomen uſurpant, & in aſſentatione eorum, qui illis plaudunt: ſed in divino Mariæ Nomine, affulget Sapientia; Nomen eſt in Altiſſimi Conſilio decretum, realibus, ſolidiſque qualitatibus inhærens. Omnipotens in formatione Mariæ ita ſe geſſit, ut olim in primi hominis creatione, ſuum coegit conſilium. Huic interfuit Filii Sapientia; adfuit etiam Spiritus ſanctus, qui Ipſe amor eſt Patris, & Filii, & dixerunt, Mariam eſſe debere poſt JESUM CHRISTUM perfectiſſimam divinitatis imaginem. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Pater quidem ſuam effudit Omnipotentiam, Filius illi Sapientiam ſuam communicavit, & Spiritus ſanctus Amoris plenitudinem; dederuntque illi Nomen Mariæ, quoniam ducebat originem ab ipſo Deo, quemadmodum prima Mulierum appellata fuit ex nomine, quod ſignificabat, ipſam a Viro duxiſſe ſuam: *Et hæc vocabitur virago, quia de homine ſumpta eſt.* Quod nobilius fundamentum pro hoc Nomine adeo divino? Deus ipſe illud imponit poſtquam incomparabili huic Virgini communicavit omnes perfectiones ſuas in gradu adeo ſublimi, ut mera creatura poſſidere vix poſſet. Nomen hoc permanebit in æternum: Tempus, quo omnia teruntur, & quod ruinis obruit nomina domitorum orbis, & eorum res præclare geſtas, nihil officere poteſt Nomini Mariæ. Divinum eſt, & immortale, quantum nomina, quæ homines ex prædiis, agriſque ſuis ſibi vindicant fluxa ſunt, & peritura.

Geneſ. 1.

Geneſ. 2.

Novum Nominis Mariæ privilegium.

Scribam ſuper eum Nomen meum. Apocalypſ. 3. Quænam eſt Beatorum gloria deferre hunc gloriæ titulum in fronte, tamquam coronam! Maria prævertit tempus remunerationis; illi enim non erant poſſeſſuri honoris hujus titulum, niſi diebus extremis: hic eſt fructus victoriarum ſuarum, & Maria naſcens recipit in fronte Nomen Omnipotentis, Dominæ, & Dominatricis: *Scribam Nomen meum ſuper eam.* Evaneſcite ergo ſuperba humanæ Vanitatis monumenta; fruſtra contenditis nomen veſtrum ad extremam uſque poſteritatem traducturi: Tempus non ne duriſſima quævis abſumit metalla? non ne characteres altius impreſſos obliterat? non ne evertit magnifica trophæa, quibus inſculpta ſunt nomina veſtra? Omnia ſimulacra in publicis plateis poſita, Epigraphes in columnis inſculptæ, trophæa in acie ſublata, nomina ex urbibus, ac provinciis deletis conquiſita, glorioſa ſunt monumenta, quæ ſervant nomina Principum, eorumque gloriam. Sed præterquam quod hæc muta ſunt elogia, vacui tituli, & imperfectæ repræſentationes, quæ non niſi paucis in locis eſſe poſſunt, & paucis tantum ſæculis durare, opus eſt, ut omnia cedant temporum fatalitati. Verum hoc ipſum dicendum ne eſt, Domine, de Nomine, quod ſcribis in fronte Electorum tuorum? Non ne erit æternum: *Et ſcribam ſuper eum Nomen meum, quod non peribit.* Tale erit Nomen glorioſum Mariæ nullis temporum injuriis labefactandum; æque permanebit ac Ipſe Deus, quia Deus illius auctor eſt, qui ab Ipſo hujus Virginis ortu impreſſit in fronte ejus hoc Nomen tamquam ſignum poſitum ſuper Sponſam ſuam, quod nihil valet infringere: *& ſcribam ſuper eum &c.*

Mariæ potentia comparata cum potentia Eſther.

Quæ eſt petitio tua Eſther? Quam gaudeo ea omnia detegere, quæ in glorioſo hoc Mariæ Nomine continentur! Sunt iſti quidem honoris, & gloriæ tituli pro incomparabili hac Virgine, ſed iſti in meam cedunt utilitatem. Sentio me attolli, & glorificari per ea privilegia, quæ divinum hoc Nomen complectitur, quippe inter fideles Mariæ ſervos adſcriptus, tota ejuſdem gloria mihi cedit. Comparo igitur magnam illius potentiam Nomine ejuſdem expreſſam cum potentia Eſther apud Aſſuerum. Rex ille cor habebat, & ferociam leonis; ira illius in facie, oculiſque emicabat; Mortis edictum prolatum fuerat in omnes, quicumque non impetrata facultate pedem inferret in aulam, ubi thronus illius poſitus erat. Huc non vocata ingreditur Eſther: Regis cor ſtatim immutatum eſt; adſpectus Eſther ſatis eſt, ut illud a furoris ſenſu ad ſenſum lenitatis traducat; agnoſcit eam, quam ſibi ſolii, ac potentiæ ſuæ ſociam delegerat; præbet illi deoſculandum ſceptrum ſuum, capiti ejus regium imponit diadema, ut teſtetur ipſam omnia poſſe, eamque urget, ut ſuam explicet petitionem, & omnia ſe illi recipit conceſſurum: *Quæ eſt petitio tua Eſther?* Crimina mea multiplicata ſunt ſupra capillos capitis mei, quemadmodum dicebat de ſe David. Non audeo memet ſtatuere coram Domino meo; nimis enim ſæpe abuſus ſum Miſericordiis ejus; Sed Maria velut Eſther, petere dignatur a vero Aſſuero ſalutem Iſrael, quæ jam conclamata videtur. Ingreditur in aulam Principis, petit vitam populi ſui, ejuſque petitioni omnia conceduntur; quia eſt omnipotens, ſecundum Nominis ſui ſignificationem, & Deus poſuit ſceptrum ſuum in manibus ejus, & illam ſecum in throno ſuo jubet accumbere: *Aſtitit Regina a dextris tuis.*

Eſther 5.

Nomen Mariæ celebre in univerſa terra.

Secundum Nomen tuum, ſic & laus tua in fines terræ. Gloria tua per univerſam terram celebris fit, ſicuti in ea Nomen tuum cognitum eſt, & celebre. Magnifico Mariæ Nomini non accidit, quod nomini victorum in univerſam terram effuſo. Hi enim celebritatem adepti ſunt cædibus, ac rapinis; omnes loci, quo eorum nomen pervadit, fremunt cum eorum nomina audiunt. Sunt tamquam cometæ quæ mala portendunt, & memoriam cient eorum, quæ repererunt. Sed celebritas Nominis Mariæ procedit ab illius ſuavitate, ab bonitate; ubicumque Eccleſia late effuſa eſt, Mariæ Nomen colitur; Nomen eſt benedictionis, quod mentem lætificat, & conſolatur corda; cumque Eccleſia ſit univerſalis, Mariæ Nomen, & laudes, quas continet, effuſæ ſunt ſuper univerſam terram. *Secundum Nomen tuum, ſic & laus tua in fines terræ*. Per hoc Nomen ſuavitate, & conſolatione plenum, per hoc Nomen, quod replet fideles ſpe, & quod omnibus eſt Nomen certum protectionis, quam ſperare debemus, gloria tua celebris facta eſt in univerſa terra. Divinum hoc Nomen proferti non poteſt attente, & cum reverentia, quin accendat amorem noſtrum in imo cordium. *Tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te*. O Sancta Virgo, Sanctus Bonaventura exclamat, quam magna eſt Potentia tua, quam late patet Miſericordia tua! Quam celebres ſunt laudes tuæ! In terra univerſa reſonat Nomen tuum: *Secundum Nomen tuum, ſic & laus tua in fines terræ*.

In ſpecul. Virg. c. 2.

Quid ſignificet Nomen Mariæ ſecundum S. Auguſtinum, qui non recuſavit hac ſignificatione licet æquivocam.

Congregationem aquarum vocavit Maria. Gen. 1. Omnem aquarum congeriem Deus hoc appellavit Nomine, *Maria*. Scriptura nos docet primum, & perfectiſſimum mortalium omnem a Deo ſublimem accepiſſe Spiritum raris cognitionibus præditum, penetrantem naturam, & proprietatem rerum omnium, ut illis conveniens nomen imponeret, quod verbis iſtis expreſſum eſt. Adduxit Dominus coram Adam creata omnia, *ut videret quid vocaret ea*. Non eſt hominum perfectiſſimus, qui Deiparæ Nomen imponat; Deus eſt, qui cum creaſſet illam tamquam hominum perfectiſſimam, ſolus poterat illi Nomen imponere, quod exprimeret præclaras qualitates, quas in illa poſuerat; & ſicuti aquarum acervum appellavit *Maria*, ex quo omnia flumina ſuam ducunt originem, eodem Nomine vocavit illam, quæ futura erat Mater ſua, quia centrum eſt, & omnium perfectionum congeries. Ex hac tamquam rivo ſemper pleno fluunt illæ in omnes homines; per illas aſcendunt uſque ad JESUM CHRISTUM, qui earum eſt fons: *Congregationem aquarum vocavit Maria*.

S. Auguſtin.

Magnitudo, & præſtantia Sacrorum Nominum JESU, & MARIÆ.

Dedit illi Nomen, quod eſt ſuper omne Nomen, Ad Philipp. 2. Non deſunt nomina adeo celebria, quæ omnis hominum eloquentia irrito labore omnibus elogiis ſuis amplificare conatur. Nequeunt ſermonibus ſuis explicare omnes excellentias, quæ in his nominibus continentur. Sunt quædam adeo auguſta, & ſacra, ut non niſi ſumma cum reverentia proferantur, & nemo audeat illa interpretari, quemadmodum nemo audeat Sanctuarii Velum auferre. Tale erat apud Judæos Dei Nomen, quod Summus Sacerdos deferebat inſcriptum ſuper caput ſuum in aurea lamina, tamquam diadema, & gloria totius Religionis; quod tanta cum reverentia geſtabant, ut illud quodammodo legi univerſæ præferrent, non dubitantes in eo contineri Myſteria ſublimiora, & magis profundas Veritates, quam in reliquis veteris Teſtamenti Scripturis. Talia ſunt etiam duo magna Nomina JESU, & MARIÆ in lege Gratiæ. Aſſerere poſſumus duo hæc vera Nomina eſſe novæ legis compendium, theſaurum eſſe maximorum Chriſtianæ Religionis Miraculorum, & ſi ſcrutari poſſemus omnia Myſteria, quæ continent, ibi ſublimiores Evangelii Veritates detegeremus. Adorabile Nomen JESU, quod Sanctus Paulus appellat nominum omnium præcellentiſſimum, tantam præ ſe fert Majeſtatem, ut ubique adoretur in Cælo, & in terra, atque etiam in inferis. Mariæ Nomen ſecundum occupat locum; certum eſt enim, uti magni quidam Sancti teſtantur, poſt ſingulare Nomen JESU CHRISTI, Cælum, & terram non aliud proferre poſſe, ex quo animæ piæ valeant copioſiorem gratiam recipere, & ex quo concipiant ſpem certiorem, & experiantur diviniorem ſuavitatem, quam ex ſacro Nomine Mariæ.

Digreſſio de nominum uſu, & quomodo hæc accipiantur pro iiſdem perſonis quas repræſentant.

Intereſt uniuſcujuſque ſingillatim nominis ſui celebritatem comparare ſeu coram Deo, ſeu coram hominibus. Veritas hæc in dubium vocari non poteſt; Nomen augetur, & celebre efficitur Virtutibus, actionibus præclaris, talentis, meritis, quemadmodum obſoleſcit, & contemptibile efficitur vitiis, ignavis, turpibuſque factis. Sed communis eſt animadverſio, vel potius ſententia communis, addite etiam ſatis vulgaris loquendi ratio, nomen, & perſonam haberi tamquam unum, & idem. Meritum noſtrum migrat in nomen noſtrum, ac ſervatur ibi tunc etiam, cum perſona noſtra ibi amplius non eſt; & cum nomen noſtrum profertur, fit quædam veluti tabula vitæ noſtræ, & elogium noſtrum unico verbo: Etenim exempli gratia, quis eſt ille, qui audiens verba fieri de Cæſare, vel de Alexandro, ideam ſibi non fingat Magni cujuſdam gentium domitoris? Horum nomen ſolum, eorum panegyricum facit, & facere non poſſumus quominus magno habeamus in pretio. Ita dicere poſſumus meritum eſſe in perſonis, ſed gloriam quæ ſubſequitur eſſe in nominibus. Nomen illos tradit cognoſcendos, cum pronuntiatur. Niſi de illis verba fierent, meritum illorum in oblivione, & ſilentio deliteſceret. Et profecto, cur videmus eos, qui nulla re commendantur, permanere ſemper ignotos, atque in tenebris, niſi quia non nominantur? Ita iſti homines ſine nomine vocantur: Sed qui aliqua ex parte nitent, de illis homines loquuntur, ſæpe in omnium ore verſantur, & inde eorum celebritas oritur, quæ ſummotum Virorum gloriam extollit, nomenque illorum quocumque laudibus circumfert, & hoc pacto apud omnes æternitati commendat.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Dignitas Virginis annuntiatur ex Nomine; nam Maria, latine Domina nuncupatur. S. Chryſolog. ſerm. 142.

Nomen hoc prophetia germanum eſt, hoc renaſcentibus ſalutare, hoc virginitatis inſigne, hoc prudentiæ decus, hoc indicium caſtitatis. Idem Serm. 148.

Si Manichæum nominare pollutio eſt; quid erit nominare Mariam, niſi Sanctificatio? S. Hieronym. Epiſt. ad Pammachium.

Speciale Mariæ hoc Nomen invenit, quod ſignificat, Deus ex genere meo. S. Ambroſ. lib. de inſtitut. Virg.

Vere facta eſt Domina omnium creaturarum, cum Creatoris omnium facta eſt Mater. Joann. Damaſcen. Sermone 4. de Fide, cap. 15.

Mentes Chriſtianorum Sacroſanctum Nomen tuum, o Virgo, perpetim decantatum confirmat. Idem, Ode 6. de B. Virgine.

Lucis æternæ Mater. S. Epiphanius Serm. de Laud. Virginis.

Quomodo corpus noſtrum vitalis operationis ſignum habet, reſpirationem, o Sanctiſſima Deipara: Sanctiſſimum Nomen tuum, quod in ore ſervorum tuorum verſatur in omni tempore, hoc vice non modo eſt ſignum, & latitio, ſed etiam illam conciliat, & procurat. S. German. Conſtantinop.

Dei Matris Nomen ſit mihi ultimus linguæ loquentis motus, ut illud velut olivæ ramum in ore ferens, evolem, & requieſcam. Idem orat. 6. in Annunciat. Virginis.

Peccator es, ad Nomen Mariæ confugias; ipſum ſolum ſufficit ad medendum; nulla enim peſtis ſic hæret, quæ ad Nomen Mariæ non cadat continuo. Richardus a S. Laurentio lib. 2. de laud. Virg.

Prædicabitur de te quod ſis Mater CHRISTI, proinde Regina Cælorum, quia totum jure poſſides Filii regnum. Rupertus in 4. Cant.

Beata Virgo tumultis ſubobſcuris arcanis mentem Apoſtolorum illuminavit. Idem lib. 1. in Cantic.

CHRISTUS eſt Dominus, Maria Domina, conſtituta quippe eſt ſuper omnem creaturam: & quicumque JESU curvat genu, Matri quoque pronus ſupplicat. Arnoldus Carnotenſis tract. de Laud. Virginis.

Velocior eſt nonnunquam ſalus memorato Nomine Mariæ, quam invocato Nomine JESU. S. Anſelmus lib. de Excell. Virg.

Eccleſia audito Nomine Mariæ genua terræ infigit, quia præ Nominis reverentia, quaſi mare confragoſum ſonare vota populorum. Petrus Bleſenſis ſerm. 28.

Cujus Nomen præconizatur in Mundo niſi Virginis hujus? Cujus laus celebratur in ore populi fidelis, niſi Virginis Mariæ? unde elegantior fama, & gloria nominis ejus oleo effuſo comparatur. B. Alanus in cap. 1. Cant.

Si adverſitates tribulationum te jactent, & ſuperantes te, quaſi proſternant, invoca Mariam. Albertus Magnus in caput 1. Lucæ.

Nomen Virginis Mariæ, jubilus in corde, mel in ore, melos in aure. S. Antonius Paduanus.

Tantæ virtutis eſt, & excellentiæ hoc Nomen, ut Cælum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant, cum Maria nominatur. Idiota.

Dedit tibi, Maria, tota Trinitas Nomen; ut in hoc Nomine omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Idem.

Expaveſcunt Cæli Reginam Spiritus maligni, & diffugiunt, audito Nomine ejus. Thomas a Kempis ſerm. 4. ad novit.

Poſt ſingulare illud dilecti Filii tui, o Maria, non aliud Nomen cælum, & terra nominat, unde tantum gratiæ, tantum ſpei, tantum ſuavitatis piæ mentes concipiant. S. Franc. de Gratia novi Teſtam. tract. 6.

Beatus

Beatus qui diligit Nomen tuum, Virgo Maria! gratia tua animam ejus confortabit; tamquam fontibus irrigatum in eo fructum propagabit. S. Bonaventura in Pſalterio Virg.

Glorioſum, & admirabile Nomen tuum; qui illud retinent non expaveſcunt in puncto Mortis. Idem ibidem.

O celeberrimum Nomen Maria, quomodo poſſet Nomen tuum non eſſe celebre, quod etiam nominari non poteſt ſine nominantis utilitate. Item in ſpeculo Virg. c. 8.

Ipſa eſt, cujus vita glorioſa lucem dedit ſæculo; ipſa eſt lucerna Eccleſiæ ad hoc illuminata a Deo, ut per ipſam a tenebris Mundi illuminaretur Eccleſia. Idem ibidem.

Pax multa obſervantibus Nomen tuum, Mater Dei. Idem ibidem.

Nomen Virginis Mariæ, quod interpretatum, maris ſtella dicitur, & Matri Virgini convenienter aptatur. S. Bernardus Homil. 2. ſuper miſſus eſt.

Ipſa eſt nobis illa ſtella ex Jacob orta, cujus radius univerſum orbem illuminat, cujus ſplendor & præfulget in ſupernis, & infernos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes quam corpora. Idem ibidem.

Ipſa eſt præclara, & eximia ſtella ſuper hoc Mare magnum, & ſpatioſum, neceſſario ſublevata, micans meritis, illuſtrans exemplis. Idem ibidem.

Ne avertas oculos a fulgore hujus ſyderis, ſi non vis obrui procellis &c. reſpice ſtellam, voca Mariam. Idem ibidem.

In periculis, in angaſtiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca; non recedat ab ore, non recedat a corde. Idem ibidem.

Quam naſci, & vocari Dominam, ipſa ſui germinis fecit, & imperavit auctoritas. S. Petrus Chryſol. ſerm. 142.

O magna, o pia, o multum laudabilis Maria! tu nec nominari potes, quin accendas, ut cogitari quidem quin recrees affectus diligentium te. Idiota.

Ut ſole ſublato non luceſcit; ſic ſublata Maria nihil niſi denſiſſimæ tenebræ relinquuntur. S. Bern. in Nativ. Mariæ.

Nemo eſt laudabilior, quam qui ab omnibus laudari poteſt. Quot homines, tot præcones, qui Mariam prædicant, dum loquuntur. S. Ambroſ. l. de Virg.

Eloquentia conticeſcat, una vox præconum eſt; hanc ſenes, hanc juvenes, hanc pueri canant. Idem.

Quid dignum ea loqui poſſumus, cujus ne Nomen quidem vacuum laudis eſt! . . . ut mihi videatur non hominis habuiſſe Nomen, ſed oraculum, quod indicavit, quid eſſet futura. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid depromi poſſit ex Theologia penu hoc in argumento.

Ambigi nequit quominus Mariæ Nomen impoſitū fuerit ſanctæ Virgini juſſu Dei.

COMMUNIS eſt Sententia, Nomina eſſe debere imagines rerum, & qualitatum earumdem expreſſiones: Nihilominus experientia ſatis oſtendit, homines falli poſſe in nominum impoſitione per ignorantiam ſubjectorum; ſed nulla incidere poteſt erroris ſuſpicio, cum Deus ipſe vult, ut ea nominibus cognoſcamus perſonas, quia nec fallere poteſt, nec falli . . . . Dubitare autem non licet, utrum Deus ſit Sacri hujus Nominis Mariæ Auctor; & ſicuti Adam cælitus recepit facultatem imponendi Nomen illi, quam Deus ei dederat ſociam, ita Spiritus ſanctus ſibi reſervaverit poteſtatem, & curam nominandà Sponſam ſuam; cui ſententiæ ſubſcribunt Patres omnes, atque Theologi, qui hoc Mariæ Nomen comparant cum Nomine JESU.

Myſteria, quæ Sancti Patres deprehenderunt in Nomine Mariæ.

In Mariæ Nomine Sancti Patres diverſas deprehenderunt ſignificationes, quæ nobis exprimunt, quod potiſſimum nobis in Sanctæ Virginis perſona conſiderandum eſt. In eo deprehendunt indicia ſuæ dominationis, & hæc ratio eſt, quam habet illa cum Filio ſuo, qui omnium Creaturarum abſolutus eſt Dominus. In ea deprehenderunt amaritudinem, quod ipſi conſiderare poſſumus in mortali vita ſua. Deus enim deduxit illam per juges paſſiones; prævidentia mortis Salvatoris poſt Simeonis prophetiam, & memoria paſſionis ipſius, poſtquam ſpectaculo interfuit, fuit gladius anceps, quo anima ejus ſemper transfixa fuit. Admirantur etiam in Sancto illius Nomine lumina, & influxus, ex quibus multa percipimus commoda; quia diſſipat tenebras noſtras, mulcet procellas, regit greſſus noſtros, & tandem unus inter fideles illius famulos, deprehendit adhuc in ejus Nomine magnum Myſterium, & dicit, Deum, cum collegerit omnes aquas in Creatione effuſas ſuper faciem terræ, immenſos hos aquarum acervos *Maria* appellaſſe; & eodem pacto cum omnes perfectiones, gratias, & Virtutes in una tantum perſona congeſſerit, huic *Maria* nomen dediſſe. Quamvis hic luſus verborum Grammaticam potius redoleat, quam Theologiam, quæ ſolida tan-

Hendry Bibl. Cent. Theol. de Myſter. Tom. III.

tummodo conſectatur; Summi Viri probarunt tamen hanc tamquam uberem amplificationem potius quam veram auguſti hujus Nominis æthymologiam.

Nomini Mariæ idem accidit, quod Dei, ubi longe plurima neceſſaria ſunt ad explicādā Myſteria, quæ in eo continētur.

Eruditus quidam Theologus ſcite animadvertit, idem ferme dicendum eſſe de Mariæ Nomine, quod de Nomine Dei, quod cum ſit unicum, & complectatur omnes excogitabiles perfectiones, longe plurimis opus eſſet nominibus, ut fuſius explicaretur ſecundum mentem Sancti Dionyſii, qui data opera librum eſt elucubratus de Nominibus, quæ conveniunt Deo, ut per partes concipiatur natura hæc ſimpliciſſima, attribuendo illi tot Nomina, quot Mens humana in eo perfectiones poteſt diſtinguere. Tale eſt admirabile Nomen Mariæ, ita ut ad explicandam virtutem, efficientiam, & dignitatem, & commoda quæ Eccleſia, & fideles jugiter inde recipiunt, auctores illius cultui devoti ducenta ferme deprehenderint, quæ recepit, & probavit Eccleſia, & quæ totidem ſunt Elogia Nominis Mariæ.

Sancti, & Doctores ut plurimum conſiſgunt Mariæ Nomen cum Nomine JESU, & utrumque comparant.

Hoc Mariæ Nomen adeo ſanctum, auguſtum, & venerabile eſt, ut plures Sancti non dubitent illud conferre cum Nomine JESU, cum utrumque plenum ſit Myſteriis, utrumque de Cælo deſcenderit, quemadmodum Evangelium teſtatur de altero, & plures Sancti Patres de altero, & utrumque referatur ad perfectiones, & dignitatem eorum, qui ea eo nominantur. Ita videmus omnes fere fideles conſueviſſe utrumque conjungere, & neutrum ab altero ſejungere, perinde ac neceſſaria inter utrumque intereſſet connexio, vel alterum pro altero factum eſſet; vel potius ad innuendum JESUM nobis datum fuiſſe per Mariam. Sed quin loquamur de Nomen JESU, de quo ſatis ſuo loco dictum fuit, illud Mariæ procul dubio magnis ſcatet Myſteriis. Nam ſi Sanctus Chryſoſtomus loquens de Nominibus, quæ dedit Deus veteribus Patriarchis, docet illa omnia continere theſaurum Myſteriorum, & ingentem numerum factorum memorabilium: *Magnum theſaurum in nominibus, multarum rerum hiſtorias in nominibus contineri*; quid jure dici non poteſt de ſancto, & ſacro Nomine quod impoſitum fuit Deiparæ propter adeo excelſam illius dignitatem?

Homil. 55. in Epiſt. ad Rom.

De origine Sancti Nominis Mariæ.

Cardinalis Petrus Damiani nos docet, Deum eduxiſſe Sanctiſſimum hoc Nomen de theſauro ſuæ divinitatis, ut illud Sanctæ Virgini imponeret: *Statim de theſauro divinitatis, Mariæ Nomen evolvitur*; innuens tres adorabiles Sanctæ Trinitatis perſonas ſingulas aliquid contuliſſe ad præclarum hoc Nomen illi imponendum. Pater quid contulit eligens illam in Matrem Filii ſui, quandoquidem effecit, ut per hoc realiſſimam ſecum haberet rationem. Hoc Mariæ Nomen ſignificare docet Sanctus Ambroſius. *Speciale Maria hoc Nomen invenit, quod ſignificat Deus ex genere meo.* Profecto non ſatis liquet ex quonam idiomate Sanctus Ambroſius hanc eduxerit interpretationem Nominis Mariæ, ſed ſola tanti Doctoris auctoritas ſufficit, ut illam debeamus accipere. Sed quinam præter Sanctiſſimam Virginem hoc Nomine poteſt appellari, cum illi hæc tribuatur ſignificatio? Filius nil confert minus, quam Pater, ut in eodem ſenſu hoc Mariæ Nomen uſurpetur, quoniam ipſe ſe ſe dedit illi, ut æque realiter eſſet unicus ejuſdem Filius, infert illam in cognationem Dei eo modo, quo nullus arctior eſſe poſſit, neque enim ulla eſt conſanguinitas magis intima, quam Matris, & Filii, & proinde Filius eſt, propter quem Mater hoc Nomine appellatur. Sed Spiritus ſanctus ab aliis duabus perſonis inſeparabilis non minus confert, ut Virgo glorioſo hoc Nomine appelletur in ſignificatione adeo particulari; ipſe enim illi dedit fœcunditatem, per quam meruit illum parere.

De potentia Nominis Mariæ.

Dubitari nequit, quominus verbis magna inſit poteſtas, quam Deus illis potiſſimum adjecit in noſtris Sacramentis, & cujus admirabiles experimur effectus ſive in gratia, ſive in natura. Tamen ſciendum eſt divinis tantummodo verbis veram ineſſe Virtutem; quod dico ad excludenda præſtigia, quæ nefaria ſuperſtitio Dæmonis interventu aliquando operatur. At ſi quæ ſunt verba, quæ dici poſſint divina, hæc ſane ſunt Sacra Nomina JESUS, & Mariæ. Angelus qui de Cælo detulit Nomen JESU, rationem adjecit, quia operaturum erat quod ſignificabat, videlicet ſalutem populi ſui; ſed ſanctum Mariæ Nomen nonne pro modulo ſuo illum operatur? quoniam nobis gratias, & benedictiones de Cælo promeretur, immittit nobis ſanctos contritionis motus, nonnunquam pertinaciſſimos peccatores convertit, juſtis ſolatium affert, nos a graviſſimis periculis eruit, cum ad illam confugimus, quæ validiſſima eſt apud Deum Protectrix noſtra, & Advocata.

Dei Conſilium in impoſitione Nominis Mariæ.

In impoſitione Sancti hujus Nominis, Dei Conſilium fuit, quantum licet conjicere, declarare admirabiles hujus Virginis qualitates, quæ cum magno ſint in numero, opus erat, ut Nomen illius in pluribus idiomatibus diverſas haberet ſignificationes, quoniam naſcebatur pro omnium ſalute. Præcipuas myſtici hujus Nominis interpretationes explicamus, ex quibus ne una quidem eſt, quæ in cordibus noſtris excitare non

debeat ingentes lætitiæ, confidentiæ, devotionis, reverentiæ ſenſus erga Nomen hoc adeo glorioſum, & nos ad petendum impellere, ut digniſſima hæc Dei Mater operetur in nobis, quidquid Nomen iſtud ſignificat. Si Maris Stella eſt, ut deducat nos inter ſcopulos, inter quos ſingulis momentis in diſcrimen adducimur pereundi. Si eſt gratiarum oceanus, & mare amaritudinis plenum, ut utriuſque participes efficiamur, quoniam æque optabile eſt recipere gratias Filii ipſius, & guſtare amaritudinem paſſionis ejuſdem. Si ita illuminata eſt; ut diſſipet tenebras ignorantiæ noſtræ, doceatque nos ambulare in viis ſalutis, & nos illuc deducat, ita ut per Nominis ſui lucem eo perveniamus.

Qualitas Dominæ in Maria non eſt contumelioſa Magnitudini Dei.

Cum vulgatior ſignificatio auguſti hujus Nominis Mariæ ſit innuere ejus Superioritatem ſupra omnes Creaturas, & oſtendere ipſam eſſe Dominam, & Reginam dominantem in Cælo, & in terra, metuendum non eſt, quidpiam imminui de infinita Superioritate, quæ unice pertinet ad Deum, vel injuriam fieri ſupremæ illius Magnitudini; Namque dicendo Mariam Dominam eſſe, & glorioſum hunc titulum illi tribuendo, non dicimus illam non pendere a Deo, neque Deo parem eſſe, quæ quidem eſſet blaſphemia; ſed cum Filius ejus, qui ſimul Deus eſt, extollit illam uſque ad ſublimem apicem imperii ſui, nihil de propria ipſius gloria decedit. Nihil periit de Salomonis Magnitudine, & gloria, ubi Matrem Bethſabeam juſſit diſcumbere ad dexteram ſuam, eamque imperii ſui ſociam elegit; e contra recens inde facta eſt acceſſio gloriæ ipſius. Verius eſt adhuc, non imminui; ſed amplificari ſupremam JESU CHRISTI Magnitudinem, cum velit hanc uſque ad propriam Matrem extendi.

De qualitate, illuminantis, & illuminatæ quam Mariæ Nomen ſignificat.

Operæ pretium reor hac in re animadvertere, lumen, ex quo eductum eſt Mariæ Nomen ſignificans illuminantem, & illuminatam, biſariam intelligi poſſe, vel quatenus manat ex corpore lucido, & ſeſe extrinſecus effundit, vel quatenus remanet in ſubjecto lucenti; quod ipſum tribuit nominum varietatem, ad diverſa hæc officia indigitanda. Sed Mariæ Nomen utrumque complectitur, ſimul enim & illuminatam ſignificat, & illuminantem; recipientem lumen, & illud effundentem; poſſidentem illud, & largientem; & ne arguatis quæſo me, ſi in præclari hujus Nominis elogio ea conſector, quæ minuta videntur, & rationes quaſdam, quæ in alio quovis argumento puerilles viderentur; Namque Sancti Ambroſius, & Hieronymus docent Nominis hujus ſignificationem myſticam eſſe, & alii Sancti Patres in litteris etiam, ac ſyllabis illud conſtituentibus, Myſterium minime putant deeſſe. Cum autem hoc Nomen Dei juſſu impoſitum fuerit, & vacuum eſſe non poſſit, de illa, quæ hoc Nomine appellata fuit, dici poteſt, quod inſignis Orator dixit de eximio quodam Viro, cui nomen erat illuſtre; æquius elogium, quod illi tribui poſſet, eſſe gloriam, quam ſibi comparavit, replens ſignificationem nominis proprii; *Vir ſui nominis*. Similiter ex auguſto hoc Mariæ Nomine, agnoſco illam quam Sacer Textus nobis exhibet amictam luminibus, adeoque Sole ipſo, qui fons eſt luminum: *Mulier amicta Sole*, ad innuendum ipſam reipſa illuminatam, & luminibus circumſeptam eſſe.

Apoc. 12.

Mariæ Nomen ſignificat ſupremam Magnitudinem, & auctoritatem.

Jure optimo Mariæ Nomen ſignificat Magnitudinem, & dignitatem Matris Dei, *Dominam*, vel Reginam, quippe quæ Mater eſt Domini, & rerum omnium creatarum Dominatoris. Hanc rationem adſert S. Joannes Damaſcenus: *Vere rerum omnium conditarum Domina facta eſt; cum Mater Creatoris extitit*: & Sanctus Chryſologus autumat, illam ideo ab ipſa Nativitate fuiſſe creatam; *Quam naſci, & vocari Dominam ipſa ſui germinis fecit auctoritas*; nam ea quo deſtinata fuit Domini Mater futura, obtinuit quamdam ſpeciem ſupremæ auctoritatis inhærentem huic Nomini, & incomparabili huic dignitati; ſicut inter homines accidit, inter quos ſtatim ac aliquis in Regem electus eſt, illius Mater mutat ſtatum, & conditionem, & nomen, aſſumens titulum Reginæ tunc etiam cum Reginæ auctoritatem adepta non eſſet. Neque prodeſt dicere alias poſt, & ante illam hoc Nomine vocatas fuiſſe, quin eſſent ideo dominæ, Reginæ, vel dominatrices: quia Nomen hoc inditum fuit Sanctæ huic Virgini, propter id, quod erat futura, & ratione dignitatis, ad quam ipſam deſtinaverat Deus.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, & recentibus Concionatoribus loci hujus argumenti.

Mariæ Nomen non fortuito impoſitum fuit, ſed juſſu Dei utpote quod melius quam cetera exprimebat qualitates admirabiles hujus Sanctæ Virginis.

SATIS conſtat, nihil magis pendere ab hominum libidine, quam Nomina, quæ imponunt ſive rebus, ſive perſonis, quas volunt cognoſci. Qui nominum originem ſcrutari adniſi ſunt, ut plurimum non aliam inveniunt præter ſortem; Sapientum nihilominus ſententia eſt, ne nomen inane ſit, rationem habere debere cum natura, perfectionibus, & uſibus rerum, atque eſſe quoddam veluti elogium compendiarium perſonarum quæ hoc nomine appellantur. Hoc videmus in Nomine, quod homini impoſuit Deus, & Sacer Textus aſſerit hominem a Deo recepiſſe Spiritum adeo præclaris cognitionibus illuſtratum, ut penetrans naturam, & rerum omnium proprietatem, tribuerit unicuique Nomen, quod illi conveniret, & Nomen ab illo impoſitum verum eſſet Nomen illius. Hoc ipſum hodie dicere poſſemus de Auguſto Mariæ Nomine, quod omni tempore Sancti omnes omneſque Patres Eccleſiæ coluerunt tamquam ſanctiſſimum, glorioſiſſimum, & noſtris obſequiis digniſſimum excepto Sacrato JESU Nomine. Hoc ipſum de Cælo deſcendit, & Dei juſſu impoſitum fuit, utpote quod omnium optime expreſſit qualitates admirabiles, incomparabilem dignitatem, & incomprehenſibilia Magnalia illius, quæ electa fuit, ac prædeſtinata, ut eſſet Dei Mater. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, Tomo 2. Myſteriorum.*

Hoc Mariæ Nomen fauſtū eſt auſpicium Magnitudinis, ad quam illa promovenda eſt, & beatitudinis, quæ nobis eſt ceſſura.

Nomen ſolum, quod recipit Maria in Nativitate ſua oſtendit nobis, & quid illa ſit, & quid inde ſperare valeamus. Appellatur Maria, & myſticum hoc Nomen in variis ſignificationibus ſuis exprimit illius Magnalia, & ſpem excitat noſtram. Docemur enim illam in Cælo, ac in terra habituram eſſe ſupremam poteſtatem, & futuram hominum, Angelorumque Reginam. Hic titulus nulli melius, vel æquius convenire poteſt, quoniam quatenus Dei Mater videbit non Mundum duntaxat, ſed Mundi Dominum ſuæ ſubditum poteſtati. Nos docet, illam nobis futuram id, quod viatoribus eſt maris ſtella, quibus dux eſt, & itineris norma. Invenitur ne mare Mundo perturbatius, ac æſtuoſius, in quo indeſinenter procellis urgemur, & naufragiis ſumus obnoxii? Sed Maria nobis viam monſtrabit, noſque in portum adducet. Hoc ipſum Nomen nos docet, illam Mundo illuceſcere tamquam ſplendidum ſydus, ejus radii ſe ſe undique effundunt, & ubique refulgent. Quas in tenebras peccatum nos non conjecerat? Sed opem feret Maria, ut diſſipemus tenebras quibus excæcamur; efficiet, ut errores noſtros agnoſcamus, & in rectum tramitem revertamur. *Pater le Valois.*

Senſus pii animæ conſecratæ ſervituti Sanctæ Virginis ad ſacrū Mariæ Nomen.

Reple Virgo Sancta, reple latitudinem Nominis tui. Regna poſt Deum in ea omnia, quæ ſunt infra Deum, præcipue vero regna in corde meo; eſto mihi ſolatium in laboribus meis, conſilium in rebus dubiis. Ad unicum Mariæ Nomen, excitabitur confidentia mea, totus amor meus exardeſcet. Cur illud nequeo altius in omnium cordibus imprimere; cur illud in hominum omnium ore imprimere nequeo, & omnes impellere, ut illud celebrent mecum! Maria, o Nomen ſub quo nemo debet deſperare? Maria, o Nomen toties impetitum, ſed ſemper victoriam referens, & glorioſum? Maria, o Nomen, ſemper ſuave, ſemper ſalutare animæ meæ, quod me certum facit in timoribus meis, quod ſemper me confirmat in anguſtiis; ſemper ſuſtinet in operibus meis. Singulis vitæ meæ diebus proferam illud, illudque proferens cum ſacro JESU Nomine conjungam. Filius in me Matris memoriam revocabit; Mater vero Filii. JESUS, & Maria; ecce quid Cor meum, ore deficiente millies repetet in morte. Ad extremum uſque ſpiritum repetam hæc Nomina JESUS, & MARIA; & ad obitum uſque meum hæc mihi erunt Nomina benedictionis, atque ſalutis. *Idem in alloquiis de Myſteriis Beatæ Virginis.*

Admirabilis virtus Nominis Mariæ.

Quiſnam ad Sacrum Mariæ Nomen confugit, & non expertus eſt in illa, quod Sanctus Ephrem de illa ſcripſit cum ſenſu non vulgaris fervoris. Illam vere Cæli ſtellam eſſe, quæ nos in tenebris illuminat; quoties enim unum hoc Nomen effecit, ut Dei reminiſceremur, & nos ad officium revocavit? Illam vere civitatem eſſe refugii, ubi ſalvari poſſunt illi, qui ſe ad mortem uſque vident exagitari. Quoties violenter Dæmonis tentationibus oppugnati invocato Mariæ Nomine ſecuritatem nacti ſumus? Illam veram eſſe fœderis Arcam, & verum propitiatorium. Heu, quoties reconciliavit nos Deo, illum nobis reddens propitium validis interceſſionibus ſuis, cum illum ſceleribus noſtris laceſſivimus? Illam vere eſſe infirmorum ſalutem; & afflictorum conſolatricem. Spiſſa ſcribenda eſſent volumina, ſi producenda nobis eſſent eorum exempla, qui cum triſtitia, & dolore conficerentur, Mariæ Nomine invocato ſalutis portum invenerunt. Viderentur populi inceſſanter ad locos confugere, qui Deo ſacri ſunt ſub hoc Nomine, niſi Mundus univerſus experientia magiſtra didiciſſet, omnes illud invocantes invenire in illo generale omnium humanarum miſeriarum perfugium. Quomodo vero Sanctum hoc Nomen non ſit plenum ſalutis, quandoquidem plenum eſt Salvatoris? Qui enim Mariam dicit, dicit Matrem Salvatoris Mundi, dicit pretioſum theſaurum continens in ſe infinitas divitias Patris Miſericordiarum, qui illum in terras mittit, ut ſit univerſale remedium malorum omnium, propter quæ ingemiſcimus, ſed vult nos illas immediate recipere a Virgine Sancta, quam

earum

eorum ſequeſtrem conſtituit. Scire vultis, quæ Virtutum copia in ejus Nomine contineatur, reſpicite, quem cæleſtium divitiarum theſaurum Deus in caſto ejuſdem ſinu concluſerit. *Pater de Argentano Capucinus Tomo de Magnalibus Virginis Collatione* 2.

Nomina JESU & Mariæ ſupplere poſſunt viſibilis eorum præſentiæ. Quis noſtrum ſi videret ſacras perſonas JESU CHRISTI, & Sanctæ Matris ſuæ, ad eorum pedes non procumberet, ut illas amplecteretur, & cor ſuum coram ipſis effunderet? Verum eſt nos non habere amplius eorum præſentiam corporeis oculis noſtris viſibilem, ex quo mors utrumque nobis eripuit; non ne conſolari poſſumus accipientes earum Nomina in locum perſonarum; habere illa in memoria noſtra, illa geſtare in cordibus noſtris inſculpta, illa ſemper cum reverentia proferre, eorumque guſtare ſuavitatem? . . . . Re ipſa ſcimus, veterem Philoſophiam crediſiſſe, nomina eſſe rerum imagines, earumque ideam, & imaginem revocare, & homines uſum invexiſſe, ut quodammodo oculis ſubjiceremus, atque converſaremur cum illis, quos cognoſcimus, vel quos cognovimus, licet locorum diſtantia, ac temporum ſucceſſione prohiberemur. Arte hac ab omni crimine vacua rationem invenit omnia producendi loquendo per imitationem primi Entis producentis imaginem ſuam, nempe Verbum ſuum, illud pronunciando. Rebus novam tribuimus eſſentiam; perſonas præſentes facimus, ubi non erant: lingua, & vox auribus quamdam veluti tabulam proponunt, cum illas videre non poſſumus, ex tumulo educimus, ex præteritorum temporum caligine revocamus, & ubi nobis placuerit in vitam revocamus. Verbo per Nomina inventa ratio eſt quamdam immortalitatis ſpeciem tribuendi rebus omnibus, in quam non mors, neque oblivio ullum habet imperium. Quis prohibebit ergo, ne ſancta hac utamur arte erga duas perſonas, quarum Nomen nobis ſuper omnia debet eſſe pretioſiſſimum, videlicet erga JESUM, & Mariam? Nonne nobis jugiter eſſe deberent in ore? hoc ſane fieret, ſi eorum Nomina nobis altius inſculpta eſſent in corde. *Idem*.

Nomen Mariæ quatenus illuminatam, vel illuminantem ſignificat, convenit ſanctæ Virgini. Diximus jam Mariæ Nomen, ſecundum vulgatiorem interpretationem Sanctorum Patrum ab Eccleſia receptam ſignificare non ſolum dominam, & dominantem, ſed etiam *illuminatam*, & *illuminantem*. Ex quo inferri poſſe mihi videtur, nihil melius indigitare poſſe munus illud, ad quod obeundum voluit Deus illam oriri; tandem enim ſi quæritis propter quem, & quem in finem orta fuerit, idem eſt ac quærere cur Deus lucem creaverit, & quem uſum lux habeat in natura. Heu! quid Mundus eſſet ſine illa, niſi cahos confuſum, & rerum informium congeries ſine ordine, ſine ornatu, unde illi factum nomen eſt, & quale vobiſmet fingere poteſtis fuiſſe antequam Deus illi impertiret lucem, quæ ceteris rebus decus afflavit. Hoc ipſum fere Maria præſtitit in ordine gratiæ; Mundum illuminavit per tot ſæcula in peccati, atque ignorantiæ tenebris inſepultum; quandoquidem in Scripturis vocatur Aurora, diei prænuncia, ita ut ſi in Nativitate illius homines cognoviſſent ingens illud bonum ſibi collatum poſſidendi feliciſſimam hanc Creaturam, tandiu expectitam, & concupitam, proculdubio exclamaſſent non ſecus, ac Zacharias in ortu Præcurſoris: *Illuminare iis, qui in tenebris, & in umbra Mortis ſedent*. Veni, o Mundi lumen, tandem illuceſce terris, ut facem præferas iis, qui horrentibus tenebris, & in funeſtiſſima ſedent peccati caligine. Vota a tot Prophetis in Cælum emiſſa ad maturandum adventum tuum, exaudita ſunt; & dici poteſt quemadmodum in ſæculorum primordio, lucem factam fuiſſe, quia prodiit in lucem Maria. Sed addo, cum hæc venerit, ut Mundum illuminaret, illi aptius Nomen tribui non potuiſſe niſi Mariæ, quod lucis Nomen eſt, ſignificat enim ſimul & eam, quæ lucem adfert, & eam, quæ luce amicta eſt, eademque penetrata. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Luc. 1. 79.

Ejuſdem argumenti. Si Apoſtoli, & illi omnes qui aliquid contulerunt hominum ſaluti, jure vocantur Mundi lumen ab ipſius Dei Filio; ideoque jus habent ad glorioſum hoc Nomen propter munus, quod exercent facem præferentes aliis in viis ſalutis, non ne merito aſſerere poſſum, hoc Nomen multo magis decere illam, quæ omnium maxime huic officio cooperata eſt, uno Filio ejus excepto, videlicet glorioſam Virginem; eamque æquiſſimo jure Mariam vocatam fuiſſe, quod Nomen ſignificat illuminantem, vel illuminatricem, dummodo per vos mihi liceat hoc uti vocabulo, quod adhibere cogor ex neceſſitate in hoc argumento, ut vobis revocem in memoriam incomparabile beneficium, quo, ut canit Eccleſia, *lumen æternum Mundo effudit JESUM CHRISTUM*. Hoc pacto horrens illa nox ſuper univerſam terræ faciem effuſa, diſſipata fuit, & totus terrarum orbis faciem mutavit, mutans fidem, religionem, cognitionem, & mox affectus, & deſideria. Qua enim in ignorantia, bone Deus! & in qua deplorabili cæcitate immerſæ erant humanæ mentes, illæ etiam, quæ reliquorum norma erant, & ceteris præibant? Ma-

In præfat. Miſſæ de B. Virg.

Houdry Bibl. Conc. Theol. de Myſter. Tom. III.

riæ Nativitas nonne fuit tamquam aurora magnæ diei Fidei, qua modo perfruimur? Nox hæc obſcura, & tenebricoſa, non ne illuceſcere cœpit? Nonne proferens increatam hanc lucem prior facem prætulit, quæ nos ad hanc quoque diem illuminat? Ullum ne igitur nomen eſt, quod magis conveniat officio, quo Sancta hæc Virgo perfuncta eſt, & miniſterium hoc Nomine dignius, quo illud exprimitur, & ſignificatur? Idem.

Ejuſdem argumenti. Et ſane quiſnam præ Maria luminibus Cæleſtibus redundavit? Quin enim loquimur de Symbolis renidentibus, quibus utitur Eccleſia ad illam repræſentandam, Auroræ, Iridis, Aſtrorum, atque adeo Solis ipſius, & quin excurram in naturales, & ſupernaturales cognitiones illius, acquiſitas, & infuſas, quibus prædita fuit ſuper primum hominum parentem; recenſeamus tantum lumina gratiarum, quæ jugiter de Cælo recipiebat, ac intelligentiam omnium Myſteriorum Religionis Noſtræ, & earum rerum omnium, quæ ad Filii ſui perſonam pertinebant. Quæ lumina fidei ſuis vividiora? quæ ſcientiæ, & gloriæ majora illis, quibus modo perfruitur? Quacumque ex parte conſideretur, luce vividiori coruſcat; ſed cum infirma oculorum noſtrorum acies tantum lucem nequeat ſuſtinere, dicamus ſolum, non aliud extitiſſe Nomen, quod illam melius exprimere poſſit niſi Nomen Mariæ. Verumtamen addamus, ſicuti ad lucidum corpus accedere nemo poteſt, quin ex emanante illinc luce illuſtretur; ſi velimus recipere Cæli lumina, videlicet gratias, quibus indigemus in hac tenebrarum caligine, in qua vivimus, non verebor de Maria dicere ea verba, quæ Regius Propheta de ipſo Deo protulit: *Accedite ad eam, & illuminamini*. Accedite ad Mariam, cum illa tanta in luce coruſcet, non niſi inde illuminari poteſtis. Deo enim non ſufficit generatim per ſe Mundum illuminare, per hunc etiam rivum effundit gratias ſuas in ſingulos fideles ſpeciatim ſecundum plurimorum Patrum ſententiam, ita ut interis erga homines aliquid faciat ſimile illi, quod in Cælo fecit cum Angelis immediate, communicans ſua lumina intelligentiis ordinis primi, unde reflectuntur in alias, quemadmodum docet Sanctus Dionyſius, qui propterea primam hanc Hierarchiam vocat illuminantem, & illuminativam; vel ſi mavis, quemadmodum in ſæculorum principio collegit Deus lucem, quæ hac, illac erat diſperſa, in Corpus Solis, ut illam mox Mundo univerſo communicaret; *Accedite ad eam, & illuminamini*. Confugite ergo ad Mariam ſi vultis illuminari; hæc illa eſt, ut canit Eccleſia, quæ omnes errores diſſipavit, hæc illa, quam beatam vocat Evangelium, quia credidit; hæc tandem, quæ primos recepit fidei radios, recipiens ſinu ſuo ejus Auctorem. Hæc non deerit quominus divinum hoc lumen nobis communicet, vel ſaltem nobis illud a Filio ſuo impetret. *Idem*.

Pſalm. 33. 6.

Hoc Mariæ Nomen, quod Dominam ſignificat, oſtendit Deum illi ampliſſimas perfectiones ſuas ſignificaſſe. Nomen Domini, & Dominatoris quod terræ Principes præferre gloriantur titulis ſuis, tamquam ceterorum fundamentum; hoc inquam Nomen illud eſt, quo voluit Deus Matrem Filii ſui ad finem uſque ſæculorum nuncupari; perinde ac ſi poſt communicatas illi auguſtiſſimas perfectiones ſuas, potentias, adeoque ipſam paternitatem, illam Filii ſui ejuſdem Matrem conſtituens, voluiſſet etiam illam in partem acceſſere Nominis, quod illas omnes exprimit, atque ſignificat. Et ſane per hoc unum Dominæ, ac Dominatricis Nomen concipio, & in mentem revoco quidquid ampliſſimum eſt in hominibus; quamvis non niſi umbram Dominationis poſſideant, ſi cum illius Dominatione comparentur. Illius meritum, atque excellentiam intueor; Deus enim illi hoc Nomen impertiens, & quodammodo cum illa dividens, nobis voluit innuere hanc eſſe vivam imaginem ſuam, & ex omnibus creaturis illam, quæ melius divinas ſuas perfectiones repræſentat; intelligo etiam illam quibuſcumque creatis rebus præcellere, & ordinem prorſus diverſum conſtituere. *Idem*.

Poſt Sanctum Nomen JESU, Mariæ Nomen ſanctiſſimum eſt, & maxime venerandum. Mariæ Nomen excepto JESU Nomine omnium eſt auguſtiſſimum, ſanctiſſimum, & maxime venerandum. Sæculis præteritis hoc ita perſuaſum omnibus fuit, ut nihil præterea in Patrum Scriptis innoteſcat. Summi illi Viri iiſdem ferme verbis uſi ſunt, ſive de Filii, ſive de Matris Numine loquerentur; eaſdem utrique laudes, eaſdemque utrique tribuerunt qualitates. Fideles pro illis ſimul tantam habuere reverentiam, & adeo peculiarem devotionem, ut facile liqueret, illos propter idem principium fuiſſe operatos; *Neque enim poſt illud dilecti Filii ſui Nomen, quod eſt ſuper omne Nomen*, Sanctus Bernardus ait, *aliud Nomen Cælum, aut terra nominat*. Hinc qui eorum ſecutus exemplum vellet exornare auguſti hujus Nominis Elogium, deberet congerere varias pulcritudines, quas illi deprehenderunt in eo, & ſimplicem earum explicationem adjicere. Quem enim in mente noſtra effectum non pareret, cum in ictu oculi oſtenderetur, hoc Mariæ Nomen, non ſecus ac Nomen JESU terrorem eſſe inferorum, & Cæli gaudium? Hoc mulcere procellas; nobis in mœrore ſolatium eſſe, in adverſis

perfugium, in morbis remedium, eggerem munitiſſimum qui validiſſimus objici poſſit cupiditatum æſtibus; denique Nomen quod nobis procurare poteſt interiorem animæ pacem, mortem ſanctam, æternam beatitatem. *Sermo Manaſcriptus Patris Stephani Camillard de Sancto Nomine Mariæ.*

Mariæ Nomen Nomen eſt tenerū, & Nomen amabile.

Verum eſt ſecundum Propheticum Sermonem, nomina eſſe dabere fideles tabulas, quæ ad vivum exprimant naturales eorum qualitates, qui his nominibus appellantur; Excitare debent in nobis ideas, & eas efficere impreſſiones, quas ſibi propoſuerunt illi, qui electi fuere, ut imponerent illa. Ubi proferuntur, ſtatim liquet, cur impoſita fuerunt, & charactet eorum, quibus impoſita ſunt, & qua re ab sliis diſtinguuntur. Hujuſmodi vero placitis nequaquam innitor, ut aſſersm Nomen Mariæ oſtendere omnem ſuavitatem cordis ejuſdem erga homines, neque adeo aſſerere, vel cogitare ſortem, libidinem, aſſentationem locum habuiſſe, ut Nomen hoc imponeretur; quandoquidem Nomen hoc immediate de Cælo deſcendit, & homines non niſi Cæli nutus, & voluntates ſecuti ſunt, præterquam quod vsriæ ſignificationes, quaa Pstres huic Nomini tribuerunt, innuunt tenerum hunc amorem, atque eam ſusvitatem, quam erga nos præ ſe fert. Qui Mariam dicie, dicit Mitrem hominis Dei, Ideoque conſequenter, Matrem hominum, quos hic Filius illi cariſſimus, ut Sanctus Bernardus ait, sd mortem uſque dilexit: *Omnes amat, quos in eo, & per eam CHRISTUS ejus filius ſumma dilexione dilexit.* Illos igitur materna dilectione proſequitur, quæ omnium eſt ſuaviſſima. Hinc videmus, illam adeo peculiarem eorum curam ſuſcipere, illia patrocinari; verbo, illam cumulatiſſime obire officia parentis amantiſſimæ erga peccatores, qui fidenter ad illius opem confugiunt. *Idem ex parte.*

Cur primi Fideles conſueverint non ſeparare Nomen Mariæ a Nomine JESU.

Undenam, quæſo, factum, ur ab ipſo Chriſtianæ Religionis ortu Fideles conſueverint nunquam ſeparare duo hæc euguſtiſſima JESU, & Mariæ nomina? Conſtat enim ex pluribus locis, primis Eccleſiæ ſæculis horum Nominum alterum ſine altero proferri non conſuaviſſe. Hoc procul dubio oriebstur ex mutua dilectione Matris, & Filii, cujus hæc Nomina erant certiſſima pignora. Quæ res videbatur illis peculiarem habere virtutem ad inſpirandos ſenſus eoſdem erga utrumque. Hoc verum eſt, tunc illorum devotionem teneriorem fuiſſe, & amore pleniorem, ſive illi ex hoc sgerent principio, ſeu aliam ob cauſſem operarentur, & hæc Nomina in illis ſexcentas slias parerent cogitationes. Sed in præſentiarum quærendum ne ex vobis eſt, cur Mariæ Nomen Nomen ſit tenerum, ac ſuave? Hac in re tantum cor veſtrum conſulo. Poteſtis ne fideles animæ illud proferre quin memineritis hoc eſſe Nomen Matris hominis-Dei, qui facit, ut ita loquar, quamdam veluti extenſionem teneræ dilectionis, qua ipſum proſecuta eſt, ſuper vos, quos illa reſpiest tamquam Filios ſuos, & a quibus æquo fert animo, ſe Matrem veſtram vocari? Poteſtis ne, inquam, illud proferre, quin animum ad hanc duplicem sdvertatis Maternitatem? Serio cogitate futurum, ut ubi morti proximi eritis, ſæpius repetantur vobis duo hæc Nomina. O vos beatos ſi in exſpectatione Mortis oppreſſi vi morbi, & perterriti etiam fortaſſe peccatorum veſtrorum multitudine proferre poteritis hæc duo Nomina ſusviſſima, atque teſtari, a vobis ſpem omnem conſtitui in alterius quidem miſericordia; & confidentiam veſtram in protectione, qusm alterum vobis pollicetus. *Maria Mater gratiæ, Mater Miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & in hora mortis ſuſcipe. Idem paullo mutatus.*

Mariæ Nomen Dominā ſignificat, quemadmodum Filius illius eſt Dominus univerſorum.

Mariæ Nomen glorioſum eſt, atque illuſtre; eſt enim veluti compendium omnium titulorum, & magnalium illius, quam ſibi in Matrem delegit Deus ex illius ſinu prodiens; ita ut ad exprimendam empliſſimam, quæ fingi poſſit, dignitatem, cumulatiſſimam, quæ unquam inveniri poſſit, ſublimitatem, præſtantiſſimum opus naturæ, & gratiæ, ex Dei manibus profectum, ac tandem prærogativas eminentes, quæ tantam ſuſtinere debent Magnitudinem, inveniendum eſſet Nomen, quod eliquam haberet rationem, & eſſet veluti centrum, in quo omnes iſtæ perfectiones colligerentur, & veluti punctum proſpectus, in quo omnes ad videndum proponerentur, ut eximium opus hoc agnoſceretur, & a ceteris diſtingueretur. Hoc autem præſtitit Deus Sanctæ huic Virgini imponens in Nativitste illius Nomen, quod latine ſonat Dominam, & Dominstricem. Profecto hoc præſtantius inveniri non poterat; cum ipſe Deus vulgo in ſacris Scripturis eo-

Ezech. 5 & 7.

dem Nomine appelletur; *Ego Dominus*, & ex hoc titulo ſe velit agnoſci. *Et ſcietis, quia ego Dominus*; & ſi omnes evolverimus Textus Sacri paginas, liquebit, ipſum ſe non alio Nomine appellare, quippe qui Dominus eſt eminenter, ſupremumque habena dominium ſuper omnia ereata. Hæc enim vis eſt, & ſignificatio Nominis hujus Domini, quod nos quoque illi tribuimus quotidie in precibus noſtris. Sed hoc Magnitudinis Nomen, quod Terræ Principes præponere gloriantur aliis honorum titulis, tamquam ceterorum fundamentum, hoc inquam Nomen illud eſt, quo Matrem ſuam in ſæcula voluit eppellari. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta.*

De eadem ſignificatione Nominis Mariæ.

Ex admirabili hoc Mariæ Nomine, facile intelligere eſt, quemadmodum Pater æternus illis partem communicavit juris allius, quod habet in Filium, illi etiam communicaſſe potentiam ſuam, non in omnia tantum creata, verum etiam in Verbum hominem factum. Merito igitur Domina, & Dominatrix vocatur; quandoquidem huic ideæ ſtatim accedunt auguſti tituli Reginæ Cæli, & terræ, qui in hoc edmirabili Nomine continentur. Statim in mentem ſedit, ſicuti omne genu flectitur in Cælo, in terra, & in inferis audito ſolum Nomine JESU, quia Creator eſt ſpirituum Cæleſtium, & quia Mundum vicit, & infernum, Cælum exultare præ gaudio, quia ex hoc Nomine agnoſcit Dominum ſuum, & terram congaudeſe, quia in eodem Nomine cognoſcit Reparatorem ſuum; inferos autem fremere; quia Victoris ſui Nomen agnoſcit; ita Mariæ Nomen imprimere ſenſus reverentiæ pares dignitati ſuæ, & qualitati Dominæ, & Dominsntis. Profecto Cælum non ne gaudio efſertur, & exclamare cogitur, *quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris*, quæ ſe attollit ſuper Angelos, & Archangelos, ſuper Poteſtates, & Principatus, ſuper thronos, & dominationes, & ſuper omnes Sanctos? *Quæ eſt iſta?* Eſt Maria divina, ſcilicet Cæli Regina, Mater divini Verbi, quæ ſuperiorem ſibi Deum unum agnoſcit. Terra eoſdem fovet ſenſus admirationis: & gaudet venerari in Maria totius Mundi Dominam, & hominum omnium Matrem. Infernus ipſe experitur Nominis hujus effectus, quod illi terribilius eſt, quam caſtrorum acies ordinata; quoniam audito Mariæ Nomine cladis antiquæ reminiſcitur, & Mariam ſusm eſſe Dominam titulo victoriæ, quam de ſpiritibus tenebrarum reportavit. *Sermo Manaſcriptus.*

Cant 6. n. 6.

Mariæ Nomen diſtinguit Virginem ab aliis quæ eodem Nomine appellatæ ſunt.

Mihi videtur non ſine quadam proportione de Maria dici poſſe, quod Sanctus Paulus dixit de Verbo Incarnato, cujus illa Mater eſt; ipſam videlicet altiſſimas Cæli Intelligentias tanto præcellere, quanto differentius præ illis Nomen eſt aſſecuta: *Tanto melior Angelis effecta, quanto differentius præ illis Nomen hæreditavit.* Ita ſicuti nomen, ut jure imponatur, explicare debet naturam rei, quam ſignificet, per hoc Mariæ Nomen, ſtatim concipere debeo, quid illam diſtinguat, & ſingularem conſtituat diſſenſiam a ceteris mulieribus, quæ eodem nomine, Dominæ, Reginæ, & Dominetricis appellatæ fuerunt. Diſcrimen autem illud eſt, quod aliæ habuerunt hoc nomen tamquam ſuperadditum illis, quæ deferebant, & quod vel ex ortu mutuatæ ſunt, vel ex majoribus ſuis hæreditarunt; & qualitas hæc ea tantum reſpiciebat loca, in quibus aliquod obtinebant imperandi jus, & omnes fere per affinitatem, quam habuere cum Regibus, atque Principibus, a quibus effectæ ſunt auctoritatis eorum conſortes. Sed cum Sanctus Bernardus teſtetur JESUM CHRISTUM ex ipſa natura ſua duxiſſe Nomen, quin illud vel ſorti, vel hominum arbitrio deberet: ſimiliter Mariæ Nomen in hac prima ſignificatione, Dei juſſu, Nomen illi impoſitum fuit ratione Maternitstis, qua aliquando erat decoranda, propter qusm futura erat Cæli, terræque domina. Hac ratione Virgo Sancta ſecernitur ab aliis, quæ hoc Nomine nuncupantur; & ſtatim agnoſcitur tamquam univerſorum Domina, & Regina. *Auctor Sermonum in omnia argumenta; tomo 2. Myſteriorum.*

Mariæ Nomen venerationem & confidentiam inſpirat.

Quid Chriſtiano intelligendum eſt per Mariæ Nomen? Intelligendum eſt, hanc eſſe Patris æterni Filiam; eique ſublimis concipienda eſt idea poteſtatis, quam illi communicat in omnes Cresturas, ſimulque euctoritatis, quam illi tribuit in Filium ſuum, qui in diebus carnis ſuæ fuit illi ſubjectus, ita ut Sol iſte juſtitiæ obedierit Mariæ, quemadmodum Naturæ Sol gradum cohibuit ad hominis vocem. Intelligendum eſt per Nomen Mariæ, illam eſſe Verbi Incarnati Matrem, ſuamque ab illo Sapientiam hæreditatis Nomine accepiſſe; illam Sponſam eſſe Spiritus ſancti, qui dedit illi ea in plenitudine, cujus capax eſt mera creatura dona ſcientiæ, caritatis, timoris filialis, & qui locupletavit eam iis rebus omnibus, quæ in ordine naturæ dignæ erant hac Sponſa, quam hominibus proponere volebat tamqusm objectum reverentiæ; omnibuſque gratiæ donis, quæ ſanctam inſpirare poſſent confidentiam fidelibus, quibus proponebat Mariam, tamquam Matrem ſibi deſtinatam; nec non omnibus gloriæ donis, ut illam proponeret Cæleſtibus Spiritibus tamquam argumentum laudum ſuarum, ac venerationis in omnem æternitatem. Hinc fit, ut venerabile Mariæ Nomen ſit Nomen Magnitudinis, quod timorem inſpirat; & Nomen bonitatis, quod ciet confidentiam, ſuavitstem, amorem. Dignatus eſt Deus cum Maria partiri hujus Nominis ſignificationem, illam Dominam efficiens, quemadmodum ipſe Dominus eſt, neque dedignatus eſt cum ipſa ſuam dividere Miſericordiam, efficiens illam Miſericordiæ Matrem, quemadmodum

ipſe

ipſe Pater eſt, quod ipſum Mariæ Nomen ſignificat: qua re ad illam amandam, & colendam excitamur; quia ex illius Nomine cognoſcimus illam & poſſe, & velle nobis open ferre apud Deum, a quo Domina effecta eſt. *Sermo Manuſcriptus.*

Proteſtatio obſequii erga Mariam.

Dæmones audito hoc Mariæ Nomine contremiſcant, quandoquidem illis in mentem revocat cladem, quam intulit illis conterens Serpentis caput, & illum enixa, qui eorum evertit imperium. Nos autem, Sancta Virgo, te ſemper habituri ſumus velut illam, quam placuit Deo nobis dare tamquam Dominam; ideoque ea ſemper obſequia tibi præſtabimus, quæ decent Magnitudinem tuam, & inſignia tua privilegia. Cum Sancto Anſelmo prædicabimus, illum neſcire, quam magnus ſit Deus, qui non ſatis magnam concepit ideam magnitudinis Mariæ; declarabimus illum ignorare vim, & ſignificationem Nominis adeo illuſtris, qui non profitetur palam ſe tibi eſſe ſubjectum; & ubi cognoverimus gloriam, quæ tibi debetur, & quam hoc Nomen exprimit, gloriæ vertemus, eſſe ex numero filiorum tuorum; quia qualitas hæc nobis eſt honorificentior, quam ſi maximis terrarum Principibus deſerviremus. Tamen non ſufficit ſcire glorioſum hoc Nomen illi commune eſſe cum ipſo Deo; dici enim poſſet, hoc fuiſſe communicatum Principibus, Regibus, & illis omnibus, qui aliquem obtinent gradum ſuperioritatis; ita ut Scriptura, & idem communis uſus illud cum Domini Nomine confudiſſe videatur: *Servus Domino ſuo ſtat, aut cadit:* Sed hoc ipſum conſtituit Nobilitatem, & Magnitudinem; nam ubi nomen commune fit ſingulare, & particulariter uni applicatur, ſecum adfert neſcio quid emphaticum, quod exprimit dignitatem, ac meritum illius, cui tribuitur. *Ex Auctore Sermonum in omnia Ethica argumenta. Tomo 2. Myſteriorum.*

Ad Rom. 14.

Maria hoc vocatur Nomine per excellentiam, quemadmodum JESUS per ſingularem prærogativam.

Mariæ Nomen ſub hoc, & ſub Dominæ titulo ita commune eſt, ut nihilominus Virginem diſtinguat a ceteris, quibus inditum eſt. Ita cum dicitur Sapiens, intelligitur Salomon virorum omnium Sapientiſſimus; vel cum dicitur ſimpliciter Apoſtolus, ſtatim occurrit menti Sanctus Paulus tamquam ille, qui antonomaſtice hoc Nomine nuncupatur. Hinc fere Salvatorem hominum ex Nomine Domini Noſtri deſignamus, & ſi huic Nomini aliquod accedit epithetum, ſtatim ſignificatio immutatur, vel ad aliam quamlibet dignitatem infinite minorem coarctatur. Hoc ipſum dicendum eſt de auguſta hac Cæli Regina: Hæc antonomaſtice, & per ſingularem prærogativam eſt Domina Noſtra; quoniam id ipſi intelligimus per Mariæ Nomen in noſtro prolatum idiomate; & ſuis ipſi noſtis ab Eccleſiæ Patribus, omnibuſque populis vulgo, & in quolibet ſermone appellari: Senſus idem eſt, eumdemque ſemper retinet dominii, & magnitudinis characterem; ſemper enim ſignificat Dominam noſtram, quemadmodum Filius ejus Dominus, & Dominator noſter vocatur. Non ne diceres, Chriſtiana ſocietas, ſicuti Deus ab æterno elegerat Matrem Filio ſuo, & alteram alteri deſtinaverat, utrumque in Conſiliis ſuis fuiſſe complexum cum ſubordinatione; nihilominus optaiſſe, ut uterque ſæculis omnibus ex hoc dignitatis, & magnitudinis Nomine cognoſcerentur, quod illos a reliquis hominibus ſecerneret. Alter quidem eſt Mundi reparator; altera autem in hujus gloriæ ſocietatem aſſumpta, ut ſecundum Patrum omnium ſermonem eſſet Reparatrix. JESUS conſtitutus fuit Mediator Deum inter & homines, & Maria apud Filium Mediatrix. Hic titulus eſt, qui illi negari non poteſt. *Idem.*

Deum inter & Mariam non deeſt quædam Idiomatis communicatio.

Nonne videtur, ſicuti non defuit communicatio quædam inter divinam, humanamque naturam, ita ut, quod pertinebat ad Deum, fieret hominis proprium; & quidquid hominem decebat, fieret Dei proprium: ſimili ratione quamdam fuiſſe communicationem Deum inter, & Virginem, ita ut Nomen Dominæ, quod Omnipotentis proprium eſt, Mariæ conveniat, non ſolum per Nominis ſui ſignificationem, ſed per veram Supremi Dominii Mariæ communicati attributionem? In unione naturæ divinæ cum humana, qui erat impaſſibilis, factus fuit paſſibilis; immortalis ſubdidit ſe legibus mortis; qui eadem virtus erat, & invicta fortitudo, factus eſt infirmus; qui omnes replet locos, & nullo contineri poteſt, viſus eſt coarctatus inter anguſtos limites incunabuli, & per admirabile commercium, quod Cæleſtis, & Terreſtris Eccleſia in ſæcula admirabitur, qui mortalis erat, & omnibus Vitæ hujus miſeriis obnoxius, ac infirmitas ipſa, factus eſt immortalis, impaſſibilis, omnipotens. Hic ſimiliter, verumtamen cum aliqua proportione, illa, quæ erat omnium creaturarum humillima, & in nihilo ſuo immerſa, evehitur ad qualitatem Dominæ, in cujus partem illam evocat Deus, eidem tribuens Mariæ Nomen. Hæc ſinu complectitur ſuo illum, qui nullis poteſt finibus contineri. Hæc igitur eſt communicatio idiomatis, immo denominationis, atque etiam poteſtatis. Homines nomina imponunt, ſed, ut plurimum, nomina vacua, & inutilia; Dei unius eſt replere illa, quod præſtitit, imponens Virgini Mariæ Nomen, quod Dominam, ac Reginam ſignificat. *Ex Sermone Manuſcripto.*

[illegible] Mariæ Nomine completitur illius dominatio.

Mirum ne igitur eſt, ſi, cum gloria communis ſit JESUM inter & Mariam, alter hominum Redemptor vocetur, altera dicatur Redemptrix, cum eorum Nativitas eumdem habuerit finem, & Deus utrumque fuerit complexus in eodem ordine Conſiliorum ſuorum: uterque idem Domini Nomen geſſerunt, & cum tanta adſit inter utriuſque titulos, ac prærogativas ſimilitudo, alter quidem Dominus antonomaſtice, altera vero Domina appelletur; ut per hanc Nominis conformitatem intelligamus excellentiam, auctoritatem, meritum, & ſuperioritatem, quam habent uterque ſuper homines reliquos; & proinde cultum, quem utrique debemus. Licet enim tantum ſit inter utrumque diſcrimen, ut nemo ita rudis ſit in noſtræ Religionis officiis, qui illud valeat ignorare; hoc tamen non prohibet, quominus beatiſſimæ huic Creaturæ peculiarem tribuat cultum ab eo diſtinctum, quo Sanctos omnes veneratur, quos non niſi tamquam Dei famulos colit, cum Mariam proprio proſequatur honore, utpote illam quæ Dominæ Nomen ſibi comparavit, quatenus Mater Dei ipſius; quod novam ſuppeditat probationem, quæ oſtendit illam jure optimo Dominam, & Reginam vocari, cum ſit Mater Domini, & Regis, qui in univerſo Mundo dominatur.

Omne genu flectitur ad hoc Mariæ Nomine, non ſecus ac JESU.

Nonne videmus inter homines, ſtatim ac aliquis in Principem eligitur, Matrem illius illico ſtatim mutare, & Principis, Dominæque titulum aſſumere, quamvis etiam minime obtineret auctoritatem? Simili ratione hinc inferendum eſt Creatoris, & abſoluti Cæli, Terræque Domini Matrem Dominam eſſe omnium creaturarum: Et inſignis quidam Sanctitate Vir hoc ipſum inferre non dubitat, quod Sanctus Paulus infert de Nomine, & dignitate, ad quam evectus fuit JESUS CHRISTUS: *Ut in Nomine Mariæ omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Opus eſt, ut ex hoc Nomine agnoſcatur dignitas, & magnitudo Mariæ, & quidquid præcellentiſſimum eſt, illi præſtet obſequium non ſecus ac Supremæ illius Majeſtati, quem ipſa in lucem effudit: ut omnes Cæli poteſtates genu flectant coram illa; præpollentes Monarchæ ſe ſe illi ſubmittant, atque ſe beatos putent, ſi eidem famulentur; & ut Princeps ipſe tenebrarum, cui Dei Filius videtur Mundi imperium tribuere propter poteſtatem, quam exercet in illo, ad ſolum Mariæ Nomen contremiſcat: *Omne genu flectatur.* Hoc igitur Nomen glorioſius eſſe non poterat, quam ſi aſſumeretur ab ipſa Magnitudine, ideoque a celſiſſima, quæ umquam extiterit, dignitate. Sed hoc Nomen eſſet nobis vacuum, & titulus inanis, cujuſmodi eſſet Regis ſine ſubditis, Domini ſine ſervis, Principis ſine principatu; ſi ipſi detrectaremus eſſe ex numero Servorum, & Subditorum Mariæ, per cultum, officia, & obſequia, quæ illi præſtare poſſumus. *Idem.*

Ad Philipp. 2.

Adhortatio ad Mariæ Nomen colendum.

Dicetur ne, Mariam in Cælo coli tamquam Dominam, & Reginam; ab omnibus nationibus honorari; ab omnibus creaturis in pretio haberi; nos vero in quorum gratiam hoc illi Nomen impoſitum fuit, noviſſimos eſſe, qui eam venerentur? Noſtis, Domini, Principis, Regiſque dignitatem cedere in honorem ſervorum, ac ſubditorum; glorioſum eſſe potenti Domino famulari, & ambitioſiſſimum quemlibet ſibi laudi vertere, titulos ſuos exornare nominibus officiorum, & munerum, quæ poſſident apud Principes terræ; nec deeſſe quoſdam, qui nobilitatem, ac inſigne decus afferant poſſidentibus illos; & vetuſtæ, probatæque nobilitatis argumentum eſſe, oſtendere majores ſuos jampridem iiſdem decoratos fuiſſe; ſervi enim magnitudinem ex magnitudine Domini metiri conſuevimus. Ah! quem gloriæ cumulum non recipimus cum cenſemur in numero Servorum illius, quæ jure optimo totius orbis Domina nuncupatur? Miſſa faciamus omnia commoda, quæ hinc nobis cedere poſſunt, omittamus omnia, quæ illi præſtamus officia in Deum tamquam finem ſuum referri, & hæc ipſa viam eſſe, per quam ad illam tutius contendamus. Cogitemus ſolum hoc eſſe ſervire illi, cui famulari gloriantur Angeli: Si Deo ſervire, regnare eſt, ut Sacer Textus inquit, eamdem eſſe gloriam ſervientium ei, cui ipſe Dei Filius non dedignatus eſt ſe ſe triginta annos ſubjicere. Ita eſt, nullus honor comparari poteſt cum hoc famulandi videlicet illi, cui Deus Mariæ Nomen impoſuit, videlicet Dominæ. *Idem.*

Uſus Nominis hujus Mariæ in tentationibus [illegible].

Sanctus Bernardus, qui nullam ſibi elabi patitur occaſionem præſeferendi ſui cordis ſenſus erga hanc clementiæ Matrem alludens Nomini, quod geſtat, & auxilio, quod navigantes inveniunt in ſtella quam ducem ſequuntur, exprimit opem, quam a Maria percipere debemus loco quodam divini eloquentia referto; quem cum multi laboris opus eſſet referre, illud in compendium afferam. Quicumque es, qui ignorare non vales, te in ſæculi hujus pelago tamquam in æſtuoſo mari fluctibus, atque procellis agitari, qui-

bus undique premeris, niſi vis ſubmergi, ne declines oculos ab hoc ſydere, cujus propitium lumen mulcet tempeſtates, & te in eutum adducit. Si tentationes, quæ ſunt tamquam totidem furentes venti, qui te manifeſto objiciunt periculo naufragii, te faceſſunt; invoca Mariæ Nomen; ſcis enim hanc ſemper eſſe paratam, ut in tanta neceſſitate opituletur, *Reſpice ſtellam, voca Mariam*. Si impetus iræ, vel violenta avaræ cupidinis deſideria, ſi incompoſiti motus rebellis concupiſcentiæ in naufragii periculum adducunt fragile hoc vaſculum, in quo gratiæ theſauros geſtamus, *Reſpice ad Mariam*. Confuge ad Mariam, quæ cohibere poteſt affectuum noſtrorum procellas. Si te criminum tuorum horror perturbat, quorum numerus, & enormitas terrorem, & confuſionem injicit in conſcientiam tuam; ſi divinorum Judiciorum timor, & abuſus perennis Miſericordiæ, te ad deſperationem impellit, cogita Mariam, ut Nomen ejus revocet tibi in mentem bonitatem, & illa, quæ peccatorum miſeretur, cieat ſpem in corde tuo. *Idem*.

Quinam ſunt peccatores qui ſperare poſſunt, ſe criminum ſuorū veniam conſecuturos Mariæ nomen invocando.

Scio Mariæ Nomen nihil afferre ſolatii obduratis peccatoribus, qui in criminibus ſuis volunt perſeverare. Quapropter cum invitatur peccator, ut confidere velit in hoc ſancto Mariæ Nomine, & ſæpe invocet illud, & cum illi polliceor, ipſum in eo ſolatium eſſe inventurum, loquor ad peccatorem, qui profecto per vitæ ſuæ flagitia jacturam fecit gratiæ Dei ſui, ſed qui ſincera ductus pœnitentia quærit infringere vincula, & de erroribus ſuis reverti; loquor ad peccatorem, qui per fragilitatem, vel violenta raptus cupiditate plures funeſtos lapſus committit, & qui etiam plures annos ſecus oram abyſſi permanſit, ſed qui ſerio cogitans de vitæ brevitate, extimeſcens, ut mora illum deprehendat, gemens attollit manus in Cælum, & Dominum orat, ut ſibi tempus tribuat agendi pœnitentiam; loquor ad Chriſtianum, qui vere quidem vixit ſine ullo pietatis ſenſu, ſine Religione, & quin ullum haberet cæleſtium, æternorumque bonorum affectum, & in perenni ſpiritus evagatione: ſed qui reminiſcens beneficiorum quibus cumulatus fuit, & quæ ingrati animi vitio rependit, recens vitæ genus optat amplecti, & reſpondere conatur ſuavibus illiciis gratiæ naſcentis. Es ne tu hujus characteris? habes ne prima haſce diſpoſitiones futuræ converſioni neceſſarias? Ah! Ex hoc momento quantumlibet peccator ſis, illico experiris, in auguſto Mariæ Nomine neſcio quid inveniri, quod effundit in animam ſolidam ſpem, & veram conſolationem. Quourſum iſtud? Profecto ad edſpectum tot infidelitatum, atque flagitiorum, peccator, qui non vult amplius ſe peccatorem eſſe, omnem ſpem abjiceret, certum eſt, animumque deſponderet, ſi neſciret ſecundum noſtræ Religionis principia, adhuc eſſe in poteſtate ſua flectere Deum ſuum, & illius patrocinium mereri. Coarctat igitur vota ſua hinc quidem ad obtinendam criminum ſuorum veniam, inde vero ad promerendam ſibi hæc non communia ſubſidia, has ſingulares gratias, quas paucis concedit Deus, & ſine quibus prævidet tamen, ſibi futurum opus arduum, ac fere impoſſibile, radicitus pravos habitus convellere, & vincere ſuam in malum proclivitatem. Sed Mariæ Nomen videtur quodammodo utrumque polliceri: hoc proferre nequit, quin ſecretam habeat certitudinem adimplendi ſua deſideria; ſentit ſpem ſuam excitari; ſibi animum fieri, ac ſe confortat; cur? Quia hoc Nomen docet illum, Mariam, Matrem hanc incomparabilem, eſſe hominum Mediatricem, validamque patronam apud Filium ſuum, Judicem noſtrum, & Deum. Hoc igitur Nomen amabile peccatoribus eſt pignus veniæ, quam deprecantur in agitationibus pœnitentiæ adhuc imperfectæ; cum aliunde certi ſint protectionis hujus Advocatæ peccatorum, qui ad ipſius bonitatem confugiunt. *Ex Sermone Patris Chamillard de Sancto Nomine Mariæ.*

PRÆSENTATIO SANCTÆ VIRGINIS IN TEMPLO.

MONITUM.

QUAMQUAM Myſterium hoc, quod nobis in mentem revocat factum, quod non admodum inſigne videtur, neque ſatis amplum argumentum, ad Sermonem integrum habendum; nihilominus ſi animum advertimus ad oblationem Deo factam a parentibus hujus Virgunculæ, quæ nihil ipſis in terris erat antiquius, vel ad generoſum puellæ hujus conſilium, quæ neglectis Sanguinis, naturæque illiciis incredibili ardore ſe ſe Domini ſervitio devovet; vel ad virginitatis votum, quod afflatu Cœleſti omnium prima nuncupat Deo tunc temporis præſertim, quo Mulierum ſterilitas cenſebatur opprobrium, vel ad ceteras actiones adeo admirabiles in puella, adeoque glorioſas ipſi Deo, ſeu tandem ad moralem diſciplinam, atque tot documenta, ac virtutum exempla, quæ hinc poſſunt hauriri; ſi ad hæc, inquam, omnia adverterimus animum, inveniemus fortaſſe hoc recenſendum eſſe inter uberiora argumenta, de quibus verba facere valeamus.

Quamobrem, licet inficiandi minime ſint, qui ſe ex hoc Myſterio occaſionem duntaxat arripiunt loquendi de utilitate ſe ſe devovendi a teneris unguiculis Deo, vel de ſuavitate quæ in Dei ſervitio guſtatur, vel de alia quapiam morali veritate, quæ ad hoc argumentum aliquo modo referatur: credo tamen operæ pretium eſſe mentem ſequi Eccleſiæ, quæ eſt Sermonem habendi in laudem, & gloriam illius, quæ ſe ſe offert Templo, ut ſe ſe diſponat ad hoc, ut dignam ſe præbeat Dei Matrem; & colendi primum, & publicum actum, quem in Domini famulatu peragit, cujus exemplum plurimum conferre poteſt ad doctrinam, atque noſtram ædificationem.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum Synopſis hujus argumenti.

I. QUAM *pulcri ſunt greſſus tui filia Principis, Cant. 7.* Hic Textus eſt ſatis naturalis applicabilis Mariæ quæ hodie ſe ſe præſentat in Templo, ubi oſtendere poſſumus: 1. Illam ſe ſe devovere altarium cultui tamquam victimam, quæ agnoſcit Dei ſui omnipotentiam ejuſque ſupremum in ſe, & in omnes creaturas dominium. 2. Illam ſe præſentare tamquam humilem ancillam, ut profiteatur ſe cæce omnibus divinæ providentiæ decretis obtemperaturam. 3. Tamquam animam, quæ tota eſſe vult Dei quatenus Sponſam illius, quemadmodum Deus ſe totum illi tradit, quin tamen præſumat dignitatem Sponſæ Spiritus ſancti, ad quam reipſa eſt aliquando attollenda: *Dilectus meus mihi, & ego illi*: Hi ſunt greſſus hujus Filiæ Principis, qui locum præbent cum admiratione exclamandi; *Quam pulcri ſunt greſſus tui Filia Principis.*

Quod pertinet ad primum Punctum, quod in eo poſitum eſt, quod Maria offerens ſe Templi ſervitio, & altarium cultui, offert ſe Deo quatenus victimam immolatam ſupremo Dei imperio, ut profiteatur ſupremum illius dominium in animam, corpus, omnemque Eſſentiam ſuam; Sancta hæc Virgo a primo vitæ ſuæ articulo rationis uſum fuerat adepta; ſcilicet ſe non communi via in Mundum ingreſſam fuiſſe; repleta ſupernaturalibus donis poſſidebat in eminenti gra-

du Fa-

da Fidem, Spem, Caritatem; non ignorabat acceſſiſſe tempus, quo Meſſias a Prophetis promiſſus in terram venturus erat, quin tamen ſciret ſe illius Matrem futurem, & dignitatem hominis Dei mereri; ut omnes Creaturæ, ſe ſe pro illius gloria immolarent. Hæc illa cognoſcens plena his divinis luminibus in anteceſſum offert ſe Deo Majeſtatis tamquam victimam in illius honorem conſummandam. Itaque licet infanti adhuc ætate, converrit primos cordis ſui motus Pſalm. 118. in Deum, cui dixit, uti David; *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo.* Mane ſummo, videlicet e teneris unguiculis, ab infantia converti oculos meos ad te; tu mihi dediſti animam, & corpus; ſpiritum, & voluntatem, quæ ſunt viva tuæ divinitatis imago. Utrumque tibi devoveo, & ſacrifico; impoſterum inhærebit ſemper huic aræ cor meum, nulla exterior occupatio inde illud avellet; e contra omnes actiones meæ mihi in mentem revocabunt meam hanc devotionem, qua profiteor fore ut vivam, & moriar pro gloria tua, tamquam victima, quæ cum a te vitam receperit, non niſi pro te illam debet impendere; & humilitas, paupertas, ſolitudo, mortificatio erunt mihi tamquam anceps gladius, qui immolet animam, & corpus meum, ut ex illis efficiat hoſtiam ſanctam, vivam, rationabilem, ac tibi bene placentem. Hac mente hodie me tuis altaribus offero.

In ſecundo puncto oſtendere poſſumus, Mariam hodierna die ſe præſentare in Templo, tamquam ancillam Domini, ut ſequatur fideliter, alacriter, ac perſeveranter Providentiæ ejuſdem imperia. Credendum nobis eſt Sanctam hanc Virginem ipſo ſuæ Præſentationis momento elicuiſſe interiores Virtutis actus, cujus praxim ſervavit in omnibus exterioribus actionibus in ipſo vitæ ſuæ curriculo, prout divina exigebat Providentia. Generatim igitur Deo promiſit integerrimam fidelitatem, & ſe nunquam oculos declinaturam a manibus dominæ ſuæ, ut in minimo quovis cordis ſui Pſalm. 122. motu, eidem obediat: *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ.* Ancillæ fidelitati ſuam addidit alacritatem, & promptitudinem, cum ipſi perſuaſum eſſet cum Principe verba non eſſe miſcenda, & mora obedientiæ meritum infirmari; & cum Deus ſumma ſit rerum ratio, iniquiſſimum eſſe, ſi obedientia illi debita minus fidelis ſit, prompta, & perſeverans. Neque alios ſibi conſtituit fines, quam illos vitæ ſuæ; ſe ſe obtulit pro omnibus licet moleſtiſſimis circumſtantiis; & dixit tunc non ſecus ac deinceps Salvator: Ecce me, ut tamquam famula tua faciam Vo- Ad Hebr. 10. luntatem tuam. *Tunc dixi: Ecce venio.*

Pro tertio puncto oſtendendum eſt, Virginem ſe Templo devovere, ut ſit Domini Sponſa. 1. Conſecrando illi cor ſuum pura caritate; 2. Corpus ſuum puritate perfecta, & per noviſſimam hanc promiſſionem cumulum, ac perfectionem Sacrificio ſuo addidiſſe. Concipere oportet nihil imperfectum fuiſſe in Maria, cum præſentavit ſe Templo, ut ſe Deo conſecraret. Amoris ſui perfectio ſequebatur perfectionem ſuarum cognitionum. Amavit Deum æque perfecte, ſicut illum perfecte cognovit. Cognitio, & amor illius portenti loco erant, neque creditur exagerare, ſi quis dixerit, Mariam ætate illa plus luminis habuiſſe, quam Angeli, vel plus ardoris, quam Seraphim. Ita conſecratio cordis ſui, quam fecit Deo, ut eſſet illi velut Sponſa per puriſſimam Caritatem, fuit abſolutiſſima primi Mandati perfectio; Diliges Deum ex toto corde tuo, ex tota anima, omnibuſque viribus tuis. Hoc ipſo momento Virginitatis votum nuncupavit, cum cæteræ Mulieres appeterent gloriam Maternitatis Meſſiæ per conjugii fœcunditatem. Maria Cælitus afflata puritatis vexillum attollit; ſemet alligat Deo recentibus vinculis nunquam infringendis. Hæc eſt conſecratio, quam Sancta Virgo facit ſui ipſius ipſa die ſuæ Præſentationis in Templo.

II. In hoc Myſterio nanciſcimur tres perſonas, quæ oculos noſtros figere poſſunt, & quarum rationes, & varii adſpectus pro Dei ſervitio efficere poſſunt partitionem hujus Myſterii propriam.

Prima: Deus eſt Mariam vocans ad ſtatum, & vitæ genus, quod ipſam ad altiorem perfectionem adducit, mentem immittens illi relinquendi paternam domum, ut teneros vitæ ſuæ annos traducat ſerviens Deo in templo ſuo, ex quo facit domum illius, ut ipſa ſe diſponat ac præparet Deo de ſemet conſiliis exequendis.

Altera perſona Myſterii hujus particeps eſt Joachim, & Anna, qui pro una tantum perſona ſunt habendi; quoniam uterque conſenſit in idem conſilium conſecrandi Filiam ſuam ſervitio Dei, privando ſemet objecto conſolationis ſuæ, & ſpe ſuæ familiæ.

Tertia eſt ipſa Virgo, quæ tenella adhuc ætate præſefert animum admirabilem, & fidelitatem quæ exemplo eſſe poteſt univerſo Mundo ſubmiſſionis Voluntati Dei, & obedientiæ habentibus in nos auctoritatem.

Hoc argumentum locum præbet præclaræ de Providentia divina doctrinæ, ſeu particulari erga Mariam conſequenter ad electionem a Deo factam illius, tribuendo media aptiſſima, & utiliſſima ad id adimplendum; ſeu generali erga omnes homines per pia ſtudia, quæ illis inſpirat vere quidem diverſa, ſed omnia ad majorem gloriam ſuam, & eorum ſalutem coordinata.

III. Si obſtupeſcitis Mariam tertium annum agentem ſe ſe in Templo obtuliſſe, ut ſe Deo conſecraret, cogitate Sanctam hanc puellam immunem eſſe ab aliarum infirmitatibus; ab ipſo ortus ſui primordio puriſſimis repletam fuiſſe luminibus Cæli, & fortaſſe mirabimini illam uſque in hanc diem diſtuliſſe Sacrificium ſolemne, quod ſuimet ipſius Deo facit: Profecto cum Sanctus Paulus Apoſtolus aſſerat: JESUM CHRISTUM obtuliſſe ſe Patri ex eo momento, quo in Mundum ingreſſus eſt: *Ingrediens Mundum ..... hoſtiam noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, tunc dixi; ecce venio;* ita Maria hodierna die inſtauravit duntaxat Sacrificium, quod obtulerat Deo ex ipſo ſuæ creationis articulo: Sed quia ſe ſe devovet ſervitio Dei in templo ejus, in Domini domum pedem inferre non vult, niſi manibus plenis holocauſtorum. *Introibo in domum tuam in holocauſtis.* In hoc autem Mariæ Sacrificio tria animadverto, quæ illius præſtantiam commendant.

1. Devovet ſe Deo diluculo, & a teneris unguiculis.

2. Devovet ſe Deo ſine ulla exceptione, & partitione, ſeque totam illius eſſe vult.

3. Devovet ſe Deo in æternum.

Devovens ſe Deo diluculo damnat Fidelium ignaviam, qui Deo tribuunt Mundi repulſam, & vitæ in ſceleribus attritæ reliquias; devovens ſe plene Deo Fidelium damnat infidelitatem, qui non niſi ex parte, & cum exceptione convertuntur; devovens ſe Deo conſtanter redarguit Fidelium mobilium inconſtantiam, qui revertuntur ad placita Mundi, quem reliquerant, Evangelicis adhæſuri. *Hæc eſt partitio ex ſpeciminibus Panegyricorum deſumpta, quæ quidem vulgatior eſt, ſed magis naturalis, & Morali diſciplinæ accommodatior.*

IV. Triplex vitæ genus fuerunt materia Sacrificii, quod obtulit Maria Deo ipſa ſuæ Præſentationis die. 1. Vita civilis; 2. Vita naturalis; 3. Vita rationalis. Vita civilis in ſocietate conſiſtit, & in commercio quod haberi poteſt cum Mundo. Vita naturalis conſiſtit in affinitatibus, quæ contrahi poſſunt in Mundo. Vita rationalis conſiſtit in uſu noſtræ libertatis, ſecundum deſideria, & cordis noſtri ſtudia. Sed Maria unica oblatione ſacrificat.

1. Spem omnem quam habere poterat ex parte Mundi, cum omnibus ſuæ Nativitatis privilegiis animæ ſimul & corporis; illis abrenunciat ſeparans ſe ab omni commercio conſanguineorum, & affinium ſuorum, ut ignota Mundo vivat, & uni Deo placeat.

2. Sacrificat vitam naturalem, ad quam non ſecus ac ceteri jus habebat, idque per votum Virginitatis quod omnium prima tunc temporis vovit, quo ſpes videndi Meſſiam ex ſua ortum progenie, contemptibiles efficiebat eas, quæcumque filios non parerent.

3. Suam immolat libertatem, & rationalem vitam, quæ omnium propria eſt, per magnum hoc Sacrificium confitens ſupremum Dei dominium in ſe, ut rebus in omnibus illius pareat imperio; divinæque ejus Voluntati ſe præbeat conformem.

V. Cum præcipuum Myſterii, quod hodierna die celebrat Eccleſia, argumentum ſit devotio, & conſecratio, quam ſui ipſius facit Servitio Domini in Templo Maria, non ſine cauſſa quidam Sancti Patres Myſterium hoc appellarunt feſtum liberalitatis, & gratitudinis Sanctæ Virginis erga Deum propter dona, gratias, favores, & beneficia, quibus illam prævenerat ex eo momento, quo vitam receperat. Immoremur igitur, Fideles, in hoc inſigni prototypo Religionis, & pietatis, quem hodie nobis proponit Eccleſia; ne reſpiciamus ſolum muneris materiam, ſed devotionem, quæ illud commendat, & meritum auget. Hic adſpectus duplicem nos docebit Veritatem, quæ Elogii ſui argumentum, & partitionem efficient.

Prima eſt; poſt JESUM CHRISTUM nunquam munus adeo pretioſum, neque ſacrificium adeo acceptum Domino oblatum fuiſſe.

Altera; neminem obtuliſſe Deo donum adeo gratioſe, liberaliter, & generoſe. Donum, vel modum, quo illud obtulit Maria, id eſt, quod vobis in Mariæ exemplo aggredior repræſentare.

Ad priorem partem probandam, ſatis eſt oſtendere poſt donum, & Sacrificium Hominis-Dei, nihil majus vel ſpectabilius in Mundo eſſe, neque tale, ut comparari valeat gratia, meritis, & virtute cum dono, quod offert Maria, offerens ſemet in hoc Myſterio.

Pro parte altera oſtendendum eſt, quo devotionis, & grati animi ſenſu, qua intentione, quo tempore, & loco ipſa ſemet offerat ſuo Creatori.

VI. Ars donandi non ita facilis eſt, uti exiſtimatur. Plures requirit conditiones, quæ retant, ne uſus ſit Mundo univerſo communis. Satis non eſt habere cor liberale, & pronum in Magnificentiam; non ſatis eſt habere donandi facultatem, nec re ipſa donare; oportet etiam, donum quod ſit, vel fieri vult, hujuſmodi eſſe, ut cedere poſſit in eorum utilitatem, quibus donatur,

natur. Quod fieri nequit, niſi donum ſit ſpectabile, vel per ſe, vel per meritum donantis, vel ſaltem per inopiam, & neceſſitatem recipientis. Res, quæ datur, ſpectabilis eſſe debet per ſe, & aliquid habere excellentiæ, quæ illam extrahat ex claſſe rerum vulgarium; munera quippe ſunt indicia ſpiritus, vel amoris teſtimonia. Non eſt autem honorem alicui deferre, ubi cum illo promiſcue & ſine ulla prælationis ſignificatione agimus; & profecto magni non eſt amicitia, cum ea dantur, quæ nauci ſunt. Verum eſt, nonnunquam dantis qualitatem ſupplere pretio rei datæ, eamque pretioſam efficere: Verum eſt nonnunquam egeſtatem, & utilitatem quibuſdam in occaſionibus, materiæ defectum librare; ſed tandem cum omnes ſimul tres hæ conditiones concurrunt in munere, illudque vere ſpectabile ſit per ſe, per qualitatem donantis, & per utilitatem accipientis, tunc vere munus pretioſum eſt, & aſſeri poteſt illum cum omni ſenſu æſtimationis, gratique animi exceptum iri. En igitur tres qualitates collectæ admirabili modo in oblatione, quam Sancta Virgo Deo facit in Templo Jeruſalem.

1. Quid dici poteſt honorificentius ad munus hoc commendandum: cum dicimus, ipſam ſumet ipſius donum offerre? Hoc Mariæ Nomen nonne Nomen eſt perſonæ prorſus admirabilis, & auguſtiſſimæ; &c. Hoc eſt opus eximium Sapientiæ, potentiæ, & bonitatis Dei; gratiæ miraculum, ac theſaurus divinitatis &c.

2. Quoad alteram muneris conditionem, ut acceptum ſiat, utile, vel neceſſarium eſſe debet recipienti. Nonne dici poteſt, cum Pater Æternus ſuam communicare vellet fœcunditatem, nullam fuiſſe creaturam aptiorem Maria? & cum Verbum æternum ſibi Matrem eligere vellet, neminem inveniſſe Maria digniorem? Et cum vellet Spiritus ſanctus formare Hominem-Deum, hunc feciſſe per Mariam, ejuſque conſenſum?

3. Donum hoc ſpectabile eſt etiam habita donantis ratione, quandoquidem ipſa Virgo & donum eſt, & donatrix.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, unde hauriri poteſt copia ad propoſitas Sermonum partitiones exornandas, & Auctores de hoc argumento agentes.

Sancti Patres.

SANCTUS GERMANUS Patriarcha Conſtantinopolitanus eloquenter deſcribit Sanctam Virginem in Templum introeuntem. *Orat.* 2.

Sanctus Hieronymus in Epiſt. ad Heliodorum fuſius recenſet pietatis exercitia Virginis hujus in hac Sancta ſolitudine.

Sanctus Ambroſius hoc ipſum peragit *lib.* 2. *de Virginibus*.

Sanctus Auguſtinus *libr. de Sancta Virginitate cap.* 4. aſſerit, Virginem votum emiſiſſe Virginitatis.

Sanctus Gregorius Nyſſenus *orat. de Nativ. Virginis*, hoc ipſum teſtatur.

Sanctus Chryſoſtomus *homil.* 3. *de fide Annæ*, ſub allegoria deſcribit Virginis Præſentationem.

Sanctus Joannes Damaſcenus, qui præ ceteris fuſius ſcripſit, deſcribit quomodo illa viveret in Templo, *l.* 3. *de fide orthodoxa c.* 14.

Georgii Metropolitæ Nicomedienſis in Sanctiſſimæ Deiparæ præſentatione orationes tres. *Tomo* 8. *Bibliotheca Patrum Concionat.*

Sanctus Bernardus *homil* 4. *ſuper miſſus eſt* loquitur de voto Virginitatis, quod nuncupavit in Templo.

Sanctus Anſelmus *lib. de Excellentia Virginis cap.* 4. hoc ipſum perhibet teſtimonium.

Sanctus Bonaventura in Opuſculo; quod edidit de Vita JESU CHRISTI loquitur de precibus, quas Sancta Virgo fundebat in Templo, dum in eo receſſu permanſit.

Origenes *in cap.* 13. *Matth.* palam verba facit de voto, quod Templo præſentata nuncupavit.

Beda *Luc.* 1. *Item homil. de Incarnat. & ſerm.* 4. *de Aſſumptione.*

Arnoldus Abbas *in Laudibus Beatæ Virginis.*

Petrus Bleſenſis *ſerm.* 28.

Hugo a Sancto Victore *lib. de perpetua Virginitate Sanctæ Mariæ cap.* 1. *ſub finem.*

Sanctus Ildephonſus *Serm.* 5. *de Aſſumptione.*

Theologi.

Suarez *tomo* 2. *de Myſteriis quæſt.* 10. *diſput.* 7.

Franciſcus Turrianus, qui hanc feſtivitatem ſuſtinuit Sanctorum Patrum auctoritate, cum ſub Pio V. ex Romano Calendario prope fuit, ut expungeretur.

Caniſius *lib.* 2. *de Deipara Virgine cap.* 12. plures narrat circumſtantias receſſus Sanctæ Virginis in Templo.

Pater Theophilus Renaud *tomo* 7. *cui titulus Marialia*, fuſe de Virginis Præſentatione in Templo, & voto Virginitatis verba facit.

Liber, qui inſcribitur, ſermones prædicabiles in Litanias Lauretanas *tomo* 2. *diſcurſu* 204.

Aſcetici aliique.

Pater Poirè tract. 4. cap. 8. de triplici corona loquitur de hujus feſtivitatis inſtitutione.

Pater de Argentano Capuccinus, in Magnalibus Virginis Collatione 8. articulo 2.

Pater a Ponte, part. 2. Meditationum Vitæ Dominæ Noſtræ uſque ad Incarnationem, puncto tertio.

Pater Haineuve eximiam habet de Præſentatione Virginis Meditationem ſub finem partis 4. pro die 21. Novembris.

Pater Novet in Vita JESU CHRISTI in Sanctis ſuis tres habet Meditationes hujus argumenti, in quarum noviſſima agit de votorum inſtauratione, quæ fit in pluribus domibus religioſis.

Concionatores recentiores.

Pater Gentilis in libro, cui titulus *Virginum Solitudo*, meditatione prima pro die ſecunda.

Pater Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus, tomo 4.

Pater le Jeune Oratorii JESU Sacerdos tomo 4. In Panegiricis Beatæ Virginis unum habet hujus argumenti ſermonem.

Pater Duneau in tomo Panegyricorum Mariæ, pariter unum.

Pater Texier in Panegyricis Mariæ Virginis.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta Tomo 2. Myſteriorum.

Idem in tomo 4. ſermonum particularium ſermonem habet de votorum inſtauratione, quæ fit die Præſentationis apud quoſdam Religioſos.

Qui contentiones ediderunt.

In ſpecimine Panegyricorum tria ſunt compendia ſermonum hujus argumenti.

Carthagena in Homiliis de Beata Virgine.

Pater Theophilus Renaud in libro, quem memoravimus.

In Libro, cui titulus, *Diſcurſus Prædicabiles*, de quo locuti ſumus, plura hujus argumenti inveniuntur.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Scripturæ huic argumento.

AUdi Filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum. Pſal. 44.

Quam pulcri ſunt greſſus tui, Filia Principis! Cantic. 7.

Bonum eſt viro ſi portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Jerem. 7.

Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.

Stetit Dominus in introitu tabernaculi, vocans Mariam. Num. 12.

Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Pſalm. 115.

Introibo in Domum tuam in holocauſtis; reddam tibi vota mea. Pſalm. 65.

Quam pulcra eſt caſta generatio cum claritate, immortalis enim eſt memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines. Sapient. 4.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua. Pſalm. 118.

Ego Mater pulcræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & magnæ ſpei. In me gratia omnis viæ, & veritatis. Eccleſ. 24.

Ego ſum ſicut oliva fructifera in domo Domini. Pſalm. 51.

Beati qui habitant in domo tua, Domine. Pſalm. 83.

Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Pſalm. 25.

Virtus ejus nunquam deficiet, ſed lux ſplendens procedet, & creſcet uſque in æternum diem. Proverb. c. 4.

Lætatus ſum in iis, quæ dicta ſunt mihi, in Domum Domini ibimus. Pſalm. 121.

In toto corde meo exquiſivi legem tuam. Pſalm. 118.

Adducentur Regi Virgines poſt eam. Pſalm. 44.

Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam. Ad Hebr. 10.

Digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes. Ad Coloſſ. 1.

Quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Joann. 8.

Vota mea reddam, quæ diſtinxerunt labia mea. Pſalmus 65.

In capite libri ſcriptum eſt, ut faciam, Deus, voluntatem tuam; Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Pſalm. 39.

Holocauſtomata non tibi placuerunt, tunc dixi: ecce venio. Ibid.

Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum; quia cum eſſem parvula, placui Altiſſimo. Eccleſia in officio hujus feſti.

Exempla, & Figuræ Veteris, & Novi Teſtamenti hujus argumenti.

Præſentatio Mariæ oblationibus antiquis comparata.

DIes dedicationis, quo, inquit Scriptura, Templum repletum fuit gloria Dei, non fuit adeo glorioſus Domino, ut ille, quo Maria venit in Templum ſemet oblatura; & ingens victimarum numerus, quas Salomon immolari juſſit, ut Solemnitatis hujus pompam efficeret celebriorem, non fuit oblatio adeo accepta in oculis Dei, ut hodierna fuit Præſentatio puriſſimæ Virginis, quæ ſeſe omnino devovet gloriæ,

& ſervi-

& ſervitio illius. In hac autem oblatione, quam Deo facit Maria, maxime excellit Sacrificium puritatis ejuſdem. Præclara hæc Virtus apud Ethnicos probro erat, illam enim conſecrabant idolis; & antequam Deus Virgines ſuas haberet in Templis ſuis, dæmon ſuas habebat Veſtales. Judæis quoque erat dedecori, & nationis ſuæ mulieres reſpiciebant illam tamquam opprobrium; auferebat enim illis ſpem contribuendi per fœcunditatem ſuam temporali generationi Meſſiæ, qui ex earum una erat naſciturus. Maria ergo efficit merito omnium victimarum antiquarum; quia oblatio ſua Sancta eſt, & Spiritualis, cum veteres eſſent carnales; ſuperat infinitis ſpatiis Veſtalium conſecrationem, quæ nonniſi offerebant idolis, ac dæmoniis ſuperbam, atque ambitioſam Virginitatem, cum Maria offerat Vero Deo puritatem cordis humiliati, & Immaculati Corporis Virginitatem. Novum Sacrificii genus, ignotum antiquitati ante diem Præſentationis Mariæ, invectum per exemplum ejus in lege veteri, quod innumeræ Virgines imitantur, quæ illius exemplum ſecutæ, fiunt ejuſdem corona.

Quantum fuit pietas S. Joachin, & S. Annæ offerentium unicam,

Satis commendari non poteſt pietas generoſa Sanctorum Joachin, & Annæ, quorum uterque cum eſſent probatiſſimæ Virtutis non auſi ſunt piis Filiæ ſuæ ſtudiis adverſari, & divino afflati numine prævenerunt potius, ac obtulerunt Templo totum conjugii ſui fructum reddentes Deo, quod ab illo receperant. Qua in re non minus Virtus eorum illuxit, quam Annæ Matris Samuelis, cum obtulit filium ſuum in Altaris miniſterium, quod locum præbet comparationi, quæ inſtitui poteſt duarum mulierum, quæ eodem vocantur nomine, & quarum altera figura fuit, altera vero Mater propria Beatiſſimæ Virginis. Non deeſt conformitas in utraque, uti neque in munere, quod offerunt Domino: altera quippe offert illi unigenitum ſuum, altera vero filiam, familiæ ſuæ ſpem, atque ſolatium. Duæ iſtæ mulieres Virtute præditæ ſatis diu filiis caruerant, & eorumdem habendorum ſpem jam abjecerant: ambæ aſſiduæ erant in Templo, preceſque fundebant, ut voti damnarentur, & ambæ pollicitæ fuerant, connubii ſui fructum Domino ſe dicaturas, & ambæ religioſiſſime fidem præſtiterunt. Verum Sancti Patres magnum intereſſe putant diſcrimen in duobus muneribus, quæ obtulerunt Deo: Anna enim Mariæ Mater Virginem offert futuram aliquando Matrem Dei ipſius, & illam perpetua devotione offert, ut omnino, & in æternum eſſet Dei; Anna vero Samuelis mater hunc ad tempus commodat il-

1. Regum, c. 1.

li, a quo illum receperat, ut ipſa teſtatur; *Commodavi eum Domino*. Sed utrique perſuaſum erat, Sacrificium ſuum Deo infinite jucundum eſſe futurum; ex quo docemur ex corde ſacrificare Deo quidquid in Mundo nobis optatius, & antiquius eſt; libertatem videlicet noſtram, & præſertim illi conſecrare nobiliſſimum cordis affectum, amorem ſcilicet, cum firmo, ſtabilique conſilio id unum volendi, quod ille vult, & non amandi, niſi quod amat, & nihil detrectandi, quod in gloriam illius ceſſurum ſit.

Mulier amicta ſole, de qua in Apocalypſi ſermo eſt, qua in re ſit figure Virginis in hoc Myſterio.

Myſtica mulier in Apocalypſi, amicta ſole, quæ gerebat Filium ſuum in ſinu ſuo, & quæ coacta fuit in deſertum confugere, ut ſervaret fructum ſuum, quem draco voraturus erat; hæc inquam mulier ex nonnullorum contemplationi deditorum ſententia, figura eſt Sanctæ Virginis recedentis in Templum tamquam in deſertum procul a laqueis veternoſi ſerpentis, quos omnibus ponit hominibus, ut jugulet, atque abortum inferat Sanctis eorum deſideriis, optimiſque conſiliis. Maria ſeſe in hoc recipit aſylum, ut tueatur innocentiam ſuam, & gratias omnes, quibus Deus illam cumulaverat; non eo quod timeret, ſe Mundi contagione corrumpi poſſe, vel quia non aliter potuiſſet ſæculi corruptionem evitare, ſi pueritiam traduxiſſet ſuam paterna in domo, ubi nonniſi ob oculos ejus verſari poterant exempla Virtutum; quandoquidem jam confirmata erat in gratis, nihil ipſi reformidandum erat a Mundo, neque ab eo, quem Salvator Mundi Principem vocat, & eſt draco ille ſemper vigilans, ſemperque præſto ad vorandum bonorum operum noſtrorum fructum; ſed quia parvula hæc creatura ſemper ſollicita, ut ſartam tectam ſervaret innocentiam ſuam, & gratias, quibus cælitus fuerat aucta, eamdem adhibebat curam, & præcautionem, quam ſi illius jacturam facere potuiſſet, & ab ipſo Conceptionis ſuæ momento nequaquam fuiſſet confirmata in gratia. Idcirco non invenit aſylum, ubi tutius permaneret, niſi in Templo, quod illi fuit tamquam ſolitudo, ubi cum tota vacaret Deo, ab inſidiis Draconis infernalis erat tutiſſima.

Maria Moyſis ſoror vocata in aditu Tabernaculi figura S. Virginis a Deo vocatæ, ut prope Tabernaculum moraretur.

In duodecimo Numerorum Capite legimus, Deum, cum in nubis columna deſcendiſſet in Tabernaculi introitum, vocaſſe Mariam Moyſis ſororem ad audienda ea, quæ ſecreto erat illi dicturus: *Stetit Dominus in introitu Tabernaculi, vocans Aaron, & Mariam, & dixit ad eos: Audite ſermones meos*. Quis ex ſolo Mariæ nomine quo ſoror Moyſis appellabatur, non videt imaginem illius, quam Joachin, & Anna templo obtulerunt? Et quis adeo rudis erit, qui ibi non deprehendat imaginem earum rerum, quæ in eadem Præſentatione acciderunt? Non enim ambigi poteſt peculiari Domini vocatione factum, ut Sancta hæc Virgo electa, ut Mater eſſet Verbi Incarnati, ſe Templi ſervitio devoveret, ut ſeſe diſponeret conſiliis, quæ de illa fovebat Deus; unde intelligimus animam debere offerre ſe Deo, quando, & quomodo Deus ſe illi præſentat ſecundum divinæ vocationis illicia cum fidelitate. Et ſicuti prima illa Maria evocata fuit in aditu Tabernaculi, ut audiret verbum Domini, ſimili pacto altera Maria vocabatur, atque etiam admittebatur in ipſum uſque Sanctuarium, ex quorumdam Patrum ſententia, vel ſaltem ſecundum opinionem magis probabilem, in locum proximum Sanctuario. Qua attentione, & quo ſenſu non audiit illa verba Dei, ſibi loquentis ad cor? Quæ non habuit alloquia cum divina hac Majeſtate? Quæ ſecreta Deus illi non revelavit? Verbo, quid illa non didicit in ſchola Spiritus Sancti, qui peculiarem ſibi inſtitutionis ejuſdem curam vindicavit?

Deus inſpirans Mariæ votum Virginitatis, videbatur prohibere velle, ne Maria Mater eſſet Similiter jubens Iſaac ab Abraham mactari, videbatur auferre velle ſpem futuræ per ipſum poſteritatis.

Videtur Deus Mariæ immittens mentem, ac deſiderium vovendi Virginitatem, eamdem ſervaſſe rationem, quam cum Abraham ſecutus eſt, illi præcipiens ut ſibi in Sacrificium offerret Iſaac filium ſuum, qui erat ſpes frequentiſſimæ illius poſteritatis, quam ipſe promiſerat illi, & ex qua Meſſias Deſideratus gentium erat naſciturus. Deus autem, ut omnia benevertant, Patriarchæ præcipit, ut jugulet filium, a quo pendet adeo prolixa poſterorum ſeries, quæ ſtellarum, & arenæ maris numerum eſt exæquatura. Ah! Domine illi dici poteſt: quomodo vis Iſaac tot filios gignere, ſi vitam illi auferre vis? Quomodo habere poteris rivos, ſi fontem auferſ? Sed, Sancte Patriarcha! ſperaſti contra omnem ſpem; non vocaſti ad examen Spiritus divini Conſilium; ſed quin ratiocinareris, tibi imperiis ejus parendum eſſe credidiſti. Ita Maria Mater eris proprii filii Dei; paries Salvatorem Mundi, ſed ut ſis Mater, permane ſemper Virgo, & ut ſis Mater Dei Æterni, perpetuam vove Virginitatem. Verum, Domine! reſpondere poterat, quemadmodum vere reſpondit; quomodo ſimul eſſe poſſum & Mater & Virgo? vovere perpetuam Virginitatem, nonne prohibere eſt, ne unquam pariam filium? Ita eſt, hoc idem eſt ac ſe voluntariam adducere impotentiam filios pariendi; ſed hæc eximia eſt diſpoſitio ad gignendum Filium quatenus Deum. Ille non eſſet Pater Filii ſui in æternum, niſi eſſet Virgo in æternum; tu autem non eris Mater hujus ejuſdem Filii, niſi eris Virgo in Æternum.

Applicationes complurium locorum Biblicorum huic argumento.

Exemplum hoc docet, ut ſtimulo offeramus nos Deo, ut ſeſe devovit Maria.

P*Rimitias tuas non tardabis reddere. Exod.* 22. Hoc eſt maximum illud Sacrificium quod poſt Mundi primordia oblatum fuerit Deo. Maria offert ſeſe Creatori ſuo in Templo Jeruſalem. Fuit ne unquam creatura ulla perfectior? Ulla ne facta eſt unquam oblatio majori cum Religione, minori cum exceptione, promptiori cum alacritate? Nonne de illa dictum eſt: *Primitias tuas non tardabis reddere*: quandoquidem obtulit ſe Deo e primis Nativitatis ſuæ primordiis; & illa hodierna die feſtinat inſtaurare conſecrationem. Hinc conficite, utrum oblatio eſſet Deo placitura, qui perfecte cognoſcit, & meritum perſonæ, & interiores diſpoſitiones, quibus actionem ſuam concomitatur. Inter circumſtantias, quæ magis movent, præcipua eſt ætas Mariæ; trima tantum eſt, & nihilominus ecce illa ad aræ pedes ſolemniter devovens libertatem ſuam; quæ ſuo fervore, atque ſancta impatientia, quam teſtatur, videtur ſibimet exprobrare, quaſi nimis ſero incœperit hoc munere defungi. Concipite ergo, vos nequaquam poſſe cito nimis vitam ducere Sanctam, atque Chriſtianam. Hujus rei vobis præbet exemplum Maria, & hac ſolemni actione dicit vobis: *Primitias tuas non tardabis reddere.*

Maria plena eſt donis Dei cum offert ſe Templo ad illa offerenda.

Non apparebis in conſpectu meo vacuus. Exod. 23. Deus eſt ens infinite perfectum, nulla ex creaturis ſuis egens; quæ e contra ita pendent ab illo, ut habeant motum, & eſſentiæ ſuæ conſervationem: *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus*. Si vetat, ne vacuis unquam manibus prodeamus coram illo, id utilitatis noſtræ cauſſa facit. Maria ſemper adimplet officium hoc veteris legis, & novæ; offert ſeſe Deo in Templo, ut offerat illi omnia dona, quæ recepit ab illo, & ut recentia mereatur. Nulla unquam oblatio facta fuit majori cum caritate, nulla fuit acceptior; nulla purior; & nunquam Deus in hanc victimam puriorem demiſit ignem, ut illam abſumeret. Nullum fuit perfectius holocauſtum, ſpiritus, voluntas, memoria, cor, corpus, ſenſus, verbo, Victima offert ſe totam, & nullum unquam holocauſtum majorem promeruit gratiarum plenitudinem, ut ſine ulla exceptione totum Domino impenderetur. Hæc non apparet coram te, Domine, manibus vacuis, quoniam eſt plena gratia a primo ſuæ Conceptionis articulo; quoniam in ipſa Nativitate ſua omnem gratiæ plenitudinem nacta eſt;

quoniam

Digitized by Google

quoniam per Sanctum rationis uſum, quæ in anteceſſum adepta eſt, & per fidelitatem hunc gratiæ theſaurum adauxit, & demum quoniam hodie illam ſe tibi præſentantem, ut ſe tibi devoveat, eamdem non recipis, Deus, niſi demittens de Cælo imbrem hunc voluntarium, quem reſervaſti hæreditati tuæ. Nulla igitur unquam Victima oculis tuis viſa eſt dignior, quæ tibi placeret, & nulla unquam melius hoc legis præceptum implevit: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.*

Hoc Myſteriũ non elucet oculis carnis.

Omnis gloria filiæ Regis ab intus. Pſalm. 44. Myſterium quod hodie celebramus, non eſt ex numero celeberrimorum Myſteriorum, quæ ſtuporem cient, atque admirationem: quidquid in illo magnum eſt, ac ſublime, tale nonniſi in Dei oculis videtur, & in hac potius ſolemnitate, quam in alia quslibet dicere oportet: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Profecto in Annuntiationis Myſterio videtur Angelus de Cælo miſſus, ut celeberrima fungatur legatione, & pro maximi momenti negotio: in Myſterio Purificationis, venerabilis Simeon, & Anna Prophetiſſa Mariæ Sacrificium concelebrant, & Iſrael univerſus attentus eſt Magnalibus, quæ in Matris, Filiique laudem dicuntur; ſed hic omnia ſine ſtrepitu fiunt, ſine apparatu, ſine pompa. Puella trima a parentibus ſuis deducitur in Templum Jeruſalem, ſecundum votum, quod nuncupaverant. Ipſa etiam ſuam facit oblationem, & voluntaria oblatione, illam parentum ſuorum ratam facit, atque confirmat. Ecce quidquid in hac Feſtivitate in oculos incidit: hæc tota exterior eſt ſpecies, & cortex; ſed ſi oculos ſatis perſpicaces haberemus, quot videremus admirabilia! Tunc juſtiſſimo ſtupore perculſi confiteremur: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.*

Mariæ Sacrificium cum illo ſervorum ſuorum conjunctum eſt acceptum Deo.

Quam pulcri ſunt greſſus tui filia Principis! Cantic. 7. Cum adoleſcentuli Principes nati ſunt, quilibet nutrit ex ore, & lineamentis vultus eorum quædam præſagia, quæ illis fauſta futura ſint. Maria eſt filia Regis Regum; poſt Filium ſuum eſt omnium creaturarum primogenita. Tertium agens ætatis annum venit in Templum, ut ſeſe offerat illi; o quam pulcri ſunt greſſus tui, filia Principis, cujus omnis gloria ex corde procedit! Quid non pollicitis nobis ætate provectiori, quandoquidem primis annis vitæ tuæ accedis in Templum, Templum idem ſanctificatura; ac temet ſuper ara tui cordis oblatura! Cæleſtes Spiritus gaviſi eſtis videntes greſſus filiæ Principis, & feciſtis, ut Cælum epiniciis veſtris perſonaret; *Unde lætantur Angeli*, & exclamaſtis: Rex Salomon plures habet Virgines, quas habet in pretio, & honore; ſed unam præ ceteris diligit, quia hæc illum prælationis amore proſequitur. Colamus, Fratres, Mariæ Præſentationem, noſmet cum illa Domino conſecrantes; & cum illa exhibeamus Majeſtati Omnipotentis obſequia noſtra. Angeli ſpectatores hujus conſecrationis Noſtræ lætabuntur, & de nobis non ſecus ac de Regina ſua concinent: *Quam pulcri ſunt greſſus tui filia Principis!* Quam jucundum eſt videre Matris Sacrificium cum Sacrificio filiorum ſuorum conjunctum! Videre Mariam ſemet præſentare Deo cum turba fidelium, quos trahit poſt ſe, illos Cæleſti Regi oblatura. *Afferentur Regi Virgines poſt eam: proximæ ejus afferentur tibi.*

Maria per Præſentationem in Templo cæpit abolere antiqua Sacrificia offerens ſe ipſam in Sacrificium.

Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi; tunc dixi: Ecce venio. Ad Heb. 10. Quandonam habuit Deus veros adoratores in Spiritu, & Veritate? Quandonam illi oblatæ fuerunt victimæ, quas Sanctus Paulus *Spirituales hoſtias* appellat? Nonne hoc accidit cum Maria ſe Templo præſentavit? Ante illam nonniſi hircorum, ac taurorum ſanguine fumabant aræ: ante illam agnorum cruore litabatur: ſed, Domine, hæc Sacrificia, cor emundare non poterant, neque alium habebant effectum niſi legalium expiationum, quæ corpus tantum reſpiciebant. Hæ victimæ jugulatæ, pergit Sanctus Paulus, quibus nulla inerat perfectio, reprobatæ fuerunt tamquam invalidæ; & finem inveniunt ea die, qua Maria ſe præſentat. Hæc eſt, ut ita dicam, præludium reprobationis Sacrificiorum carnalium: Filius tuus offerens ſe illa omnino abolebit. Maria offerens ſe Templo offert tibi ſpirituales oblationes, cor amoris plenum humilitate conjunctum, fide viva, firmaque ſpe ſuffultum: *Vetera tranſierunt; ecce nova facta ſunt omnia*: Legis antiquæ *hoſtiam, & oblationem noluiſti? Corpus autem aptaſti mihi.* Hodierna die novam legem aperio offerens tibi in Sacrificium corpus, quod e te recepi, ecce venio illud tibi immolatura: *Tunc dixi: Ecce venio. Sermo Manuſcriptus.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

PRofecto non diceret Virgo, quomodo fiet iſtud? Niſi Deo ſe ante Virginem voviſſet. Sanctus Auguſtinus l. 4. de Virginitate.

Vellem, ut nihil aliud agerem, quam me reddere ſui quo maxime debeo. Idem de quantitate Animæ.

Solitudo quædam neceſſaria eſt menti noſtræ, ut videatur Deus; turba ſtrepitum habet, viſio iſta ſecretum deſiderat. Idem tractat. 17. in Joann.

Homo cujus eſt Deus, quid amplius quæris? ſi ſufficis Deo, ſufficiat tibi Deus. Sanctus Cyprianus.

Qui perfecte placere Deo deſideras, de ſe nihil relinquat. Sanctus Gregorius.

Ut ei ſe totos dedant, cui debere ſe recolunt, & originem, & progreſſum. Sanctus Hilarius.

Arbitror rationi conſentaneum eſſe, virilis quidem puritatis in caſtitate, primitias fuiſſe JESUM, muliebris vero Mariam. Origenes in c. 13. Matthæi.

Quid poteſt habere laudis, ſi effætum corpus voluptatibus, & jam ſenectutis frigore gelidum ad ſacra devotionis officia depoſito jam ſenectutis flore convertas? Ambroſius ſermon. 22. Pſalm. 118.

Indeſinenter affixa Deo erat MARIA, ut in ea nihil eſſet, mundanus quod redoleret affectus. Sophronius.

CHRISTUS ideo Matrem Virginem elegit, ut ipſa omnibus ſit caſtitatis exemplum, in qua velut ſpeculo refulget forma virtutis. Idem.

Optimam partem elegit MARIA, quia prima omnium fæminarum Deo Virginitatem obtulit. Ildephonſus ſer. 5. de Aſſumptione.

MARIA prima inter fæminas gloriſiſſimum Deo Virginitatis munus obtulit. Idem ibidem.

Oportebat Virginem, non in Sanctis Sanctorum Tabernaculis, ſed in ipſo Cælo Cæli, in prima ætate educari eam, quæ his collata puritate antecellebat. Georgius Nicomedienſis in Orat. de Præſentat. Virginis.

Omnis virtutis habitaculum facta eſt, cum ab omni ſæculari vita, & carnali concupiſcentia mentem abduxiſſet: & ſic Virginicum animum ſimul, & corpus conſervaſſet, ut decebat eam, quæ in ſinu Deum ſuſceptura erat. Sanctus Joann. Damaſcenus l. 4. de fide orthodoxa.

Virginum vexillifera, & Virginitatis Magiſtra. Ambroſ. lib. de inſtit. Virg.

Gloria Virginum. In Liturgia Sancti Jacobi.

Corona Virginum Maria. Sanctus Ephrem Orat. de Deipara.

Princeps virginitatis. Epiphanius hæreſ. 78.

Faſtigium omnium Virginum. Sanctus Ildephonſus, ſerm. de Aſſumpt.

Exemplum perfectæ Virginitatis. Idem ſerm. 3.

Virginitatis theſaurus. Joann. Damaſcen. Orat. 1. de Nativit. Virginis.

Mater Virginitatis. Sanctus Anſelmus libr. de Excell. Beatæ Virginis c. ultimo.

Virginum primicéria. Bernardus tract. de Paſſione Domini.

Virginum ſignifera, & decus Virginalis pudicitiæ. Sanctus Bonaventura in Litaniis.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia depromi poſſit in hoc argumento.

Quid ſit Præſentatio S. Virginis, & quid nos vetus doceat traditio.

SIVE hæc eſſet conſuetudo apud Judæos, ſeu peculiaris Inſpiratio parentum Beatæ Virginis, ſeu interius illicium gratiæ in Maria, vetuſtiſſima eſt traditio Sanctorum Patrum Sententia probata, Sanctam hanc, generoſamque Virgunculam Templo fuiſſe præſentatam, ut offerretur, & omnino conſecraretur Domino, eamque traditam fuiſſe in manus Sacerdotum legis; ut cum aliis adoleſcentulis ſeorſim educaretur, ſed prope Templum, ubi vacabant operibus ſexus ſui, reliquam temporis partem impendentes in precibus, & pietatis exercitationibus, & partem in Sacerdotum ornatibus, ac Templi miniſterio. Pleræque Virgines, quæ tenella ætate præſentabantur, cum nondum rationis uſum eſſent adeptæ, ignorabant, quid de ſe fieret, & nonniſi temporis lapſu id intelligebant: ſed hæc cui non ſine peculiari privilegio ratio in anteceſſum conceſſa fuerat, ſciens quanti hæc cæremonia valeret, nullam prætermiſit curam, ut illam acceptam redderet divinæ Majeſtati.

S. Virgo ſe præſentans Templo profitetur ſolemniter ſe eſſe Dei.

Sancte hæc Virgo non ignorabat, ſe omnino eſſe Dei, non ſecus ac ceteras Creaturas; ſed voluit hoc ſolemniter profiteri, hunc ſtatum ultro acceptans, ut omnino illius eſſet, ita ut ſi per adynaton illa ad eum non attinuiſſet, voluiſſet tamen ſeſe illi devovere, & ſervitio illius adhærere; qua in re animadvertendum eſt: 1. Se præſentare Deo hoc pacto, eſſe idem, ac ſeſe illi omnino mancipare: 2. Hoc non eſſe dare aliquid, quod non ſit illius; ſed fateri ſeſe devoventem illius eſſe; ſubſcribere, & acceptare jus, quod Deus habet in nos, & nos ab illo pendere; hoc eſt proteſtari eidem obſequium noſtrum: & ſicuti nos ab illo vitam habemus, ita propter ipſum nos eſſe, & vivere velle ſecundum hanc proteſtationem; quod Sancta hæc præſtitit Virgo in ſua Præſentatione.

Quamvis omnia ſint Dei propter titulos qui poſſunt excogitari, non ceſſat tamen recipere a nobis munera, eaque augere.

Sumus Dei propter tot titulos; & jura, quæ habet ille ſuper nos, ſunt ita inſeparabiliter conjuncta cum ſuperioritate Eſſentiæ ſuæ, ut ſicuti non poteſt dominium ſuum vel in alium transferre, vel imminuere, nequeat etiam illud proferre, augere, ita ut manifeſta ſit contradictio, ſi dicas, te poſſe magis ad illum pertinere,

Digitized by Google

pertinere, quam pertinet; vel nobis aliquid, eſſe, quod ad illum minime pertineat; vel te illi munerari quidquam, cujus ille dominus non ſit; vel denique ipſum quidpiam nobis largiri, cujus ille ceſſet eſſe Dominus. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Putas ne, inquit Apoſtolus, ullam creaturam per ſe dare poſſe aliquid Deo, & ex eo retributionem exigere? Nequaquam. Omnia ab ipſo tamquam ab origine emanant. Per Voluntatis ejuſdem effectum poſſidemus quidquid nobis eſt, & cum hæc nobis communicat, non ideo ſe illis privat; ſed ea ſemper remanent in theſauris ſuis tamquam bona, quæ alienari non poſſunt: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Sed licet hæc placita certiſſima ſint, hoc minime prohibet quominus recipiat Deus munera quæ ſibi offeruntur, & non acceptet oblationem bonorum, quæ ab illius largitate recipimus tanta cum voluptate, quanta ſi eorum Dominus non eſſet. Cum illi vota noſtra nuncupamus, gaudet, quaſi novum aliquod jus in noſmet ipſos adipiſceretur; & poſtulat corda noſtra eadem ſollicitudine, quaſi de ſua, non autem de noſtra ageretur utilitate; qua in re profecto præſefert admirabilem erga homines bonitatem, & indulgentiam: eruit enim illos de conditione ſervorum, ut ad quamdam libertatis ſpeciem attollat, præbens illis modum proficiendi ex beneficiis ſuis, & promerendi retributiones per rectum uſum gratiarum ſuarum, atque donorum. Hoc patet in munere, quod Virgo in hoc Myſterio præſentat Deo: quod vocare poſſumus diem Magnificentiæ ſuæ, ſuæque liberalitatis erga Deum, quandoquidem perpetua devotione conſecrat illi quidquid habet, & quidquid eſt, ſemet conſecrans illi.

Ut ſimus perfecte ſimus Dei, oportet, ut quidquid ſit propter illum fiat, ut illi placeamus.

Ut ſimus Dei eo modo, quo erat Beatiſſima Virgo per hanc præſentationem, quam fecit ſui in Templo, nequaquam ſufficit aliquid facere propter Deum, vel aliquod illi officium præſtare; quis enim eſt miſer ille, vel impius, qui cum poſſit, nolit hoc illi præſtare? Sed nihil faciendum eſt, niſi ut ſerviamus illi, ſi enim ſumus illius, non ex parte duntaxat ſumus, ſed ex toto; & ſi tenemur aliquam vitæ noſtræ partem illi impendere, tenemur eidem impendere totam. Ita Sancta Virgo de hac tantum re erat ſollicita; & id cogitabat unum, quomodo illi deſerviret. Erat Virgo mente, & corpore, cum in ſpiritu ſuo æque immunis eſſet, tum ab omni inutili cogitatione, tum ab omni impuritate; & quoniam vitæ hujus curæ conſueverunt nos a Dei ſervitute avertere, illa nequaquam avertebatur, quia omnem ſpem ſuam in Deo collocaverat; & ſi quid unquam de vitæ hujus neceſſariis cogitabat, hæc eadem cogitatio adeo pura erat, & juſta, ut illam magis conjungeret Deo per omnimodam conformitatem voluntatis ſuæ cum divina.

Quare S. Virgo præſentavit ſe Templo, & obtulit Deo omnes actiones ſuas?

Quam ſibi rationem, & finem ſibi Sancta Virgo propoſuit, cum obtulit ſe Deo? Hic proculdubio idem fuit ac ille, quo Filius ejus obtulit ſe Patri, & quem ſemper habuit in omnibus actionibus vitæ ſuæ: *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper*, eaque ſemper facio, ut illi placeam. Hæc verba ſunt Homine-Deo digna, & digna illa, quæ futura eſt Mater Dei; etenim quis ex hominibus, exceptis JESU, & Maria, vere dicere poteſt: *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper*. Quidam ſunt, qui aliquid Deo faciunt acceptum, & jucundum, & ſi vultis etiam, ut illi placeant; ſed quis eſt ille, qui faciat omnia? Non deſunt, qui aliquando id agunt, quod placet Deo; ſed quæ hoc ſemper faciat, inter meras creaturas, una Maria eſt. Hæc eſt Doctorum omnium ſententia, qui nunquam dubitarunt quominus illa omnes actiones ſuas fecerit propter excellentiſſimas cauſſas, & perfectiſſime, ſicuti Deus repoſcebat ab illa a primo vitæ ejus momento ad obitum uſque. Sed credi poteſt, in Præſentatione ejus in Templo, cum peculiari modo obtulit ſe Deo, ipſam concepiſſe ardentius deſiderium placendi illi per finem illum præſtantiſſimum ad quem omnes actus ſuos dirigebat, & illam id faciendi conſilium magis explicite ſuſcepiſſe.

Quibus actionibus B. Virgo ſe ipſam extulit?

Theologi, qui verba fecerunt de Præſentationis Myſterio, indigitant etiam, quibus actionibus, & viis in Templo ad tantam perfectionem evaſerit, & id accidiſſe dicunt, oratione, lectione, & praxi Virtutum celeberrimarum. Per Orationem ejus Spiritus aſcendebat de terra in Cælum, ut colloqueretur cum Deo; per Lectionem Sacrarum Scripturarum Deus de Cælo deſcendebat in terram, ut illi ad cor loqueretur; per Virtutum praxim alebat, augebatque flammam divini Amoris quo percitum erat cor ejus; atque ita in ſingula momenta procedens, de Virtute in Virtutem proficiens, de claritate in claritatem aſcendens, tandem merita eſt Sinu ſuo complecti Lumen Æternum, & Solem Juſtitiæ.

Diluculo nos devovere debemus Deo ſecundum Virginis exemplum.

Nemo poteſt nimis cito amare Deum, eique ſervire, qui nos amavit ab æterno. Si omnes Animæ crearentur in gratia, ut Angeli, & libertatis uſum obtinuiſſent primo illo momento, quo vitam acceperunt a Deo, proculdubio videntes ſe præventas tanto amore erga creatorem ſuum, primus libertatis ſuæ uſus, quem facerent, eſſet illum adorare, amare, atque ſe devovere ſervituti illius, quemadmodum Angeli fecerunt. Verum cum animæ noſtræ licet Spirituales, & immediate creatæ a Deo, pollutæ fuerint originali peccato, ſtatim ac eſſe inceperunt; ſimulque incluſæ fuerint in corporibus ſuis, in quibus tamquam nocentes in carceribus detinentur, quin ſciant, quid faciant, aut quid fiat de illis, nonniſi poſt multum temporis ſpatium cognoſcunt Creatorem ſuum, eumque diligere poſſunt. Unica fuit Sancta Virgo, quæ gratiæ Vitam receperit eo momento, quo alii ſuſtinent mortem originalis peccati. Nonne credere poſſumus, primum hoc privilegium, æquiſſimo jure debitum illi, quæ divinæ Maternitati erat deſtinata, alterum ei procuraſſe, præcocem nempe rationis uſum, ne fieret Angelis inferior, qui libertatis ſuæ uſum obtinuerunt ab ipſo primo ſuæ creationis articulo? Quem autem privilegii adeo ſingularis uſum ipſam feciſſe credendum eſt, niſi convertendi ſpiritum ſuum, & cor erga Deum, ut Auctorem ſuum cognoſceret, ut illum amaret, adoraret, eique ſe præſtantiori pacto devoveret, quam omnes Cæleſtes Spiritus fecerunt? Quod autem ex primo vitæ ſuæ momento clanculum, & ſine teſte operata eſt, præter illum, cui cor ſuum conſecravit, hoc fecit palam ſolemni conſecratione ipſa die ſuæ Præſentationis.

Virgo creſcebat ætate, Sapientia, Virtute non ſecus ac Mundi Salvator in pueritia.

De Sancta Virgine illud ipſum dici poteſt, quod de Mundi Salvatore in ejus pueritia; illam videlicet creviſſe Spiritu, & Sapientia coram Deo, & hominibus, donec permanſit in Templo. Sanctus Ambroſius aſſerit ſingulos ejuſdem greſſus totidem fuiſſe actus Virtutis; ita ut illa jugiter creſceret pietate, ac Sanctitate, eo modo quo *lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem*. Hic erat fructus curæ illius, qua ſequebatur Sancta cogitatione, & afflatus Spiritus ſancti. Semper verſabantur ob oculos ejus hæc Sapientis verba: *in omnibus operibus tuis præcellens eſto*. Omnia opera ejus erant admirabilia, ſed quatuor potiſſimum perfectiones in illa emicabant. 1. Nihil erat in ea, quod non pareret inſigne caritatis & gratiæ incrementum. 2. Omnia illius opera ex iis erant, quas Scriptura *plena* vocat; opera Dei intuitu peracta, & quibus omnis illa inerat perfectio, quam Sanctiſſima, & merarum creaturarum ferventiſſima poterat afferre. 3. Erant conjuncta cum multa Sapientia, & nunquam per conſtantiæ defectum manebant imperfecta. 4. Meritum eorum commendabatur ingenti numero Sanctarum affectionum, quas admiſcebat illis, & efficiebat, ut unica actione Virtutes omnes complecteretur. Hæc omnia in admirationem rapiebant non homines ſolum, verum etiam Angelos, qui dicere poterant: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens?* Quomodo fieri poteſt, ut in corpuſculo, atque adeo tenera ætate, puella hæc adeo creſcat per gratiam! Virtutes ejus, quæ carent numero, quomodonam componunt quamdam caſtrorum aciem ordinatam inimicis ejus formidandam?

Proverb. 4.

Eccli. 33.

Cantic. 6.

Doctores tenent tunc Mariam per afflatum Spiritus ſancti Virginitatis votum emiſiſſe.

Illud potiſſimum in hoc Præſentationis Myſterio admirandum eſt, Mariam in Templo feciſſe rem æque novam, atque acceptam Deo. Conſecravit enim corpus ſuum perpetuæ Virginitatis voto. Hæc Sententia eſt Sancti Auguſtini, Sancti Bernardi, Sancti Thomæ, omniumque Doctorum, qui hac de re ſcripſere. Inauditi hujus auctor Conſilii proculdubio fuit Spiritus ſanctus; ſed illud ipſa admirabili cum devotione, & fervore executa eſt; cum enim Deum omnibus viribus ſuis diligeret; nihil illi optatius erat, quam illi placere, & omnium maxime verebatur moleſtam neceſſitatem, qua conjuges amorem ſuum partiri tenentur. Præterea, cum ſciret illa, Virginitatem majoris eſſe meriti, cum vovetur quam cum ſine ulla voti obligatione ſervatur, præter initum illius ſervandæ Conſilium, voluit etiam explicite illam vovere: nam ex duobus perfectis ſemper eligebat perfectius, tutius, ac Deo ſuo glorioſius. Tunc adimpleta fuerunt in illa hæc Spiritus ſancti verba, a quo jam tamquam Sponſa habebatur: *Hortus concluſus ſoror mea, hortus concluſus*. Bis dixit illi, *Hortus concluſus*, quia ipſa æque erat pura corpore, & anima, atque ut in tuto poneret illius puritatem, circumſepſit illam voto ſuo, tamquam clauſtro, cui vim inferre minime poſſet immundus ſpiritus; atque ut illam melius tueretur, adjecit etiam ſatellites, humilitatem videlicet, modeſtiam, ſilentium, & ſobrietatem. Sanctus Auguſtinus, & Patres poſt illum, atque Theologi probaturi Sanctam Virginem hoc votum nuncupaſſe, quin tamen ipſum indigitent tempus Præſentationis ejus in Templo proferunt reſponſionem ab ipſa redditam Angelo nuntianti, illam Incarnati Verbi Matrem futuram: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*. Repræſentavit votum, quod fecerat; alioquin tam ſollicite minime quæſiviſſet, quomodo perfici poſſet Myſterium, quod nondum intelligebat.

Cantic. 4.

Luc. 1.

Beata Virgo fecit votum hoc cum conſtanti voluntate illum in æternum ſervandi.

Conſtans voluntas ſervandi ſemper puritatem, & corporis ſui integritatem, in quo conſiſtit ex Divo Thoma Virginitatis eſſentia, fuit Virtus Mariæ per excellentiam, quæ efficit, ut Eccleſia illam *Reginam Virginum* vocet; quia hæc omnium prima votum hoc nuncupaverat; quod ante ipſam non alia voverat.

Alia

Digitized by Google

Aliæ quædam ante ipſam habere potuerunt hanc voluntatem Virginitatem ſervandi, non ſecus ac Prophetæ Elias, Eliſæus, Hieremias, Daniel; ſed nullis ante ipſam confirmavit unquam hanc voluntatem æterno voto, & votum perpetuæ Virginitatis in veteri teſtamento, vel, ſterilitas, quæ neceſſario Virginitatem conſequitur, cenſebatur ſignum opprobrii, & maledicti in familia. In novo Teſtamento plurimæ imitatæ ſunt, & imitantur adhuc Virginalem Mariæ puritatem, ſed quænam alia tanta cum perfectione illam ſervavit, quin ſenſerint unquam vel minimum motum concupiſcentiæ?

Amor, innocentia, puritas intentionis in Sancta Virgine comitata ſunt munus ejus, ac illud Deo jucundū fecerunt.

Mirum eſſe non debet, ſi Deus in oblationibus noſtris reſpicit magis cor, quod illas concomitatur, quam manum offerentis; neque ſine peculiari conſilio Scriptura ait, *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*. Ut intelligeremus, hæc illi accepta fuiſſe munera, quia Abel hæc illi offerebat puriſſima, & ardentiſſima voluntate placendi illi. Victima placuit Deo propter offerentem. Sanctiſſimæ Virgini perſuaſum erat de hac Veritate, neque ulla defuit ipſi ex minimis circumſtantiis, quæ perfectius efficere poſſent munus ſuum; & ſi nihil potuit unquam exæquare munus quod mundo univerſo pretioſius eſſet, id inde factum eſt, quia ſpiritus, fervor, innocentia, & affectus illud comitabantur.

In donis, quæ offerimus Deo, Amor potiſſimum eſt inſpiciendus. S. Thom. 1. p. q. 38. art. 3.

Vulgo, & vere dicitur, amor primum eſſe, & præſtantiſſimum donorum omnium: *Primum, quod damus alicui*, Sanctus Thomas ait, *eſt amor, quo volumus ipſi bonum*. Primum eſt, neque enim cuiquam datur, niſi quia optimam habemus voluntatem erga illum; cumque hæc voluntas bona gratuita ſit, reipſa donum eſt, quod amans liberaliter confert. Præſtantiſſimum quoque eſt, non ſolum quia maxime voluntarium, & liberum eſt, verum etiam quia cum ſit cordis productio, videmur nos ſubſtantiæ noſtræ partem avellere in gratiam eorum quos diligimus; cum alia munera extrema ſint, & ex rebus externis deſumpta, non exæquant meritum, & pretium amoris, quod bonum eſt interius, atque ut ita dicam, portio vitæ noſtræ. Hoc Maria in Spiritus ſancti ſchola erudita, qui & ipſe Donum vocatur: *Altiſſimi donum Dei*, quippe qui eſt Amor perſonalis, ignorare non potuit; ideoque dubitare non licet, quominus ſeſe dederit Deo per puriſſimam, atque ardentiſſimam caritatem, cujus capax eſſe poterat mera creatura.

Quomodo ſerviendum ſit Deo ad Sanctæ Virginis exemplum.

Ad hoc ut Deo ſerviamus ad exemplum Sanctiſſimæ Virginis in Templo Jeruſalem, omnes facultates animæ noſtræ intendendæ ſunt. Ratio petitur ex natura Dei ipſius, & ex eminenti illius Magnitudine, quæ talis eſt, ut quidquid magnum fingi poteſt, complectatur. Non ſolum infinita eſt Magnitudo, ſed infinite infinita, quæ omnia in ſe continet, quæ omnia ad ſe redigit, atque ita dominatur in omnia, ut quod eminenter non continetur in illa, ſit nihil. Dignitas ejus omnes abſorbet dignitates; bonitas ejus omnes bonitates; res ejus res omnes, ita ut nihil ſuperſit quod extra illam conſiderandum ſit... Præterea dominium Dei tale eſt, & jura, quæ illum ſequuntur tanta, ut per illa ſibi vindicet omnia, & omnia poſſideat. Quæ cum ita ſint, nonne æquum eſt, ut omnes ſimus illius, ut ſerviamus illi omnibus facultatibus animæ noſtræ, & illi omnia quæcumque poſſumus præſtemus obſequia? quandoquidem ad id unum ſumus in terris, & hoc nobis præbet exemplum Beatiſſima Virgo in Templo. Præterquam quod quidquid Sapientes Viri dixere de neceſſitate bene inſumendi temporis, quod ſemel amiſſum reparari non poteſt, traduci poteſt ad hoc argumentum potius quam ad alterum quodvis: etenim alia quælibet occupatio cum hac ſerviendi Deo, mera vanitas eſt: Opus eſt ergo ut Chriſtianus rite ad trutinam revocet hanc conſiderationem, & meminerit, tempus omne, quod non inſumitur in Supremi hujus Domini famulatu, omnino periiſſe. E contra vero quiſnam melior fieri poteſt uſus rei adeo pretioſæ, illo, qui fit in omnem æternitatem, jugiter pro Deo omnem operam, ac ſervitutem præſtando?

Ejuſdem argumenti.
Ad Coloſſ. 1.

Ut Deo ſerviamus, & rebus in omnibus operemur *digne Deo*, ut loquitur Apoſtolus; ſatis eſt oculos figere in Mariæ Sacrificium hac in occaſione peractum; circumſtantiæ enim omnes eximium ſunt vero Fideli exemplum & norma. Primo enim præſentata fuit Templo, cum tertium ageret ætatis annum, offerens Domino florem annorum, & pulcherrimos vitæ ſuæ dies. 2. Semet Domino conſecravit voto inſolubili, & perpetuo, ſuperans zelum, & pietatem Annæ, quæ Mater fuit Samuelis, quæ filium, quem Cælitus obtinuerat precibus ſuis, ad tempus duntaxat Domino commodaverat: *Commodavi eum Domino*. 3. Conſecravit indiſcriminatim illi, quidquid habebat pretioſiſſimum; qua in re omnino a facto Saulis abhorruit, qui ſuperbiſſimas ſibi Amalecitarum manubias reſervavit. Et vere poteſt ne offerri Deo munus magis pretioſum anima pura, & integerrima? O quam acceptum eſt in oculis Domini cor, quod nulla mundi contagio corrupit! Beati qui cum Patriarcha Jacob, & Regio Pſalte dicere poſſunt: Domine tu ille es, qui me ab infantia portaſti in brachiis tuis; tu fors mea es, hæreditas mea, Deus meus, & omnia.

1. Regum c. 1.

Inſtitutio hujus feſtivitatis, & circumſtantiæ hujus Myſterii vindicantur cenſuris hæreticorum, & eorum qui Eccleſiæ ſenſibus adverſantur.

Mirum ſane eſt, videre, non hæreticos tantum, verum etiam eos, qui in Eccleſiæ ſinu inſtituti fuerunt, alios quidem hujus Myſterii Veritatem impugnare, alios vero hujus diei feſti inſtitutionem improbare, alios negare circumſtantias, quas Eccleſiæ traditio, plurimorum Patrum auctoritas, & communis Fidelium fides ante plura ſæcula receperunt. Nihil dicam de hæreticis, qui omnibus in occaſionibus cultui, & gloriæ Matris Dei adverſantur; illud vero non ferendum mihi videtur Catholicos homines impune exercere cenſuram ſuam contra id, quod omnino de fide non eſt, uti patet in hoc Præſentationis Myſterio. Etenim, inquiunt, unde noſtis, illam a parentibus ſuis deductam fuiſſe in Templum? Quæ veriſimilitudo eſt, ipſam ſeſe devoviſſe ſervitio Domini tertium ætatis annum agentem? Quomodo probari poteſt, illam explicitum emiſiſſe votum eo in ſtatu, cum neſciret ad quid Deus ipſam deſtinabat. Numquid probabile eſt, illam edoctam tunc fuiſſe divina de ſe Conſilia; quæ ſi callebat, quomodo ſe ipſam adegit, ut perpetuam ſervaret Virginitatem, quam judicare debebat minime conciliandam cum Dei Maternitate, & ſi verum eſt, ipſam votum hoc nuncupaſſe, quomodo poſt annos aliquot poterat præſtare conſenſum conjugio cum Sancto Joſeph ineundo? Præterea decebat ne Virgunculæ inſtitutionem demandari Sacerdotibus, quos Sanctitas officii, ac Miniſterii nequaquam eximit a turpiſſimis cupiditatibus. Prolixis opus eſſet ſermonibus ad oſtendendam iniquitatem cenſuræ hujus admodum contumelioſæ Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum auctoritati; dico ſolum, nullam rationem prohibere, quominus ſequamur Eccleſiæ Sententiam; Virginem hanc Templo fuiſſe præſentatam, & educatam in Sanctuario, non illo quidem, quod *Sancta Sanctorum* appellabatur, ubi ſola erat arca fœderis, & quo ſemel tantum in anno pedem inferre licebat Summo Sacerdoti; ſed in Sancta illa Templi parte, ubi erat ara thimyamatum. Ibi innocentes illæ animæ in precibus traducebant meliorem diei partem ſub oculis earum, quæ præerant illis, & reliquam partem in ornatum altaris. Quod autem objiciunt Sanctam Virginem a Sacerdotibus educari non potuiſſe, qui proculdubio ſeſe immiſcere non poterant iis curis, quæ in puerili ætate requiruntur: Exemplum Joſabeth uxoris Summi Pontificis Jojadæ, quæ educari juſſit in Templo Regem Joas nepotem ſuum cum ejus nutrice, unum hoc, inquam, exemplum ſatis eſſe poteſt ad probandum; mulieres permanere potuiſſe in Templo ſeorſim in loco, ubi invigilare poſſent adoleſcentulis, & curam ſuſcipere earum minutarum rerum, quæ earum diligentiam expoſcerent. Quod vero pertinet ad votum, quod ex tunc Beata Virgo nuncupavit, parum calleat oportet gratias, & privilegia, quibus a Deo fuerat cumulata in futuræ Maternitatis gratiam, qui hæc velit objicere; præſertim vero in iis, quæ ne in mentem quidem illi occurrerent, ſi Eccleſiæ ſenſibus majori cum obſequio inhæreret.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Myſterii Præſentationis nihil quidem fulgoris habet extrinſecus, ſed maximis plenum eſt doctrinis.

FESTIVITAS, quam hodierna die celebrat Eccleſia, non ita quidem inſignibus feſtat Myſteriis, quæ in nobis magnam cieant admirationem, & quæ tribuant nobis ideam Meritorum, atque Magnalium glorioſæ Virginis: non elucet ſicut in Conceptione Gratia naturam præveniens, ac deſtruens originale peccatum cum funeſtis ejuſdem effectibus. Hic non admiramur, ſicuti in Annuntiationis ejuſdem feſtivitate, creaturam evectam uſque ad dignitatem Matris Dei; neque enim ibi exercet, ut in Purificatione officium Mediatricis hominum offerens Deo Redemptionem hominum; neque ibi, ut in Aſſumptione videtur Corpus, quod reviviſcens de terra aſſurgit luce coruſcans, & ſuper beatas mentes aſcendens. Omnia in hodierno Myſterio rumore carent, pompa, & apparatu. Trium annorum puella a parentibus ſuis in Templum Hieroſolymitanum adducitur, ſecundum votum, quod illi conceperant; illam offerunt Sacerdoti inter Virgines altaris Miniſterio devotas recipiendam: illa immo ipſa ſemet offert voluntaria oblatione, qua parentum ſuorum oblationem confirmat. Ecce quidquid occurrit ſenſibus in hac feſtivitate. Sed bone Deus! cor non habemus oculos mentis ſatis perſpicaces, ut rem penitius inſpiciamus? Quot ibi mirabilia detegeremus? quot præclara Virtutum exempla! quem perfectæ Sanctitatis prototypum, quot eximia ad vitæ noſtræ rationem conformandam præcepta! Hæc detegere nobis omni ſtudio adnitendum eſt. *Auctor ſermonum in omnia argumenta &c. Tomo 2. Myſteriorum.*

Qualitas & merita hujus Virginis, quæ Templo præſentatur in hoc Myſterio.

Quid dicimus, Chriſtiani, cum dicimus Mariam, Sanctam hanc Virginem hodie Templo præſentari? Dicimus illam, quæ eſt Templum divinitatis hodie

ſolemniter

ſolemniter conſecrari; illam quæ eſt fœderis arca, cujus vetus illa, nonniſi figura hujus erat, ingredi in Sanctuarium; altare animatum, ſuper quo Deus aliquando offerendus eſt in holocauſtum, in hunc uſum diſponi flammis Catitatis, & Virtutum omnium unguentis delibutum præparati. Dicimus primogenitam æterni Patri filiam pari ardore ac reverentia ſeſe inter illius brachia projicere non amplius habituram patrem, neque matrem in terra; Divini Verbi Matrem in Templum ſeſe conferre, ut ſe dupliciter dignam efficiat hac Maternitate humillimæ ancillæ munus obeundo; Spiritus ſancti Sponſam accedere ad contrahendam divinam hanc affinitatem, ad quam deſtinata eſt, vovendo perpetuum corporis, & animæ Virginitatem. Denique dicimus Mariam ſeſe Deo præſentantem illi offerre dignum illo munus, & docere homines quo pacto colant infinitam hanc Majeſtatem oblatione pura, & voluntaria ſuimet ipſius, *Idem in alio ſermone.*

Quid Maria ſacrificet.

Maria ex regia David progenie orta, cum unigenita eſſet, omnibuſque corporis, ac mentis prærogativis ornata, quid ſperare non poterat in Mundo, ſi ibi permanendi conſilium cepiſſet? Sed una hac oblatione omnes ingentes ſpes ſacrificavit; abſcondit ſe oculis hominum, ut in oculis tantum Dei eniteſceret; ſeceſſit a genitoribus ſuis, ut propius accederet ad Deum, & ut arctius huic adhæreret, Virginitatis votum mancipavit eo tempore, quo ſpes videndi Meſſiam ex ſuo ortum ſanguine, contemptibiles efficiebat apud Judæos mulieres, quæ nullam habebant poſteritatem: Illi ſuam ſacrificavit libertatem, maximo hoc ſacrificio profitens poteſtatem, & ſupremum Dei ſui in ſemet dominium, ita ut Sancta hæc Virgo in Templum ingreſſa, ut ſe ibi penitus devoveret Dei ſervituti, dicere poſſit: Domine, holocauſta, & oblationes noluiſti: non placuerunt tibi caro, & ſanguis taurorum, ſed aptaſti mihi corpus, & ſpiritum: ecce me, Domine, venio, ut faciam Voluntatem tuam, *Liber, qui inſcribitur: Virginum Solitudo.*

Recipit ſe in Templum tamquam aſilum ad ſervandum theſaurum gratiarum quem poſſidebat.

Eccleſia nobis proponit Mariam omnibus gratiis præventam, privilegio miraculoſæ Conceptionis munitum, habentem fortitudinis, & plenitudinis gratiæ ſuæ Auctorem divinum Verbum, quod eſt paritura. Tamen illa nondum ſe in tuto eſſe putat, niſi in ſolitudine: a Mundo ſecedit, ſibi neceſſaria interdicit, & etiam ætatis ſuæ inſirmitati debita. Ita eſt, Fideles; Templum Jeroſolymæ fuit primum aſylum, quo Virgo hæc Sancta confugit, ut ibi pretioſum cuſtodiret theſaurum gratiarum ſuarum, quibus erat cumulata; ſeparatio a Mundo fuit primus greſſus, quem ſibi credidit neceſſarium ad ſervandum auguſtum ſuæ integritatis depoſitum; per conſummatam Caritatem conjuncta Deo, hæres omnium Patriarcharum majorum ſuorum, nutrita in ſuavi ſpe filiarum Juda inceſſanter expectabat Meſſiæ adventum, qui futurus erat Judææ liberator: eumque efformabat in corde ſuo precibus, & operibus caritatis, antequam ſciret illum in utero ſuo ſibi eſſe efformandum opera Spiritus ſancti: *Ex ſermone Manuſcripto, qui Patri Maſſillon acceptus refertur.*

Dum in Templo permanſit, crevit ætate, virtute, ac meritis coram Deo, & coram hominibus.

Quidquid dicere poſſumus de Sancta Virgine eo tempore, quo in Templo permanſit, illud eſt, quod teſtatur Evangelium de filio Dei ipſius in pueritia; illum videlicet creviſſe ætate, ſapientia, & gratia coram Deo, & coram hominibus; in dies ſingulos ſanctior, & perfectior exiſtens. Hinc docemur ſtudium perfectionis noſtræ dignissimam eſſe occupationem quam habere poſſimus; hinc pendere beatitudinem noſtram; & perfectionem quam in terris adepti fuerimus, futuram menſuram felicitatis, quam in Cælo ſperamus nos eſſe conſecuturos. Cetera nihil ſunt, & tempus, quod in reliquis quibuſcumque tranſmittimus, tempus eſt quoad æternitatem, perditum. Quod ſpectat ad miracula gratiarum, donorumque particularium, quibus dubitari non poteſt, quo minus Deus illam exornaverit toto illo tempore, hæc illa celavit oculos hominum; ideoque nonniſi confuſam cognitionem habere poſſumus. Diſcamus ſolum ex hoc humilitatis exemplo, fugere oſtentationem. Tabulæ locupletiores magna in luce nitorem amittunt; virtus latens in tuto eſt; Dei unius eſt nos in lucem proferre, Mundi rumor, nominis claritas, gloria plerumque tota merces eſt diligentis illam. Si unum Deum pro mercede habere cupimus, illum ſolum teſtem habere quæramus. *Auctor recens.*

Sanctæ occupationes B. Virginis in ſuo Templi receſſu.

Eadem traditio, quæ nos docet Virginem Sanctam Templo præſentatam fuiſſe, docet etiam illam ab ipſa pueritia fuiſſe præſentatam; ibique uſque ad connubium permanſiſſe, atque precibus, ac meditationibus vacaſſe, ut ſeſe Deo uniret, ac iis diſponeret gratiis, quibus Deus illam erat cumulaturus. Præclarum adoleſcentiæ documentum, quæ credere videtur ætatem hanc ad Virtutem non pertinere; Deum æque ac homines excuſare ejus lapſus, atque flagitia, & quaſi nihil ab eadem exigeret, illam cupiditatibus ſuis derelinquere. Meliori in ſchola erudita, re adhuc integra intellexit, Deum primitias ætatis poſtulare, non ſecus ac fructuum, & animantium, & vitam totam, quanta eſt a nobis illi, a quo eamdem accepimus, deberi. Indignum eſſe reſervare auctori noſtro cor vitio corruptum, & ſexcentis criminibus inquinatum; Deum ſæpe confundere conſilia eorum, qui ſe cordis ſui oblationem illi putant acceptam fore, cum non licebit illis ultra eodem aliter uti, permittendo, ut obdureſcat, & malis adſtrictum habitibus maneat in miſera ſervitute, in qua ſemet impudenter implicuit. *Pater Aurelianenſis in libro cui titulus: Inſtructio Chriſtiana de devotione erga Sanctam Virginem.*

Conſuetudini huic educandi Virgines in Templo ſucceſſit in lege nova conſuetudo efficiendi, ut in religioſis domibus educentur.

Veteris Teſtamenti conſuetudo erat efficere, ut infantes in templo educarentur. In Templo præſentata fuit Beata Virgo, cum tertium ageret annum, quemadmodum Eccleſia, & Sanctorum Patrum traditio teſtatur, Laudabili huic conſuetudini in lege nova ſucceſſit illa adoleſcentulas in Aſceteriis inſtituendi, quemadmodum pueri Sancti Benedicti Monacis erudiendi committebantur. Quod ad puellas pertinet, ut hodierna adhuc die aſſolet, in religioſis domibus, vel in optime inſtitutis communitatibus educari curabatur. Hoc monitum Sanctus Hieronymus præbet Lætæ pro inſtitutione Paullæ filiæ ſuæ. Et ex curis omnibus, quas omnes mulieres habere debent in filiorum ſuorum inſtitutione, nulla eſt quam impenſius illis commendat Sanctus Chryſoſtomus, quam puellarum, quæ cereæ ſunt ſuſcipiendis in utramque partem impreſſionibus, quarum ingenium, cum mitius ſit, atque tractabilius, ipſæ etiam ſeſe magis dociles præbent. Diluculo igitur illis immittendus eſt amor Virtutis, & auferendus vanitatis guſtus quem adeo facile imbuunt; hodierna enim die in plerisque adoleſcentulis emicat vanitas quædam, quæ ad exceſſum uſque procedit. In illis nihil deprehenditur niſi faſtus, ambitio, licentia; quod proficiſcitur ex modica matrum cura, quæ cum parum Chriſtiane educatæ fuerint, humilem fovent ideam Vitæ Chriſtianæ, & ſtatus, ad quem a Domino evocantur. *Idem.*

Deſiderium & Sancta impatientia, quam habebat Maria ſeſe Deo conſecrandi.

Sancta Virgo ſe conſecrat Deo in hoc Myſterio citius, quam poteſt, videlicet tertium ætatis annum agens; non ætatis mollities, non infirmitas corporis, non parentum amor, illam morantur; ubi agitur de ſuimet ipſius Sacrificio: quidquid illud differre poteſt, illius differt felicitatem, & cor affligit. Tres integri elapſi ſunt anni, ex quo felicem hunc diem præſtolatur, & impatienter expectat; quælibet hora, quodlibet momentum illi ſæculorum inſtar viſa ſunt præ deſiderio ſeſe devovendi Creatori ſuo. Hæc cogitatio tota erat illius conſolatio, & lætitia: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?* dicere poterat cum Rege Propheta. Verum Auditor mi, eſt ne tibi hic ardor, hæc alacritas, hæc promptitudo, cum agitur, ut temet mancipes Deo? Incipere debuiſſes amare Deum, ex quo illum cognoſcere incœpiſti. Primus cordis tui motus, & ceteri omnes in illum tendere debuiſſent; habebit ne ſaltem extremum? Poteſne ſaltem dicere cum Sancto Auguſtino: quam ſero te amavi Dominus meus, & Deus meus! Heu! Nondum illum amare incœpiſti? Væ tempori, cujus jacturam feci, quin te diligerem. Nihil jacturam hanc poteſt conſolari; quo plus temporis perdidi, eo minus mihi reliquum eſt: nonne jam tempus eſt incipiendi? *Pater Nepveu paullo amplificatior in tomo 4. Conſiderationum ſuarum.*

Pſalm. 41.

Sancta Virgo ſine exceptione ulla devovet ſe Deo.

Non ſolum Beata Virgo ſtatim ſe Deo devovet, ſed ſecum illi tradit omnia; ignorat quid ſit aliquid ſibi reſervare, omnia infringit vincula, quibus ſuis hæret parentibus; Deus illi eſt omnia; abrenuntiat bonis omnibus; Dominus jam eſt portio illius; & omnia relinquens, invenit omnia, quoniam poſſidet Deum. Abdicat libertatem, ne aliam habeat voluntatem, niſi Dei, quæ unica illi eſſe debet norma; denique abdicat omnes voluptates propter amorem illius. Ah! ita ne noſmet devovemus Deo?... Imitamur ne Mariæ liberalitatem, noſmet totos Deo mancipamus? nihilne excipimus? Aliquod ne eſt in corde noſtro latibulum, ut quidpiam reſervemus? Mariæ exemplum nos debet confundere cogitantes, quandiu urgeamur a Deo, ut tantam moram abrumpamus? *Idem.*

Præterea Sancta hæc Virgo non ſolum dat omnia, ſed ea dat in æternum. Conſtans illa fuit, neque iis obnoxia vicibus, quæ adeo familiariter in nobis occurrunt. Ex quo in perfectionis ſtadium ingreſſa eſt, videlicet ex quo vivere cœpit, magnis progreſſibus feſtinavit procedere, atque fervorem ſuum inſtauravit, ſemet conſecrans Deo in Templo. Quin retroſpiceret, quod ignavi, & inconſtantes facere ſolent, crevit ſemper fervore, & pietate. Quam longe ab hujus conſtantiæ imitatione abhorremus! Ab hac tamen conſtantia pendet felicitas noſtra. Vita noſtra non eſt niſi ſeries perennis promiſſionum, & infidelitatum; conſiliorum, & in illis exequendis ignaviæ. Videmur ideo promittere Deo, ut fidem minime præſtemus illi; & mirum ne eſt, ſi, cum ſimus adeo inconſtantes, quin in Salutis vias procedamus, recedimus? *Idem.*

Quam accepta Deo ſit innocentia, quæ a teneris unguiculis offertur Deo.

Offerri ne poteſt Deo gratius donum, Anima pura, & innoxia? O quam acceptum eſt in oculis Dei cor, quod nulla mundi contagio vitiavit! Beati qui dicere

poſſunt

Geneſ. 41. Pſalm. 14.

poſſint cum Patriarcha Jacob, & cum Rege Propheta: Domine, tu Deus meus es, qui tuliſti me in ulnis tuis ab infantia; tu es ſors mea, hæreditas mea, Deus meus, & omnia. Quod Maria dicere potuit conſecrans ſe Deo in extrema pueritia, hoc ipſum mihi dicendum eſt: Cor meum unice pertinet ad Deum. Ipſe formavit illud, redemit illud, illud ipſi devoveo. Magnus nimis eſt Deus; cor vero meum nimis exiguum, ut illud partiar. Totum vult, aut nihil. Deo ſimul, & Mundo placere nequeo. Mihi igitur jure ne credendum eſt Sacrificium, quod illi feci de me, acceptum fuiſſe in oculis ejus? Quin illi conſecrarem puriſſimum vitæ meæ florem, & primitias annorum meorum, nonne imitatus ſum Cain offerentem quidquid in grege erat infirmius? Nonne obtuli Deo reliquias mundi, vanitatis, voluptatis; nonne obtuli eidem cor, ſpiritum, corpus corruptum meis cupiditatibus? Illi quidem per baptiſmum conſecratus fui? ſed vitæ meæ progreſſus reſpondit ne adeo felicibus initiis? Vota, quæ illi nuncupavi, vel quæ pro me nuncupata fuerunt, & quæ deinceps rata habui, nonne ſacrilega pœnitentia ſubſecuta eſt? *Auctor recens.*

Qua fidelitate ſervavit Maria votum, quod tertium annum nata Deo vovit: Conſtans illius amor erga Creatorem ſuum, vera, & ſolida voluptas, quam percipiebat pendens a nutu illius, ardens deſiderium, quo ſe totam illius eſſe cupiebat, fuerunt vincula, quæ in æternum cor ejus agglutinarunt cum corde Ipſius. Auguſtum Jeroſolymæ Templum, Sacræ aræ, ad quarum pedes viſa fuit admirabilis hæc Virguncula in Cælum puras, & innocuas manus attollere, & effundere cor ſuum coram Deo Vivente, vos teſtes fuiſtis ſacrificii, quod obtulit ſui ipſius ab ipſa prima ſuæ Præſentationis die. Sed quoties illud clanculum inſtauravit? quot Virtutes abſcondit in oculis hominum, illas exercens in ſilentio? Quo fervore, & qua conſtantia famulata eſt Domino, & Deo ſuo. O quam pulcrum eſt conſervaſſe primitias puritatis infantiæ ſuæ, ejuſque florem ad obitum uſque cuſtodiviſſe? *Idem.*

In hoc habitaculo, & receſſu, Sancta Virgo mentis Solitudinem cum Solitudine corporis conjunxit. Per interiorem hanc Solitudinem anima ejus ab omnibus ſenſibilibus expedita imaginibus, ab omnibus creatis objectis ſemota, uni Deo vacans, ſpiritu erat in Cælo, quamvis corpus ejus eſſet adhuc in terris. Hoc in deſerto Jacob vidit Scalam myſticam, cujus apici Deus nitebatur, & per quam Angeli de Cælo deſcendebant in terram, & de terra in Cælum aſcendebant. Deus jugibus inſpirationibus loquebatur ad cor Mariæ, & Maria ſeſe uſque in Dei ſinum ſe attollens frequentibus votis inceſſanter ad Dei cor loquebatur. O Sanctum, beatumque Commercium cordis cum Creatore ſuo colloquentis! O quam jucunda habitatio eſt ſolitudo, cum anima nullo ſenſu eorum, quæ ſunt extra ipſam, affecta, de uno ſollicita eſt Deo, quem habet in ſe. Et profecto quid prodeſſet corporis ſolitudo ſine ſolitudine mentis, & ſi per me liceret menti meæ repleri ideis omnibus, quibus agitur, & perturbatur? *Idem.*

Exemplum Virginis quam Spiritus ſanctus duxit in ſolitudinem, nos docet, quam neceſſaria ſit Mundi fuga ad ſervandam innocentiam & fidem Deo.

Maximi momenti lectio eſt illa, quam Deus omnibus tradit hominibus per fugam, celeremque receſſum, quo Maria in Templum ſe recipit perventura ad faſtigium perfectionis, quam ab illa expetebat, ut tandem aliquando Incarnati Verbi Genitrix fieret. Factum hoc fortaſſe minus arridebit humanæ prudentiæ; nonne ſatius fuiſſet, inquiet, relinquere hoc Virtutis exemplar iis, qui in Mundo vivunt, & fideles eſſe volunt Deo, ſi hæc Sancta Virgo ibi ſemper manſiſſet; tunc enim palam innotuiſſet, In omnibus locis, & in omni conditione quemlibet ſanctificari poſſe, & ſicut Dei eſt univerſa terra, omnes habitantes in illa, eſſe poſſe Dei, quin locus mutandus ſit, cum ſolum mutantur mores, & ſpiritus, & ſeſe Dei ſervituti devoveant .... Sed dicant quidquid velint in Mundi gratiam, & laudibus extollatur devotio, quæ in ſæculo exercetur; bonam quidem eſſe concedam, ſed tutam eſſe non affirmabo. Nonne credendi nobis locus eſt aliquid eſſe in Mundo contagioſum, cum videmus illam, quæ præcipuum erat objectum curarum Providentiæ, inde fuiſſe ereptam, & in Sancta ſolitudine poſitam, antequam per ætatem illius impreſſiones poſſet percipere? Cum videamus ipſum Dei Filium, cujus exempla ſunt regulæ vitæ noſtræ, triginta ætatis annos tranſegiſſe ſeorſim a Mundo tamquam ignotum in profunda ſolitudine mentis, & cordis, & ſe nunquam Mundo oſtentaſſe, niſi ut illum doceret, atque converteret; & cum videamus JESUM CHRISTUM in Evangelio dixiſſe diſcipulis ſuis: vos non eſtis de hoc Mundo, ſed ego vos de Mundo ſeerevi: hæc verba ſunt Veritatis æternæ, quæ loquens ad auriculas cordis primorum fidelium, vim habuit, ſicut Sanctus Bernardus animadvertit, urbes civibus exhauriendi, ut ex iis deſerta faceret, & frequentandi deſerta, ut faceret urbes, ita ut mundus egredi videretur ex Mundo, ac ſemet ipſum deſerere. Quid inferri poteſt ex hac ratione, quam Dei ſpiritus ſecutus eſt cum erga Mariam, tum erga illos, qui ejuſdem exemplum ſecuti ſunt, niſi quod in ſolitudine, & ſaltem in cordis receſſu Deus diſponit, & præparat perſonas ad diverſa, quæ de illis habet conſilia? Hinc innoteſcit quantam Deus largiatur homini gratiam, cum illum ſemovet a periculoſis occaſionibus, quibus in Mundo fuiſſet implicitus, eique ſuadet, ut repente relinquat patriam, domum, parentes, affines, ut ſeſe ejuſdem ſervitio devoveat. *Pater de Argentano ex Capuccinorum Familia.*

Quænam ſit felicitas eorum qui per ſtatum, & profeſſionem ſuam a Mundo receſſerunt, ſi conferatur cum iis, qui in eodem impediti ſunt. Pſalm. 83.

Dicere nollem eum, qui in Mundo verſatur, privari, aut deſeri a Spiritu Dei. Scio nullibi deeſſe Salvatori fideles ſervos, & plures eſſe in Mundo, qui de Mundo non ſunt. Verumtamen memini, me nunquam in Scripturis legiſſe: beati qui manent in Mundo; ſed ibi lego verba hæc conſolatione plena pro illis, qui a Mundo recedunt, vel qui illum penitus derelinquunt: *Beati, qui habitant in domo tua Domine*, & qui non aliam habent in terris occupationem, niſi ſerviendi tibi, te amandi, contemplandi Magnalia tua, laudandi, & admirandi bonitatem tuam, & fungendi munere Angelorum, & Beatorum, eo modo quo Sancta Virgo fungebatur in Templo. Ex eo, qui omnium maxime adhæreret Mundo, & ardentiſſime conſectatur omnes oblectationes, quæ in illo inveniuntur, quærere vellem utrum ſolidiorem optare poſſit felicitatem, quam incipere in terris id, quod conſtitutum eſt in ſupremam ſuam felicitatem in Cælis. *Idem in collatione ſeptima de Magnalibus Virginis.*

Solitudo quærenda non eſt, ut vita iners agatur, ſed ut Sanctiſſimis rebus occupemur.

Illi quos Dei Spiritus adducit in ſolitudinem, aut vocat ad vitam ſemotam a viris, & rerum ſæcularium impedimentis, non relinquunt Mundi negotia, ut otientur, ſed ut melioribus atque præſtantioribus vacent; qui enim ſolitudinem quæreret, ut nihil operaretur, vehementer erraret; qui enim magis inertem, mollemque vitam ducere adſectaret, majoribus ſe obrui laboribus cognoſceret: nemo enim magis inquietus eſt, & magis fatigatur, quam illi, cui nihil eſt, quod agat: talis eſt enim animæ noſtræ natura, ut agere ſemper debeat, ſi vis illam quieſcere; & ſimulac ceſſat agitari, vivere ceſſat. ita cum Sancta Virgo ſeſe recipit in Templum, immo etiam, uti Nicephorus, & alii, quos citat, teſtantur, in Sanctuarium, quæ ſacratior erat pars Templi, non recipit ſe, ut nihil operetur; ſed iis vacet occupationibus, quæ dignæ eſſent illa, & dignæ loco, ubi morabatur, quas Sanctus Hieronymus fuſius enumerat; quas tamen illum conjectura aſſecutum eſſe aliqui arguet. Quod aut quod certius affirmari poteſt, eſt illam cum Deo, & Angelis fuiſſe collocutam. Beatæ Mentes, Angeli Mariæ familiares, ejuſque conſiliorum participes, qui offerebatis Deo preces ejus, & Cantica, dicite nobis, quænam erant divina colloquia quæ cum Deo, & cum vobis miſcebat! Sed Deus unus novit, quid in magna illius anima gerebatur. Maria Magnum eſt Myſterium non ita facile penetrandum. Sed tuto aſſerere poſſumus, omnes illius potentias, omnes ſenſus, omnes animæ, corporiſque ſui facultates non alium habuiſſe munus, officium, exercitationem, niſi Dei cultum, & obſequium. Nulla oriebatur in mente illius cogitatio, nullus in corde formabatur affectus, nullum ex ore manabat ſuſpirium, nullus ex oculis ejus prodibat adſpectus qui, non tenderet in Deum. Dies, nox, labor, quies, ſomnus, omnia conſecrata erant gloriæ, amori, ſervituti Dei ſui. *Idem ex parte cum aliquot aliis recentibus Auctoribus.*

In epiſtola ad Heliodorum.

Virgo relinquit delicias contemplationis, juxta aliud vitæ genus ſequi.

Maria vivebat in Templo inter delicias ineffabiles altæ Contemplationis; ſed ſimulac ſignificavit illi Deus ſe velle, ut ipſa de hac ſolitudine egrederetur, illico præſtat obedientiam non minus heroicam illa, qua paruit imperanti, ut illuc ingrederetur, ut ſeſe divinæ illius Voluntati conformaret. Si vult Deus illam de ſolitudinis tranquillitate gradum facere ad curam familiæ, conjugio implicita, obedit; ſi jubet illam deinceps aliquod iter moleſtum ſuſcipere, & apud idololatras aliquot annos exilium pati, non abnuit: omnibus paret imperiis, non ſolum imperata faciet acceptans ſublimem Matris Dei dignitatem; ſed generatim ubicumque agetur de gloria Dei, & Sancta illius Voluntate adimplenda, perfecta ſubmiſſione omnibus Dei nutibus obſequetur. Hac generoſa alacritate in omnibus, & per omnia perfectam facit ſuam Præſentationem, & conſequenter illam efficit verum prototypum noſtræ. *Pater Texier in ſermonibus de Beata Virginis Feſtivitatibus.*

Quid ſit nobis imitandum in Myſterio Præſentationis.

Si ex me quæſieritis, quo pacto valeamus imitari Sanctam Virginem in Myſterio ſuæ Præſentationis in Templo: reſpondebo, hoc facere nos poſſe, noſmet omnino, & celeriter Deo devoventes. Niſi contigit nobis felicitas, noſmet Deo conſecrandi a teneris unguiculis, ne differamus ultra; ſequamur Mariam in Templum, ponamus in manibus illius corda noſtra, ut ipſa cum ſuo offerat illa; hæc illi ſine exceptione, ſine limite, ſine diviſione mancipemus, ut ipſa fecit; acceptemus hilari, alacrique animo, ſtatum, conditionem, munus, & vitæ genus, quod nobis præſcribere placuerit Deo, præ nobis ferentes perfectam, & omnimodam divinæ illius Voluntati obedientiam. *Idem.*

Pietatis exercitia quibus Maria vacabat in Templi Solitudine.

Generoſa hæc Creatura cæleſtibus illuſtrata luminibus, cognovit Auctorem eſſentiæ ſuæ eo tempore quo alii ne ſe ipſos quidem noverunt: & ubi cognovit,

ſtatim

ſtatim dilexit. Omnem habuit primæ hujus ætatis innocentiam, quin particeps eſſet infirmitatum illius, primiſque vitæ ſuæ temporibus ſuperavit conſummatam Sanctorum Virtutem. Ab infantia ſeipſam conſecravit miniſterio Templi materialis Dei Viventis, cujus erat futura Templum animatum. Ibi Deus unice replebat ſpiritum, & cor illius; oratio ejus aſcendebat ad illum inſtar thymiamatis: omnia ejus opera tendebant in ipſum tamquam principium ſuum, & finem, & attollens ſemet ſupra ſenſibiles cæremonias, illum in ſpiritu, & veritate adorabat. Annis procedentibus virtutes ejus, rationes, non objectum mutabant; nihil de illius unione cum Deo imminuebatur; ſplendidiores erant, non ideo tamen puræ minus. In externis actionibus, ſuiſque caritatis officiis, ſenſibus utebatur ad neceſſitatem, non ad voluptatem: anima illius immunis erat a tumultu, ac nube cupiditatum; in ſilentio audiebat vocem Creatoris ſui, & purum veritatis lumen hauriebat. Vivebat, & verſabatur ſemper ſub oculis Supremæ Majeſtatis; ſomnus ipſe quædam erat ſacræ quietis ſpecies, quæ nunquam applicationem ejus interpellabat; & creaturæ quin illam diſſiparent, opem illi ferebant, ut ſeſe colligeret, non ſecus ac effectus, & imagines ſuapte natura efficiunt, ut de eorum cauſſa, & origine cogitetur. *Ex ſermonibus Gallicæ Accademiæ oblatis anno* 1680.

Oblatio noſmet conſecrare debemus Deo ad exemplum Mariæ.

Cum Homo factus fuerit propter Deum, huic ſe mancipare debet, ex quo liber eſt, & compos rationis; deberet facere hoc Sacrificium e primo vitæ ſuæ momento, niſi voluntas, & ratio eſſent captivæ, & inertes in utero Matris ſuæ; ſed ubi Deum cognoſcere, & diligere poteſt, efficere debet actus adorationis, & amoris, in quibus ſitum eſt interius hoc Sacrificium, quod a nobis exigit Deus, & qui eſt velut ſpiritus religionis. Ite Maria per publicam ſui Oblationem confirmat Oblationem ſecretam, quam jam fecerat Deo; offert illi cor, quod ipſum amavit, adoravit, glorificavit ab ipſo ſuæ Conceptionis initio: quemadmodum aſtra nobis Dei gloriam annontiaverunt ex ipſo momento, quo creata fuerunt, & ſicuti JESUS CHRISTUS ſemet ſacrificavit Patri ex ipſo ſuæ Incarnationis articulo. Hoc utimini exemplo vos, qui ſurripientes Deo primitias annorum veſtrorum, illi effœtam reſervatis & languidam ſenectutem, ad quam utrum perventuri ſitis, vos latet: Mementote Deum in lege veteri popoſciſſe fructuum primitias, & poſtulaſſe, ut ſibi offerrentur primogenita; ut intelligamus primos ætatis annos ſibi a nobis eſſe conſecrandos, non obliti *beatum eſſe, qui portaverit jugum ab adoleſcentia ſua.* *Ex ſpecimine orationum Panegyricarum Tomo 2. argumento 3. de Mariæ Præſentatione.*

Thren. 3.

Ignis Caſtitatis non extinguitur in Maria, ſed ſemper magis inflammatur.

Ignis thymiamatum ſemper ardebat in lege veteri, ſed alendus erat, & hæc provincia Sacerdoti erat demandata. *Ignis, quem nutriet Sacerdos.* Myſticus ignis iſte ſignificabat ardorem Caritatis nunquam in Chriſtianorum corde extinguendum, fovendumque actibus amoris Dei, & proximi, quibus roboratur; ſed quoties extinguitur ignis iſte flammis concupiſcentiæ, quas Mundus, & dæmon in cordibus noſtris incendunt? Quoties poſtquam Deo noſmet conſecravimus in baptiſmo, mox thus adolevimus idolis vanitatis, voluptatis, & divitiarum? Hoc non accidit Mariæ; inſtauravit ſemper toto vitæ ſuæ curriculo ſacrificium, quod obtulit Deo ipſa ſuæ Præſentationis die. Sicuti nullum fuit momentum quo non haberet gratiæ plenitudinem; cor ejus ara fuit in qua ignis amoris divini ſemper incenſus fuit, & ſemper crevit uſque ad noviſſimum vitæ ejuſdem ſpiritum. *Ibidem.*

Exemplũ Mariæ in Templo ſiſtentis, quam plurimas Virgines impulit, ut ſeſe perfectum Deo conſecrarent. Pſalm. 44.

Cum Sanctus Rex Propheta dicebat futurum ut poſt Filiam Regis plurimæ Virgines in illius comitatum adducerentur; *Adducentur Virgines poſt eam*; nonne videtur vobis in ſpiritu vidiſſe Beatæ Virginis Præſentationem, & gaviſus fuiſſe, felici hac die aperiri januam mundani hujus carceris, ad libertatem dandam infinitis innocentibus animabus confugiendi in Sanctam Domini domum; quandoquidem Mundus non patitur, illas unice Dei ſervitio adhærere; & ut illis ob oculos proponat perfectum, quod imitentur exemplum, efficere, ut illis præcedat creaturarum omnium præſtantiſſima, Sanctiſſima Virgo? Quot decies centena Virginum millia ſecuta ſunt hanc Virginum Reginam, & ad ejus exemplum ſeſe devoverunt Deo inter clauſtra, ut ibi totum vitæ ſuæ ſpatium traducerent? *Pater de Argentano.*

Maria in Sanctuarium ſeſe colligens ſit ipſa divinitatis Sanctuarium per ſilentium, ſolitudinem, & Sanctitatem.

Nihil in Templi Sanctuario dignius erat Majeſtate Dei, profundo hoc ſilentio, quod ibi ſervabatur, cujus Sanctum horrorem Summus Sacerdos vix perturbare audebat illuc ingrediens manu acerram, & facie pallorem præſeferens. Ex hujus Sanctuarii penitioribus adytis reddebat Deus Oracula ſua, aperiebat Summo Pontifici ſuas Voluntates, qui mox illas populo ſignificabat. Sancta Virgo, hoc eſt exemplar tuum, Deus elegit te, ut eſſes Divinitatis Sanctuarium; non quærebatur aliud, niſi ut Templum repleretur gloria ſua, atque præſentia. Verbum Caro factum, Sacræ perſona Dei hominis facti, habitare debet in te; ita ſolitudo, & receſſus, eſſe debent pars tua; ab infantia debes ſeparare te ab omnibus creaturis; claudere aditum in animam tuam omnibus cogitationibus, & imaginibus ſæculi: nam ſicuti vaſa omnia, ornatus, & opera admirabilia, quæ in Sanctuario refulgent, non melius deſignabant præſentiam, & Dei ibi reſidentis Majeſtatem, quam hæc ſolitudo, & profunda tranquillitas, quam unus Summus Pontifex erumpere audebat; ita omnes Mariæ Virtutes, omnia hæc pretioſa animæ ſuæ ornamenta, non effeciſſent Sanctuarium ſatis dignum ad capiendam Dei Majeſtatem, niſi interior, atque exterior ſeparatio a Mundo effeciſſet, ut regnaret in corde ſuo hæc ſolitudo, hæc pax, hoc ſilentium, in quo ſibi complacet Deus, & eſt veluti imago quædam inacceſſi ejus luminis, in quo habitat ab æterno. Quædam eſt ſolitudo, quam JESUS CHRISTUS ſuadet; & quam prudens pavor immittit illis, qui ſe nimis infirmos norunt, ut reſiſtant jugibus tentationibus, quæ illos in Mundi commercio adoriuntur. Maria non hanc ob cauſſam receſſum quærit, jam confirmata erat in gratia, & potuiſſet ſartam tectam ſervare innocentiam ſuam media in Sæculi ipſius corruptione. In receſſu non tam Mundum fugit, quam Deum quærit; ſolitudo non eſt aſylum ejus fragilitati, a qua immunis eſt; ſed eſt præparatio divinæ Maternitati, ad quam deſtinata eſt; ſolitudo divina eſt, ſolitudo Magnitudinis, & dignitatis, in quam ſe recipit, ne per degenerem converſationem minus dignum ſe præbeat Domini Sanctuarium. *Ne quo degenere depravaretur affectu*, Sanctus Ambroſius inquit.

Quomodo Maria erat jam perfecta, & gratiis repleta, cum Templo fuit præſentata, & quomodo deinceps creverit Sanctitate.

Communis eſt Catholicorum Doctorum ſententia, Sanctam Virginem primo ſuæ Conceptionis momento repletam fuiſſe tanta gratiæ affluentia, ut gratiæ omnes Sanctorum, & Angelorum ſingillatim, & generatim collectæ, cum gratia illius ne poſſent quidem comparari. Et Eccleſia in eadem ſententia in illius honorem canit: *Fundamenta ejus in Montibus Sanctis.* Fundamenta civitatis Dei poſita ſunt in vertice montium Sanctorum, quaſi innueret Mariæ Sanctitatem in principiis ſuis perfectiorem fuiſſe perfectione ceterorum Sanctorum. Quæ ſi vera ſunt, uti in dubium minime ſunt revocanda, ad quod altitudinis, & Sanctitatis faſtigium pervenerat Virgo, cum ſe obtulit Templo? Recenſe tempus, quod ab illius affluxerat Nativitate, & illud quo in Matris utero manſerat, ſemper cum uſu rationis, ſemper in exercitatione ſuarum facultatum, & habituum ſupernaturalium, ſemper in fideli uſu abundantium gratiarum ſummopere efficacium, & in ſingula momenta creſcentium vi, atque Virtute, prout in dies ſe digniorem præbebat per accuratiſſimam reſponſionem. Ad calculos revoca, ſi vales, omnia momenta in trium annorum ſpatio, ac menſium novem, & quantum in ſingula momenta Virtus augeri poſſit, & quot poſſunt Sanctitatis, & meritorum gradus acquiri, & poſt hæc nondum niſi imperfectiſſime aſſequeris eminentem Sanctitatis ſtatum, in quo erat Maria, cum in Templum profecta eſt, ut ſeſe Dei cultui devoveret. Quærendum igitur eſt, utrum hoc donum fuerit acceptum Deo, quandoquidem pretioſum erat, & ex parte rei, & ex parte perſonæ; & quia res ſimul, & perſona merebantur ſeorſim, ut oculo propitio reſpicerentur a divina Majeſtate; quoniam quod a Maria proficiſcebatur illi acceptum eſſe debebat; & Maria non poterat non infinite placere illi quacunque tandem manu ipſi offerretur. Ah! proculdubio, cum iſtæ duæ qualitates ſimul conjunctæ invenirentur, duo hæc objecta, & duæ rationes hæ permixtæ ſimul occurrerent in uno, eodemque ſubjecto, pepererunt in Dei corde admirabilem effectum, & fuerunt illi thymiama infinite acceptum, ac ſuaviſſimum. *Ex ſermone Manuſcripto.*

Fieri nequit oblatio Deo gratior illa, quam Maria fecit illi ſe præſentans in Templo.

Profecto, quamvis Angeli omnes, & homines in unum ſimul conferrent, quidquid habent Virtutis, & Sanctitatis, gratiarum, meritorum, perfectionum, facere non poſſent oblationem Domino, quæ illam exæquaret, quam hodie obtulit illi Sanctiſſima Virgo. Ita eſt; id oportet fateri, Deus meus! Antequam Filius tuus veniret in Mundum, ut fieret victima pro peccatis noſtris in Cruce, Maria ſola erat hoſtia digna, quæ ſibi poſſet offerri: Sanguis taurorum, & agnorum, liquorum libamina, ac unguentorum odor, nimis craſſa erant, nec tibi placere poterant: Sacrificia Abel, Noe, aliorumque Patriarcharum, Davidis Magnificentia, & Sanctæ Salomonis profuſiones aliquem ſane propitium merebantur obtutum, ſed omnino tibi facere ſatis non poterant. Verum eſt Abraham, & Iſaac, ſibi cor tuum conciliaſſe, alterum quidem ſeſe præparando, ut tibi unigenitum ſuum ſacrificaret, alterum vero conſentiendo ſe pro gloria tua immolari; ſcio equidem infinite placuiſſe tibi oblationem Manue, qui tibi Samſonem obtulit, multoque magis illam Annæ, quæ tibi parvulum Samuelem ſuum præſentavit; ſed quantum-

libet præſtantiſſimæ hæ eſſent victimæ, non deerat unquam aliqua in illis macula, deerat illis perfecta puritas, ſine qua re dignæ eſſe non poterant. Una Maria eſt, in qua nullam inveneris labem, vel dicam melius, una illa fuit hoſtia iſta Sancta, & pura, ut aliarum defectibus ſuppleret, & repleret, quod in aliis deſiderabatur, ut te placaret, donec Magnum Crucis Sacrificium adimpleretur. Excipe igitur Columbam hanc innocentem, quam non multo poſt ſubſequetur Agnus ſine macula; recipe alterius quidem gemitus, mox alterius Sanguinem recepturus; recipe vota Sanctiſſimæ omnium creaturarum; recipe oblationem Virginis, quæ futura eſt Dei Mater, & poſtmodum recipies Hominis-Dei Sacrificium. *Idem*.

Mera Caritas urget Mariam ut ſe Templo præſentet, non parentum voluntas.

Profecto nobis credendum non eſt, Mariam invitam hodierna die in Templum conſcendere, neque parentum ſuorum voluntate coactam. Caritas longe magis urget illam, quam neceſſitas implendi votum illorum; & quamvis ab illis Templo minime præſentaretur, illuc tamen amore ſuo raperetur. Jam pridem hoc momentum expectat, & in impetu fervoris ſui, inceſſanter ſeipſam interrogat: Quandonam me in auguſto hoc Templo concludam, ubi Deus fixit manſionem ſuam, & meam connotavit? Deus meus! Ne differas diu mihi hujus felicitatis perfruitionem, cujus mora in me elet mortales languores: *Hæc recordata ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſii in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad Domum Dei*. Denique cum tandem adeo concupita illuxit dies ne quæratis ex me, utrum lætitiæ ſuæ impetu rapi permittat, quin præſtoletur parentum monita, ut maturet diſceſſum votum ipſorum adimpletura; prior ipſa illos admonuit, ac ſollicitavit; fuitque dignum Deo ſpectaculum videre, trium annorum Virgunculam conſtans hoc amplecti conſilium, eamque intueri non ægre, ſed alacriter relinquentem delicias domus ſuæ; cognatorum, affiniumque ſuorum blanditiis terga dantem, & non ſine plurima gaudii ſignificatione ex optimi patris manibus, cui oculis ſuis carior erat, & Matris, cujus amor explicari non poteſt, elabentem, ut in Templum refugiat. *Idem*.

Pſalm. 41.

Senſus amoris quos experti ſunt Joachim, & Anna privantes ſe Filia ſua, & Mariæ fortitudo.

Fingite vobis, ſi lubet, Joachim, & Annam accedentes ad Summum Pontificem, ut illi filiam ſuam committant; Eorum animæ ancipiti affectu diſtractæ ſunt ſenſus inter devotionis, ac naturalis pietatis. Suadet illos devotio, ut ex corde optatiſſimam Virginem conſecrent; pietas vero naturalis, ut illam domi retineant. Joachim qui tandiu ſuaviſſimum Patris nomen ignoraverat, & quo adeo brevi gaviſus fuerat, videbat, prope eſſe, ut his deliciis privaretur. Anna pariter per ætatem, pietatemque ſuam Venerabilis poſt complurium annorum ſterilitatem, tandem effecta Matrum omnium feliciſſima, videbat ſibi faciendam eſſe totius gaudii, atque conſolationis jacturam. Joachim præ amore ſuſpiria emittebat; Anna præ dolore effundebat lacrymas; ſed Virgo generoſa nequaquam turbatur. Videt parentum ſuorum ploratus, eorum audit ſuſpiria, quin aliquod præbeat ſpecimen infirmitatis; Gemitus eorum pulſant quidem aures illius, animum vero non labefactant. Sentiebat quidem Maria perſonas eorum ſibi eſſe cariſſimas; ſed gratia in illa amorem toto Cælo majorem genuerat. Deus Virginem evocat, ut ſibi ſamuletur; illa vero non audit patris amorem, neque Matris affectum, Deum unum agnoſcit, eique cupit immolari. *Idem*.

Quo fervore Maria obtulit Deo Magnum hoc Sacrificium & quam acceptum fuerit divinæ Majeſtati.

Quis exprimere poſſet quonam fervore, & qua cum devotione Sancta hæc Virgo magnum hoc obtulerit Sacrificium! Cum hoc vires meas ſuperet, dicam ſolum gratiſſimum fuiſſe Majeſtati Supremæ Sacrificium, videre Cæli, terræque Reginam ad aræ ſuæ pedes proſtratam, cultum ſibi adhibere, & profiteri, ſe illius ancillam eſſe, atque mancipium. Quam ſuave erat Æterno Patri reſpicere filiam ſuam adeo dilectam fovere ſenſus adeo profundos obſequii, atque reverentiæ! Quam jucundum divino Verbo contemplari illam, cujus Filius fieri cupiebat in ſtatu adeo humili, & profunda ſumet abjectione! Quam acceptum erat Spiritui Sancto videre illam, quam ſibi ſponſam futuram deſignabat, tot a ſe bonis, & favoribus cumulatam, ne deeſſet illi unde ſuam exerceret gratitudinem, viciſſim illi voluntariam efficiens oblationem. *Idem*.

Maria ſemet præſentavit, & obtulit Deo.

Ut aſſequamur hodiernæ Sollemnitatis Spiritum, honorare debemus Mariam ſeſe præſentantem Templo, tamquam Sanctiſſimum Templum illud, in quo Deus habitaverit. Revereri debemus quidquid divinus Spiritus operatur in anima incomparabilis Virginis hujus, quæ divinæ ſe devovet Majeſtati tamquam holocauſtum digniſſimum illius Magnitudine, & amore: concipiendum enim eſt, quod hodie fidelium pietati exponitur nonniſi figuram eſſe illius, quod peractum eſt in parte interiori animæ ſuæ, & oblationis, quam illi fecit in æternum. Fateor igitur, Virgo Sanctiſſima, te nobis in exemplum fuiſſe propoſitam: & ſi ab infantia ſeparata fuiſti a Mundo, ut Templo præſentareris, ac depoſiti loco collocareris in Templo, quod locus eſt conſecrationis, & Sacrificii; hoc factum, ut intelligeremus, Mundum non eſſe te dignum, & ſolum Veri Dei Templum, quo nihil Sanctius erat in terris, fuiſſe figuram Virginalis uteri tui, qui futurus erat Templum, & pluſquam Templum Filii Dei Incarnati. Exterior hæc conſecratio non eſt niſi imago, & ut ita dicam, corpus interioris Sacrificii, & illud, quo nihil Sanctius hactenus oblatum fuerit Deo omnipotenti. Quod Maria fecit in Templo die ſuæ Præſentationis, confirmatio eſt ejus Oblationis, quam fecit in oculis Dei ex ipſo die primo vitæ ſuæ, cum ex primo illius articulo dixerit; Corpus aptaſti mihi, ecce me, venio, ut illud offeram tibi: *Tunc dixi: Ecce venio*. Auctor recens.

Pars interior Myſterii Præſentationis Virginis in Templo.

Noſmet excitemus, Fratres, ad Mariam in Sollemnitate ſuæ Præſentationis colendam in oblatione cordis ſui, ubi per Spiritum paupertatis, offert Sacrificium omnium bonorum ſuorum, ac totius ſpei terræ hujus illi, cui omnia datura eſt, dans illi Filium ſuum; vel per votum Virginitatis obtulit corpus ſuum illi, qui ex puriſſimo illius Sanguine cupiebat ſibi Corpus efformare. Hac die Maria ſeſe illi mancipat, & ſubjicit ſe ſub manu Miniſtrorum Templi, ut conſecret voluntatem, & cor ſuum Spiritui, quo ex tunc jam erat repleta, & qui in illa diviniſſima quæque erat operaturus. Hac die Maria jacit fundamenta ordinis Virginalis, & religioſæ conſecrationis; hac die præbet exemplum vitæ prorſus Cæleſtis, atque Angelicæ, quæ terram ſanctificat, quæ Cælum frequentat, & quæ ex iis omnibus, qui amplectuntur illam & fideliter ſervant, tot victimas facit ſub auſpiciis Virginis hujus incomparabilis, Virginum Sponſo dicatas. Quæ gratiæ! quæ Sanctitas, quæ religio in corde hoc ipſo ſuæ conſecrationis momento! Quinam Mundi contemptus! Quinam amor erga Deum! Quæ humilitas! Quæ obedientia! Quæ puritas! Quæ fames ac ſitis perfectionis, ad quam Deus illam appellat! Præſta, Virgo Sanctiſſima, ut exemplum tuum ſequamur; concede, ut per interceſſionem tuam participes efficiamur gratiarum, quibus repleta fuiſti ipſa die tuæ Præſentationis. *Idem*.

Per hujus Myſterii occaſionem hodierna die baptiſmi votum poſſumus inſtaurare.

Præſentemus noſmet hodierna die, Fratres, Omnipotenti cum Maria ſeſe offerente, ac devovente, ut Sancta oblatio noſtra per merita oblationis Mariæ, in odore ſuavitatis recipiatur. Salutaris infidelitatum noſtrarum confuſio contra noſtri ſtatus officia, & contra conſecrationis noſtræ Sanctitatem nos ſuffundat. Feſtivitas hæc eſſe nobis debet occaſio inſtaurandi prima vota, quæ nuncupavimus. Baptiſmus profecto eſt religioſiſſima, & maxime omnium neceſſaria conſecratio: Chriſtianus enim religioſus eſt religionis JESU CHRISTI Inſtitutoris ſui, & Ordinis Chriſtianorum fundatoris. Eccleſia eſt tamquam clauſtrum ejus, Evangelium regula; JESUS CHRISTUS veſtimentum, quandoquidem Sanctus Paulus nos illo ſemper indui deſiderat. Baptiſmus eſt ejus profeſſio; vota, quæ ibi nuncupantur, ſunt, adhærere JESU CHRISTO, & placitis ejus, imitari illum in tota vita ſua, illi ſine exceptione conſecrare cor ſuum. Templum, in quo hæc fit conſecratio, ipſe eſt JESUS CHRISTUS, verum Templum Divinitatis, in quo omnes inſiti ſumus, incorporati, & per baptiſmum ſanctificati. Inſtauremus ergo, ſicut Maria, & cum illa ſollemnem profeſſionem, per quam noſmet devovimus, & conſecravimus Deo in Baptiſmo, ut loquitur Tridentinæ Synodi Catechiſmus, & præbeamus noſmet fideles primitivo, eſſentiali, præcipuo, & omnium maximo, ſecundum Sancti Auguſtini verba, nunquam declinantes ab ea fidelitate, cum qua Maria perfuncta eſt ſemper officiis ſuæ conſecrationis. *Idem*.

Tenemur diluculo, ut Maria, ſervire Deo.

Cum præcipuum Myſterii, quod Eccleſia celebrat hac die, argumentum, ſit ſacrificium, quod ſumet ipſius obtulit Domino, ubi per ætatem potuit, & a teneris ipſis unguiculis; immoremur Fideles in hoc exemplo pietatis, & religionis, quod illa nobis ſuppeditat, ſi ita beati fuerimus, ut illud imitemur. Hoc unum documentum, quod nobis præbet, effundet ſeſe in omnes vitæ noſtræ actiones, & nobis aperiet viam non tutiorem ſolum, verum etiam ſuaviorem, ac faciliorem, ut ad æternam perveniamus beatitatem; & unicus hic gradus adducet nos in ſtatum erudiendi noſmet de officiis noſtris, quæ neceſſario nobis ſunt obeunda, ut ſalutem noſtram operemur. Hoc eſt ad Mariæ exemplum diluculo ſervire Deo: ſed heu! quantum requireretur temporis ſpatium, ut hoc perſuaderemus illis qui ſunt in ſtatu proficiendi ex hoc exemplo, quod illis præbet Maria; erga illos vero qui ætate ſunt provectiores, quam valida requirerentur argumenta ad reparandam temporis jacturam impenſi extra tanti hujus Domini ſervitutem! Etenim ex quo Chriſtiani ſumus, poſſumuſne ignorare, nos in Mundo eſſe, ut ibi ſerviamus Deo, videlicet, ut illum co-

lum cognoſcamus, amemus, colamus, quandoquidem ad finem hunc vitam recepimus? Sed addere poſſum, nos quam cito oblivisci; & moras nectendo alios nunquam incipere, alios incipere velle, cum tempus præterit, & alios tunc tandem incipere poſtquam Mundo ſervierunt; cum tandem ſe apud omnes in contemptu eſſe ægre ferentes, quærunt apud Deum illum honorem, & æſtimationem, quam in ſæculo invenire non potuerunt; cum Maria Domini jugum portaverit ab extrema pueritia. *Auctor ſermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta, tomo ſecundo Myſteriorum.*

Tres Mariæ Conſecrationes.

Triplicem invenio Dei ad creaturas ſuas relationem; rationem Magnitudinis, & potentiæ; rationem providentiæ, & conſilii; rationem amoris, & bonitatis. Magnitudo ejus poſtulat ex nobis ſenſuum noſtrorum Sacrificium, ut ſupremum illius imperium profiteamur; Ejus Providentia quærit ex nobis mentium noſtrarum ſubmiſſionem, ut ſapientiam illius admiremur; bonitas vero flagitat noſtri cordis obſequia, ut illud amori illius conſecremus. Verum ſi quis unquam agnovit tria hæc divinitatis attributa, & triplicem hunc illi tribuit honorem una tantum actione, nonne fatendum eſt, hac ditatam eatitiſſe Mariam in conſecratione, quam hodierna die fecit eſſentiæ ſuæ coram altaribus? Nonne verum eſt illam hodie ſe præſentare tamquam victimam profitentem, ſe omnia debere Deo, ſe velle omnia propter Deum impendere, ſe paratam eſſe ad redeundum in nihilum ſuum, ut honorem tribuat Supremæ Dei poteſtati, ac ſe in abyſſo ſuæ humilitatis contineat?

Luc. 1.

Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ: Maria hodie ſe præſentat tamquam Domini Ancillam, ut illi obediat in omnibus, ut ſequatur omnes circumſtantias, in quibus divinæ placebit Providentiæ illam collocare, offerens voluntatem ejus paratam ad omnia; & illi dicens non ſecus ac David: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Anima mea nonne ſubmiſſa erit Deo tuo, quoniam ipſe eſt ſalus tua? *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea? ab ipſo ſalutare meum.* Illa ſeſe præſentat futuram Domini Sponſam, totam illius, ſicut ipſe ejuſdem totus eſt; *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Sermo Manuſcriptus.

Pſalm. 56.

Pſalm. 61.

Cant. 2.

Noſmet celeriter conſecrare debemus Deo, ut Maria.

Glorioſæ Virgini, ea qua ſummum exemplum alacritatis, qua noſmet Deo devovere debemus, nihil erat metuendum a cupiditatibus ſuis, quæ perfectiſſime ſubjectæ erant rationi, ita ut nulli ex ea parte obices ſibi eſſent ſeparandi; ſeſe diluculo Deo conſecrat, quin illam ſui morentur affectus. Sed quod ipſa peculiari privilegio aſſecuta eſt, nobis eſt virtute comparandum. Subjicere debemus noſtras cupiditates noſmet a teneris unguiculis Domino præſentantes, ut illa, ad præveniendum faſcinationem vanitatis, & prohibendum, ne affectuum noſtrorum, malique exempli torrens nos trahat, ubi primum cordis noſtri imperium obtinuerint. Sequamur igitur, quod nobis hodie offertur, exemplum: Maria enim ſe præſentans Templo ab ipſa pueritia, fit templum vivens, ubi Spiritus Sanctus manſionem ſuam conſtituit, ibi inveniens, & illuc pacem inferens, quoniam Mariæ cor erat tranquillum, & cupiditates ejus ſubjectæ. Vos eamdem e Deo gratiam obtinebitis, ſi dederitis illi primitias cordis veſtri, & ſi illum introduxeritis, antequam locum præbeatis ejus inimico. Ibi tamquam fortis armatus ſedem ſuam figet, neque illuc tentatorem pedem inferre patietur. Sed ſi provectiorem ætatem operiemini, nonne vobis metuendum eſt, ne optima conſilia veſtra retardentur, ne jugum JESU CHRISTI vobis nimis difficile videatur, & illud ferre detrectetis? Facite ergo quod vobis Propheta ſuadet, & priuſquam cupiditates veſtræ quæ adhuc ſpinæ ſunt, in rubeta convertantur: *Priuſquam ſpinæ veſtra intelligerent rhamnum,* illas convellite, & parvulos angues ad petram allidite: *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos ad petram. Auctor ſermonum in omnia argumenta. Tomo 2.*

Pſalm. 57.

Pſalm. 136

Difficultas vincendi cupiditates, cum non diluculo immolantur.

Quæ cæcitas eſt differre in tempus ſuam Deo conſecrationem, neque imitari Mariam, quæ a primis vitæ ſuæ momentis ſe Deo conſecravit? Nonne impiorum eſt ſermo, dicere; utamur juventute noſtra, quæ fulguris inſtar prætervolat, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Heu! licebitne vobis, Sapiens inquit, habitum abjicere, quem a pueritia contraxiſtis? Ex illius ſententia homo conſeneſcit in habitibus, quos in pueritia contraxit. *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea;* Poteritiſne arborem de terra convellere, cum plurium annorum ſpatio profundas jecerit radices, quandoquidem non ſine magno eam labore illam evellere poſſitis, cum nuper conſita fuerit? Satiſne virium vobis erit, Patres inquiunt, ad ſuperandum latum, profundumque torrentem, ſi ad illius fontem aſcendentes, ubi arctior eſt, neque admodum profundus, vix illum ſuperare poteſtis? Hæc imago eſt inſuperabilium difficultatum, quæ vobis occurrent, ſi veſtras cupiditates corrigere neglexeritis in adoleſcentia. Tamquam arbor, quæ multis magniſque radicibus, totidem veluti brachiis terram amplectitur, terræ inhærere debebitis; terreni eritis, nonniſi terrena guſtabitis; quomodo ergo guſtare poteritis cæleſtia citra prodigium, quod vobis Deus non pollicetur? Sequimini ergo Mariam in Templum, voſmet illi ſocios adjicite, præſentate illi veſtros affectus, ut illos offerat Filio ſuo, & gratia illos vinciat, quemadmodum Raphael Aſmodeum dæmonem alligavit, ne Tobiæ noceret. *Sermo Manuſcriptus.*

Voluptas, quas experimur noſmet Domino ſicut Maria conſecrantes.

Veritas eſt in dubium non revocanda, de qua experientia nos non ſinit ambigere, virtutem ſuas habere delicias omnibus ſenſuum voluptatibus præferendas. Nam quamvis primos proferre greſſus magnis ſtet laboribus, ut quis ſe mancipet Deo, quia cupiditates, Mundus, & Sathanas adverſantur; tamen ubi obex hic ſuperatus eſt, ſtatim experientia magiſtra cognoſcitur, quod *melior eſt dies una in atriis Domini ſuper millia.* Neque alia ad id requiruntur argumenta præter Exemplum, quod hodierna die nobis proponit Eccleſia repetens memoriam Præſentationis Mariæ, quæ ſe in Templo devovit Altarium miniſterio. Fateor equidem illam non expertam fuiſſe eas difficultates, quas alii, ipſamque non ægre paternam reliquiſſe domum, neque iniquo animo ſemet ſeparaſſe ab iis, a quibus unice diligebatur; ſed ubi primum illa gradum hunc poſuit voto ſollemni, quis exprimere poteſt delicias, quibus repleta fuit illius anima, dulcedinem, quam guſtavit in contemplatione, & in jugibus colloquiis cum Deo ſuo? Dubitandum non eſt, quidquid voluptatis, lætitiæ, ſolatii virtus adferre poteſt, torrentis inſtar innocens cor iſtud eaundaſſe, omnemque illius captum repleviſſe: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hæc autem non eſt unius Mariæ pars; ad illam licet omnibus adſpirare; & videre quam ſuave ſit ſervire Domino, & illius jugum ſuſtinere. Sequamur Mariam in odorem unguentorum ſuorum: deliciæ quibus illa perfunditur ſunt vadimonium earum, quas nobis Deus largiturus eſt. *Auctor ſermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta. Tomo ſecundo.*

Neceſſitas ſimul & felicitas devovendi nos Deo ad exemplum Mariæ.

S. Auguſtinus lib. de quantitate animæ, c. 36.

Quam beata eſt anima, quæ ſe conſecrat Deo ex corde, & ſine ulla exceptione, & facit, quod S. Auguſtinus tanto eum ardore facere cupiebat, cum dicebat: *Vellem, ut nihil aliud agerem, quam reddere me, cui me maxime debeo.* Profecto jure Sanctus hic Doctor reſpiciebat ſe tamquam aliquid commodatum, & bonum a liberali Dei manu commodato acceptum, cui proinde reſtituendum erat, ſibi ſæpe repetens per humilitatis, & grati animi ſenſum, ne putes te tuum eſſe, quia liber natus es: Verum eſt nihil magis eſſe tuum, quam tu, ſed verum eſt etiam nihil minus eſſe tuum, quam tu. *Quid magis tuum, quam tu, & quid minus tuum, quam tu?* Tu quidem tuus es, ſed primum Dei es, quam tui; tibi arbitrium eſt vitæ tuæ, & actionum tuarum; ſed talis es per gratiam Domini, qui major eſt, magiſque abſolutus. Etenim poſt omnia non es tuus niſi ab aliquot annis, & quandiu placuerit Deo; ſed illius es ab æterno, & in æternum; antequam eſſes homo, jam illi ſubditus eras, & quamvis non eſſes amplius, non ceſſares tamen illi ſubditum eſſe. Tuum igitur eſt, magnus hic Doctor argumentabatur, ſupremo vitæ tuæ Domino debitos honores perſolvere; neque id, uti oportet, facere vales, niſi ex toto corde illi bona tua, vitam, & perſonam ipſam ſacrificas. Ecce, Chriſtiani qua in re ſita ſit perfectio Chriſtiani, & animæ vere fidelis: *Ut ei ſe totos reddant, cui debere ſe totos recolunt, & originem, & profectum.* Hoc autem illud eſt quod Sancta Virgo mirum in modum adimplevit in diei hujus Myſterio; hæc illi jure debetur gloria, ipſam primam omnium docuiſſe tot Virgines, quot deinceps fuerunt, eruntque uſque ad ſæculorum conſummationem, modum perfecte ſeſe vovendi Deo, ſemet ſupra ſexus ſui fragilitatem extollendi, imitandi puritatem Angelorum, qui meri ſpiritus ſunt, eorumque virtutem ſuperandi. *Ex Auctore recentiori.*

S. Hilarius comment. in Matth. c. 23.

Maria nos docet in hoc Myſterio ſervare gratiam caelandi in oculis ſuis, non ſecus ac hominum ſua merita, atque virtutes.

Maria cum interna humilitate externam conjungens modeſtiam, ſibimet abſcondita, hominibus ignota in Dei unius oculis renidens fit exemplar Chriſtianæ Juſtitiæ, quæ ſita eſt in meritorum ſuorum ignoratione, in illis celandis tum in hominum oculis, cum in noſtris: iiſque illi uni aperiendis, qui illa ignorare non poteſt, & in grati animi monumentum iis illi acceptis referendis, a cujus liberalitate profecta ſunt; cum jam conſtet unum illum eſſe debere teſtem meritorum noſtrorum, qui eorum futurus eſt Judex. Ita nos docet Beata Virgo in Templi receſſu, ad feliciter ſervandam gratiam noſtræ regenerationis, quemadmodum ipſa gratiam ſuæ Conceptionis, & Nativitatis ſervavit. Gratia hæc theſaurus eſt, quem ipſi mereri non potuimus, & quem amittere poſſumus. Quælibet fidelis anima illam ſervare debet in ſecreto vitæ abſconditæ, & a mundi commercio remotæ; theſaurum hunc palam geſtare, eſt illum furibus, atque latronibus objicere. Inanis in propriis viribus præſidentia oſtendit quænam ſit humana fragilitas in occaſionibus jacturæ, quæ tanti momenti eſt, & tantæ facilitatis. Sancta Virgo in gratia confirmata, ni-

ta, ni-

ta, nihilominus abhorruit ſemper ab occaſionibus gratiæ fatalibus, illius jacturam reformidans: nihil illi timendum eſt, & ſibi in omnibus cavet. Receperat illa, Sanctus Bernardus ait, gratiam nullis mundi ſcandalis labefactandam, & quæ illam in quadam impeccabilitatis ſpecie conſtituit. Mundus quamvis inſidiis, & periculis refertus contra ejus Innocentiam, nullas vires habebat; & ſicuti Sol non inquinatur per lutum pertranſiens, Maria nihil in mundi commercio poterat formidare; poterat tuto in cordis ſui fidelitate confidere, vel potius in gratia Dei: & nihilo ſecius, ut honoret hanc diſcretionis gratiam, quæ ipſam a maſſa corruptionis ſecreverat, vivere vult in ſeparatione ab omnibus hujus mundi impedimentis. *Sermo Manuſcriptus.*

Dignum admiratione Spectaculum fuit videre in puella virtutes feliciſſimas tum temporis, quo puerilibus crepundiis aliæ oblectantur.

Maria tertium agens annum ſecedit in Templum, ut fugiat hominum conſortium, & cum Deo colloquatur. Spectaculum Cælo dignum, ac terra, Angelis, & hominibus, videre tenellam Virginem tanta cum generoſitate a parentibus ſecedere, & conſecrare ſe Deo, vacare pietati ſolidæ in ſtatu perfectionis! & ea in ætate, quæ nugis deſtinata videtur, abrenuntiare Mundo, antequam illum cognoverit, & ſibi præcavere contra nequitiam, antequam illius jacula fuerit experta. Nos vero in iniquitate concepti, in ſcelere nati, concupiſcentia infirmati; nos, qui gratiam in fragili vaſculo; quod, ut Apoſtolus inquit, ad ſingulos incurſus labefactari poteſt, tantum abeſt, ut a teneris unguiculis receſſum quæramus ad Baptiſmi gratiam tuendam, ut noſmet ab ipſis fere incunabulis effundamus in Mundi commercium, in profana ſolatia, in periculoſiſſimas peccati occaſiones; quin Deo conſecremus vitæ noſtræ principia, & primos motus orientis nativitatis ad Sanctæ Virginis exemplum, illos mundo conſecramus, quaſi pro mundo ſolum naſceremur. Quid de illis dicemus, quorum vita tota in jugi æſtu inutilium, noxiorumque affectuum traducitur, pueritia quidem in nugis, adoleſcentia in libidine, virilis ætas in negotiorum tumultu, extrema ſenectus in pietate? Poſt hæc ne vobis incedat admiratio, ſi in Baptiſmo abluti recentes ſordes contrahimus; in peccato nati, ſumuſne ideo cautiores? Imitamurne Sanctam Virginem conceptam, natamque in innocentia? liberata a peccati periculis ab infantia claudit cor ſuum Mundo, ut illud aperiat Deo, & quo magis impeccabilis eſt, eo diligentius peccati occaſiones evitat; ſemper vigilans, & viis ſuis attenta ducens vitam ſolitariam, & mortificatam; nos vero peccatores effundemus corda noſtra in ea omnia, quæ in Mundo ſunt periculoſiſſima, vitam in omni licentia ducentes? *Idem.*

Cur adeo pauci ſint Chriſtiani qui acceptam gratiam tueantur.

Mirumne eſſe debet ſi Chriſtiani gratiam tueantur? Quomodo ſervari poteſt in tanta Mundi corruptione, cum non alia nobis ſuppetit ratio, ut Mundi hujus ſimus, niſi quod Mundum diligimus! Quid videmus hodierna die in Mundo, quod non factum de induſtria videatur, ut gratiam evertat? Gratia ſervarine poteſt in hujuſmodi converſationibus, ubi caritas ex tot locis offenditur? Servarine poteſt tot inter ambages, ac dolos, ubi juſtitia ambitioni ſacrificatur? Servaturne inter vana placendi deſideria illis, quibus Innocentes placere non licet? Servaturne in ſpectaculis in hunc ipſum finem inſtitutis ut confirmentur contra rationem affectus? Haccine eſt illius ſervandæ ratio, habere ſemper ob oculos illuſtria exempla ad quælibet flagitia excuſanda? *Pater Aurelianenſis, in ſermone de Maria Conceptione.*

Oratio ad Beatam Virginem, & ad JESUM CHRISTUM.

Memento, Domine, omnium obligationum, quas contraximus, cum præſentati fuimus in Baptiſmo, & Eccleſia nos tuo nomine in ſuum gremium recepit. Hujus diei Sollemnitas cier in nobis auguſtæ illius ceremoniæ memoriam; fac, ut per Mariæ merita omnia illius adimpleamus officia; Nobis quoque ſæpe ob oculos ſtatue peculiares conſecrationes, quarum Mariæ Præſentatio nobis eſt vivens imago; tot conſilia a nobis ſuſcepta, & palam, & clam deſerviendi tibi nunquid evaneſcunt? Præſta, ut illa inſtaurare valeamus coram te, & ſub auſpiciis Sanctæ Genitricis tuæ, ut nova cum fidelitate illa impleamus. Virgo Sancta, quæ diluculo jugum Domini ſuſtinuiſti, & quæ temet ſæpe Deo præſentaviſti tamquam puram, acceptamque in oculis ejus oblationem; ſupple per interceſſionem tuam quidquid deeſt oblationi, quam noſtrummet facimus tibi, ut te præſenta JESU CHRISTO Filio tuo, qui non rejiciet quidquid talis Mater præſentaverit illi. Si perſpicaces ejus oculi, quibus aperta eſt cordium noſtrorum obſcuritas, ibi aliquid impurum deprehendunt, quæſo, impetra, ut illud eluat adorabili cruore ſuo; & gratia ſua, quæ te deſtinavit, & præparavit futuram Matrem Dei Redemptionis hominum, præparet nos ad colligendos per vitæ Sanctitatem fructus noſtræ Redemptionis. *Auctor recens.*

MYSTERIUM ANNUNTIATIONIS
SANCTÆ VIRGINIS MARIÆ.
MONITUM.

IN Titulo Incarnationis Tomo primo Myſteriorum Domini Noſtri monuimus jam, Eccleſiam una, eademque die duplex celebrare Myſterium; videlicet Æterni Verbi Incarnationem, & felix nuntium, quod Angelus attulit Beatæ Virgini; illam delectam fuiſſe, ut Mater fieret Dei ſui; & hac de cauſſa fideles Annuntiationem feſtum hunc diem appellaviſſe. Quamvis autem duo hæc Myſteria nequeant ſeparari, poſſumus tamen, ut noſmet aptemus conſuetudini, ac Fidelium devotioni erga Deiparam, ſermonem habere de Matris Annuntiatione tamquam argumento a Filii Incarnatione diſtincto; nam ſicuti in Incarnatione nonniſi indirecte verba ſiunt de divina Maternitate, & quantum neceſſe eſt, ut intelligatur Deum hominem factum ſumendo corpus in utero illius; ſimiliter in Annuntiatione, quamvis tota Mariæ gloria, & Magnitudo proficiſcatur a Verbo divino, a quo ad incomparabilem hanc dignitatem evecta fuit, præſertim conſideratur, quod attinet ad Sanctam Virginem, utpote quæ alterum conſtituit Myſterium a priori quodammodo ſeparatum.

Ad id percurrendæ ſunt omnes Annuntiationis circumſtantiæ; Dignitas Matris Dei, ad quam ſublata eſt; Virtutes eximiæ, quibus ſeſe ad divinam Maternitatem diſpoſuit: explanatio, quam poſcit propoſitionis, quæ Dei nomine ſibi nuntiabatur; conſenſus, quem præbet, & effectus admirabilis inde profectus; fides, humilitas, & puritatis amor, quem hac in occaſione præſefert; tot Virtutes, quarum nobis præbet exempla: quapropter judicium ferri poteſt, ſermonem hujus argumenti futurum æque utilem, ac parem ad ciendam gratitudinem, & venerationem erga Dei Matrem.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus argumenti Synopſis.

I. *Ecce concipies in utero, & paries Filium. Luc. 1.* Angelicis opus erat verbis, Chriſtiani, ad exprimendam dignitatem, atque altitudinem divinæ Maternitatis, ad quam glorioſa Virgo in hoc Myſterio ſublata eſt; dignitatem adeo ſublimem, titulum honoris adeo præſtantem, ut ceteræ prærogativæ, ac privilegia, reliqua honoris, & diſtinctionis inſignia, non ſint niſi effectus illuſtris hujus qualitatis. Ita ſpiritus noſter oppreſſus pondere tantæ gloriæ, attolli adeo non poteſt, ut Magnitudinem ejus concipiat; verum ut aliquam ſaltem illius adſtruamus ideam, ſecundum ea, quæ Angelus dixit verbis adeo paucis; ſupponendum eſt, ſi lubet, ad hoc, ut Maria vere Dei Mater eſſet, tria omnino fuiſſe neceſſaria. Oportebat, ut Deus ſumeret corpus ex Virginis hujus ſubſtantia formatum; oportebat deinde, ut Deus hic homo factus permaneret juxta ſtatutum tempus in utero illius eo modo quo ceteri infantes: oportebat denique, ut naſceretur ex illa ſecundum Angeli verba: *Ecce concipies in utero*. Hinc validas hauriemus conjecturas pro Magnitudine divinæ hujus Maternitatis, & hæc prima erit pars hujus Sermonis; dehinc in reſponſione, quam Sancta hæc reddidit Virgo, detegemus præcipuas Virtutes, quæ illam diſpoſuere ad incomparabilem hanc dignitatem recipiendam, quæ pars erit altera.

Pro parte priori; ex tribus rebus illis, quas neceſſarias eſſe diximus ad hoc, ut Maria vere eſſet Dei Mater, tres elicio veritates, quæ illi gradum tribuunt rebus omnibus mere creatis ſuperiorem. 1. Sancto Spiritui, qui prorſus divina Virtute fuit illi Sponſi loco, ſatis nequaquam fuiſſe efficere corpus illius idoneum ad vitam Homini-Deo tradendam, ſed præterea ipſum illi gratiæ plenitudinem contuliſſe, ut quamdam poneret ſpeciem proportionis inter cauſſam, & effectum, illam efficiendo ſanctiorem, & perfectiorem, ut huic Sanctitatis Myſterio cooperaretur, & per hanc gratiam ipſam elevavit ſuper ea, quæ in ordine naturæ ſunt maxima: *Gratia plena*.

Hoc primum eſt verbum, quod illi Angelus dixit, ex quo inferenda eſt Magnitudo hujus dignitatis Matris Dei. Si gratia aliquem adeo attollit, quid erit dicendum de plenitudine gratiæ ipſius, quæ non eſt, niſi quædam præparatio ad Maternitatem? Si hæc gratia aliquid eſt ita pretioſum, ut minimus illius gradus præſtet iis rebus omnibus, quæ ſunt in natura, quid arguendum eſt de hac plenitudine, quæ nonniſi via fuit & diſpoſitio ad auguſtam hanc Maternitatem; & quænam moralis fieri poteſt animadverſio de pretio gratiæ?

2. Cum Verbum Incarnatum permanere deberet in hujus Virginis utero, quamvis ictu uno ibi fuerit efformatum, ut ibi neceſſaria perciperet incrementa antequam naſceretur, Angelus addidit: *Dominus tecum*, Dominum eſſe cum illa; ſed modo peculiari, per arctiſſimam affinitatem, quam contrahit Mater cum Filio. Etenim, ſicut proprie loquendo, unus Deus per ſe magnus eſt, & cetera magna non ſint niſi quatenus referuntur ad Deum; hinc ſequitur eum, qui propius ad illum accedit, & majorem cum illo rationem habet, magis etiam eſſe participem Magnitudinis ejuſdem. At quænam creatura ad illum propius accedit, vel majorem cum illo habuit affinitatem (excipienda ſemper eſt Sancta Salvatoris humanitas) quam illa, quæ concepit in utero Deum ſuum, quæ illi vitam præbuit, & quæ fuit eſſentiæ ejus principium? Etenim in natura nulla major, aut magis realis adeſt relatio, niſi Matris ad filium. Hoc igitur illi honorem tribuit diſtinctum, & cum divina hac Majeſtate illam conjungens, attollit eam ſuper omnia, quæ Deus non ſunt.

3. Sed nondum hic eſt cumulus honoris, qui illi debetur; en tertius fons, quem nobis aperit Angelus per ea verba: *Benedicta tu in mulieribus*: noſtis enim benedictionem, quam pollicebatur Deus juſtis Legis antiquæ, potiſſimum reſpexiſſe fructum conjugii, & frequentem poſteritatem. Sed benedictio, quam Cæleſtis hic nuntius promittit Mariæ, eſt prorſus ſingularis; quoniam attollit illam ſupra omnes mulieres per poſſeſſionem Filii, qui ſupremus eſt terræ, Cælique Dominus: poſſeſſionem integram, atque perfectam, quoniam filius hic ad illam pertinet juſto, ac legitimo jure, quemadmodum ceteri filii pertinent ad eos, a quibus vitam acceperunt; poſſeſſionem, quæ illi confert verum jus in eum, qui Omnipotens eſt; poſſeſſionem denique, quæ continet omnia hujus Filii bona, de quibus ipſa abſolute diſponit.

Pro parte altera. Præcipuæ Virtutes, quæ diſpoſuerunt Sanctam Virginem ad auguſtam hanc Matris Dei dignitatem, & quæ attraxerunt Verbum æternum in ſinum illius, in Evangelio memorantur, & continentur in ea reſponſione, quam reddidit Angelo, qui Dei verbis illam eſt allocutus. Videlicet 1. Humilitas profunda quæ attraxit Dei oculos in illam. *Ecce* Luc. 1. *Ancilla Domini*. 2. Puritas incomparabilis, & par ad attrahendum Dei Filium ex Patris ſui ſinu in ſuum: *Quoniam virum non cognoſco*. 3. Denique obedientia, & ſubmiſſio, quæ fuit veluti noviſſima diſpoſitio ad ſublimem hunc gradum honoris. Satis eſt tres has virtutes ſingillatim ad examen vocare, & æque nobis ſit perſuaſum de eximiis illius meritis, ac de ejuſdem magnitudine. Prima eſt humilitas, fundamentum deinceps conſtitutum a Filio ſuo omnis elevationis, ad quam poſſumus evehi; ſed quin de Mariæ elatione feramus judicium ab ejuſdem humilitate, hoc loco opus eſt e contra metiri humilitatem ab altitudine elevationis. Hæc Mater eſt Dei ſui, quæ ſeipſam reſpicit, & vocat tamquam noviſſimam ex ancillis ejus. Humilitas eo præſtantior eſt, quo magis perſona quæ ſe humiliat ad ſublimiorem honoris gradum ſublata eſt. Præterea circumſtantia non prætermittenda eſt eodem tempore, quo Virgo Sancta declaratur omnium puratum creaturarum maxima, ipſam ſe minimam facere; Magnitudo enim ejus elucet in eminenti incomparabilis hujus Maternitatis dignitate: & humilitas ejus coruſcat in eo, quod ſe ancillam fatetur, quæ noviſſima eſt omnium conditionum. Quod ſi humilitas hæc adeo profunda Dei in ſe oculos traxit; ex parte alia puritas hujus ejuſdem Virginis non minores habet illecebras ad mulcendum Cor illius, qui eſt puritas eadem; ſicut enim hæc virtus majorem habet cum Deo ſimilitudinem, nihil melius diſponere poteſt Virginem ad dignitatem Matris Dei, quam puritas hæc, quæ Angelorum puritatem ſuperavit, & quæ illi adeo cara fuit, ut eadem ipſi etiam dignitati Matris Mariæ fuerit anteferenda. Quænam inde moralia dogmata erui non poſſunt? Denique poſtrema virtus, quam Maria in hoc exercuit Myſterio, & quæ fuit ad divinam Maternitatem diſpoſitio, fuit obedientia, & ſubmiſſio divinæ voluntati: *Fiat mihi ſecundum Ver-* Luc. 1. *bum tuum*. Occurret deinceps quid hac de re dici poſſit; mihi ſatis eſt animadvertere, poſſe nos in hac virtute imitari Sanctam Virginem: & quid nos Deo magis acceptos reddere poſſit.

II. *Dominus dabit vobis Signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium. Iſaiæ 7.* Ecce, Chriſtiani, ſignum quod olim promiſit Mundo Deus, & quod fecit, ut contingeret non procul a felicitate, quam tot Prophetæ nuntiaverunt, quam tot Patriarchæ expectaverunt, & quam Fideles omnes concupierunt. Signum felix, ſimulque noſtræ ſalutis præſagium, & magnum fidei objectum. Hoc autem ſignum admirabile Virgo eſt, quæ concipit, & Deus a Virgine conceptus: *Dominus dabit vobis Signum &c.* Verum eſt, hoc Signum nos duplex docere Myſterium, quod Eccleſia confundit in hujus diei feſtivitate; videlicet Mariæ Maternitatem, & Verbi Incarnationem, quorum alterum humiliationis Myſterium eſt, alterum exaltationis, & Magnitudinis, quoniam Deus ibi deſcendit uſque ad nihilum humilitatis noſtræ factus homo ſimilis nobis; & Virgo ad divinam uſque Maternitatem evehitur, qui cumulus eſt omnium Magnitudinum; Quod locum præbuit quibuſdam Sanctis Patribus appellandi Incarnationem Domini nomine exinanitionis ſimul, & exaltationis. Quod vero ad rem facit, Humiliatio reſpicit Deum, qui, ut Apoſtolus inquit, exinanivit ſe, & exaltatio reſpicit Mariam. Idem accidit quod in libra, qua comparatione Patres utuntur, in qua prout pars altera demittitur, altera attollitur, atque ita diverſi gradus humiliationis Filii, gradus ſint elevationis in Matre. Ut hoc innoteſcat conſiderandum eſt tantum:

1. In hoc Myſterio Dei Filium Carnem factum aſſumpto corpore ſeſe infra Angelos ſubmittere, conjungendo ſe cum natura, quæ Angelica minor eſt, ut inquit Propheta; verum ſimul Matrem ſuper Angelos, & meras omnes creaturas attollere.

2. Subjicere ſe omnibus miſeriis, omnibuſque naturæ noſtræ infirmitatibus, ut cumulet Sanctam Genitricem ſuam donis, gratiis, privilegiis, ut eam dignam efficiat excelſa hac dignitate, eique ſuſtinendæ parem.

3. Filium Dei fieri Filium hominis, ut quodammodo Matrem exaltaret ſupra ſeipſum, volens illi ſubjacere, & obedire, tamquam Filius Matri, idque jure æquiſſimo, & naturali.

III. Si lubet ſimul connectere duo Myſteria, quæ in die hujus Evangelio exprimuntur, videlicet Verbi Incarnationem, & Deiparæ Dignitatem, qua Maria decorata eſt, in triplici ſermonis parte oſtendere poſſumus.

1. Deum infinitum honorem percipere ex affinitate

quam Verbum Æternum contrahit cum humana natura, quia Deus obedit illi, illius ſubjacet poteſtati, illi in Sacrificium offertur, & pro illius gloria immolatur.

2. Sanctam Virginem in infinitum attolli; quia Mater Dei declaratur, & per hanc qualitatem ſupra omnes meras creaturas attollitur.

3. Arctam hanc, quam Deus cum hominibus contrahit affinitatem, illis incomparabile bonum afferre; ille enim fit eorum Salvator, Mediator, eiſque omne bonum procurat, quod ſperare poſſunt.

IV. In celebri legatione Mariæ per Angelum facta, ut illa certior fieret divini de eadem Conſilii, tria conſideranda ſunt, quæ complectuntur quidquid magnificentius dici poteſt in laudem ipſius. 1. Electio a Deo facta ejuſdem præ mulieribus omnibus per æternam prædaſtinationem, & ſingularem amorem, ut ingrederetur quodammodo in ordinem hypoſtaticum, ipſam ad qualitatem Deiparæ attollens.

2. Propoſitio, qua Angelus nuntiat divinum iſtud Concilium, & reſponſio, quam Maria tribuit Angelicis verbis, qua in re maximas virtutes exercet.

3. Executio magni hujus Conſilii, quæ fit per conſenſum, quem Maria præbet Voluntati Dei.

V. *Inveniſti gratiam apud Deum. Luc.* 1. Nihil homini optabilius, quam invenire gratiam coram Deo; cum enim per ſe merum ſit nihilum, magnus non eſt niſi per gratiam, & juxta proportionem gratiæ, quam a Creatore recepit. Ecce quid conſtituat Mariæ magnitudinem in auguſto Myſterio, quod hac die celebramus. Etenim quamvis invenerit illa gratiam coram Domino ab ipſo momento, quo vitam accepit, & in ſingula momenta fecerit admirabilia incrementa in hac gratia, fatendum eſt tamen hac potiſſimum die, & in hoc glorioſo Myſterio, ipſam inveniſſe gratiam ea in plenitudine, & copia, quæ omnem ſuperat cogitationem, & omnes hominum locutione: quoniam die hac Spiritus Sanctus principium, & fons gratiæ peramanter in illam ſupervenit, & ille, qui eſt gratia ſubſtantialis, novam ſumit vitam in utero ejus, eamque maximis cumulat gratiis, quibus Cælum meram creaturam valeat honorare. Ego vero, Chriſtiani, ne argumentum aggrediar, quod mihi quidem videtur infinitum, referre volo gratias omnes, & favores, quibus hodierna die Mariam proſequitur, ad duo tantum; quorum alter eſt illam ad auguſtam hanc Matris Dei dignitatem evectam fuiſſe; alter vero eſt, illam ad tantam hanc dignitatem fuiſſe ſublatam, ut humani generis ſaluti cooperaretur. Duplici verbo; Elevatio Mariæ, & finis, quem Deus per hanc elevationem ſibi propoſuit.

VI. *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum; Luc.* 1. Si unquam in Evangelio adimpletum fuit illud JESU CHRISTI oraculum, eum, qui ſeſe humiliaverit, exaltatum iri, & viam tutiorem ad magnitudinem veram illam eſſe humiliationis, profecto adimpletur in Myſterio, quod hodierna die recolit Eccleſia; namque hæc Sancta Virgo videns ſe celebri legatione Dei nomine honoratam demiſſiſſime humiliat ſe, & ſibi ſatis eſſe putat Ancillam vocari, ideoque ad ſublimem, atque inæſtimabilem Matris Dei dignitatem attollitur. Hinc eo in argumento, quod delegi inter plurima, quæ Magnum hoc nobis Myſterium ſuppeditat, conſilium cœpi immorandi duntaxat in unico humilitatis exemplo, quod Beata Virgo nobis proponit, ubi vobis oſtendam.

1. Profundam Mariæ humilitatem eſſe fontem, cauſſam, & menſuram Magnitudinis, & dignitatis ſuæ.

2. Magnitudinem, & dignitatem Mariæ innixam humilitati ejus, docere homines, veram Chriſtiani Magnitudinem in humilitate conſiſtere.

VII. Authentico narratur teſtimonio, inſignem Sanctitate Virum, Dei ſervitio devotum, ex Maria quadam die quæſiviſſe, quodnam ex omnibus elogiis, glorioſique titulis, quos devote concini audiebat in Celebri Eccleſia in illius honorem dicata, quod, inquam, elogium illi gratius eſſet; ſimulque claram vocem perſonuiſſe, qua ſignificabatur, illud ei jucundiſſimum accidere, qua *Mater admirabilis* nuncupatur. Hoc unum verbum continet quidquid vix exprimi poteſt omnibus ſermonibus, qui in honorem illius poſſunt haberi: *Mater admirabilis*. Itaque in hoc immoror glorioſo titulo oſtenſurus illam jure Matrem admirabilem nuncupari.

1. Quia ſimul & Mater eſt, & Virgo. Miraculum inauditum in ſæcula, & quod in una illa viſum eſt:

Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium; novum creavit Dominus ſuper terram.*

2. Quia Mater eſt Dei ſui, quod maximum eſt, & prodigiorum omnium maxime admirabile: *Unde*

Luc. 1. *hoc mihi ut venias Mater Domini mei ad me?*

3. Quia ſimul Mater eſt omnium prædeſtinatorum.

VIII. Pro partitione hujus ſermonis de Myſterio Annuntiationis Sanctæ Virginis aſſumi poteſt conſenſus, qui reperitur trium admirabilium veritatum.

1. Altiſſimæ elevationis cum profundiſſima humilitate in Maria, quæ declaratur Dei Mater, ſimulque ſe reſpicit tamquam Domini Ancillam: *Ecce Ancilla Domini.*

2. Virginitatis, quam voverat, & quam ſibi præferendam decreverat alteri cuipiam bono, aut dignitati, una cum divina Maternitate; quæ dignitas illi in hoc eodem Myſterio conceſſa fuit.

3. Creaturæ ignotæ in oculis Mundi, quæ Vitam dat Creatori ſuo, & hoc medio procurat Vitam divinam & ſupernaturalem hominibus, qui Myſterii hujus Virtute ſiunt Filii Dei; ex quibus Veritatibus hauriri poſſunt moralia, ac perutilia documenta.

Ut diſcamus in hoc Myſterio, obſequia a nobis Sanctæ Virgini præſtanda propter Deiparæ dignita- IX.
tem, ad quam attollitur hodie, conſiderare debemus Sanctam hanc, beatamque creaturam 1. tamquam objectum cultus noſtri; 2. tamquam confidentiæ noſtræ argumentum. Quæ duæ ſunt partes hujus ſermonis.

Pro prima parte: Maria poſt Deum eſſe debet primum, & præcipuum objectum cultus noſtri. 1. Quia ſi quidquid reſpicit Deum, vel ad illum accedit, vel ad illum pertinet, meretur venerationem, aut cultum, Maria, quæ proculdubio propius ad illum accedit, & quæ arctiſſimam cum illo contraxit affinitatem, meretur cultum eximium quatenus Mater Dei, 2. Quia Dei Voluntas eſt, a nobis in honore haberi, quam ipſe extulit ad tantam dignitatem, quæ meretur hominum, & Angelorum obſequis. 3. Quia Deum colit, qui colit Matrem ejus. 4. Quia Deus ipſe illam habuit in honore, illi ſubditus fuit, eique omnia præſtitit officia, quæ Filius debet illis, a quibus vitam accepit.

Pro parte altera; Maria, quatenus Dei Mater, eſt noſtræ confidentiæ argumentum. 1. Quia Mater eſt etiam Chriſtianorum, & illos materno affectu, & benevolentia complectitur. 2. Propter eam quam habet potentiam, & Auctoritatem apud Filium ſuum. 3. Propter curam, quam gerit, ſalutis noſtræ, cui cum Salvatore cooperatur.

Oſtendi poteſt in hoc Myſterio Cordis Mariæ diſ- X.
poſitio erga dignitatem, quæ illam ſuper omnem attollit celſitudinem, quomodo illam recipit, quomodo illam reſpiciat, cum ſibi exhibetur; quomodo illam recipiat, cum illam recipere cogitur; quomodo denique utatur accepta.

1. Maria reſpicit dignitatem Matris Dei cum metu; nam *Turbata eſt in ſermone* illam ſibi nuntiantis.

2. Prudenter, & caute recipit Dei Maternitatem, quia ad examen revocat media, quæ ſibi proponuntur, ut ad illam perveniat: *Quomodo fiet iſtud.*

3. Maria utitur dignitate Deiparæ cum humilitate; teſtatur enim ſe eſſe Domini Ancillam: *Ecce Ancilla Domini*; quæ tria ſunt puncta elogii quidem pro illa, ſimulque documenti pro nobis. Hoc eſt argumentum. *Patris Aurelianenſis in hoc Myſterio.*

Quæri poſſet cuinam cauſſæ accepta referenda ſit XI.
electio, & diſtinctio, propter quam Deus prætulit Mariam mulieribus ceteris, ut illam ad Deiparæ dignitatem attolleret. Scio equidem rationem hujus prælationis quæri non poſſe a Deo; quoniam ejus Voluntas prima eſt, & ſuprema ratio per ſe, & regula omnis juſtitiæ: ſed ex parte Mariæ, ſi ejus felicitas habenda eſt, objectum fuiſſe hujus electionis, credendum quoque eſt cum Sanctis Patribus, atque Theologis, Sanctitatem, & Virtutem beatæ hujus Creaturæ fuiſſe cauſſam, quæ Deum impulit ad prælationem hanc, & electionem; quæ gloriam incomparabilis hujus Matris conſtituit. Miſſam igitur faciamus ſublimem hanc dignitatem, quæ infirmitatem, & captum noſtrum excedit, & conſideremus illius meritum & Virtutem, quin egrediamur ex argumento, quod nobis proponit Eccleſia.

Prima conſideratio. Maria ſe dignam reddit, quæ eligeretur ad dignitatem Matris Verbi Divini.

Secunda conſideratio. Maria probat ſe dignam eſſe Magnitudine ſua per uſum, quem fecit ejuſdem, videlicet unico verbo. 1. Maria ſe præbuit dignam ſua elevatione, & Magnitudine, antequam illam reciperet: 2. Suſtinuit elevationem, & dignitatem Matris Dei, poſtquam illam recepit.

Pro Puncto primo. Cum dixi Sanctam Virginem præbuiſſe ſe dignam Magnitudine ſua, non ideo dicere intellexi, Deum debuiſſe eligere ſibi illam in Matrem ex Juſtitia, & Incarnationem Verbi in ſinu illius fuiſſe neceſſariam Sanctitatis ejuſdem mercedem. Scio dignitatem Deiparæ donum eſſe gratuitum, quod ſecundum meritorum rationem nequaquam tribuitur, non ſecus ac Dei Incarnatio; & ſicuti nulla poſſibilis Creatura mereri poterat, ut Deus carnem ſuſciperet, ita nulla poterat mereri, ſe fieri Matrem hujus Incarnati Dei. Quod dico, ſupponit determinationem Dei ſeſe hominem faciendi, & ſuppoſita in Deo hac Voluntate adeo conveniente eligendi ſibi in Matrem eam, quæ hac Maternitate eſſet digniſſima; Maria fuit Creatura illa tot Virtutibus prædita: ut illicere poſſet oculos

Dei,

Dei, & quæ quodam in ſenſu mererentur exaltationem ſuam, quemadmodum Sanctus Hieronymus loquitur: *Beata Virgo tantæ fuit puritatis, ut Mater Dei eſſe mereretur.* Traditionem hanc adoptavit Eccleſia, quæ in precibus, quas Sanctæ huic Virgini nuncupat, ait: *Quem meruiſti portare.* Virtutes autem, per quas eximiam hanc meruit eſt dignitatem eo modo quo intelligendum eſt, redigi poſſunt ad tres, quæ maxime ad divinum hoc Myſterium referuntur. 1. Firma, & inconcuſſa fides. 2. Puritas intemerata. 3. Profunda Humilitas, quarum Virtutum Deus petiit difficillimas probationes ex Maria, antequam illam ſibi in Matrem eligeret.

Pro puncto altero. Maria non ſolum dignam ſe præbuit, quæ a Domino eligeretur, ut ingrederetur in ordinem Magnitudinis adeo ſingularis; præterea novit gradum hunc ſuſtinere iis virtutibus, quæ digna erant Matre Dei. Ad hoc probandum, animadvertendum eſt ingrati animi vitium, ſuperbiam, & negligentiam plerumque in hominibus parere communes effectus acquiſitæ dignitatis, quam nulla præceſſerunt merita. 1. Ingrati animi vitium efficit, ut obliviſcantur auctoris fortunarum ſuarum. 2. Superbia inducit oblivionem priſtinæ humilitatis. 3. Negligentia tandem parit oblivionem officiorum ſtatus ſui. Funeſti defectus mundanæ Magnitudinis, a quibus immunis fuit Maria, quandoquidem neque ingratitudo erga Deum, a quo gloriam ſuam receperat, neque humilitatis, de qua ſumpta fuerat, oblivio, neque in obeundis dignitatis ſuæ officiis negligentia, ullam habuerunt partem in univerſa vitæ ejuſdem ratione: quæ ſingula probari poſſunt argumentis depromptis ex Cantico, quod cecinit poſt ſuam exaltationem. *Hæc partitio, & hic ordo eſt Patris Catrou in Sermone manuſcripto de hoc Myſterio.*

XII. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum. Luc.* 1. Propter hanc reſponſionem, & hunc Mariæ conſenſum Dei Filius deſcendit de gloria ſua, & carnem induit in caſtis Virginis hujus viſceribus. Maria concepit Verbum Dei 1. per cordis humilitatem; 2. per Corporis puritatem; Quæ eſt hujus ſermonis diviſio.

Pars prima. Maria concepit Verbum Dei per cordis humilitatem. Humilitas hæc, S. Auguſtinus ait, in hominibus eſſe debet prima, & eſſentialis diſpoſitio ad communicationes Dei: ſi igitur Deus ſibi eligit in Matrem Mariam præ ceteris Mulieribus, hæc illi ſola videtur in ſtatu perfectæ illius humilitatis, quam petit. Et ſane Sanctus Bernardus animadvertit, Deus, qui ſe ipſe humiliaturus erat ſe uſque ad exceſſum, ſibi in humilitate infinite complacere debebat. Sed quid igitur adeo ſingulare fuit in humilitate Mariæ? 1. Hæc fuit humilitas cum meritorum plenitudine conjuncta: ſalutatur tamquam *Gratia plena*, & ipſa reſpondet: ecce ancilla Domini, 2. Fuit humilitas in cumulo honoris. Angelus nuntiat illi, ipſam Dei Matrem futuram, ipſa autem nonniſi ancillæ ſibi nomen vindicat: *Ecce Ancilla Domini.* Hoc Cælum in admirationem rapit; hoc cogit Verbum Dei, ut de Patris ſinu egrediatur, ut ſeſe in Virginis utero claudat; & dum illa ſe humiliat coram Deo, Dei Filius ſe exinanit in illa. *Exinanivit ſemetipſum.* Hinc diſcamus humilitatem. Mater Dei humilis; Deus exinanitus, quænam ſunt nobis documenta! Sine humilitate, nec Chriſtianiſmus eſt, nec Religio; quoniam ſine humilitate neque eſſet Incarnatio, neque homo Deus &c.

Pars ſecunda. Maria concepit Verbum Dei per Corporis ſui puritatem. Propheta prædixerat, Meſſiam ex Virgine naſciturum, & intererat dignitatis Dei, Sanctus Bernardus ait, ut homo factus Matrem Virginem haberet; quævis enim alia Conceptio nitori, & gloriæ divinitatis caliginem offudiſſet? Ita ſecundum egregiam Sancti Bernardi animadverſionem, totum hoc Myſterium tranſigitur Deum inter, Angelum, & Mariam, qui nobis exhibent diverſos perfectiſſimæ puritatis characteres. Quid inde nobis inferendum eſt? Cum Deus per ſe ſit puritas eſſentialis, opus fuiſſe puritate Angelica, & puritate Virginali, ut inter Deum & hominem ſtatueretur hæc inæſtimabilis unio, quæ in Verbo Carne facto adimpleta eſt. Deus ipſe in hoc Myſterio præfert puritatem Virginalem, eligens Matrem Virginem, & legans ad ipſam Angelum, qui apud illam, nonniſi Nuntius eſt. Ne miremur, ſequitur Sanctus Bernardus, quoniam hujus Virginis puritas ejus erat meriti, quod illam ſupra puritatem Angelorum conſtituebat: Angeli enim puri ſunt per naturam, & per privilegium beatitudinis, & gloriæ, ſed Maria erat pura per electionem, & virtutem, & ad quem gradum uſque puritas ejus evaſerat? 1. Eo uſque ut ad Angeli adſpectum contremiſceret, ac turbaretur; effectus vigilantiæ ſuæ, ad ſervandum ſuæ puritatis theſaurum. 2. Eo uſque, ut divinæ Maternitati eſſet abrenuntiatura, potiuſquam Virginitati; quod Deum impulit, ut daret ei Spiritum ſuum, & ipſe in illam deſcenderet, ut fieret Caro: *Verbum caro factum eſt*, Poſt hæc quanam cura ſervare debemus inviolatam corporum noſtrorum puritatem &c. *Ex primo Sermone Patris Bourdaloue de Annuntiatione.*

Tria fœdera admirabilia quæ fiunt in hoc Myſte- XIII.
rio, ſermonis partitionem poſſunt efficere. Fœdus primum eſt Verbi cum Carne, habita ratione JESU CHRISTI, qui fit homo Deus; unde ſequitur Carnem conſideratam in perſona Redemptoris eſſe vere Carnem Dei, & adiiſſe jam poſſeſſionem totius gloriæ Dei.

Fœdus alterum Verbi cum Carne, habita ratione Mariæ, quæ fit vera Dei Mater; cujus divinæ Maternitati innituntur omnes honores, quos illi debemus.

Fœdus tertium Verbi cum Carne, habita ratione Mortalium, qui fiunt Filii Dei, membra hujus hominis-Dei, quia hic noſtram carnem aſſumens contrahit cum nobis arctam affinitatem. *Partitio ſecundi Sermonis Patris ejuſdem de eodem Myſterio.*

Inter Patres conſtat, conſenſum, quem Virgo Sanc- XIV.
ta præſtitit Angelo, momento eodem illam evexiſſe ad dignitatem Matris Dei: auguſtam qualitatem, quæ illam beatiſſimam reddidit, eamque ſimul ſupra omnes creaturas collocavit. Itaque ſi cognoſcere cupimus, 1. Cur nationes omnes declarabunt illam beatam: *Ex hoc enim beatam me dicent omnes generatio- Luc. 1.*
nes. 2. Cur Omnipotens tanta fuerit operatus in illa, extollens illam ſuper ea omnia quæ non ſunt Deus; *quia fecit mihi magna, qui potens eſt*: inveniemus in illius ſubmiſſione & fontem beatitudinis ejus, & principium totius gloriæ ſuæ; unde hauriemus duas illationes maximi momenti in Morali Chriſtiana: quarum altera eſt neminem beatum eſſe poſſe neque in hac, neque in altera vita, niſi ejus voluntas ſit perfecte ſubmiſſa Voluntati Dei: altera vero neminem unquam magnum fore niſi per obedientiam, & ſubmiſſionem imperiis Domini. *Ex Sermone Abbatis de Montmorel in Evangelium Annuntiationis.*

Neſcio, fideles, quid potiſſimum admirari debea- XV.
mus in duplici Myſterio, quod hodierna die nobis præſentat Eccleſia, exinanitionem ne Verbi Æterni, an Mariæ Magnitudinem, an hominum felicitatem? Vobis ne exhibebo Verbum in centro humiliationum demerſum, & uſque ad hominis miſeriam exinanitum? Oſtendam ne vobis Mariam auguſtiſſimo titulorum omnium decoratam, & ad Deiparæ dignitatem evectam? Proponam vobis ob oculos hominem honore, & lætitia cumulatum ad intuitum primitiarum ſalutis ſuæ, quæ illuceſcunt; Deus, qui fit Filius hominis; Virgo, quæ fit Mater Dei; Homines, qui fiunt Filii Dei? Quæ humiliationes! quæ exaltationes! Sed quomodo tot, tamque diverſa miracula unico ſermone liceat complecti? Cum hoc fieri nequeat, immorabor in præcipuo hodiernæ feſtivitatis argumento, ſcilicet in Annuntiatione Mariæ.

1. In verbis Angeli, feliciſſimum hoc nuntium afferentis, conſiderabimus altiſſimum gloriæ faſtigium, quo Creatura poſſit attolli. 2. In Reſponſione Mariæ admirabimur magna virtutum exempla, quæ præ ſe tulit, & quæ oſtendunt ſapientiam Dei in electione, qua Sanctam hanc Virginem ſibi in Matrem deſtinavit. *Ex tomo primo Excerptorum Panegyricorum.*

Ecce concipies, & paries Filium, & vocabis Nomen XVI.
ejus JESUM. Luc. 1. Auguſtum, & ſublime Myſterium quod Angelus hodierna die annuntiat Mariæ verbis Dei duo continet, quæ licet oppoſita, & diverſa, æque noſtras merentur admirationes. Creator Univerſorum eouſque vult ſe demittere, ut ſe ſimilem præbeat creaturæ ſuæ; Creatura vero ad eum gloriæ gradum aſcendit, ut vitam tribuat Creatori ſuo. Itaque ſi pedetentim ſequi velimus id, quod in Evangelio connotatum eſt, nobis ſeparandæ non ſunt humiliationes Filii ab exaltatione Mariæ; ſed Eccleſia, quæ ducitur luminibus Spiritus Sancti, cenſuit aliter ſibi agendum eſſe: & diem hanc Mariæ conſecrat, & de Magnalibus ejus duntaxat verba facit. Certus ſum, vos quoque a me expectare. Me beatum! ſi votis obſequens veſtris, augere potero in vobis, & me, amorem, pietatem, & devotionem, quam habere debemus erga incomparabilem hanc Virginem. Itaque ut veſtræ ſimul, meæque ſatisfaciam cupiditati verba facturus de hac Virginum Regina, unice immorabor ſenſibus quos Cælum de Maria fovet, & quos Maria ipſa de ſe: Quæ duo ſunt teſtimonia, & irreprehenſibilia, ex quibus palam cognoſci poteſt elevatio hujus Virginis Virginum.

1. Senſus quos Cælum habet hac die de Maria nobis adſtruunt juſtam ideam Magnitudinis illius; declarant enim ipſam eſſe gratia plenam, Dominum eſſe cum illa, illam benedictam eſſe inter omnes Mulieres; hinc enim intelligimus, ſupremum illud Ens amaſſe incomparabilem hanc Virginem magis, quam alia manuum ſuarum opera; ideoque nihil illa majus niſi Deum, cetera vero illi minora.

2. Senſus, quos Maria fovet de ſe non minorem nobis adſtruunt ideam Magnitudinis ipſius: ſi enim ſecundum veritatis ejuſdem oraculum, qui ſe humiliat, exaltabitur, & ſi humiliationis noſtræ profunditas juſta eſt noſtræ elevationis menſura, quid nobis ſentiendum eſt de Mariæ humilitate? Nonne primum tenere debet locum coram Deo, quandoquidem ſe reſpicit tamquam noviſſimam ancillam tunc etiam cum attollitur ad Matris ejuſdem dignitatem? Quidquid in Maria eſt, fert ſecum humilitatis characterem, Fides ejus humilis eſt, & ſubmiſſa; puritas illius humilis eſt, quia præfert Virginis qualitatem qualitati Matris, qua ſe indignam exiſtimat: humilis eſt ejus obedientia; humilis voluntatis ejuſdem cum divina conſenſio: nonne igitur concludendum eſt, humilem ſenſum quem habet de ſe, præbere nobis ſublimem ideam ſuæ Magnitudinis. *Sermo Manuſcriptus Patris Stephani Chamillard.*

XVII. Verba hæc Iſaiæ Prophetæ hodierno Myſterio perfecte conveniunt: *Dominus dabit vobis Signum: ecce Virgo concipiet, & pariet filium*: ubi oſtendere poſſumus,

Primum Mariam eſſe Matrem hominum omnium, quibus illa vitam gratiæ, & gloriæ procurat dans vitam naturalem Salvatori. 1. Fieri non poſſe, ut Maria ſit Mater JESU CHRISTI, quin ſit Mater omnium Mortalium; cum enim Maria ſit Mater Capitis, neceſſe eſt illam eſſe Matrem membrorum, illi inſeparabiliter inhærentium. 2. Maria Mater eſt JESU CHRISTI; cum enim illi vitam dederit, dedit ea etiam quæ vitam conſequuntur; ipſum aluit, educavit, omnibus in egeſtatibus illi conſuluit; ſimiliter Maria cum nos pepererit una cum divino Capite noſtro, nobis etiam dat ea, quæ ſpiritualem vitam hanc conſequuntur, conſulens omnibus neceſſitatibus noſtris per viam precum, atque intercesſionis.

Secundo: bonum hoc eſſe infinitum; & nobis utiliſſimum eſſe pro Matre illam habere, quæ hoc in Myſterio Mater Dei declaratur. Quoniam 1. JESU CHRISTO facto Mariæ Filio, nos, ut ille, per gratiam attollimur ad incomparabilem dignitatem Filiorum Dei, & ad omnia privilegia huic dignitati inhærentia 2. Mariam novam legem aperiendo per Verbum hominem factum, cui dedit Nativitatem, omnia novæ legis bona effundere in homines, qui ſunt adoptivi ejus filii. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta. Tomo 2.*

XVIII. Myſterium hoc penitus contemplando, oſtendere poſſumus: primo; ſicuti Pater Æternus eſt perfecte Pater Verbi, quia illud ſolus gignit ſine concurſu alterius cujuſpiam principii; ſimiliter Mariam perfecte Matrem eſſe Verbi Incarnati; quia illud concipit in ſinu ſuo, quin caro, aut Sanguis ullam ſibi vindicent partem. Hoc nobis immittit magnum amorem erga Deum, & profundam venerationem erga Mariam, qui nobis dant Unigenitum filium ſuum omnino in uſus noſtros conſecrandum.

Secundo: ſicuti Pater Æternus ita Pater eſt, ut nihilominus gignat parem ſibi in omnibus; ſed per Incarnationem, ille, qui par erat in omnibus illi, fit inferior, ita ut ille ſit Creator, & Dominus illius, qui ab illo recepit eamdem ſubſtantiam, eadem attributa, eaſdemque perfectiones: ſimiliter Mariam per Incarnationis Myſterium, fieri Dominam illius, qui Creator ipſius eſt; quod nobis profundam inſpirat humilitatem, videntibus Verbum quodammodo deſcendere de throno, ut ſubjiciat ſe non ſolum Patri, cujus æqualis eſt in omnibus, ſed etiam uni ex creaturis ſuis, habenti jus illi imperandi.

Tertio: ſicuti per Incarnationem Pater Æternus fit Pater plurimorom Filiorum, quia omnes Chriſtiani unam duntaxat perſonam efficiunt cum JESU CHRISTO, & ſunt Fratres illius; ita Maria facta Mater JESU CHRISTI, fit Mater omnium Chriſtianorum, quoniam conjuncti ſunt cum JESU CHRISTO tamquam membra cum capite, quod nobis inſpirat perfectam gratitudinem erga Patrem Æternum, & Mariam, qui nos adoptant in Filios, & ingentem amorem erga utrumque; etenim unam tantum familiam componimus, cujus JESUS CHRISTUS eſt Pater, Mater autem Maria.

XIX. Luc. 1. Attingentes Myſterium, tractare poſſumus moraliter, pro textu aſſumendo verba illa: *Ecce concipies in utero, & paries filium*: & oſtendere

1. Quod fecit Deus in hoc Myſterio pro ſancta Virgine, fidelis eſt Imago ejus rei, quam quotidie facit pro nobis, ut applicet nobis fructum hujus Myſterii. Etenim 1. Deus quærit Mariam, ut Myſterium hoc impleatur, & mittit Angelum ad illam, a quo certior fiat divini Conſilii; hoc ipſum nobiſcum operatur, nos præveniens, & quærens. 2. Aperit Deus Mariæ bona, quæ ex hoc Myſterio illi erant ceſſura: Ipſam videlicet Virginem futuram, & Matrem; nos quoque docet voluntates ſuas, & pretioſos effectus, qui eas coronabunt. 3. Omnes illi aufert difficultates, docens illam per Angelum, quomodo illud fieri poſſet; Deus ſimili ratione facit, ut poſſibile nobis videatur, quod fieri non poſſe videbatur; ſternit vias, quæ nos ad Illum adducunt.

2. Quod Maria facit, ut Dei Conſiliis obſequatur, imago eſt rei illius, quæ nobis facienda eſt, ut concurramus ad ea, quæ de nobis habet, conſilia; & ſi Maria turbata eſt ad Angeli adſpectum, & Magnitudinem rerum, quæ ſibi dicebantur, humilitas prima fuit diſpoſitio, quam attulit ad Dei de ſe Conſilia adimplenda: ſimiliter nihili noſtri, noſtræque infirmitatis cognitio primum eſt fundamentum quod habere debemus, ut concurramus ad magna Dei de nobis Conſilia: Puritas ejus, & conſenſus conſummaverunt magna Dei de eadem Conſilia; puritas cordis, & corporis, voluntas ſubmiſſa voluntati Dei, eoſdem in nobis effectus operabuntur. *Ex tomo primo Elegiorum hiſtoricorum.*

Conſiderantes verba illa, quæ Angelus dixit Mariæ: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* oſtendere poſſumus,

Primo Mariam præ ſe tuliſſe ſummam animi Magnitudinem, detrectando Matrem eſſe Dei, ſi qualitas hæc obfutura fuiſſet Virginitati. Quoniam 1. ſincera diſpoſitio, quæ occupabat cor ſuum erat concedendi alteri cuipiam dignitatem Deiparæ; Sanctus enim Gregorius Nyſſenus ait, ipſam primo voto ſuo adhæſiſſe. *Angelus partum nuntiat, at illa virginitati inhæret.* 2. Maria generoſe omnibus abrenuntiabat privilegiis ſupremæ huic dignitati inhærentibus, cujuſmodi erat, eſſe hominum Redemptricem, JESU CHRISTO ſubordinatam, Reginam Cæli, & terræ &c. XX.

Secundo Mariam præ ſe tuliſſe ſummam animi Magnitudinem acceptando JESU CHRISTI Maternitatem: quia 1. acceptans illam objiciebat ſe ſuſpicionibus S. Joſeph, injuſſa hoc illi aperire Myſterium; & objiciebat ſe, ut a Pharifæis lapidibus peteretur. Ita Mariam ſuam objiciebat exiſtimationem, eſuſque offerebat Sacrificium. 2. Faciebat Sacrificium ſuæ tranquillitatis, cognoſcens JESU CHRISTI vitam non aliud futuram niſi jugem ſeriem perſecutionum. 3. Denique prævidebat Filium ſuum ſacrificatum iri; & nihilominus per admirabilem generoſitatem, ſe Domini ancillam dicit. *Pater de la Colombiere tomo 2. Sermonum ſuorum.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri poteſt copia ad has Sermonum ſtructuras exornandas, & auctores de hoc argumento pertractantes.

Sanctus Auguſtinus ſerm. 1. de Annuntiatione, ubi deſcribit legationem Angeli, & hujus cum Virgine colloquium. Sancti Patres.

Idem in Sermone 2. de eodem feſto fuſius perſequitur laudes Beatæ Virginis, admiratur Deiparæ dignitatem, fœcunditatem ſine Virginitatis jactura; laudat ejus humilitatem, & obedientiam, & divinæ voluntati ſubmiſſionem.

Idem alibi etiam de re hac loquitur, veluti in ſermonibus 17. 18. 21. 25. *de tempore, & de Sanctis.*

Idem loquitur etiam in libro ſecundo de *Symbolo.*

S. Baſilius Magnus, *homil. de humana CHRISTI generatione*, ubi rationes adfert, propter quas Salvator naſci voluit de Virgine; & voluit Virginem hanc nuptui traditam eſſe, & alia plura adfert ad hoc Myſterium ſpectantia.

S. Baſilius Seleocienſis in Bibliotheca Patrum eximiam habet Orationem de Annuntiatione Sanctæ Virginis, ubi agit da omnibus circumſtantiis Incarnationis, ſive ad Deum, ſive ad Sanctam Matrem ſpectantibus.

S. Chryſoſtomus, Sermonem habet de eodem Annuntiationis Myſterio, *tom. 7. ſerm. 35.* ubi explicat, & ad examen revocat ſingula verba Angelicæ Salutationis.

Venerabilis Beda homil. 1. in hujus diei Evangelium, notat hujus Angeli dignitatem, tempus, quo Verbum æternum conceptum fuit in Mariæ ſinu, & omnes circumſtantias memorat, quæ a Prophetis, & Evangelio referuntur.

Idem in homilia 2. inter cetera potiſſimum immoratur, oſtendens divinam Spiritus Sancti operationem, quod proſequitur in tribus ſubſequentibus homiliis, & tribus aliis ſermonibus.

S. Chryſologus novem habet Sermones de perſona JESU CHRISTI, & Elevatione Matris ejuſdem.

Sanctus Andreas Jeroſolymitanus, edidit Orationem de ſalutatione Angelica, & colloquio cum Beata Virgine.

S. Anaſtaſius Sinaita tomo primo Bibliothecæ Patrum, tractans de Verbi Incarnatione, loquitur de Virginis puritate.

Cardinalis Petrus Damiani *ſerm. de Annuntiatione* fuſius verba facit de divina Maternitate, & de iis

quæ

quæ pertinet ad Sanctam Virginem in Incarnationis Myſterio.

Sanctus Gregorius Thaumaturgus tres habet Sermones de hodierna feſtivitate, ſed tertius habetur inter ſermones Sancti Chryſoſtomi Tomo ſexto.

Ivo Carnotenſis *in ſerm. de Annunciat.* loquitur ferè de admirabili Mariæ puritate.

Sanctus Odilon Abbas in ſermone de Incarnatione, cum admiratione loquitur de Matre Dei per totum ſermonem.

Sanctus Bruno Sermonem habet de hac feſtivitate, quam tenet originem eſſe, & principium omnium feſtivitatum, quæ celebrantur in honorem Sanctorum Myſteriorum.

Theodorus Studita in Sermone ſecundo de Annuntiationis Myſterio laudat potiſſimum puritatem Virginis Deiparæ: *in Auctario Biblioth. Patrum Catecheſi 65.*

Sanctus Cyrillus Alexandrinus in concione, quam habuit in Concilio Epheſino, ubi mirum in modum loquitur de titulo Deiparæ, cujus præcipuus fuit propugnator.

Sanctus Proculus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, qui dignitatem Deiparæ contra Neſtorium propugnavit, elucubratus eſt elogium incomparabilis hujus Virginis, in Gallicum idioma translatum ab Abb. de Bellegarde ad calcem verſionis Sermonum Sancti Baſilii.

Sanctus Laurentius Juſtiniani Sermonem habet de hoc Myſterio, ubi oſtendit Mariæ Sanctitatem, & immunitatem a peccato cauſſam fuiſſe propter quam Verbum æternum elegit illam ſibi in Matrem.

Sanctus Bernardus quatuor habet homilias in Evangelium *Miſſus eſt*, ubi non loquitur niſi de Laudibus, Virtutibus, & diſpoſitionibus Sanctæ Virginis in hoc Myſterio.

Idem habet Sermones tres de Annuntiatione, ſed ibi loquitur potius de Salvatoris adventu, & de fructibus Incarnationis, quam de hominis-Dei Matre.

Sanctus Joannes Damaſcenus *in Cantic. num. ſolut.*

Sanctus Thomas præter ea, quæ habet de hoc Myſterio in ſumma *parte 3. quæſt.* 30. duos habet hujus argumenti Sermones: primum in verba illa Iſaiæ; *Egredietur Virga de radice Jeſſe*, &c. & alterum in verba illa: *Benedicta tu in Mulieribus*, &c. in quo fuſius verba facit de Sancta Virgine.

Abbas Guerricus tres habet Sermones de Annunciatione, ubi loquitur de modo, quo Maria ſe geſſit in hoc Myſterio.

Gerſon in Sermone de Annunciatione in illa Evangelii verba, *Ave Maria gratia plena*, diverſas adfert in hoc argumento Morales animadverſiones, quæ ipſum augent argumentum.

Sanctus Bernardinus Senenſis tres habet Sanctæ Virginis Sermones, ubi magis explicite loquitur de Myſterio Annunciationis; primum de Angelica ſalutatione, ſecundum de Conſenſu, quem Maria præbuit verbis, quæ ſibi Dei Nomine nunciabantur; tertium de mirabilibus effectibus hujus Conſenſus.

Albertus Magnus tres pariter habet Sermones de hoc Myſterio, in quorum altero, ac tertio latius verba facit de benedictionibus, quas propter, & poſt hoc Myſterium Beatiſſima Virgo recepit.

Lanſpergius in ſecundo Tomo operum ſuorum tres habet Sermones de Annunciationis Myſterio.

Hugo de Sancto Victore *Tomo 2. ſerm.* 18. & 33. tractat de hoc Myſterio, ſed potiſſimum loquitur de Incarnatione.

Sanctus Thomas Villanovanus duos habet Sermones, alterum de excellentia hujus Myſterii, & de Angelica legatione, alterum de laudibus Sanctæ Virginis, quos ad perſonas religioſas dirigit.

Aſcetici aliique.

Quin loquamur de Theologis ſcholaſticis, qui de hoc argumento pertractarunt, cujuſmodi ſunt Sanctus Thomas, Suarez, aliique, vel de Interpretibus in Evangelium SS. Matthæi, & Lucæ: præcipui Aſcetici ſunt.

Granatenſis in Memoriali *tit. 6. cap.* 4. ubi agit de Incarnatione, ſingillatim attingit ea, quæ ad Dei Matrem pertinent.

Pater Gibieu, Oratorii Sacerdos, in libro, quem edidit de Beata Virgine.

Cardinalis de Berule in vita JESU CHRISTI, quæ eſt in collectione operum ejus a capite 7. uſque ad vigeſimum incluſive, ubi agit de iis omnibus, quæ ad hoc Myſterium referuntur.

Pater Bourgoin ejuſdem Congregationis in veritatibus, & prærogativis Verbi Incarnati plures habet Meditationes de iis, quæ acciderunt in Angeli legatione, & de virtutibus Beatæ Virginis in hac occaſione.

Pater a Ponta Parte 2. Meditationum de Myſteriis fidei, Meditatione 6.

Pater Suffren Tomo 2. Anni Chriſtiani in Meditationibus de Adventu; & in eodem Tomo Medit. pro die Martii 25.

Pater Haineuve *in parte 2. Meditat.* verſus finem voluminis Meditationem habet hujus argumenti pro die 25. Martii.

Pater Novet in Tomo 7. Hominis Orationis habet 10. vel 12. Meditationes in omnes circumſtantias hujus Myſterii, ubi loquitur de JESU CHRISTO in Sanctæ Virginis ſinu.

Pater Craſſet in alloquiis de Adventu plures habet hujus Myſterii Meditationes de hoc Myſterio, ejuſque præcipuis circumſtantiis.

Generatim loquendo quicumque ediderunt Meditationes de Myſteriis Religionis noſtræ, illud Incarnationis non prætermiſerunt; ideoque nec partem, quam Sancta Virgo habuit in hoc Myſterio incomprehenſibili.

Idem Pater Craſſet in libro de Devotione ad Beatam Virginem Parte 2. tractat. 1. articulo 2. oſtendit Virginem ſingulariter eſſe colendam propter qualitatem Deiparæ, & narrat quid in Epheſino Concilio contigerit contra Neſtorium, qui illi glorioſum hunc titulum negabat.

Pater Poire in triplici Corona fuſius tractat quidquid pertinet ad honorem, cultum, virtutes, dona, privilegia Sanctæ Virginis, ſed latius tamen loquitur de titulo Deiparæ.

Pater Honoratus Nicquet in libro, cui titulus: *Virginis famulus*; in compendium collegit quidquid Auctores boni ſcripſerunt in honorem glorioſæ Virginis, & incœpit librum ſuum a titulo Matris Dei.

In libro latino, cui titulus *Nomenclator Marianus* idem collegit omnia elogia omneſque titulos honoris Deiparæ.

Pater Aurelianenſis in excellenti tractatu de Devotione ad Sanctam Virginem illum exorditur probans hunc titulum Matris Dei, & narrat Neſtorii factum, & in hoc titulo Matris Incarnati Verbi conſtituit ſublimes ſenſus quos habere debemus de hac Cæli Regina.

Pater Nepveu Tomo primo Chriſtianarum Conſiderationum.

Pater Croiſet in aſceticis exercitationibus in ſingulos anni dies.

Pater le Valois Tomo 4. Operum Aſceticorum colloquio tertio de Annunciatione.

Pater de Argentano Capuccinus in Collationibus de Magnalibus Sanctæ Virginis, Collatione 11. ubi in pluribus articulis habet quidquid Theologicum, & morale eſt de Annunciatione.

Liber cui titulus *Hortus Paſtorum tract. 3. lect.* 21. de Conceptione JESU CHRISTI in caſtis Viſceribus Mariæ.

Idem *lection.* 33. loquitur de Virginitate Mariæ in hoc Myſterio:

Liber, qui inſcribitur; *Diſcurſus prædicabiles ſuper Litanias Lauretanas* Tom. 2. diſcurſ. 223. loquitur de die feſto Annunciationis, & in Tomo primo *diſcurſu* 117. de titulo Deiparæ.

Molinier Tomo 2. Panegyricorum. Hic auctor licet paullo antiquior novam invexit prædicandi rationem. *Concionatores recentiores.*

Mathias Faber latinos edidit Sermones; in Tomo Sanctorum Sermones habet in omnes partes, ſeu circumſtantias Myſterii.

Biroat in Sermonibus de Myſteriis Virginis unum habet de hoc Myſterio.

Pater Texier in Myſteriis Virginis.

Pater de la Colombiere in 2. Tomo Sermonum unum habet de eodem Myſterio.

Pater Duneau duos habet de hac feſtivitate in Tomo Myſteriorum Virginis.

Pater Aurelianenſis in Tomo 2. Sermonum.

Pater Senault in Panegyricis Sanctorum, Tomo 1. in diem feſtum hunc habet Virginis panegyricum, de Virginitate.

Pater Bourdalove in Tomo 2. Myſteriorum duos habet Sermones de Annunciatione.

Lambert in Tomo quinto anni Evangelici habet homiliam in Evangelium Annunciationis Mariæ, & Incarnationis Verbi.

Abbas de Monmorel Tomo 7. habet homiliam, & Sermonem in Evangelium hujus diei.

Auctor Sermonum in omnia argumenta in Myſteriis Beatæ Virginis, duos habet hujus argumenti Sermones.

Liber, qui inſcribitur Hiſtorica Sanctorum elogia, Sermonem habet de feſto die Annunciationis.

Pater le Jeune *Tom. 4. ſerm.* 104. Sermonem habet de hoc Myſterio.

In ſpeciminibus Orationum Panegyricarum Tomo primo, non deeſt Sermo hujus argumenti.

Lonher } Titulo *Maria*.
Labatha } *Qui collectanea ſcripſerunt.*

Carthagena in homiliis de Beata Virgine.

Loci communes Granatenſis. Titulo *Maria*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Scripturarum huic argumento.

B*Enedicentur in ſemine tuo omnes tribus terræ.* Geneſis 28.

Benedicta tu a Deo tuo in omni Tabernaculo Jacob; quoniam in omni gente, quæ audierit Nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus Iſrael. Judith 13.

Benedixit te Dominus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros. Ibidem.

Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus. Pſalm. 45.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas. Prov. 31.

In plenitudine Sanctorum detentio mea. Eccli. 24.

Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Iſaiæ 45.

Novum creavit Dominus ſuper terram, femina circumdabit virum. Jerem. 31.

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur Nomen ejus Emmanuel. Iſaiæ 7.

Jacob genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt JESUS. Matth. 1.

Inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto. Ibidem.

Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Ibidem.

Pariet autem Filium, & vocabis Nomen ejus JESUM. Ibidem.

Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo ad Virginem deſponſatam viro, & Nomen Virginis, Maria. Lucæ 1.

Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Ibidem.

Quæ cum audiſſet, turbata eſt, & cogitabat qualis eſſet hæc ſalutatio. Ibidem.

Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum. Ibidem.

Ecce concipies in utero, & paries filium. Ibidem.

Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Ibidem.

Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ibidem.

Quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei. Ibidem.

Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum Verbum tuum. Ibidem.

Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ibidem.

Fecit potentiam in brachio ſuo. Ibidem.

Beata quæ credidiſti. Ibidem.

Ubi venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum factum ex Muliere. Ad Galat. 4.

Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti. Lucæ 11.

Signum magnum, quod apparuit in Cælo, Mulier amicta ſole. Apocal. 12.

Exempla, Figuræ, prædictiones ex veteri Teſtamento deſumpta ad hoc argumentum.

Antitheſis inter Mariam, quæ reparavit genus humanum, & Evâ, quæ illum perdidit.

IN Mundi principio voluit Deus ex oſſibus, & carne primi hominis efformare corpus primæ mulieris, quæ nos perdidit omnes; atque ut hoc Myſterium inciperet per Mundi reparationem, voluit e contra ex Sanguine primæ mulieris, quæ fuit cauſſa noſtræ felicitatis, primum hominem facere, qui nos omnes ſalvos fecit. Homo dedit ſui corporis partem, ut formaretur illud Mulieris, quæ mortem inflixit univerſæ poſteritati; ſed in hoc Myſterio Mulier confert partem corporis ſui ad formandum corpus hominis, qui daret vitam gratiæ illi, & univerſæ noſtræ naturæ. Hæc femina fuit, quæ ex Adæ ſinu egreſſa nos omnes filios dæmonis fecit, cui credidit; ſed hic eſt homo, qui egreditur de ſinu Virginis, ut nos omnes faciat filios Dei viventis, quem credimus. Profecto æquum erat, ut Deus inverteret ordinem duorum horum Miraculorum, quoniam effectus eorum adeo diverſos effecit. Ut nobis daret cauſſam remedii, danda non erat per eamdem viam, per quam venerat cauſſa mali noſtri; & fortaſſe dubitaviſſemus de Salute noſtra, ſi nobis oblata fuiſſet eodem modo, quo noſter interitus venerat.

Angelus longe aliter ſe gerit cum S. Virgine, ac Angeli ſeſe gerebant cu illuſtribus mulieribus veteris Teſtamenti, ad quas mittebantur.

Scita eſt Sancti Joannis Chryſoſtomi animadverſio, Angelos, qui alias apparuerunt illuſtribus Mulieribus legis antiquæ, nequaquam uſos fuiſſe illis ſalutationibus, quibus Angelus Gabriel utitur in hoc Myſterio ad honorandam Sanctiſſimam Virginem. Sara, & Agar ab Angelis viſitatæ fuerunt, ſed minori cum honore fuerunt exceptæ. Angelus Domini illam eſt allocutus ſine ulla præparatione; ſed illæ mulieres ſe ſe proſtraverunt coram legatis ad ſe miſſis a Deo, & coluerunt ſuperioritatem eorum Spirituum ſupra ſe. Archangelus qui apparuit Mariæ cum omni honoris ſignificatione illam excepit: eam reverenter ſalvere jubet, & tamquam Reginam fatetur: *Ave*. In perſona illius reveretur gratiæ plenitudinem; *gratia plena*, invenit Dominum jam habitantem in illa, antequam in ſinu ejus carnem ſumpſiſſet, *Dominus tecum*. Cur tantus hic honor Mariæ adhibetur? numquid merito illius, an ejus felicitati debetur? Utrique procul dubio. *Ex Sermone Patris Caroni de Annuntiatione.*

Figuræ Virginitatis fœcundæ in Deipara.

Cum noſtrum minime ſit explicare Myſterium Hominis-Dei, & geminum illud fœcundæ Virginitatis, quidquid Patres nobis hac in re ſuppeditant, ſunt diverſæ figuræ veteris Teſtamenti, vel prodigia ſenſibilia, quæ variis temporibus acciderunt, tamquam ad nos præparandos, ut aliud toto Cælo majus crederemus. Ita conſiderare debemus rubum ardentem, & incombuſtum; Virgam Aaron ex ſe florentem; lapidem ſponte avulſum ex monte, quin alicujus hominis manu impelleretur; rorem Cæli in vellus Gedeonis dilapſum, quin proxima area madeſceret; ſed nihil aptius noſmet perſuadere poteſt, quam Angeli verba: *Quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.*

Exod. 3.
Daniel. 2.
Judic. 6.
Lucæ 1.

Diſcrimen inter gratiæ plenitudiné, quā recepit Maria, & quam Scripturæ receptā ait a quibuſdā Sanctis.

Non deſunt plures Sancti, quorum Sanctitas fuerit inferior Sanctitati Mariæ, & qui nihil ſecius appellati fuerunt pleni gratia. Sanctus Joannes Baptiſta, Sanctus Stephanus, Apoſtoli, & Diaconi, qui inſtituti ſunt in eorum auxilium in miniſterio officiorum ſuorum, pleni Sapientia, & Spiritu Sancto, ac tot alii Sancti, qui receperunt gratiæ plenitudinem parem muneri ad quod erant deſtinati. Verum ſemper meminiſſe opus eſt ſive præceſſerint, ſive ſubſecuti fuerint Sanctam hanc Virginem, illos nequaquam conſecutos fuiſſe eamdem plenitudinem; & alios nonniſi levem fuiſſe imaginem Sanctitatis Mariæ, & parvulos tantum rivulos ubi conferantur cum Maria, in quam Salvator, qui gratiæ fons eſt, atque auctor ſeſe uberrime effudit. Tandem enim omnes Sancti iſti, qui cum Scriptura vocari poſſunt pleni gratia, nomen hoc non merentur, niſi prout fuerunt quædam leves adumbrationes Mariæ, ita ut quiſque pro modulo ſuo dicere poſſit; *De plenitudine ejus accepimus omnes.* Joann. 1.

Dies, qua Sanctæ Virgini nunciatū fuit hoc imperium nobis fuit æque felix, ac funeſta illa, qua Eva ſeduxit Virū ſuum.

Sicuti nulla dies nobis accidit magis funeſta, quam illa, qua Mulier prima a dæmone decepta virum ſuum decepit, & qua in Adam de terreſtri Paradiſo fuimus ejecti, ac morte damnati; ita nulla dies eſt, quæ nos majori afficere debeat lætitia, quam illa, qua ab Angelo nunciatum fuit Mariam Matrem futuram, & pariturám Filium, qui omnibus calamitatibus noſtris finem faceret. Si Mulier prima fuit lapſus noſtri cauſſa, mulieri debemus reſurrectionem noſtram. Si Eva nobis mortem inflixit, Maria nos ad vitam revocavit.

Iſaiæ prophetia, & promiſſio Virginem pariturā hominem Deum adimpleta fuit in Myſterio Annunciationis.

Cum Rex Achaz extremo conflictaretur morbo, Iſaias Propheta illum adhortatus eſt, ut confugeret ad Deum, & in uno illo omnem ſpem collocaret. Infelix ille Rex id facere detrectat, & Deus occaſionem arripit ex fidei ejus defectu, præbendi populo ſuo nova ſuæ bonitatis argumenta. Cum omnia jam conclamata viderentur, & Deus ipſe oblivioni dediſſe, ac repuliſſe populum ſuum, inſtaurat promiſſionem, qua jam pollicitus fuerat, ſe illi Salvatorem daturum, eique præbet indicium magis ſingulare, magiſque connotatum, ita ut nihil ulterius expeti poſſet, & exoptari; *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur Nomen ejus Emmanuel*, hoc eſt, *nobiſcum Deus*. Prodigium eſt ſingulare, & ineffabile, & prædictum fuit annis octingentis antequam accideret. Admirabile hoc prodigium accidit. Reſponſio Mariæ; ſtupor Joſeph videntis tumidum ventrem, omnia invicta probant argumentis Virginitatem admirabilis hujus Genitricis. Maria fuit beata illa Virgo, quæ concepit, & peperit Deum hunc hominem factum, *qui in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*. Numquid majus exquirere poteſtis prodigium in Cælo, vel in terra ad fidem veſtram firmandam?

Iſaiæ 7.
Baruch 3.

Dominus eſt cū Maria alio modo, quam cum Gedeone, cui Angelus hæc eadē protulit verba: Dominus tecum.

Verum eſt, Angelum multo antequam Archangelus Gabriel diceret Virgini, Dominum eſſe cum illa: *Dominus tecum*, Angelum, inquam, iiſdem verbis uſum eſſe, cum Gedeonem alloqueretur: *Dominus tecum vir fortiſſime*, ſed hoc illi dictum fuit in ſenſu prorſus diverſo. Tunc votum nuncupabatur, ut ſtrenuo huic Viro Dominus adeſſet, & ferret opem; ſed in loco Gabriel Archangelus affirmat, & declarat id, quod reipſa eſt: *Dominus tecum* dicit illi, & eſt modo magis ſingulari, quam fuerit unquam, aut futurus ſit cum aliquo Sanctorum. Pater Æternus eſt tecum, quoniam facit te Matrem in tempore ejus Filii, cujus ipſe Pater eſt ab æterno. Filius eſt tecum, inaudito quippe miraculo carnem aſſumit in utero tuo. Spiritus Sanctus eſt tecum, quia prodigium hoc eſt opus illius. *Dominus tecum*. Dominus tecum eſt in corde, & in ſinu tuo; in corde per gratiam; in ſinu per humanitatem.

Exēpla turbationis, quam Angeli præſentia peperit in nonnullis perſonis.

Sancta Virgo turbatur audiens, quod ſibi nunciabatur ab Angelo. Turbatio hæc non oritur ex metu mortis, ut olim in Gedeone, & Manue; qui exclamabant; moriar, quia vidi Angelum Domini; Tur-

batio,

ſonis in antiqua lege comparata cū turbatione Sanctæ Virginis Mariæ.

batio, quæ non prævertit rationem, ut in Zacharia; ſed quæ profecta eſt ipſa rationis attentione ob incomprehenſibilitatem Myſterii, quod illi nuntiatum fuit; & legimus in Scripturis Reginam Eſther expalluiſſe, contremuiſſe, defeciſſe viribus; eo quod conſideravit Majeſtatem Regis Aſſueri, coram quo ſe præſentavit; Quamvis Rex illam diligeret, & illam recrearet, & omnem timorem dimittere imperaret, non potuit tamen ſuam abjicere trepidationem: *Vidi te Domine, quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ*. Magne Rex videns te, mihi viſa ſum videre Angelum Dei, & fulgor gloriæ tuæ me tali terrore percuſſit, ut turbata fuerint anima mea. Hinc conjicite, quam timoris impreſſionem facere poterat in Maria cogitatio, & conſideratio rei illius, quæ ſibi nuntiabatur; Deum Majeſtatis ex utero ſuo naſciturum.

Judic. 5.

Non defuere Mulieres, quæ nituerunt propter fortitudinem, & laudes, atque benedictiones ſibi promeruerunt: In Scripturis Sanctis Debora, & Barac celebrantur in Canticis, quæ poſt Siſaræ cladem concinunt, ubi dicunt Jaelem *benedictam eſſe inter Mulieres*. Cum Judith in Bethuliam rediit poſt amputatum caput Holophernis, excipitur ab Oſia populi Principe, ita illam alloquente: *Benedicta es tu Filia a Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram*. Quamvis hæ Mulieres Sanctæ jure meritæ ſint gloriam ipſis datam, haud ægre fatebuntur Matrem Domini ſibi eſſe præferendam. Benedictæ ſunt inter omnes Mulieres, quia propter animi fortitudinem ſexus ſui ſuperiorem ſeſe maximis objecere periculis, ut liberarent populum ſuum ab impendentibus malis; ſed illæ a Maria ſuperantur, quia ipſa invenit gratiam apud Deum, & ab eo electa fuit Mater futura illius, qui *ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*.

Judith 13. & 15.

Elevatio Virginis collata cum elevatione Reginæ Eſther.

Si quis videre vult ſpecimen, & exemplum elevationis, quam Deus efficere voluit in Judæi populi gratiam de Maria, repetenda eſt memoria admirabilis illius elevationis, qua Eſther ad Imperii ſedem ſublata fuit. Virgo erat captiva in Perſarum imperio, cum toto Judæorum populo; vivebatque ignota apud Mardochæum avunculum ſuum, a quo tamquam Patre educabatur. Sed ubi a Rege Aſſuero viſa eſt, Rex illius pulcritudine, & Sapientia illectus, ſtatim ſibi eam delegit Sponſam, & magni Imperii ſui Reginam conſtituit. Omnes tantum illius dignitatem admirati ſunt, ipſa etiam obſtupuit; eo uſque tandem, ut cum populus ſuus univerſus jam jam tyrannide ambitioſi Amani eſſet opprimendus, agnovit ſe ad tantum apicem evectam fuiſſe, ut ſalvaret populum ſuum, illum ab imminenti, gravique periculo liberans. En profecto ſpecimen illius exaltationis, qua Deus Mariam attollere voluit, & naturalis imago eorum, quæ in Myſterio Incarnationis contigerunt. Maria eſt Adæ Filia, repleta quidem omnibus virtutibus, ſed omnino aliena a cogitatione illius gratiæ, quam illi præparat Deus. Humilem ducit vitam in oppido Nazareth, in domo Fabri, ſponſi quidem ſui, ſed æque Virginis, ac illa: Sed illam repente Angeli Miniſterio admonet Deus magni illius Conſilii, quod habet de ipſa; & tandem eligitur Dei Mater futura; & de hujus electionis fine docetur, ut videlicet cum Deo-homine, quem eſt paritura, humani generis ſalutem operetur;

Sancta Virgo, quatenus Mater Salvatoris conſequenter Mater eſt omnium juſtorū, & prædeſtinatorum.

Iſaiæ 5.

Si in natura jure Propheta Iſaias appellavit Saram uxorem Abrahæ Matrem totius populi Judaici, quia fuit Mater Iſaac, a quo populus ille deſcendit: *Attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos*: & ſi Deus ipſe olim Rebeccæ dixit, illam in utero ſuo duos integros habere populos propter Eſau, & Jacob, quos ventre ferebat; cur non licebit nobis in ordine gratiæ aſſerere, Beatam Virginem, quæ ſinu ſuo gerebat Mundi Salvatorem, omnes etiam Chriſtianos geſtaſſe? Poteſtne quiſpiam ambigere utrum illam appellet Matrem omnium, qui Patrem habent Salvatorem Mundi, & quem Iſaias Patrem futuri ſæculi appellat; vel ut alia habet verſio, Patrem æternitatis? Sanctus Bonaventura non patitur hac de re dubitari: *Numquid ſolius CHRISTI Mater eſt Maria? certe, quod jucundiſſimum eſt, etiam fidelium omnium Mater eſt univerſalis*. Et alii Patres comparantes benedictionem, quam Deus pollicitus eſt Abrahæ, & fructui, quem Sara erat paritura cum benedictione, quam tribuit Eccleſia virginali utero Mariæ: *Benedictus fructus ventris tui*, addunt, quantum gratia naturam ſuperat, tantum felicitatem, quam nobis Maria procuravit, dans nobis Filium ſuum, ſuperare illum, quem Iſaac daturus erat huic electo populo, & per ſingularem prærogativam vocato Populo Dei.

In ſpeculo Virgin.

Sancta Eliſabeth, quam Virgo viſitavit ſimul, ac concepit Verbum æternum in ſinu ſuo, utrumque adjecit ſalutans illam tamquam Matrem Dei ſui: *Benedicta tu inter Mulieres, & benedictus fructus ventris tui*: illa quidem benedicta eſt, & quod Deo peperit infinitam filiorum per adoptionem multitudinem; ſed

Luc. 1.

fructus Virginalis uteri ſui non minus benedictus eſt; cum enim per naturam ſit ſolus Dei, & Mariæ filius, plures habet fratres per gratiam, & adoptionem. Hoc modo Maria vere eſt Mater viventium, facit enim filios gratiæ eos, qui naſcuntur filii mortis, & jure dicere poteſt, quod olim dixit prima omnium Mulierum poſtquam peperit alium filium in locum Abel a Fratre interfecti: *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel quem occidit Cain*; & ex hoc filio frequentior orietur mihi poſteritas, pro quo vocabor Mater gratiæ, Mater viventium, & Mater benedictionis.

Geneſ. 4.

Applicatio quorumdam locorum Scripturæ huic argumento.

Quam glorioſa fuerit legatio ad Sanctā Virginem miſſa, quocumque ex loco ſpectetur.

Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo, &c. Lucæ 1. Hæc eſt legatio omnium celeberrima, & glorioſiſſima, ſive ſpectetur Majeſtas legantis, vel qualitas illius, ad quam legatur, ſeu meritum Legati, ſive magnitudo negotii, propter quod legatur. Deus hanc mittit legationem, & eum dico Deum, illum dico, coram quo quidquid magnitudinis, & Majeſtatis in Mundo eſt, minus eſt nihilo. Mittitur ad Mariam, ex Patriarchis ortam, hæredem Regum Juda, Dominam hominum, & Angelorum. Legatus eſt Gabriel Archangelus, qui in nomine ſuo, quod Dei fortitudinem ſignificat, defert inſignia ſuæ dignitatis, & meriti; denique legationis hujus cauſſa eſt ad conciliandam pacem Cælum inter & terram per fœdus ineundum a Verbo Filio Dei cum humana natura: *Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo, &c.* Verum eſt hanc negotiationem ſecretam fuiſſe re adhuc inregta, quam nemo cognovit hominum, & quæ latuit vaferrimum etiam, ſubdolumque dæmonem; ſed hodierna die palam facta eſt, & mortales omnes illam cognoſcere debent, quippe quod illam noſſe intereſt omnium, noſtra vero potiſſimum, quatenus Chriſtianorum; quapropter illam ſcire tenemur, vel ſaltem de eadem doceri.

Gratiæ plenitudo, quā recepit Maria ratione ſuæ Maternitatis.

Ave gratia plena. Lucæ 1. Sanctiſſima Virgo plena es gratia, & quantum divina Maternitas tua te attollit ad Deum, & hominem-Deum ſuper omnia creata, tantum gratia, quæ tibi communicata fuit, eſt copioſa. Homines ipſique etiam Angeli nonniſi in menſura illam receperunt; tu vero omnem illius plenitudinem conſecuta es. Graria conſecravit omnes cogitationes tuas, emundavit omnia deſideria tua, omnes actiones tuas ſanctificavit, in ſingulos dies nova in te recepit incrementa; ſemper enim invenit te paratam ad illum audiendum, fidelem ad illi reſpondendum, & conſtantem ad illum ſequendum. Non igitur ſine cauſſa comparatur cor tuum immenſo mari, in quod, tamquam totidem flumina, confluunt gratiæ. Deus unus ſcrutari poteſt illius profunditatem, & latitudinem metiri. Ego vero quid aliud facere poſſum, niſi benedicere miſericordias ejus erga te, adorare ejus de te æterna Conſilia, gratulari ob pretioſa dona, quibus te cumulavit, congaudere tuæ felicitate, tuæque plaudere dignitati? *Pater le Valois, in Colloquio de hoc Myſterio*.

Quo modo proprio, & ſingulari Deus fuerit cū Maria; Dominus tecum.

Dominus tecum. Lucæ 1. Non equidem miror hanc gratiæ copiam, qua Maria hodierna die cumulatur, ubi cogito Dominum eſſe cum illa; & eſſe cum illa intimo, & perfectiſſimo modo. Non ſolum cum illa eſt per eſſentiam, per præſentiam, & per potentiam; ita eſt cum omnibus creaturis: non eſt cum illa ſolum per gratiam actualem, ut illuſtret mentem ejus luminibus ſuis, & cor ejus moveat: ita enim ſæpe etiam eſt cum peccatoribus: neque ſolum cum illa eſt per gratiam ſanctificantem, ut illam acceptam reddat in oculis ſuis, eamque recenſeat in albo filiorum ſuorum; ita enim eſt cum Juſtis omnibus; neque ſolum cum illa eſt per protectionem ſingularem, ut deducat illam in omnibus viis illius, & feliciter ad ſalutis terminum perducat: ita enim eſt cum omnibus prædeſtinatis. Sed præter ſpiritualem hanc Sapientiam, cum illa eſt per præſentiam ſubſtantialem, & corporalem; ipſa in illa eſt realiter, & perſonaliter ſecundum Spiritum, & ſecundum carnem; ipſa illum concepit in utero Virginali, & per divinam Virtutem; ubi efformatum eſt Corpus iſtud adorabile, quod pro nobis traditurus eſt; ibi tota ſimul eſt ejus divinitas, & tota humanitas. Habes igitur in te Virgo Sancta fontem gratiarum, & ex fonte hoc fœcundo, quæ divitiæ, & quinam theſauri gratiarum effundi debent in te? *Idem*.

Quomodo, & quare Sancta Virgo ſit inter omnes Mulieres benedicta.

Benedicta tu in mulieribus. Lucæ 1. O beatiſſima inter omnes Mulieres; populi omnes benedicunt tibi, per te enim incipit opus Redemptionis ſuæ; Miſera Inferorum mancipia gemebant tot ſæculis in teterrima ſervitute; ſed tu illis dediſti Liberatorem, qui jugum ipſorum infringeret. Inimici Dei, ſeveræ illius juſtitiæ debitores erant, æterniſque obnoxii erant ſuppliciis; ſed illis dediſti Mediatorem, qui illos reconciliaret. Mulier in illos omnes maledictionem pertraxerat; & Mulier omnes Cæli benedictiones pertrahit;

tu vero

tu vero Sancta Virgo es Mulier illa fortis, Mulier unica inter omnes Mulieres. Cælum omne te colat; hodierna die ſis Mater Domini Cælorum; univerſa terra te laudibus cumulet; Hodie ſis omnium hominum Patrona, quia ſis eorum Mater, effecta Mater JESU, qui illorum frater eſt, & Salvator. Infernus contremiſcat; hodie injuſtam illius dominationem evertis; nam ex Sanguine tuo formatur homo-Deus, qui totam illius potentiam, tyrannicumque imperium eſt everſurus. *Idem.*

In verba illa Evangelii: Benedictus fructus ventris tui.

Benedictus fructus ventris tui. Luca 1. Quas gratiarum actiones reddemus Deo, qui pro nobis factus eſt homo, & clauſus eſt in caſtis viſceribus tuis? Quomodo nam ſatis æſtimare poſſumus bonum, quod factum eſt inæſtimabile! Quam parem illi gratiam rependere poſſumus? In æternum benedictus ſit Filius hic adorabilis, quem ipſa Mundo es datura, & qui ſeipſum daturus eſt nobis. Ab illo omnis procedit gloria tua, & ab illo tota ſalus noſtra procedit. Seſe humilians attollit te; ſeſe demittens te nobilitat; ita tamen, ut attollens te, relevet nos quoque de lapſu profundiſſimo, atque lethifero, & nobilitans te efficiat, ut ſecum nobiliſſimam contrahas affinitatem; & coronans te ea luce, qua amicta es, noſmet reſtituat in jura, quæ habemus ad cæleſtem hæreditatem ſuam, & ad immortalem coronam. *Idem.*

Applicatio eorundem verborum.

Benedicta tu in mulieribus. Luca 1. Admiremur ſingularitatem laudis, quæ unam Sanctam Virginem decet: quamvis enim vetus Teſtamentum jactiret plures celeberrimas Mulieres, quæ benedictæ vocatæ ſunt, velut Abigail, Jahel, Judith; nulla earum evitavit maledictionem prolatam contra omnes Mulieres in perſona Principis eorum. Maria ſola eſt vere benedicta, non ſolum quod excepta fuit ab hac regula generali: *In dolore paries filios tuos*; verum etiam a lege per hæc verba concepta, *Non erit in te ſterilis*. Hæc ſola poſſedit ſimul & gloriam Virginitatis, & dignitatem Matris vere benedictæ, Pater quidam exclamat, quia Cælo ſublimior, terra latior illum complexa eſt, quem terra, & Cæli capere non poterant; geſtavit illum, qui univerſum terrarum orbem ſuſtinet, produxit Creatorem ſuum, & aluit illum, qui dat eſcam omnibus eſurientibus.

Geneſ. 3. Exod. 23. Deuter. 7.

Eadem verba oſtendunt Mariam eſſe fortiorem, perfectiorem & ditiorem præ ceteris ſtigmatiſati mulieribus.

Benedicta tu in Mulieribus. Luca 1. Hæc Angelus dixit Mariæ, ut illi ſignificaret, Deum ipſi omnes conceſſiſſe gratias, quas tot illuſtres Mulieres acceperant, ita ut omnes favores, qui aliis fuerunt conceſſi, in ea collecti invenirentur. Per hæc igitur verba intelligere debemus illam fuiſſe omnium fortiſſimam, caſtiſſimam, fideliſſimam, & perfectiſſimam in omnibus donis, atque virtutibus, & ſuper omnes Mulieres, quas celebravit Eccleſia, enituiſſe. Ad earum gloriam dicere poſſemus, illas extitiſſe figuras, & umbras imperfectas Sanctæ Virginis; ſed in illis ne leviſſimam quidem repertam fuiſſe adumbrationem, neque minimum imaginem privilegii, ceteris incommunicabilis, quod illi ſpeciatim conceſſum fuit, cum electa fuit, ut fieret Mater; Mater ſimul, & Virgo. Habet igitur puritatem, quæ theſaurus eſt Virginum; habet ſimul fœcunditatem, de qua Matres gloriantur: & duo hæc privilegia, quæ ſeorſim ſingula pretium habent ſuum, in eo commendabantur miraculo, quod utrumque in perſona ejus connectit, & conſecrat. Hæc gratia ita uni Mariæ erat reſervata, ut una ſit Mater, & Virgo, ſicuti JESUS unus eſt Deus, & Homo. Et Sanctus Bernardus adjicit, ſicuti Deus hominem ſe fieri cupiens naſci nonniſi ex Virgine poterat; ita Virginem cum deberet Matrem fieri, non niſi Deum parere potuiſſe. Divina hæc Maternitas, quæ in Maria eſt inæſtimabilis gratia, eſt etiam fons, & fundamentum gratiarum aliarum. Quapropter Angelus, qui abſolute dicere poterat Virgini, illam benedictam eſſe inter omnia creata; quoniam reipſa ſuperat quidquid magnum in Mundo eſt, Unigenito ejus excepto, explicite voluit dicere, illam benedictam eſſe inter omnes Mulieres, ut oſtenderet rationem felicitatis ejus ad ſuam Maternitatem.

Receſſus, & ſolitudo, in qua Angelus Mariam invenit, docet, quomodo vivere debeant Virgines Chriſtianæ.

Miſſus eſt Angelus ad Virginem, &c. Luca 1. Primum illud quod animadverterunt Patres in hoc Myſterio eſt collectio, & receſſus Mariæ, cum Angelus Dei verbis illam convenit. Tunc ignota erat in terris, quantum celebris erat in Cælo; erat jam benedicta inter Mulieres, cum ignorabatur, utrum eſſet in numero earum. Agnoſcite, Sanctus Ambroſius ait, hinc perfectum Virginum exemplum. *Sola in penetralibus, ſola ſine teſte, ſine comite, ne quo degenere depravaretur affatu, ab Angelo ſalutatur.* Diſcite, Chriſtianæ Virgines, coercere adeo naturalem nitendi cupiditatem, & oſtentandi in oculis Mundi eas corporis dotes, quæ ut plurimum ſunt adeo perniciosæ, ac funeſtæ intuentibus illas; ſcitote, inſtat Sanctus Ambroſius, veræ Virginis eſſe ad viri acceſſum trepidare: *Trepidare Virginum eſt.* Si vere virtutem amaretis, quæ debet eſſe decor, & pars veſtri ſexus, totieſne objiceretis illam periculis lædendi, vel illius jacturam in vobis, aut in aliis faciendi? Nunquid in Mundi cœtibus, in quibus adulationis virus adeo celeriter cor ipſum corrumpit; ubi voluptas pernicioſiſſimas inſidias ſtruit, ubi licentia nectit calidiſſimas artes, ubi Mundus omnes adhibet illecebras ſuas? Nunquid in ſpectaculis prophanis, ubi cupiditates illitæ fuco inflammantur; ubi ſcelus velamentis illis tegitur, quæ tamen non celant illicia; ubi cor in ſenſuum ſuorum occupatione, & ſtupore, omni vacuum eſt propugnaculo, atque præſidio: ibine, inquam, diſcetis ſervare pretioſum hunc theſaurum, quem occaſionum fuga, objectorum longinquitas, clauſtrorum auſteritas, orationis fervor, mortificationum rigor, omneſque virtutis diligentiſſimæ cautiones vix, & ne vix quidem ſartum, tectumque tuentur? *Ex ſpecimine Panegyricorum pro die Annuntiationis.*

Turbatio Beatæ Virginis, ejuſque, dum laudatur, ſilentium damnat blanditias & laudes, quas tot puellæ ſibi ſtudent conciliare.

Cogitabat qualis eſſet hæc Salutatio. Luca 1. Ex Divi Ambroſii ſententia tanta eſt Sanctæ Virginis turbatio, ut ne reſponderit quidem Salutanti; & cum laudibus exciperetur, ſilentium ſervaverit. *Hæc volvens animo, nullum reſponſum retulit, cum eſſet humilis.* Hæc agendi ratio palam condemnat virulenta laudum, & aſſentatiuncularum commercia; has approbationes quæſitas, & emendicatas ignavis artibus; ſpecioſas has honorum repulſas, quæ ideo redduntur, ut aliæ trahantur. Diſcamus hoc exemplo os aſſentatoribus verecundo, & religioſo ſilentio obſtruere. Cum opponamus vitia, quæ nobis noſtra objicit conſcientia, iis bonis, quæ celebrantur in nobis; uno ictu oculi percurrentes per vitia in nobis abſcondita, quæ niſi laterent, nos alto rubore ſuffunderent. Nos pudeat, dum probamur ab hominibus, cum fortaſſe a Deo contemnimur, & ſumus objectum indignationis illius. Fatendum eſt enim, hic pernicioſiſſimus eſt laqueus, quo utitur dæmon ad fallendas animas juſtas. Suavis hic fumus tentat ſtatim cerebrum haurientium illum, eoſque objicit . . . erroribus deplorabilibus. Poſtquam tentator inutiles conatus exeruit ad bona eorum prævertenda conſilia, hæc una illi reliqua ſpes eſt in illis inanes oblectationes ciendi, & utendi inani gloria, quæ ipſis ex præclare geſtis rebus cedit, ut omne eorum meritum auferat. Quamobrem Sanctus Auguſtinus ait, laudes eſſe quamdam perſecutionis ſpeciem eo pernicioſiorem, quo ſuavior eſt, & non minus arduum eſſe propulſare adulantium illecebras, quam minas perſequentium tyrannorum. *Ibidem.*

Mariæ turbatio docet Mundi hujus dignitates eſſe pertimeſcendas.

Turbata eſt in ſermone ejus. Luca 1. Vix Angelus licet adhuc confuſe, & quin aliquid enucleatius illi explicuiſſet, Mariæ ſignificaverat, velle Deum illam ſuper ceteras ſexus ſui Mulieres attollere; cum illam *turbatam in ſermone* intellexit. Sapiens Mariæ Conſilium, ex quo omnes intelligere debent homines, ſi hæc ſancta elevatio per os Angelicum nuntiata, & a Dei manu profecta terruit humilem Mariam, jure metuere debere prophanas ſæculi magnitudines, quæ fere ſemper ſecum ferunt in corda hominum corruptionem. Timor Mariæ, qui docet illos vereri honores, quorum fulgor excæcat, dignitates, quarum pondus aggravat, elationes, quæ eorum circumagit capita; Mariæ terror, qui illos admonet nihil in ſublimibus locis tutum eſſe, & ſicut ſuper alta montium cacumina ſæviunt procellæ, ita in ſummo fortunarum faſtigio, nunquam deeſſe pericula.

Deus eligens Mariam, ut illam attolleret ad divinā Maternitatē, rationem habuit non generis, nec talentorū ejus, ſed unius ſanctitatis.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas. Proverb. 39. Cum Deus Mariam elegit, ut illam ad Divinam Maternitatem attolleret, nequaquam conſideravit in ſe neque generis ſui magnitudinem, neque Spiritus ſui talenta, neque corporis perfectiones, neque alia decora quibus a Creatore ſuo adeo liberaliter fuerat exornata. Verum eſt Mariam, etiam in Mundi oculis omnium creaturarum fuiſſe perfectiſſimam: orta ex David, atque tot aliorum Regum, quos inter Majores ſuos numerabat, progenie, hæres erat univerſæ gloriæ ipſorum. Naturalibus qualitatibus prædita, quas a Deo receperat, erat, ut Sanctus Bernardus teſtatur, opus eximium omnium ſæculorum, & nulla ex filiabus Iſrael cum illa comparanda erat in admirabili congerie gratiarum exteriorum, atque eminentium, quibus erat locupletata; de ipſa enim ad litteram jure dici poteſt: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.* Sed nihil horum impulit Deum ad habendum illius electionem, ut eſſet Meſſiæ Mater, & ut Mundo pareret Redemptorem. Mariæ autem ratio habita eſt, propter Sanctitatem ejus, ac virtutes, quibus præ ceteris enitebat. *Pater Bourdaloue.*

Deus, ut Mariā ad magnitudinis faſtigiū attolleret non contulit illi opes, vel dignitates Mundi, ſed virtutes ſupernaturales.

Fecit mihi magna, qui potens eſt. Luca 1. Et profecto Deus illam exaltavit ſuper omnes meras creaturas; non videmus tamen ipſum illi dediſſe divitias, aut honores; hujuſmodi dona nimis indigna fuiſſent illo, ſimul & ipſa. Neglexit, Sanctus Chryſoſtomus ait, dare illi hujuſmodi bona, ad beatitatem parum ſufficientia, & virtuti parum neceſſaria: ſed interius replevit illam gratiis, & benedictionibus, deditque illi profundam humilitatem, omnimodam voluntati ſuæ obedientiam, perfectam in omnibus muneribus obeundis ſedulitatem. Si igitur beati eſſe volumus, ſi ma-

ſi magni, a Maria diſcamus noſmet Deo ſubmittere, humiles eſſe, humiliter de nobis ſentire; noſtris officiis defungi, eaque adimplere maxima, qua fieri poteſt diligentia. Hæc tutior, hæc brevior eſt via, & unica, quæ pateat nobis ad veram felicitatem, & ſolidam gloriam.

Momento, quo Maria præbuit aſſenſum, Filius Dei factus eſt caro, & Myſteria, quæ ad Incarnationem pertinēt, adimpleta ſunt.

Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Luca 1. Dum loqueretur Angelus, Maria ſupernaturali lumine illuſtrata, intellexit omnem œconomiam, & mirabilia ineffabilis hujus Myſterii; & exinaniens ſe coram Deo: *Ecce*, exclamavit, *Ancilla Domini*; quandoquidem dedignatus non es oculos in me conjicere, licet indigniſſimam, fiat in me, quod mihi nuntiaſti: Eodemque temporis articulo evanuit Angelus, & Spiritus Sanctus ex puriſſimo Sanctæ Virginis Sanguine effinxit pulcherrimum Corpus, cumque pulcherrimam creaſſet animam, Deus utrumque in Verbi perſona conjunxit, quod hoc modo caro factum eſt. Hoc momento puriſſimæ Virginis uterus factus eſt Verbi Incarnati Sanctuarium. Hoc momento omnes Angeli hominem-Deum adoraverunt; hoc momento adimpletæ ſunt omnes Prophetiæ, quæ Meſſiam pollicebantur . . . . . . Quot in uno Myſteria! Quot in hoc Myſterio miracula! in JESU CHRISTO, homo-Deus; in Maria Virgine, Mater; in nobis in quorum gratiam hæc omnia ſiunt mirabilia, legitimi Filii Dei.

Quā efficax in ore Virginis fuit verbum, quod protulit præbens aſſenſum ſuum.

Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Luca 1. Verba hæc duo continent; quæ ſimul eſſe non poſſe videntur. Profundam humilitatem, quæ nonniſi magnam ſignificat exinanitionem; quoniam cum nihilum ſit nihil, nihil poteſt; Ex parte altera dicit *fiat*, quod verbum in ore noſtro nihil ſignificaret niſi deſiderium, vel orationem; ſed in ore Sanctæ Virginis, Deus voluit, ut videtur, verbum eſſe plenum auctoritatis, imperii, & tantæ poteſtatis, ut plures Sancti Patres comparantes illud *fiat*, quod Mundi Creator protulit cum Creaturas omnes ex nihilo eduxit, cum hoc *fiat* quod Sancta Virgo in Myſterio Incarnationis pronunciavit, inveniant hoc fuiſſe priore potentius; majores enim protulit effectus, & admirabiliores. Tandem enim *fiat* Dei vitam creaturis tantummodo præbuit, at *fiat* Sanctæ Virginis dedit vitam ipſi Deo. *Fiat* Dei non eduxit opus ſuum niſi ex nihili ſinu; quæ omnium infima origo eſt; at *fiat* Sanctæ Virginis eduxit opus ſuum de ſinu Dei, quæ origo omnium nobiliſſima, & præſtantiſſima. Denique *fiat* Dei, nihil addidit magnitudini ſuæ, nihil infinitis ejuſdem perfectionibus; *fiat* Mariæ peperit in illa effectus admirabiles, quoniam ubi illud protulit, ſtatim ſe vidit evectam ad ſupremam Deiparæ dignitatem.

Exemplū Mariæ, quæ turbatur cū nunciatur ſibi dignitas, ad quā ſubiata eſt, docet homines fugā honorū.

Turbata eſt in ſermone ejus. Luca 1. Mariæ exemplum quam paucos habes imitatores! Etenim heu! ubinam eſt ſancta hæc honorum fuga, quæ cum JESU CHRISTO in ſinu humillimæ Matris concepta, futurus videbatur ſenſus omnibus Chriſtianis hæreditario jure traditus? Primis temporibus Eccleſiæ, quæ vocari poſſunt perfecti Chriſtianiſmi tempora, Chriſtiani metuebant honores; tyrannos vero non metuebant, fugiebant perſecutionem eorum, qui illos attollere volebant, atque interriti occurrebant tribunalibus eorum, qui illos ad necem conquirebant. Quonam abierunt noſtris hiſce diebus juſtæ formidinis ſenſus ad honorum adſpectum? Quotuſquiſque, ut Maria, reformidat pondus honorum Angelis ipſis timendorum? Quotuſquiſque ut Maria ad dignitatis alicujus fulgorem turbatur? Sed fallor; non deſunt, qui ad adſpectum horum objectorum turbantur; ſed horum turba longe differt ab illa Matris Dei; hanc in illis ciet ambitio, quam parit inquietus pavor non perveniendi, eo quo contendunt; quam producit competitoris præpollentis intuitus, & adſpectus inimici adverſantis. Nimium felices heu! ſi hæc turba illos afficeret tædio, & cogerentur tutam & innocentem quietem in tranquilla mediocritate perquirere. *Pater Aurelianenſis in Sermone de hoc Myſterio.*

Quoniam virum non cognoſco. Luca 1. His verbis nititur conſtans opinio Virginem omnium primam perpetuam voviſſe Virginitatem. Profecto nondum inventæ fuerant perſonæ feminei ſexus, quæ virtutem hanc profeſſæ fuiſſent; ſeu quia non ſatis cognoverant illius pretium, & pulcritudinem, ſeu potius, quia crediderunt hanc ſeparari non poſſe a ſterilitate, ideoque illam amplecti non poſſe ſine aliqua opprobrii ſpecie, & quin abrenunciaretur ſpei dandi populo ſuo Salvatorem. Sed Sancta Virgo, ſeu per humilitatem exiſtimans ſe non poſſe in ſemet Dei oculos convertere, ut tantum hoc donum mereretur; ſeu per prudentem prælationem certæ Virginitatis incertæ dignitati, voverat Deo præclaram hanc virtutem, quæ illi adeo erat accepta, ejuſque illi primitias obtulerat. Sed o quam admirabilis es Altiſſimi providentia! quæ nubunt, ratæ hanc in ſpeciem viam eſſe pariendi Salvatorem, illum non pariunt; & quæ Conſilium inierat in ſpeciem prorſus oppoſitum, illum concipit, & parit in præmium etiam ſuæ Virginitatis.

Quæ in ſenſu intelligenda ſint Salvatoris verba, quibus referre videtur audientes Verbi, Matri, quæ ipſū pepererat, & lactaverat.

Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti; quinimmo beati, qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Luca 11. Nemo unus ignorat, quod Patres ex his verbis fuerint argumentati; ſcio, eos omnes, qui rite mentem eorum aſſecuti ſunt, & verborum eorumdem ſenſum intellexerint, judicaturos eſſe illos nequaquam locutos eſſe de Maternitate Mariæ, qualis vere eſt, ſed theoretice tantum. Scio Theologum quemdam eruditum Virum hæreticis oſtendiſſe, Mundi Salvatorem non ſolum nihil imminuiſſe de Matris ſuæ dignitate hac reſponſione, ſed illam commendaſſe; etenim hoc idem eſt, animadvertit ille, ac ſi JESUS Evangelicæ Mulieri exclamanti: *Beatus Venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti*, reſpondiſſet: Mater mea Beata quidem eſt, quod me genuerit, & proprio me lacte nutrierit; ſed beatior eſt, quod me conceperit Spiritu, ut Sancti Auguſtini verbis utar, audiens verbum Dei, & illud opere adimplens: *Beatior fuit Maria concipiendo mente, quam ventre.* Verbum illud *quinimmo* non excludit igitur primam elevationem, econtra illam probat, atque confirmat. Sed ad auferendam hæreticis occaſionem confundendi eam cum reliquis creaturis, ne ſeparemus ad Angeli exemplum duas haſce conceptiones, & dicamus Mariam illum concepiſſe ſpiritu, antequam conciperet corpore: Deum amaſſe illam quatenus Matrem ſuam, & tanta dilectione illam proſecutum fuiſſe, quanta, cum ab illa carnem eſt mutuatus. *Pater Stephanus Chamillard, Sermone Manuſcripto de Annuntiatione.*

Maria eſt plena gratia, quia poſſidet eminenter virtutes omnes.

Ave Maria gratia plena. Luca 1. Maria eſt plena gratia, quia cæleſtibus donis eſt cumulata, & omnes poſſidet virtutes. Hæc vera eſt ejus felicitas, hic fons omnium magnalium ejus. Diſcite igitur Chriſtiani, quænam ſit vere Fidelium beatitudo, quæ tum eſt felicitas ad quam anhelare debent omnibus momentis vitæ ſuæ. Maria beata eſt, quia invenit gratiam apud Dominum, quia omnes virtutes exercuit. Omne Chriſtiani hominis bonum eſt invenire gratiam apud Deum, & ſola ratio, qua pervenire poſſumus ad hanc beatitudinem, eſt animam ſuam Chriſtianis virtutibus locupletare. Chriſtianus creſcit in gratia, prout procedit in praxi virtutum; & cum virtutes chriſtianæ altas egerunt radices in illo, dici poteſt plenus gratiæ, & Deus ſibimet in illo complacere.

Myſteriū hoc noſtram poſcit admirationē, non verba.

Quomodo fiet iſtud? Luca 1. Quomodo magnum hoc Myſterium poterit adimpleri? Inſignis Doctoris ſententia eſt, Deum a quodam Angelorum poſt creatum a ſe Mundum eaquiſiviſſe, utrum quid tanto operi deeſſet; & Angelum reddidiſſe, deeſſe tantum creaturam, quæ illud admiraretur, & vocem, quæ inceſſanter extolleret & operis excellentiam, & Sapientiam opificis. Quidquid ſit de hac ſententia; quæ plus habet ingenii, quam ſoliditatis; certum eſt, noluiſſe Deum, hanc creaturam & vocem deeſſe operi reparationis Mundi; quia quin exſpectaret, donec opus perficeretur, & etiam antequam inciperetur, miſit unum ex Angelis ſuis, qui illud admirandum proponeret ſpectatiſſimæ, præſtantiſſimæ, ſanctiſſimæque creaturarum ſuarum: *Quomodo fiet iſtud?* Quomodo magna hæc operis admirabilis Conſilia poterunt adimpleri? Quomodo Verbum fieri puer, Omnipotens infirmus, Impaſſibilis mortalis; Æternus in tempore naſci, Infinitus arctis limitibus coarctari, ille denique, qui Mundum effecit, ponere ſe in numero operum ſuorum, & fieri pars adeo anguſta Mundi ipſius? O mixtio nova, & inaudita! o Temperamentum quod concipi nequit Dei, & Hominis, Creatoris, & creaturæ, Cæli, & Terræ, æternitatis, & temporis, gloriæ, & ignominiæ, immortalitatis, & mortis: *Quomodo fiet iſtud?* Quomodo Myſterium hoc adimplebitur? *Chauchemer Tomo Myſteriorum.*

Maria Mater eſt Fidelium eiſque conſervat vitam gratiæ, quam illis procuravit.

Tua Pater providentia cuncta gubernat. Sapient. 14. Hoc placitum eſt, de quo nobis perſuaſum eſſe debet, eum qui dat vitam, dare etiam, quæ ad vitam pertinent, & quidquid vitæ convenire poteſt. Hinc Auctor naturæ dans vitam animantibus, ſimul illis ſuppeditat media ad vitam illam ſervandam, tuendamque per generalem providentiam, qua conſulit omnibus eorum neceſſitatibus, & propter quam jure illi Patris nomen tribuitur: *Tua Pater providentia cuncta gubernat.* Simili ratione hoc ipſum dicere debemus in ordine gratiæ, & de ſecunda hac Mariæ Maternitate loqui erga homines, ſicuti de priori loquimur, quam habet ratione proprii Filii ſui: poſtquam dedit illi vitam, eum aluit, educavit, neceſſitatibus ejus conſuluit, & curam geſſit illius alimoniæ, eo modo quo Mater oblivíſci non poteſt Filii ſui, neque illum derelinquere, ut loquitur Propheta, qui ut oſtendit curam, quam Deus ſuſcipit noſtri, utitur ſimilitudine Matris potius, quam Patris; Mater enim, poſtquam ſatis diu filium utero geſtavit, ubi aluit illum, natura ipſius magis tenera

eam

eam reddit parem ſexcentis modiis curis, quas patres pati non poſſunt, & conſtat naturam ipſam illis hunc inſtinctum inſeruiſſe pro eorum conſervatione, quibus vitam dederunt. Ita illæ dupliciter ſunt Matres, & quia filios pepererunt, & quia earum prævidentia, & ſollicitudo ad omnes eorum neceſſitates ſe extendunt. Quod autem verum eſt in natura, veriſſimum eſt in gratia; Maria pariens Filium ſuum, nos quoque peperit; dedit nobis lucem, hanc illi dans, & curas, quas pro illo ſuſcepit, pro nobis habere pergit. Mater noſtra eſt, quia inceſſanter parturit nos Deo per ſpiritualia ſubſidia, & per providentiam. *Tua Mater providentia gubernat. Auctor Sermonum in omnia Ethica argumenta. Tomo 2.*

Spiritus adoptionis efficere debet, ut Mariam Matrem noſtram vocemus. *Monſtra te eſſe Matrem* canit Eccleſia. Oſtenderene ceſſat qualibet in occaſione, ſe nobis eſſe Matrem, & nos tamquam filios reſpicere? Quandoquidem nobis divinam hanc vitam ſervare contendit, & certam facere noſtram ſalutem æternam. Ita monſtrat ſe nobis eſſe Matrem, cum nobis gratias procurat, & neceſſaria ſubſidia ad Chriſtiane vivendum, cum proſpicit omnibus animæ noſtræ neceſſitatibus, vel cum prohibet, ne pereamus. Sicuti patres vocamus eos, qui ſuis auxiliis, & patrocinio vitam ſervarunt noſtram, vel ab aliquo periculo inevitabili eripuerunt, vel ſecus oram præcipitis loci alicujus jamjam lapſuros detinuerunt; Quis infitias ibit, nos hoc pacto debitores eſſe Beatæ Virgini, præſertim vero cum intimo cordis affectu illam obteſtamur, ut ſeſe nobis Matrem oſtendat apud Filium ſuum, vere cupientibus reverti ad Deum: *Monſtra te eſſe Matrem?* Per ſenſum vero Matris erga Filios ſuos attenta eſt petitionibus, omnibuſque neceſſitatibus noſtris: Induit hunc erga nos caritatis affectum, ex quo merita eſt nomen auguſtum Matris JESU CHRISTI: eo momento concedit, quidquid natura inſpirat Matribus erga filios ſuos; ingreſſa eſt in omnia hujus hominis-Dei Conſilia, cui vitam impertiebatur hac mente, ut illam aliquando pro ſalute noſtra ſacrificaret. Profecto cum Deus illius petiit conſenſum ad magnum noſtræ ſalutis opus, non licet ambigere, utrum oſtenderit illi, quid tunc ipſum urgeret, immenſam videlicet caritatem, quæ efficiebat, ut eligeret admirabile hoc medium ſeſe hominem faciendi, ut mereretur nobis hunc adoptionis ſpiritum, quo ad Deum, tamquam Filii ad Patrem ſuum clamaremus: *Abba Pater*, & Mariam obteſtaremur, ut ſeſe tamquam Matrem noſtram oſtenderet. *Monſtra te eſſe Matrem. Idem.*

Propter nimiam caritatem, qua dilexit nos. Ad Epheſ. 2. Incarnationis Myſterium effectus eſt maximi amoris, quem Deus hominibus teſtari poſſit. Maria in hanc ingreſſa eſt œconomiam conſentiens iiſdem Conſiliis JESU CHRISTI, experta eſt tenerrimos amoris motus erga homines per electionem a Deo factam de illa: *Dubitare quis poteſt omnino in effectum caritatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt, caritas novem menſibus corporaliter requievit.* Viſcera ejus plena fuerunt caritate erga illos, quos Filius ſuus ad exceſſum uſque diligebat: *Propter nimiam caritatem, qua dilexit nos.* Et ex eodem exceſſu cognoſcens quam cari filio ſuo homines eſſent, eum erga illos fovit affectum, quem nomen, & qualitas Matris in illius corde excivit. Ita loquitur Cardinalis Petrus Damiani: *Omnes amat amore invincibili, quos in eo, & per eum CHRISTUS Filius ejus,* (Serm. 1. de Nativ. Virg.) *ac Deus ſumma dilectione dilexit.* Hæc igitur caritas illam urget, ut noſtris æque, ac ſuis rebus conſulat; etenim hinc illi communia fiunt, ut nos ſua auctoritate, & virtute nos protegat, & verbo, ut omnibus perfungatur officiis Matris erga nos; neque enim credendum eſt, motus gratiæ minus acres, vividoſque eſſe, quam naturæ: ita ut ab illa exſpectare debeamus quidquid filius exſpectare debet a Matre, quam diligit, & a qua unice diligitur cum exceſſu dilectionis, quæ habeat proportionem ad Amorem, quo dilexit nos JESUS CHRISTUS, ubi incarnatus eſt. *Propter nimiam caritatem*, &c. *Idem.* (Ad Epheſ. 2.)

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

BEatior fuit Maria concipiendo mente, quam ventre, *felicius geſtavit corde, quam carne.* S. Auguſt. lib. de Virgin. cap. 3.

Felicior partus ſpiritualis, quam carnalis: beatior enim fuit Maria concipiendo CHRISTUM fide, quam carne. Idem Ibidem.

Quam appellatis felicem? inde eſt felix, quia verbum Dei cuſtodivit, non quia in illa Verbum caro factum eſt. Idem, in Luc. cap. 11.

Audacter dico, quod nec ipſa plene explicare poterit, quod capere potuit. Idem ſupra Magnificat.

Caro JESU, Caro eſt Mariæ. Idem de Aſſumpt. Beatæ Virginis.

Materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius CHRISTUM corde, quam carne geſtaſſet. Idem lib. de Virg. cap. 3.

Talis eligitur Virgo de toto Mundo, quæ tantum haberet meritum, ut Filium Dei in ſemetipſa ſuſciperet. Idem.

Quid ego pauper ingenio, dicam de te, o Beata Virgo! Cum de te quid dixero, minor laus eſt, quam dignitas tua meretur. Idem ſermone de Sanct.

Illic Deus ſuum requiſivit hoſpitium, ut oſtenderet in caſto corpore, caſtum debere portari Deum. Idem ſerm. de Nativitate.

Ave animatum Templum Dei; Ave Cœli, terræque æquiſſimum habitaculum; Ave ejus Mater, qui non capitur totius Mundi ſpatio. Idem ſermone 18. de tempore.

O femina ſuper feminas benedicta! quæ virum omnino non novit, & virum ſuo utero circumdedit. Idem ſermone 18. de Sanctis.

O veneranda Virginitas! o prædicanda humilitas! Maria ab Angelo, Domini Mater eſt appellata, & illa ſe CHRISTI ancillam profitetur. Idem ſerm. 3. de Nativ. CHRISTI.

Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt. S. Ambroſius.

Veneremur ſalutis auctricem, quæ dum auctorem ſuum concepit de Cœlo, nobis Redemptorem præbuit in terra. Hieronymus ſerm. de Aſſumpt.

Quod natura non habuit, uſus neſcivit, ignoravit ratio, mens non capit humana, pavet Cœlum, ſtupet Terra, creatura omnis cœleſtis miratur, hoc totum eſt, quod per Gabrielem Mariæ divinitus nunciatur. Idem ibidem.

Cæteris per partes præſtatur gratia, Mariæ vero ſe tota infudit gratiæ plenitudo. Idem ibidem.

Non eſt in Mundo locus dignior utero virginali, in quo Dei Filium Maria ſuſcepit; nec in Cœlis ſolio regali, quo Mariam Dei Filius ſublimavit. Idem ibidem.

Si vis Virginem cognoſcere, qualis, & quanta ſit, in ejus Filium oculos converte, & ex ex illius potentia poteris etiam Matris excellentiam intelligere. S. Gregorius in lib. 1. Regum.

Quæritis qualis Mater, quærite potius qualis Filius. S. Eucherius, ſermone de Nativitate Virginis.

Virgo concipitur ex te Auctor tuus, tua ex te oritur origo, & in tua carne eſt Deus tuus. S. Chryſologus ſerm. 142.

Quod eſt, quod ſine Mariæ conſenſu non perficitur incarnationis Myſterium, quia nempe vult illam Deus omnium bonorum eſſe principium. S. Irenæus.

Virgo regia Davidica ſtirpis eligitur, quæ ſacro gravidanda fœtu divinam, humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore. Sanctus Leo ſermone 1. de Nativit.

O ter Sacroſancta Virgo! de te qui omnia illuſtria, & glorioſa dixerit, nunquam ſe quidem a veritate aberravit. Sanctus Baſilius Seleuc. in oratione Deiparæ Virginis.

O uterum Cœlo ampliorem! quia Deum in te non coarctaſti. S. Epiphanius de laudibus Deiparæ.

Perfectiſſima Dei imago ab ipſo Deo ſumma arte, & ſingulari providentia depicta. S. Antoninus Florentinus Archiepiſc. in Pſalm. 44.

Videbis quidquid majus eſt, minus eſſe Virgine, ſolumque opificem opus illud ſupergredi. Petrus Damiani ſerm. de Nativ. Mariæ.

Taceat, & contremiſcat omnis creatura, & vix audeat aſpicere tantæ dignitatis immenſitatem. Idem ibidem.

Omnes amat amore invincibili, quos in eo, & per eo Deus meus ſumma dilectione dilexit. Idem ibidem.

Sicut ſine ipſo (nempe verbo Dei) *factum eſt nihil, ita ſine ipſa nihil refectum eſt.* Idem.

Felix Maria, quæ Deum habet debitorem. S. Methodius.

Quæ eſt tam ſublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus; inſoleſcere gloria neſcit, Mater Dei eligitur, & ancillam ſe nominat. S. Bernardus ſermone ſuper Miſſus eſt.

Utrinque ſtupor, utrinque miraculum; & quod Deus feminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo; & quod Deo femina principetur, ſublimitas ſine ſocio. Idem ibidem.

Ita eſt Virginis noſtra gloria ſingularis, & excellens prærogativa Mariæ, quod Filium unum, eumdemque cum Deo Patre meruit habere communem. Idem.

Si Virginitatem in Maria non potes niſi mirari, ſtude humilitatem imitari, & ſufficit tibi. Idem ſuper Miſſus eſt.

Virginitate placuit, humilitate concepit. Idem ibidem.

Si Maria humilis non eſſet, ſuper eam Spiritus Sanctus non requieviſſet; nam Virginitas ſine humilitate fortaſſe habet gratiam apud homines, ſed non apud Deum. Idem ſerm. 2. ſuper Miſſus eſt.

Quan-

Quanta dignatio Dei! quanta Virginis excellentia! Mittitur Angelus a Deo ad Virginem, id eſt, a Celſo ad humilem, a Domino ad ancillam, a Creatore ad Creaturam. Idem ibidem.

Quæ eſt hæc Virgo tam venerabilis, ut ſalutetur ab Angelo; tam humilis, ut deſponſata ſit fabro? Idem.

Maria veneratione digna, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus conſecrat Virginitatem, Idem ibidem.

Maria cum Angelum interrogavit, quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco, non de facto dubitavit, ſed modum inquiſivit. Idem ibidem homil. 4.

En hoc beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam, & gloriam tribuiſti. Idem ſerm. in Nativitate Virginis.

Merito in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, per te, & de te benigna manus Omnipotentis, quidquid creavit, recreavit. Idem ibidem.

Facta Maria, cui nec humilitas defuit, nec Virginitas. Idem ibid. homil. 2.

Hoc ſolum quod Dei Mater eſt, excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici, aut cogitari poteſt. Sanctus Anſelmus lib. de excell. Virg.

Nihil tibi, o Domina, eſt æquale, nihil comparabile; omne enim quod eſt, vel ſupra te eſt, vel infra te; quod ſupra te, ſolus Deus; quod infra te, omne quod non eſt Deus. Idem de Conceptione Virginis.

Dubitare quis poterit in affectum caritatis tranſiiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt caritas, novem menſibus requievit? Bernardus ſerm. 1. de Aſſumptione.

Mirare gratiæ inventricem, mediatricem ſalutis, reſtauratricem ſæculorum. Idem Epiſt. 174.

Singulariter electa ad miniſterium redemptionis, & reparationis gratiæ. Guillelmus Pariſienſis in Cant.

Virgo obtinuit tantam gratiam, ut eſſet auctori gratiæ propinquiſſima, ita quod eum, qui plenus eſt omni gratia, reciperet, & eam pariendo quodammodo, gratiam ad omnes derivaret, Sanctus Thomas opuſculo 8.

In hac Annuntiatione Sanctiſſima Virgo magis Deo conjungi non potuit, niſi fieret Deus. Albertus Magnus in tract. de laudibus Beatæ Virginis.

Ipſa eſt, qua majorem Deus facere non poteſt; majorem Mundum, majus Cælum poteſt, majorem Matrem non poteſt. S. Bonaventura.

Hodie completa ſunt omnia deſideria; hodie primum eſt, & principale Trinitatis feſtum. Gerſon.

Ut conceptionem Verbi æterni pertingeret, meritorum verticem ſuper omnes Angelorum choros, uſque ad ſolium Deitatis erexit. Gregorius Magnus lib. 1. in cap. 1. Regum.

Ex actu Fidei, & obedientiæ, Virgo benedicta plus meruit, quam meruerint omnes Sancti, omnibus actibus, ac meritis ſuis. S. Bernardinus ſermone 15. de feſtiv. Virginis,

Non eſt in Mundo locus dignior utero Virginali, in quo Dei Filium Maria ſuſcepit; nec in Cælis ſolio regali, quo Mariam Dei Filius ſublimavit. S. Hieronymus ſerm. de Aſſumpt.

Quid nobilius Dei Matre? quid ſplendidius ea, quam ſplendor elegit? quid caſtius ea, quæ corpus ſine corporis contagione generavit? S. Ambroſius de Virgin.

Digna fuit, ex qua Dei Filius naſceretur. Idem ibidem.

Inveniſti gratiam apud Deum, Dei, & hominum pacem, mortis deſtructionem, vitæ reparationem, inveniſti quod nemo ante potuit invenire. S. Bernardus homil. 3. ſuper Miſſus eſt.

Bene Angelus ad Mariam Virginem mittitur, quia ſemper Angelis eſt cognata Virginitas. S. Hieronymus in ſermone de Aſſumpt.

PARAGRAPHUS V.

Quid hauriri poteſt ex Theologia in hoc argumento.

Quid ſit feſtivitas Annuntiationis, quæ ejus origo, & quando fuerit inſtituta.

CUm felix nuncium, quod Gabriel Angelus attulit Sanctæ Virgini, apertiſſimum ſignum ſit, & prima, ut ita dicam, epoca noſtræ Religionis; Eccleſia omnia Myſteria, quæ in eo continentur, nomine Annuntiationis Deiparæ ſignificat. Momentum ab æterno deſtinatum pro reconciliatione hominum cum Deo, ubi acceſſit, Gabriel Angelus, qui Danieli Prophetæ prædixerat Meſſiæ adventum, & Mortem, annos ante quadringentos, & qui ſex ante menſes miſſus fuerat ad Sacerdotem Zachariam, ut illi prænunciaret Nativitatem Præcurſoris; hic, inquam, Angelus e Deo pariter miſſus fuit ad Virginem, cui Nomen Maria, de tribu Juda, & de regia progenie, quoniam erat ex familia David, ut nunciaret illi, ipſam electam fuiſſe, ut Incarnati Verbi Mater eſſet, atque ut ex ea conſenſum exquireret. En paucis verbis totum Annuntiationis Myſterium ſeorſim e Myſterio Incarnationis Verbi ſumptum; quod Eccleſia celebrat eadem die, vel ut melius dicam, quæ duo Myſteria in unum duntaxat conjungit.

Hæc igitur Feſtivitas ſub nomine Annuntiationis Beatæ Virginis eſt ejuſdem ferme antiquitatis, ac ipſa Eccleſia, & Sancti Auguſtini ævo celebratur eodem die, de quo creditur ſecundum antiquam, & venerabilem traditionem JESUM CHRISTUM fuiſſe conceptum, & Verbum æternum Incarnatum. Decimum Toletanum Concilium habitum anno 656. hujus diei ſollemnitatem vocat antonomaſtice; *feſtum Sanctæ Virginis Genitricis Dei, feſtivitas Matris*. Etenim quæ major celebrari poteſt feſtivitas in illius honorem, inquiunt Synodi illius Patres, quam Divini Verbi Incarnatio, cujus illa ſimul Mater evadit? Verumtamen cum Eccleſiæ luctus, & Salvatoris paſſio, in quod plerumque tempus incidit plerumque Annuntiatio, ſimul eſſe non poſſe videretur cum gaudio, & ſollemnitate, quæ decet magnum hunc diem, Patres Concilii illum transtulerunt in tempus Adventus, quo totum fere officium eſt de Myſterio Incarnationis & Annuntiationis: ſed cum ſub nonum Eccleſiæ ſæculum feſtivitas hæc in diem proprium fuerit reſtituta, omnes fere particulares Eccleſiæ ſeſe conformarunt.

Licet Maria non potuerit proprie mereri eſſe Matrem Dei, tamen ſeſe præparavit, & reddidit digniorem hac electione per Sanctitatem.

Hic ſenſus eſt omnium Eccleſiæ Patrum, Mariam, quin potuerit proprie mereri, ut divinum Verbum ex ſe carnem ſumeret, potuiſſe tamen mutuo conſenſu inſervire ad ineffabilis hujus Myſterii complementum; nam eo tempore quo adimplendum fuit, illa præparata fuit per interiores ſenſus, & per virtutes, quæ non ſolum eam dignam præbuerunt, ſed ſolam dignam, quæ fieret Mater Redemptoris. Ideo Deus ipſam cumulaverat tot gratiis; ideo illam a peccato præſervaverat; ideo a teneris unguiculis a Mundo ſecreverat; ideo illa ſeſe in Templo præſentans ſeipſam Deo devoverat, quia ex tunc deſtinata fuerat, ut eſſet vivens Dei Templum, & Sanctuarium. Hæc omnia requirebantur, ut diſponeretur maximo omnium Myſterio, maximo omnium beneficio, tum erga ipſam particulariter, cum generatim erga homines omnes.

Sanctitas Mariæ cauſa fuit, propter quam Deus illam omnibus prætulit Mulieribus.

Cum Deus iniiſſet conſilium ſemet communicandi homini per Verbi ſui Incarnationem, & vellet hunc Altiſſimi Filium in Mundum venire noſtra indutum carne, atque hominum eſſe ſimilem nobis, & excepto peccato, perfecte ſimilem; ideo quæſivit Virginem, quæ quatenus Mater cooperari poſſet ad magnum hoc conſilium explendum; quæſivit, inquam, Virginem juxta cor ſuum, ut ex ea faceret Templum vivens, ubi novem integros menſes erat habitatura plenitudo divinitatis. Oculos ille conjecit in Mariam, & Maria una inter Mulieres illi viſa eſt in eo Sanctitatis gradu, quem requirebat. Hinc Sanctus Auguſtinus ait, elegit eam præ ceteris, & honoravit eam eminentia gratiarum omnium, qualis erat concipiendi Deum; quia ſine dubio, & ſine exceptione erat ſanctiſſima, perfectiſſima, & humillima inter Domini ancillas.

Titulus Mediatricis, & Reparatricis hominum innititur qualitati Matris Dei.

Conſtat unum JESUM CHRISTUM Sanguine ſuo Mundum redemiſſe; ſed nemo ignorat, Sanguinem hunc ab illo effuſum formatum fuiſſe ex eadem Mariæ ſubſtantia, ideoque Mariam ſuppeditaſſe, obtuliſſe, dediſſe pro nobis Sanguinem noſtræ Redemptionis pretium. Mariæ nimis ſua putat intereſſe noſtram ſalutem, ut nullo habeat in diſcrimine noſtrum interitum. Scit alioquin illa, niſi extitiſſent peccatores, qui ſalvarentur, ſe nunquam Salvatoris Matrem fuiſſe futuram; ideoque dici poteſt, ſe illis aliquo pacto debere ſuam Deiparæ dignitatem, & ſuam etiam beatitudinem; ideoque ſua utitur poteſtate, atque auctoritate ad ſalutem nobis procurandam. Quænam ergo eſſe debet devotio noſtra erga Dei Matrem, quæ ſimul eſt Mater noſtra, quoniam per hoc vitam noſtram procuravit?

Cum Dei Filius incarnari vellet, non habuit corpus perfectū quale fuit corpus Adæ, ſed concipi voluit in Mariæ utero, imme & Matris egens.

Si Deus noſtram aſſumpturus erat humanitatem ſecundum ideas, & rationis noſtræ lumina, decentius, & dignius futurum fuiſſe videbatur divina Majeſtate, aſſumere corpus perfectum, quale fuit Adæ, potiuſquam conciperetur in utero Mulieris, atque ita ſemetipſum omnibus ſubjicere infirmitatibus naturæ noſtræ, vel ſaltem ſi naſci volebat non ſecus, ac alius quilibet homo; velut ille cujus Nativitas tot ante ſæcula prædicta fuerat a Prophetis, exſpectata a Patriarchis, a gentibus concupita, utpote qui futurus erat Salvator, & liberator Iſrael; quomodo inquam, Meſſias hic promiſſus in Scripturis, naſci vult ex Matre paupere, deſponſata fabro, qui vere quidem non ſecus, ac ſponſa ducebat originem ex domo David, ſed qui eo paupertatis redactus erat, ut labore manuum ſuarum, & in ſudore vultus ſui victum ſibi compararet? Quam longe differunt ab hominum judiciis judicia Dei! Quidquid dicere poſſumus de Conſiliis Dei, hoc eſt, mentes noſtras ſubjiciendas eſſe ſub fidei obſequio, & credendum eſſe, quidquid nos docet, licet humana ratio aliter ſuadeat, & adorandum eſſe Myſterium, quod ipſi intelligere nequaquam poſſumus.

mus. Exclamemus ergo cum Apoſtolo: *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.*

Cum Maria quæſivit ab Angelo: Quomodo hoc Myſterium adimplendum eſſet, non dubitavit de veritate verborū ejus, ſed ſcire tantum voluit, quomodo id fieret. Lucæ 1.

Credendum non eſt Sanctiſſimam Virginem de fide dubitaſſe, cum ab Angelo quæſivit: *Quomodo fiet iſtud?* Maria nequaquam dubitavit de effectu promiſſionis ſibi factæ; ſed, Patres inquiunt, quæſivit de modo, quo in ſe Myſterium illud erat implendum. Sed ſi reſponſio hæc ad trutinam non ita diligenter revocanda eſſet, videretur Virgo præter propter eodem modo locuta fuiſſe, quo Zacharias, cum reſpondit Angelo: *Unde hoc ſciam?* Sed Deus qui ſcrutator eſt cordium, videbat alterius quidem dubitationem, & fidem alterius. Ita Zachariæ infidelitas in arena pœnas dedit, & fides Sanctæ Virginis laudibus fuit celebrata; cum Eliſabeth, cui revelatum fuerat, illam Matrem eſſe Domini, & Dei ſui, Spiritus Sancti afflatu dixit illi: *Beata, quæ credidiſti;* hoc enim verbum, Sanctus Gregorius ait, ſignificat perfectionem fidei, cum qua Sancta Virgo credidit Archangeli verbo.

Ibidem.

Patres aſſerūt Mariam concepiſſe Verbum æternum peculiariter per humilitatem, ac obedientiā mandatū Dei.

Mariæ Virginitas non omnem illius felicitatem conſtituit; Sanctus enim Bernardus nos docet illam Domino ſuo acceptam fuiſſe, quia humilis erat; ſimiliter Maternitas, quæ illam ſuper homines, & Angelos extulit nequaquam propria fuit cauſſa ſuæ felicitatis. Nam ſecundum Sancti Auguſtini mentem, Sancta Virgo beatior fuit, Verbum corde magis, quam ventre concipiens. Igitur in illius ſubmiſſione potius, & conformitate cum Dei Conſiliis tota illius felicitas invenitur, tota Sanctitas, ac tota animæ ejus tranquillitas. Si Angelus affert illi nuncium, quod adverſari videtur Virginitati, quam voverat *turbata eſt;* ſed ejus obedientia momento mulcet motus omnes, qui in ejus corde ſe extollunt: & per virtutem tranquillitatem adepta, haud hæſitanter Angelo dicit: *fiat mihi ſecundum Verbum tuum;* obedientia, cujus reliquum vitæ ipſius ſpatium perennis fuit praxis: admirabilis obedientia, per quam æque ſe mancipat voluntati Dei, qui illam exaltat, humiliat, mortificat, conſolatur inhærentem nutibus Domini, omnibus momentis vitæ ſuæ.

Magnitudo, & excellentia divinæ Maternitatis, & ſimilitudo Mariæ cum Patre æterno in productione Filii ſui.

Annuntiationis Myſterium eſt Myſterium magnalium Mariæ, & ejuſdem eſt fons; quia in hoc Myſterio fit Mater Dei. Deus licet Omnipotens meram creaturam ad ſublimiorem gradum attollere non poteſt. Poteſt ille quidem, quidam Pater ait, facere Mundum præſtantiorem illo, quem creavit, ſed Matrem præſtantiorem facere non poteſt Matre Dei. S. Ildephonſus in Cælo, & in ipſa Trinitate quærit ideas, quæ illius dignitatem oſtendere poſſint. Quemadmodum æterna generatio prototypus eſt temporalis generationis JESU CHRISTI, ſimiliter docet, Patris Æterni paternitatem eſſe prototypum Maternitatis Mariæ; & profecto ibi deprehendit quaſdam ſimilitudines, & quædam diſcrimina, quæ ex æquo cedunt in gloriam ipſius. Pater Æternus ſolus gignit in ſinu ſuo Filium ex propria ſubſtantia; & ita Verbum habet in æternitate ſua Patrem ſine Matre; Maria autem in tempore concipit ſola eumdem Filium in utero ſuo ex propria ſubſtantia; & ita Verbum in temporali generatione Matrem habet ſine Patre; ſed Pater Æternus illum gignit taliter ſolus, ut nemo hujus gloriæ ſit particeps; cum e contra Maria ita concipit Filium ſuum ſola, ut Sponſum habeat Spiritum Sanctum, qui confert aliquid conceptioni hujus Filii, quin tamen Pater evadat.

Sequitur eadē collatio inter Patrem Æternum, & Mariam.

Pater Æternus in Trinitate gignit Filium ſuum contemplatus ſeipſum, & per fœcundam virtutem hujus contemplationis ſuæ producit Verbum, quod eſt imago ſua ſubſtantialis, & quæ non eſt ſubſtantialiter diſtincta ab authographo: & Maria per contemplationem, quam per humilitatem ſuam facit in ſe concipit Filium eumdem: *humilitate concepit*, & illum concipit ad ſimilitudinem ſuam; hoc tamen diſcriminis intereſt, quod Pater Æternus gignit Filium ſuum per contemplationem infinitarum perfectionum ſuarum, ideoque illum gignit infinite perfectum, ſibi ſimilem, & in omnibus parem: e contra, quia Maria concipit hunc eumdem Filium in tempore per contemplationem ſuæ humilitatis, & nihili ſui: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ;* Concipit Deum humilem, Deum omnibus magnalibus ſuis deſtitutum, Deum denique conformem iis affectionibus, in quibus invenitur Cor humile Mariæ, cum ait: *Ecce Ancilla Domini*, exiſtimans ſe ſatis honoratam qualitate ancillæ Domini, cum Mater illius vocabatur.

Pater Æternus omnia creavit per Verbum, & Maria per idem Verbum omnia reparavit.

Pater Æternus in Trinitate per Verbum omnia produxit, & per illum nomen Creatoris recepit. Ita Maria in Incarnatione reparat omnia per hoc idem Verbum quod concipit, & quod illi tribuit qualitatem Redemptoris Mundi perditi; & ita ſicut Mundi creatio fuit effectus virtutis unius *fiat*, quod manavit ex ore Dei; Mundi reparatio effectus eſt alterius *fiat*, quod ex ore Virginis emanavit. Pater Æternus per actum Intellectus ſui generat Verbum, quo creat univerſa; & Maria concipit hoc Verbum, per quod reparat omnia per liberum ſuæ voluntatis conſenſum; & per hoc permanens Mater Dei, fit hominum Mater, Corredemptrix eorum, & cauſſa eorum ſalutis. Quænam gloria pro Maria! Mera creatura poteſt ne majorem nanciſci? Totam hanc debet humilitati ſuæ: ideo ſuper meras creaturas omnes attollitur, quia fuit omnium humillima.

Sancta Virgo tantum exaltata fuit, quantum ſeſe humiliavit ſecundum illud effatum, quod Salvator ipſe propoſuit.

Conſideratio admodum inſignis, & peculiaris eſt, eodem tempore, quo Sancta Virgo facta eſt creaturarum omnium maxima, ipſam ſe minimam, & abjectiſſimam fuiſſe profeſſam, atque tali pacto ſemet humiliantem, majorem, ſublimioremque evaſiſſe. Ejus magnitudo coruſcat in ſublimitate dignitatis hujus Deiparæ, quæ maxima eſt, ad quam mera attolli valeat creatura. Ejus humilitas nitet in eo quod ſe fatetur ancillam, quod officium eſt abjectiſſimum, & nonniſi perſonam decet ſervilis, & abjectæ conditionis. Sancti Patres, atque Theologi docent, & unanimi conſenſu prædicant humilitatem hanc promeruiſſe, ut ſupra omnes creaturas exaltaretur, ſecundum regulam, & menſuram, quam nobis tradidit Salvator; hominem videlicet, quo magis ſe exaltat, eo magis humiliari, & quo magis ſe humiliat, eo magis exaltari. Sancta autem Virgo ſeſe eo uſque humiliavit, ut maximam promerita fuerit elevationem poſt Deum. Quamobrem in Cælum elevata eſt ſuper omnes Angelorum choros, & in terra exaltanda eſt omnibus iis modis, quibus illam homines poſſunt exaltare. Hi autem modi ad tres rediguntur, qui ſub hyperduliæ nomine continentur, quod cultum ſignificat illi debitum ſupra omnes Sanctos; primus quidem concipiendo ſublimem ideam excellentiæ meritorum ejus; alter amando illius magnalia, ea ſuſcipiendo, laudando, & illis gaudendo: denique vero illi cultum, operam, & obſequium præſtando. Hac ratione ab hominibus exaltatur, & per humilitatem ſuam exaltari meretur.

Quomodo poſſumus participes fieri felicitatis Mariæ I cum ampromiſſionem Filii Dei.

Quamvis teneamur conſiderare eminentem Deiparæ dignitatem, tamquam fontem omnium aliarum gratiarum, quæ Sanctæ Virgini conceſſæ fuerunt; fatendum eſt tamen illam non eſſe maximam omnium, & Mariam beatiorem fuiſſe eo quod JESUM CHRISTUM amaverit, quam quod illum conceperit, atque pepererit. Benedicta eſt inter Mulieres, & ſupra reliquas creaturas; non ideo ſolum, quia Dei Mater eſt; ſed quia cum electa fuerit, ut eſſet Dei Mater, accepit gratiæ affluentiam parem ſublimi ſtatui, ad quem erat deſtinata; ita ut ſecundum teſtimonium Sanctorum Patrum beatior ſit propter Sanctitatem ſuam, quam propter dignitatem. Ne queramur ergo quaſi ad neutrum hoc bonum anhelare nobis non liceat; licet enim nobis ad alterutrum contendere; vel potius benedicamus Salvatoris magnificentiam, qui non dedignatur nos participes facere utriuſque, & nobis ſecundum ſpiritum privilegium concedere, quod Maria etiam ſecundum carnem aſſecuta eſt; quandoquidem facientibus voluntatem Patris ſui pollicetur illos futuros eſſe ſublimis hujus affinitatis conſortes, & quicumque JESUM CHRISTUM conceperit corde, poſſe etiam per optima conſilia, & exempla, in corde proximi ſui illum parere.

Gratia, quam recepit Maria par erat officio, ad quod illam deſtinaverat Deus: & huic innititur plenitudo gratiæ de qua loquitur Angelus, gratia plena.

Docet S. Thomas, Deum ſingulis ſuas præparare gratias juxta illud munus, quod ſingulis deſtinavit: *Unicuique datur gratia ſecundum id, ad quod eligitur.* Huic effato innititur plenitudo hæc, quam Patres in Maria admirantur: Quia Maria deſtinata fuit, ut eſſet Mater Dei, S. Cyprianus ait, cum ſimul eſſe deberet Mater, & Virgo: quatenus Virgo gratiam habuit copioſiſſimam, & tamquam Mater habere debuit gratiam non minorem; quia Maria deſtinata fuit, ut eſſet Mater Dei, Sanctus Auguſtinus ait, cum deberet eſſe omnino ſancta, habere debuit gratiam, qua fieret victrix de peccato; & quia electa fuit, ut Mater eſſet Salvatoris, Sanctus Bernardus inquit, deberetque eſſe illi coadjutrix in opere ſalutis noſtræ, & rivulus, per quem omnes manarent illius gratiæ, debuit quodammodo particeps fieri plenitudinis ejus.

Patres, ac Interpretes quærunt, cuinam innixa principio Dei Mater poſſet quærere ex Angelo: *Quomodo fiet iſtud?* Calvinus tenet illam de Myſterii veritate dubitaſſe; ſed impius eſt.

Difficultates explicandæ circa interrogationem, quam Maria fecit e i Angelum. Lucæ 1.

Procul aberat beata Virgo a dubitatione de Myſterii hujus veritate; namque Spiritus Sanctus teſtatur glorioſum illi fuiſſe credere, & Myſterium ipſum per fidem illius adimpletum fuiſſe: *Beata, quæ credidiſti; quia perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi a Domino.* Patres uno ore dicunt Matrem Dei veritam fuiſſe, ſe Matrem fieri non poſſe ſine Virginitatis jactura; cum mallet, Sanctus Anſelmus ait, ſi optio ipſi permitteretur, carere Maternitatis honore, quam Virginitatis gloriam amittere: *Virgo eſſe maluit, quam Mater.* Quæ reſponſio optimo innititur fundamento, quandoquidem Dei Mater Angelo rationem attulit, votum ſuæ Virginitatis: *Quomodo fiet iſtud*, quo-

quoniam virum non cognoſco? Ea tamen non omnem aufert difficultatem; tandem enim inquiunt Theologi, veriſimile ne eſt, Mariam nondum ſciviſſe, Meſſiæ Matrem Virginem eſſe debere? Prophetarum luminibus illuſtrata, in Sacris Scripturis erudita, quæ a teneris unguiculis illius fuerant occupatio; poterat ne ignorare, ſcriptum eſſe, Virginem parituram, & hoc ſignum eſſe adventus Meſſiæ? Cur ergo cauſſata eſt ſe Virginem eſſe? Nemo hac in re melius Alberto Magno locutus eſt, cum ait, univerſum Beatæ Virginis Sermonem, quem huc uſque habuit, neque dubitationem fuiſſe neque ignorantiam, ſed ſapientiſſimam diſpenſationem, ut loquitur Theologia, qua voluit præbere nobis ampliorem explanationem Veritatis ejus, quæ futura erat fundamentum Religionis noſtræ, & exemplum magis authenticum rectitudinis ad Chriſtianorum regimen neceſſariæ.

Explanatio verborum Angeli aſſerentis ipſā inveniſſe gratiam coram Deo, eāmque ſalutantis illam plenam gratia.

Prima laus, quam Nuntius Cæleſtis Sanctæ Virgini tribuit, in his verbis conſiſtit: *Gratia plena*, quibus non ſolum eam certam facere ſtudet, ipſam Deo acceptam eſſe; verum etiam nobis detegit, quam ob cauſſam illi placuerit. Quemadmodum gratia illam reddidit divinæ acceptam Majeſtati, gratiam conſiderare poſſumus tamquam, ſecundum nominis rigorem, a juſtitia diſtinctam, & in hoc ſenſu gratia favor eſt, vel tamquam oppoſitam naturæ, peccato, & in hoc ſenſu, ſi gratia non eſt ſanctitas ipſa, ſemper eſt donum Dei Sanctificationi noſtræ deſtinatum. Duplici hac ratione per gratiam Sancta Virgo viſa eſt in oculis Dei digna obtutu ejus, & amore. Prævenit illam Deus per gratiam, & per favorem, illa per ſe a peccato præſervari, & ex nihilo educi non potuit; ex mera Dei liberalitate hæc magnifica dona, hæc valida ſubſidia, his miraculoſas recepit gratias, quæ illam evexerunt ſupra omnes meras creaturas, & poſuerunt etiam fundamenta ſpiritalis ædificii ſui in altiſſimis montium jugis, videlicet in altiori faſtigio perfectionis, quæ omnium Angelorum, atque Sanctorum Sanctitatem excedit. Sed illa huic gratiæ reſpondit tanta cum fidelitate, ut vere dici poſſit, nunquam in illa gratiam vacuam fuiſſe, & inutilem: recepit illam cum animi grati ſenſu, inde recepit incrementa, quæ ſpirituum noſtrorum infirmitas ſatis intelligere non poteſt; ſervavit illam omni ſedulitate, quæ rei infinite pretioſæ haberi poteſt maxima; & procul dubio gratiam tanti fecit, quanti Salomon Ipſam Sapientiam, quam omnibus terræ theſauris, omnibuſque terræ bonis cenſuit præferendam.

Quomodo Sancta Virgo ſit vere Mater Dei.
In Conc. Eph.

Profecto Sancta Virgo non genuit divinitatem; verumtamen non ideo minus Dei Mater eſt; Nam ut Sanctus Cyrillus in Epheſino Concilio probavit, ſi aliæ feminæ, quæ filiorum ſuorum animas non producunt, non ideo tamen ceſſant veras eſſe Matres producendo corpus, in quod Deus infundit animam rationabilem: cur Maria ſuppeditans de ſubſtantia ſua corpus, cui Deus hypoſtatice conjunctus eſt, non erit illa vere Mater, quamvis non potuerit, & non genuerit divinitatem? Ita Pater alius addidit, JESUS CHRISTUS Homo, & Deus in te conceptus fuit, Sancta Virgo, ex te natus eſt hic Filius, quamvis fuerit ante te; *in te, ut ei placuit illapſus*, ex utero tuo *ex te, ut voluit egreſſus: ante te ſine teſte, ſine medio, ex Patre genitus eſt.*

Proclus or. 4. de Nat. Dom.

De quo merito locuti ſint patres, qui dixerunt Mariam meruiſſe eligi in Matrē Dei.

Non Sancta Virgo, neque alia mera creatura mereri potuit de condigno, ut Dei Mater eligeretur; ita cum Angelus nuntiavit Mariæ magnum Incarnationis Verbi Myſterium, dicere oblitus non eſt: *Inveniſti gratiam apud Deum*. Idem enim eſt ac ſi dixiſſet: Si Deus in te vult Carnem aſſumere; nulla ipſe ad id neceſſitate tenetur; neque ulla impellitur cauſſa; mera, & gratuita miſericordia ductus hoc iniit Conſilium; quia nulla creatura quantumvis perfectiſſima, tantum mereri poteſt beneficium. Tamen Patres, atque Theologi ſentiunt, cum Deus elegiſſet Matrem Filii ſui futuram, ipſam deinceps promeritam fuiſſe per eminentes Virtutes, quas exercuit, ut in ſe Conſilium illud adimpleretur. Theologi quidam dixerunt, illam hoc non ſine quadam juſtitiæ ſpecie & per meritum de condigno fuiſſe promeritam, non ſecus ac Sanctorum actiones merentur gloriæ coronam; ſed alii probabilius judicant, ſufficientem adfuiſſe proportionem inter diſpoſitiones hujus Virginis Sanctæ, & dignitatem Matris Dei, ut qualitas iſta, quæ ordinis eſt ſublimioris, debita fuerit Creaturæ, tamquam merces æquiſſima. Ego vero illis facilius ſubſcripſero, qui tenent hanc illi datam fuiſſe per meritum de congruo, uti loquuntur, ita ut Deus Matrem ſibi electurus aliqua ratione hanc ceteris præferre deberet.

Deiparæ dignitas habet aliquid infiniti.
S. Thom. 1. p. quæſt. 25.

Communis Theologorum cum Sancto Thoma ſententia eſt, Deiparæ dignitatem eſſe quodammodo infinitam, & humanæ menti incomprehenſibilem; quia pro termino habet Deum, quem neceſſario reſpicit atque complectitur. Qui enim Matrem dicit, dicit Filium, & qui dicit Matrem Dei, neceſſario dicit Filium qui Deus eſt. Duæ iſtæ rationes ſunt inſeparabiles, & altera ſine altera concipi nequaquam poteſt.

Quamobrem cum nulla ſit creata mens, quæ comprehendere valeat dignitatem Filii Dei, ita nulla quoque eſt, quæ Matris ejuſdem comprehendere valeat dignitatem. Sanctus Gregorius hac utitur regula & menſura: Ad cognoſcendam incomparabilis hujus Virginis celſitudinem, concipe, ait, quid ſit Dei Filius, & concipies, quid ſit Mater ejus. Alterius excellentia adducet ad alterius excellentiam intelligendam. Si dixeris alterutram infinitam eſſe, ego id de altera quoque fatebor.

S. Greg. in lib. 1. Regum.

Arcta affinitas Mariæ cum Filio Dei, quatenus Matris Filius.

Major, & arctior affinitas quam Creatura contrahere valeat cum Deo, ea eſt Mariæ cum divino Verbo, quod peperit; namque ut Philoſophus docet, Mater, & Filius unam dumtaxat habent carnem, & eamdem ſubſtantiam. Hinc ſit inter illos perfectam juſtitiam inveniri non poſſe; nam juſtitia locum habere non poteſt niſi inter duos, cum homo ſibimet ipſi jus dicere nequeat. Sanctus Auguſtinus hoc eodem utitur argumento probaturus Mariam eſſe unum, & idem cum Filio ſuo: nam poſtquam admirabilia hæc protulit verba: *Caro CHRISTI, caro eſt Maria*, concludit vi Nativitatis, quam illi præbuit, ipſam cum illo unum, & idem facere. *Ipſa ſpecialis Nativitas unum efficit Matrem, & Filium.* Qua in re Cardinalis Petrus Damiani oſtendit Deum eſſe triplici modo in omnibus Sanctis ſuis per naturam, per gratiam, & per gloriam; hæc illius verba ſunt; ſed ipſum quarto modo eſſe ait in Virgine; ſcilicet per identitatem naturæ, inquit enim Filium, & Matrem non componere quodammodo niſi corpus unum, unam ſubſtantiam, unamque perſonam: *Quarto modo ineſt Mariæ, quia idem eſt cum illa.* Hæc ſententia cedit in maximum Mariæ honorem, potiſſimum vero ſi credimus, quod Sanctus Auguſtinus docet, Filium Dei nihil unquam amiſiſſe de ſubſtantia quam recepit a Matre, eamque integram in Cælo ſervare; & Sanctus Thomas addit, quod multo magis Virginis gloriam commendat: dicit enim, donec filius eſt adhuc in utero Matris, non eſſe omnino ab illa ſeparatum; ſed partem illius eſſe per quemdam naturæ nexum, ſicut fructus ab arbore pendens pars arboris eſſe cenſetur. Quomodocumque id ſit, citra dubium eſt concipi nequaquam poſſe majorem unionem poſt illam Incarnationis Filii Dei, quam illam Matris cum Filio ſuo; quamobrem Albertus Magnus dixit, Sanctam Virginem non potuiſſe cum Deo arctius conjungi, niſi Deus fieret.

Nemo propius accedit ad divinitatem, quā Maria.
S. Th. 1. 2. q. 105. a. 4. ad 1.

Nulla eſt Creatura, Sanctus Thomas ait, quæ propius divinitatem attingat, quam Sancta Virgo; & ratio eſt; aliquid eo nobilius, & perfectius eſſe, quo magis adhæret principio nobilitatis, & Sanctitatis, atque perfectionis, quod Deus eſt: & ſicuti nihil concipi poteſt propius filio Matre ſua, & illa potiſſimum, quæ ipſum ſine patre concepit, dicendum eſt hoc arctiſſimum eſſe fœdus, quod haberi poſſit cum Deo. Ita Sanctus Bonaventura, qui ab hac non abhorret ſententia, non dubitat affirmare, qualitatem Matris Dei extremum eſſe conatum divinæ potentiæ, ideoque infinitam eſſe; quandoquidem aliquo modo exhauſit Dei potentiam. Hoc ipſum innuere voluit Angelus, cum Virgini dixit futurum eſſe, ut Virtus Altiſſimi obumbraret illam; etenim Sanctus Thomas hoc in ſenſu illa explicat verba: quælibet potentia ſuam habet ſphæram, quæ terminus eſt, & major ſuæ operationis extenſio, & Virtus eſt poſtremus effectus potentiæ. Ita Angelus dicens, Myſterium hoc futurum opus Virtutis Dei, ſignificat Deum ad id vim omnem adhibiturum, atque ut Sancta Virgo loquitur, *facturum potentiam in brachio ſuo.*

Sanctus Thom. opuſc. 61. c. 3.

Luc. 1.

Qualitas Deiparæ intima eſt Mariæ, & perſonæ ejus inhærens.
Suarez 3. p. diſp. 1. ſect. 2.

Neque dicendum eſt hanc Deiparæ qualitatem eſſe aliquid mere externum, minime inhærens illi, quæ hoc Nomine appellatur; Doctrinam hanc refellit eruditus quidam Theologus, & oſtendit dignitatem hanc eſſe propriam, & intimam Sanctæ Virgini; ſive phyſice ſpectetur tamquam relatio ad Filium ſuum, qui habet in illa ſuum principium, & fundamentum; ſive conſideretur moraliter tamquam regia dignitas perſonæ Regis inhærens. Addit hoc eſſe diſcrimen gratiæ habitualis Sanctificantis juſtos, & ordinis ſuperioris, quæ ad id poſcit cultum peculiarem. Hinc arguo nullum eſſe titulum honoris excogitabilem, qui Mariæ non debeatur, modo non ſit latriæ cultus, & illam mereri quodammodo cultum infinitum, quoniam dignitas ejus eſt quodammodo infinita; & honor dimetitur ex qualitate perſonæ, quæ honoratur. Hæc ratio eſt propter quam Sancti Patres dixerunt, unum eſſe Deum, qui illam meritis laudibus celebrare poſſit; unus enim ille cognoſcit eam, & intelligit eminentiam dignitatis ejus: *Quam Dei tantum eſt pro dignitate laudare.*

S. Andreas Cret. orat. de Dormit. Virg.

Matris dignitas ponit in Maria perfectionem quæ minus illi redditur ſanctior.

Dicere poſſumus Mulierem in ſe non eſſe commendabiliorem, eo quod magnum aliquem Regem in lucem ediderit: hoc non adfert ullum virtutis augmentum, nullamque in illa perfectionem; & hic fluxus eſt honor, qui vel illius, vel filii, quem genuit, deceſſu dilabitur. Sed Deiparæ dignitas eſt Virginis Magnitudo, eſt illius Sanctificatio; eſt gratia, qua ſuper Sanctos attollitur, ideoque in ſua

Matris Dei dignitate conſideranda eſt non ſecus ac Juſti omnes in qualitate filiorum Dei, Fideles autem non ſolum vocantur Filii Dei, & hæc prærogativa non conſiſtit in ſola voluntate, quam habet Deus dandi nobis Filium ſuum, quin aliquid in nobis conſtituat. Quapropter ſi dicere cogimur, dignitatem filiorum Dei, quam adoptionis gratia illis impertit, eſſe inhærentem, atque conſtantem, negare non poſſumus cum aliqua rationis ſpecie, dignitatem, & gratiam Matris Dei aliquid eſſe permanens & reale: ſed potius, cum Mariam arctiori vinculo Deo conjunctam teneat, facere quoque in hac rara Creatura ſanctam, divinamque impreſſionem.

Maria ſemper egit tamquam Dei Mater, quemadmodum JESUS homo agebat quatenus Homo-Deus.

Non deeſt quædam ſimilitudo inter actiones Mariæ quatenus Matris Dei, & illas Salvatoris, quatenus Dei-hominis: Cum enim JESUS ſit fons, & plenitudo gratiæ, immo etiam gratia incarnata & ſecundum humanitatem ſuam ita repletus ſit gratia hac ſubſtantiali, ut ſemper egerit in hoc ordine, quin inde egredi poſſet ne ad unumquidem momentum, neque ad unum quidem motum, quemadmodum ille de ſe ipſo teſtatur: *Non poſſum facere quicquam a me ipſo*; ita Maria taliter poſſeſſa fuit a gratia Matris Dei, ut ſemper in hoc ordine fuerit operata, quin inde unquam egrederetur; & ſicuti omnes actiones, & affectiones JESU fuerunt humanitus divinæ, omnes Virginis actiones fuerunt congruæ gratiæ illius, a qua ſuam mutuabantur originem; & denique ſicut omnes actiones, & affectiones Salvatoris fuerunt dignitatis, & divinæ Virtutis, & minori in pretio eſſe non potuerunt; Virginis actiones ſemper exæquarunt meritis, & gratiam, qua repleta erat anima illius, & operationem Dei, qui illam ad eas perficiendas applicabat.

De gratia, & prærogativis Mariæ judicium nobis ferendū eſt ſecundum ea Conſilia quæ Deus habuit de illa.

Principium ſecundum quod nobis ferendum eſt judicium de alicujus præeminentiis, & prærogativis, eſt videre intentiones, quas Deus habuit de illis: verum quænam fuerunt cogitationes, atque intentiones Dei ab æterno de Sancta Virgine; ut certum feramus judicium, videndi ſunt nexus illi, quos habuit cum JESU CHRISTO Filio ſuo; tandem enim magnum Dei Conſilium ab æterno ſuſceptum fuit Verbi Incarnatio, & JESUS CHRISTUS a Deo electus, ut eſſet hominum Salvator, ad eſt quod a Sancto quodam Patre *Negotium ſæculorum omnium* vocatur; quia hæc fuit cogitatio, & deſiderium ſæculorum, quæ præceſſerunt, & felicitas eorum; quæ conſequuntur. Ad implendum igitur hoc adeo ſublime Conſilium, quale illud eſt Incarnationis, quin loquamur de Spiritu ſancto, qui magnum hoc Myſterium operatus eſt, dicere poſſumus duas eſſe perſonas, quæ ingrediuntur in formatione hujus hominis Dei; quamvis preſſius loquendo, una tantum æterni Verbi perſona, quæ ſola cum natura humana conjungitur, formet ideam, & conceptum Incarnationis, & hominis-Dei: nihilominus cum Dei Conſilium eſſet faciendi Filium ſuum non hominem ſolum, & Filium hominis, & Virginis, voluit etiam, ut Sancta hæc Mariæ perſona ingrederetur in decretum Incarnationis, quæ in temporum plenitudine erat adimplenda, & ſicut ille naturam creatam attollebat ad excelſius punctum communicationis, quam hæc natura poterat habere cum Ente increato, quale eſt facere hominem Deum, volebat etiam facere in Sancta Virgine unionem ſublimiorem, ad quam aſcendere valeat creata perſona cum Deo ſuo, & quæ in ea ſita erat, ut ex hac creata perſona fieret Mater Dei.

Maria eſt veluti centrum benedictionis, ad quod tendebant omnes Sancti Legis novæ, & antiquæ & ad quod rationē habuere.

Mariam, ex quo declarata fuit Dei Mater, habere debemus tamquam ſacrum objectum, quod omnia ſæcula contemplantur, ac reverentur, tamquam centrum benedictionis Legis antiquæ, & novæ, utpote illam, ad quam tendebant veteres Patriarchæ per fœcunditatem innixam Conſilio Dei, atque illam, ad quam pertinent Chriſtiani per privilegium, quo gaudent, tamquam filii Dei. Et fateri debemus, ſicuti antiqui non pervenerunt modo ſuo ad JESUM CHRISTUM, niſi per Mariam Sanctiſſimam illius Matrem, nos quoque modulo noſtro ad illum pervenire poſſe per peculiarem ordinationem ab illius divina Maternitate: quia non futuri ſumus Filii Dei, niſi quatenus incorporati humanitate, quam illa dedit Unigenito ſuo; & Veritas hæc eſſe debet fundamentalis ad vincendam indiſſolubili vinculo devotionem noſtram erga Matrem cum illa JESU, & ad nos devovendos in omnem æternitatem Filio ſimul, & Matri.

Rationes propter quas exegit Deus Matris conſenſum ad Incarnationem Verbi, ut hujus fieret Mater.

Cur voluit Deus expectare Virginis conſenſum pro Filii ſui Incarnatione? Poterat ille procul dubio facere illam Matrem ſuam, quin ejus voluntatem exquireret; quemadmodum olim primam formavit Mulierem ex latere Adam, quin hic quicquam huic productioni conferret, ſed immiſit illi ſoporem extaticum, in quo Deus opus illud operatus eſt. Ita operari poterat Incarnationem Verbi in Mariæ utero, quia penderet ab illius voluntate. Sed Theologi optimas afferunt rationes propter quas Deus ita cum Domina noſtra ſe geſſerit. 1. Sicuti dæmon homines perdiderat Mulieris conſenſu impetrato, quæ nimis credula verbis illius, Adam ipſum in rebellionis ſocietatem pellexerat; Deus ut illos redimeret, petit, & impetrat Virginis aſſenſum, quæ docilis voci ejus, ejuſque obediens Voluntati, attraxit in caſtum pectus ſuum ſecundum Adam prioris Salvatorem, & Reparatorem. 2. Incarnatio Verbi Spiritualis erat affinitas naturæ humanæ cum Verbo Dei; ſed omnis affinitas, & conjugium conſiſtit eſſentialiter in partium conſenſu; & Sancta Virgo tunc ea in occaſione repræſentabat univerſam humanam naturam, oportebat igitur, ut ſuum præberet aſſenſum nomine naturæ totius. Rationem hanc affert Sanctus Thomas. *Expectabatur Conſenſus Virginis loco totius humanæ naturæ.* 3. p. q. 30. a. 1. Sed ratio potiſſima deſumitur ex gloria Dominæ Noſtræ, ut hæc Mariæ dignitas eo illi eſſet glorioſior, quod conferebat illi aſſenſum ſuum, & aliquo modo in illa ſitum erat efficere, ut Mundus redimeretur. Opus igitur fuit, ut illa contulerit ad Filii ſui formationem non ſolum per corporis ſui fœcunditatem, verum etiam per animæ ſuæ libertatem. Ita ut cum Deus abſoluto decreto Mariam Matrem JESU facere ſtatuerit, nihilominus in hoc exequendo Conſilio voluerit Ipſam propter majorem ſui nominis gloriam aſſenſum præſtare; ideoque, dicit Sanctus Ambroſius, miſit ad illam Angelum, qui per hanc legationem mentem ejus diſponeret.

Cujus meriti fuerit Mariæ aſſenſus verbis Angeli præſtitus. S. Bernard. in ſer. 15 de feſto Virg.

Hic unus conſenſus, quem Maria præſtitit Angeli verbis, cum Virtutibus, quæ illum comitatæ ſunt, adeo excellens fuit ex ſe, ut ex Sancti Bernardini ſententia Maria hoc uno actu meruerit plus quam omnes homines & omnes Angeli ſimul omnibus præſtantiſſimis actionibus ſuis. Hujus autem conſenſus præſtantia deſumi poteſt vel a Virtutibus, quæ illum comitatæ ſunt, vel a difficultate, qua illum præſtitit. Profecto videntur Virtutes omnes collectæ fuiſſe in ſolo eo momento quo deliberavit. Ibi prudentia omnia ſua lumina adhibuit ad Angeli propoſitionem excutiendam: *Quomodo fiet iſtud?* Ibi fides omnem ſuam exercuit vim, ut crederet Myſterium, quod, ut Sanctus Ambroſius ait, eſt contra legem naturæ, contra conſuetudinem, contra pudorem. *Quid tam inauditum, quam Virgo ſit prægnans contra naturam, contra conſuetudinem, contra pudorem.* Ibi ſuas ſubmiſſiones exercuit obedientia: *Ecce Ancilla Domini.* Ibi fortitudo ſuas vires impendit: *Fiat mihi ſecundum Verbum tuum.* Præterea conſenſus hic eo præſtantior eſt, quo difficilior; neque enim ignorabat, cuinam rei ſe ſubjiceret per conſenſum hunc, ſciens, quid Prophetæ prædixiſſent de laboribus, & paſſionibus Meſſiæ hujus, quarum particeps erat futura.

Sancta Virgo in Incarnationis ſuæ momento ſaltem confuſam habuit Myſteriorum cognitionem quæ ad Filium ſuum pertinebant.

Communis eſt Theologorum ſententia Dominam noſtram in ipſo Incarnationis momento generalem habuiſſe ideam, & confuſam cognitionem omnium Myſteriorum Filii ſui, & ſingulariter Paſſionis ejuſdem; cognitionem quam ex Scripturis hauſiſſe poterat, in quibus perquam bene verſatam fuiſſe, non licet ambigere. Unde facile judicare poterat illum, cujus Conceptio ſibi nuntiabatur ab Angelo, eumdem eſſe ac illum, de quo loquebantur Prophetæ in Oraculis ſuis. Si igitur aſſenſum præſtitit, ut Mater Dei fieret hac conditione propoſita, videndi illum exagitatum, calumniis obrutum, habitum tamquam mortalium omnium nequiſſimum; ſi ſe offert iis omnibus, quæ præcipere divinæ placuerit Providentiæ, licet ardua, atque moleſta, nonne dicendum eſt, ab ea factum fuiſſe eximium uſum, quem facere poterat, ſuæ libertatis?

Debitores ſumus Mariæ omnium bonorum, quæ habituri ſumus, quia illi JESUM CHRISTUM debemus.

Cum Beatiſſima Virgo fuerit Mater Salvatoris, & hoc eſſe meruerit eo, quo dictum eſt, modo, ſequitur nos illi debere quidquid JESU CHRISTO debemus: quandoquidem debemus illi ipſum JESUM CHRISTUM, & propter illum Sanctus Joannes Damaſcenus Virginem vocat *Copioſum fontem Benedictionum*. Chryſippus Presbyter Jeroſolymitanus, *omnium bonorum radicem*, Albertus Magnus, *Cauſſam omnium bonorum*, Doctus Idiota, *omne bonum*, & Sanctus Epiphanius oblectatus eſt; oſtendere oppoſitionem, quæ eſt inter Evam primam Mulierem, quæ omnium hujus Mundi malorum extit cauſa, & Mariam, quæ fons eſt, & cauſa omnium bonorum; & mirum eſt videre quomodo Patres omnes in hanc ſententiam conſpirent.

Duo magni effectus quos producit conſenſus Mariæ, videlicet Incarnatio Salvatoris, & divina Maternitas.

Duo magni, & admirabiles effectus aſſenſus, quem Maria præbuit verbis, quæ dixit Angelus illi, Dei Nomine, fuerunt hinc quidem productio JESU CHRISTI Dei, & hominis ſimul eximii hujus operis omnipotentiæ Dei; inde vero ſublimis, & incomparabilis dignitas Matris Dei; quoniam tribuens aſſenſum per illud verbum *fiat*, quod protulit, quatenus Mater concepit Filium Dei; ita ut eodem momento, quo protulit hoc Verbum, puriſſima pars Sanguinis ejus miraculoſe confluxerit in locum deſtinatum ad productionem pretioſi hujus Corporis, quod in inſtanti formatum eſt; eodemque momento creata fuit anima JESU CHRISTI, & infuſa in corpus hoc; & adorabilis Verbi perſona ſibi vindicavit, ſibique hypoſtatice conjunxit Corpus hoc, & hanc animam, ita ut nunquam ſubſtiterint, niſi per ſubſiſtentiam

& per-

& perſonalitatem Verbi, ita ut poſt ineffabilem unionem hanc, Corpus hoc fuerit Corpus Dei, & hæc enima, anima Dei, & hæc Virgo permanens Virgo conceperit hoc Corpus, & cooperata fuerit ad unionem animæ cum corpore, & vere Dei Mater extiterit. Quatenus talis ingreſſa eſt in ſocietatem cum Patre Æterno, quoniam facta eſt Mater illius, cujus ille Pater eſt.

Qualitas Matris Dei omni tempore, & ab omnibus Fidelibus in honore habita. Luc. 2.

Qualitas Matris Dei in Beata Virgine, recognita fuit antequam illa Verbum Incarnatum peperit; Etenim Mater Sancti Joannis Baptiſtæ divino afflata Spiritu, recipiens domi ſuæ Mariam, illam appellat Matrem Domini ſui, & Dei ſui: *Unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me?* Et deinceps Eccleſia ſervavit illi pulcherrimum hoc nomen Deiparæ, & in Epheſino Concilio anathemate perculit impium Neſtorium, qui eo inſolentiæ evaſerat, ut illi auguſtam hanc dignitatem vellet in dubium vocare. Sed fuit ſemper Patrum, Doctorumque omnium Sententiam, divinam hanc Maternitatem, cum ornatibus qui decent illam, eſſe generale principium gratiarum omnium, omnium privilegiorum, & prærogativarum, quas valeat Deus in ordine Sapientiæ ſuæ communicare meræ creaturæ.

Ad invicte probandam Deiparæ qualitatem cujus Maria poſſeſſionem obtinuit, ſufficiunt Angeli verba. Luc. 2.

Cum qualitas Matris Dei ſit fundamentum omnium Magnalium Sanctæ Virginis, & Magnum illud principium, cui innititur devotio, & cultus, qui debetur illi; ne falſo laboraremus principio, neceſſe eſſet id ſolide conſtituere. Sed cur aliis opus eſt argumentis ad id probandum præter verba Archangeli, qui miſſus fuit ad nuntiandum illi Incarnationis Myſterium. Legationis enim munere fungens, noſſe debebat Myſterium, quod annuntiabat, & quinam eſſet infans a Virgine concipiendus; & hujus cognitionem tradere juſſus erat. Hæc autem verba ſunt Legationis ſuæ: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabatur Filius Dei.* Hæ tres ſunt perſonæ, quæ in his Angeli verbis memorantur. Pater, cujus Virtus fœcundam efficere debet Virginem; Spiritus ſanctus, qui in illam debet deſcendere; Filius æternus, qui ex illa debet oriri. Hic autem Filius non eſt homo merus, ſed *Filius Dei, & Filius Altiſſimi*; hoc nomine illum nuncupat Angelus, & conſequenter ejuſdem eſt naturæ cum Patre: hic non eſt Filius adoptionis; quia qualitas iſta ad omnes pertinet juſtos, & unus tantum JESUS CHRISTUS eſt Filius Altiſſimi. Ita Filius Dei, & Filius Mariæ non ſunt duo Filii diverſi, ſed Filius idem æternum genitus a Patre, & in tempore a Matre. Quare mihi videtur ita argumentari poſſe: Si Maria non eſt Mater Dei, dicere oportet, aut illam non eſſe Matrem JESU CHRISTI, aut JESUM CHRISTUM non eſſe Deum, quæ duæ ſunt blaſphemiæ, quæ niſi ex Judæi, vel Ethnici ore poſſunt proficiſci. Quod ſi Mater Dei eſt, cur præclarum hoc nomen, & dignitas hæc illi negatur?

Non autem hoc in loco impugnare aggredior omnes Hæreticos, qui eripere voluerunt glorioſum hunc titulum Deiparæ, Virgini Sanctæ, neque in moleſtam eorum enumerationem deſcendere; generatim duntaxat dico, omnes Filii Dei inimicos, fuiſſe etiam inimicos Matris illius; & quicumque negaverunt JESUM CHRISTUM eſſe Deum, & hominem, negaſſe etiam Mariam eſſe Matrem Dei. Nonnullos refert Tertullianus in libro quem edidit de JESU CHRISTI Carne: Valentinus, ait ille, ex privilegio quod ſibi vendicant Hæretici, libertatem ſibi uſurpavit dicendi Carnem JESU CHRISTI fuiſſe Spiritualem. Hebion, illum meram hominem agnoſcit ex ſemine David ortum, non autem Filium Dei. Marcion Veritatis ille ſiccarius, ne fateatur JESUM CHRISTUM veram habuiſſe Carnem, negat illum ex Maria natum eſſe. Apelles illi quidem tribuit Carnem, quam de Cælo attulit, non autem illam cum qua natus eſt. His inimicis JESU CHRISTI, & Mariæ ſubnectendi ſunt Manichæi, Ariani, Sociniani, & generatim omnes illi, qui negaverunt JESUM CHRISTUM eſſe aut Verum hominem, aut Verum Deum; conſequenter enim Mariam Dei Matrem eſſe negarunt.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Quot in uno hoc Myſterio miracula.

QUOT inaudita, & admirabilia in hoc uno Myſterio Miracula! Angelus de Cælo deſcendit: hic unus ex principibus beatorum Spirituum, qui ſtant ante thronum Dei, Nuntius ad Virginem mittitur. Agitur de Salvatore hominibus dando; tota adorabilis Trinitas in magni hujus operis partem accedit. Pater offert Filium ſuum: Filius offert ſe ipſum, & Spiritus ſanctus per omnipotentem Virtutem ſuam debet cooperari. Cælum tamen quærit a Maria conſenſum, quæ illum tribuit, modo hoc impleatur Myſterium, ſine Virginalis ſuæ puritatis jactura; & ſane adimpletur eo modo, quo illa deſiderat. O prodigia, o Miracula! Filius Dei fit homo in caſtis Mariæ viſceribus, quin ceſſet Deus eſſe; & Maria fit Dei Mater, quin ceſſet eſſe Virgo. *Pater le Valois tomo 4. operum Aſceticorum; ſermone tertio de Mariâ Virginis Annuntiatione.*

Quam efficax, & potens fuit verbum quod protulit Virgo præbens conſenſum ſuum.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum; dixit Virgo Angelo Myſterium Incarnationis ſuæ nuntianti. Quam admirabile hoc verbum eſt, quam potens, quam imperioſum: Quantumvis egrediatur ore modeſtiſſimo, & ex corde, quo nullum fuit unquam humilius! Verbum hoc Deum de throno detraxit: Filium de Patris ſui ſinu revulſit, Altiſſimum humilitavit, Æternum tempori ſubjecit; Creatori rerum omnium vitam tribuit, & in compendium redegit illum, quem Cælum, ac terra capere non poterant; finitum cum infinito conjunxit; Verbum Carnem fecit. Ne mihi ulterius de Joſue verba fiant, qui verbo Solem in itinere retardavit, ut diutius facem ſuis proferret triumphis: Si obedit Dominus voci Sancti illius Imperatoris: *Obediente Deo voce hominis*; longe mirabilius eſt Solem Juſtitiæ ad Virginis vocem de Cælo deſcendere, & Dominum ipſum perſonaliter illi & filii obedientiam, & ſerva obſequia præſtare. Verem eſt in ipſo ſæculorum initio verbum *Fiat* ex nihilo eduxiſſe omnia viſibilia, & inviſibilia; ſed ecce aliud nihilum in ordine gratiæ, nihilum humilitatis longe fœcundius nihilo naturæ, ex quo Maria per verbum *fiat* educit ipſum Deum, novam illi præbens nativitatem. O Maria! fiat igitur ſecundum verbum tuum: oriatur tandem lux: & illuminet tenebras noſtras; Veritas æterna illuſtret, & diſſipet errores noſtros; pax, miſericordia, & amor prodeat ex utero tuo Virginali ad Mortalium omnium conſolationem: verbum tuum producet hos omnes miraculoſos effectus: & hoc ipſum verbum tuum, licet profunda reluctetur humilitas tua, extollet te ad eum dignitatis apicem, ad quem evadere poſſit Creatura. *Auctor Recens.* Joſue 10.

Cauſſæ propter quam Sancta Virgo turbatur, audiens Angeli nuntium, & quomodo tunc ſe geſſerit.

Mirum ne videri debet nobis, ſi creaturarum humillima turbatur, audiens ſe laudibus excipi ab Angelo, inexpectatum hoc nuntium afferente: *Quæ cum audiſſet turbata eſt in ſermone.* Maria prorſus occupata & magnitudine Dei, & nihilo ſuo, pati non poteſt laudem longe diverſam ab ideis, quam illi ſua adſtruit humilitas. Sciebat prudens hæc Virgo Angelum Sathanæ nonnunquam in Lucis Angelum transformari, & quia infinita ipſius erat humilitas, ſibi perſuadere non poterat, Dei Angelum poſſe de ſe tot cum laudibus loqui. Neſciens quid reſponderet, tacendi conſilium iniit, donec cautius ad examen vocaret, quinam ſecum loqueretur; mallens cum humilitate tacere, quam loqui parum prudenter. Heu! quam diſſimilea a noſtris ſunt ſenſus hujuſmodi! Laudibus non turbamur; tranquille audimus tamquam debitum nobis tributum immodica elogia, quæ adulationi accepta referre debemus. Turbamur immo, niſi ex nobis laudes deferantur, quas credimus meruiſſe: hinc putamus nos debitia fraudari encomiis, de nobiſmet ipſis ſentientes altius, quam decet; & quo tempore laudans deberet erubeſcere propter ignaviam ſuam, laudatua ita excæcatur, ut cenſeat rationem haberi modeſtiæ ſuæ. Verum ut Virgines erudiamus exemplo Reginæ Virginum, videntes Mariam ad Angeli affatum perturbari, quoniam ſub humana ſpecie illi apparuerat; diſcite Virgines Chriſtianæ vereri ſermones, & ſocietatem hominum, & fugere occaſiones, in quibus adeo ſumus infirmi, cum noſmet illis objicimus; umbra enim terruit eam, quæ induta erat fortitudine ab alto. Sed non ſolus Angeli adſpectus, quamvis a Deo miſſi, turbam excivit in Virgine, ſed laus ipſa ab Angelo præſtita acceſſit. Diſcite igitur puellæ quanto magis expaveſcere debeatis, cum homo, Dæmonis Vicarius, ad fallendam innocentiam veſtram virulentas commiſcet laudes, quæ puriſſimum cor valent corrumpere. Tamen quin caute, ac ſedule evitetis hæc ſecreta colloquia, quoties vos ipſæ in occaſiones obtruditis? Tantum abeſt, quod laudes metuatis, tantum abeſt, quod invito animo eas pati debeatis, & cum Sancta Virgine modeſtum ſilentium ſervetia, quod adulatoribus ipſis, ut plurimum, imponit ſilentium, ut nihil prætermittatia recentes ſubinde laudes capturæ. Ah! Si ſciretis ſubtile, & periculoſum virus, quod cum laudibus in penitiores cordis latebras irrepit, cum præſertim proficiſcuntur ab ore, quod placet, vel placere poteſt; diſceretis, dicam iterum; ad exemplum puriſſimæ Virginis; Virginibus trepidandum eſſe, ubi laudantur; & illis in ſolitudine vivendum eſſe, quærendaſque eas tantum laudes, quas Angelus tribuit Mariæ, quam gratia plenam appellat. *Abbas de Monmorel Homil. de Annuntiatione.*

Quomodo Angelus conſtimaverit Virginem in ſuo pavore, & dubitatione.

Angelus qui vidit Sanctæ Virginis turbationem, ſtatim omnem illi timorem, ac dubitationem abſtulit: Ne timeas, inquit, Virgo Sancta; tantum abeſt quod tua Virginitas obſtet Maternitati Salvatoris,

ut hæc potius ratio eſt propter quam Mater Salvatoris evadas. Niſi eſſes Virgo, poſſes nequidquam huic Myſterio conferre? dignum enim Deo eſt nonniſi ex Virgine naſci, quemadmodum Virginem tantum decet eſſe Dei Matrem. Profecto præferre Virginitatem celſiſſimæ dignitati Virtus erat tanta, ut non poſſet placere Deo meliorem in modum. Ita Angelus Dei reſpondit huic Virginum Reginæ ut omnem dubitationem auferret, & tantum abſuit, quod Maternitas ullam offunderet caliginem fulgori Virginitatis ſuæ, ut e contra Virginitati novum decus, & nitor corporis, & mentis acceſſerit per habitaculum Dei in illius utero Incarnati. *Idem.*

Humilitas Virginis in tanta dignitate Virtus eſt admirabilis.

Angelus nuntiat Mariæ illam electam eſſe, ut ſit Mater Dei; Maria vero quin ullam in ſe ſentiat emotionem ad intuitum tantæ dignitatis, eodem momento ſe Ancillam vocat: *Ecce Ancilla Domini*. Magna Virtus non eſt in dejectione eſſe humilem, ſed maxima, & præſtantiſſima Virtus eſt in honoribus ſervare humilitatem. Cumulus gloriæ Sanctæ Virginis fuit profunditas humilitatis ſuæ ſecundum illud Sapientis Conſilium: *Quanto magis es, humilia te in omnibus*, quaſi diceret, effodienda eſſe fundamenta ſecundum edificii altitudinem, & profundam duntaxat humilitatem eſſe poſſe libamentum ſummæ dignitatis. Itane ipſi facere conſuevimus, an potius cum Sancto Bernardo dicere poſſumus, ubi ad aliquem honoris gradum attollimur, nos obliviſci quod ante fuimus, ut noſmet intueamur ſecundum ideam, quam de nobis homines concipiunt, qui de nobis nonniſi ex externa ſpecie judicium ferunt. *Idem.*

Eccli. 3.

Diſcere debemus ex Dei Matre humiles eſſe in Magnitudine & dignitate.

Ne egrediamur ex propoſito argumento, videntes Sanctam Virginem conjungentem profundiſſimam humilitatem cum præſtantiſſima dignitate, diſcamus neceſſitatem, qua tenemur humiles eſſe in Magnitudine: duas potiſſimum cauſſas afferre poſſum, alteram quæ reſpicit Deum, cui magis ſubjecti eſſe debemus, quo plura ab ipſo recipimus: melior quippe ratio, quæ nobis ſit oſtendendi animum gratum beneficiis ejus, eſt confiteri coram ipſo, omnia inde in nos eſſe profecta ac proinde nullam eſſe nobis de illis gloriandi cauſſam. Cauſſa altera ad nos pertinet, & ſimul ad proximum: nam ſi poſtquam facti eſtis paullo majores, illi ſenſerint vos intumuiſſe, expectandum vobis eſt; non defuturum, qui vos intra cutem veſtram coarctet: cum e contra ſi eamdem agendi rationem, & humanitatem ſervaveritis, illi, qui parati erant, ut primi omnium felicitati veſtræ inviderent, vobis plaudent. Ita cum Deus per ea, quæ de vobis fovet conſilia, permittit ut creſcatis, imitamini Beatæ Virginis exemplum, quæ eo momento, quo recipit maximam dignitatem, quam mera Creatura valeat recipere, vere dicere poteſt: *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.*

Pſalm. 30.

Quanta fuerit Sanctæ Virginis humilitas, & quam illi fuerit neceſſaria.

Ad ſuſtinendum pondus hujus dignitatis, in qua gratia Sanctam Virginem collocaverat, illa ſolidiſſimis eguit fundamentis, videlicet profundiſſima humilitate: itaque quis dicere poteſt, quanta fuerit humilitas Mariæ, & quantum illi eſſet accepta? Hæc facti erat virtus dilectiſſima, ſciebat enim nullam ſibi magis neceſſariam fuiſſe, ut Sanctitatem ſervaret ſartam tectamque, nullumque tutius eſſe medium ad ſervandas Dei gratias: ideoque, ſi Dei Angelus nuntiat illi, ipſam delectam fuiſſe, ut fieret Mater Salvatoris, ipſa ſtatim Ancillam ſe vocat. Verum eſt, ipſa jam iniiſſe conſilium abrenuntiandi glorioſæ huic dignitati, ſi conciliari minime poſſet cum Virginitate, quam Domino voverat, & quam ceteris præferre velle videbatur; ſed maluit quodammodo decus, & gloriam ejuſdem amittere, ubi obtulit ſe Templo, ut ſemet purificaret; quod præſtitit, ut quidquid de Virginali puritate ſua apud hominum exiſtimationem deperiret, id in ſuæ humilitatis premium cederet. Talis, & millies major adhuc fuit humilitas Mariæ in toto vitæ ipſius curriculo, ſed qui ſcrutari potuiſſet cordis illius penetralia, intellixiſſet ſenſus illius adhuc humiliores fuiſſe, quam quidquid per verba, & actiones extrinſecus prodire potuiſſet. Hoc Dei oculos illexit, cum de ſummo cælorum faſtigio humilem proſpexit Mariam: nihil enim, quidam Pater ait, nos in Oculos Domini reddit magis acceptos, quam ſi cum meritis noſtris magni ſimus, efficimur modici, humiliter de nobis ſentientes. *Idem de ſermone de Conceptione.*

S. Paul. c. ep. 30.

Qualitas Deiparæ complectitur omnes laudes, quæ tribui poſſunt Virgini.

Quid adjicere poſſumus ad Incomparabilis hujus Virginis laudem, quam hanc illam eſſe *de qua natus eſt JESUS, qui vocatur CHRISTUS*. Ita Scriptura quæ novit maxima quæque ſimpliciſſimis verbis complecti, abſolutiſſimum Virginis encomium exornatura, non aliis uti potuit verbis, niſi iſtis; *de qua natus eſt JESUS, qui vocatur CHRISTUS;* & ubi nominata fuerit qualitas Matris Dei, quidquid ſuperaddi poteſt, imminuit, atque infirmat ſimplicem hanc, nobilemque ideam, quæ mentibus noſtris occurrit. Quis autem concipere poteſt, quibus gratiis Dominus Sanctam prævenerit Virginem, ut illam adeo ſublimi dignitati præpararet? Cetera bona infra illius merita poſita erant: gratia ſola verum bonum eſt in Oculis Dei; & hoc unum illud fuit Sancta Dei Matre dignum. Si enim omnia illi fortunæ bona negavit, quanta cum profuſione illi gratiæ bona conceſſit? *Idem.*

Quomodo Sancta Virgo fuerit gratia plena, & quam glorioſum illi fuerit hoc elogium.

Ulla ne extitit unquam laus magnificentior illa, quam Angelus Virgini tribuit! Sed, Venerabilis Beda inquit, quantum ignotum fuerat hoc elogium hominibus, tantum Dei Matrem decebat. Illam ſtatim *gratiam plenam* nominat. De JESU CHRISTO dictum fuit, illum eſſe *plenum gratia, & veritatis*; & de Sancto Stephano *plenum gratia & Spiritu ſancto*. Abſit, quod dicamus Mariam fuiſſe plenam gratia, ſicut plenus fuit Filius ejus; qui gratiæ omnis fons eſt, & origo, de cujus plenitudine Sancti omnes, & Virgo ipſa acceperunt: Sapiens enim hæc Virgo noſtra renuit elogia, niſi quatenus ſunt Veritati conformia; verum aſſerimus etiam audacter ipſam eſſe plenam gratia longe perfectiori modo, quam fuerint Sancti; illi enim, quæ nemini, gratia conceſſa fuit, Auctorem gratiæ concepiſſe; in una illa habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, & una illa concepit de Spiritu ſancto. Verbo, ſi Sancti fuerunt pleni gratia pro ſtatuum varietate, ad quos illi a Deo deſtinati fuerunt ſecundum ſuæ electionis decretum; intelligi ne poteſt quibus gratiis Sancta Virgo repleta fuerit, quandoquidem electa fuit Dei ſui Mater futura? *Idem.*

Animadverſio de Mariæ turbatione ad Angeli nuntium.

Angelus Mariam adit, & illa turbatur: vix illi incipit loqui, cum hæc expaveſcit; turbatur, ac interius ſexcentis cogitationibus agitur. *Turbata eſt, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio*; Ubi hæc fieri poteſt animadverſio: Si Maria fuiſſet ex his adoleſcentulis una, quæ corpore tantum Virgines ſunt, non autem ſpiritu, Viſitatio, quam recepit, nullum illi ſtuporem injeciſſet, & laudes ipſi collatæ non turbaſſent illam, ſed potius palpaſſent. Sed profeſſio; quam ſemper fecerat, ſe tamquam Virginem nullam niſi cum Deo familiaritatem habituram, lex, quam ſibi irrogaverat, & caute ſervaverat ab alia quavis conſuetudine abhorrendi, & moribus, ac profanis ſæculi uſibus abrenuntiandi; diligens, ac ſevera illius regularitas, & diligentia nihil de irreprehenſibili vitæ ratione relaxandi, poſſeſſio, in quo erat vitam integerrime vivendi, quam ne rigidiſſima quævis cenſura notare poſſe; pudor, & modeſtia illi ingenita; opinio qua præventa fuerat, laudes, quæ mulieribus dantur, & ab illis accipiuntur, virus eſſe maxime contagioſum ac lethale; hæc omnia cient in illa talem turbam, quam ferre præ ſe non erubeſcit; namque ita turbari verus eſt character Virginis Deo ſuo fidelis. *Pater Bourdaloue ſerm. 2. de Annuntiatione.*

Omnia creata expectabant aſſenſum præſtandum a Maria.

Fingite vobis Cælum, & Terram expectantes, quid Angelicæ propoſitioni reſponderet Maria; quippe ab illius aſſenſu noſtræ Salutis opus pendebat. Homines qui fato functi erant, & qui vivebant, illum expectabant, & precabantur ne diutius reſponſionem differret. Angelus, qui felix illi nuntium attulit Incarnationis Verbi in utero ejus, propterea hanc præſtolabatur reſponſionem; hanc Spiritus ſanctus, divinus Sponſus illius, ardenter optabat. Dei Filius hanc tantummodo morabatur aſſenſum, ut de Cælo deſcenderet, & ſe humanæ naturæ conjungeret: creaturæ omnes, ut ita dicam, proſtratæ erant coram illa, eamque Sancti Bernardi verbis ita deprecabantur: Ecce Virgo Sancta, tibi noſtræ ſalutis pretium offertur; jam liberi erimus eo momento, quo præſtabis aſſenſum; Morte damnati ſumus, unicum verbum tuum nobis vitam reſtituet. *Pater Craſſet in Colloquiis per Adventum.*

Quid reddiderit neceſſarium Mariæ conſenſum.

Inde magis neceſſarius effectus eſt hic Mariæ aſſenſus, & magis glorioſus, ut noſtis, quia requirebatur ad exequendum primum, & maxime adorabile, quod unquam in intellectu ſuo Deus ſecretum conceperit; ad complendum præſtantiſſimum hoc inter ejus opera Myſterium; ad reſtaurandam Dei gloriam in terra, & ad humani generis ſalutem reparandam; & dandam Vitam JESU CHRISTO. Verbo: ut adimpleretur magnum hoc Myſterium, quod ab æterno cogitaverat Deus, & quod quatuor annorum millibus præparaverat. Patriarchæ petierunt a Deo, ut auguſtum illud Conſilium tandem opere compleretur, & ore ſimul & corde ſexcenta nuncupavere vota, ac deſideria foverunt. *Rorate Cæli deſuper & nubes pluant Juſtum*. Prophetæ potuerunt Myſterium iſtud prædicere: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*. Sed hæc omnia non ſufficiunt: Vult Deus Mariam loqui, & illius aſſenſum requirit. O Deus! quænam igitur eſt auguſta hæc Creatura, cujus aſſenſus neceſſario requiritur pro reparatione divinæ gloriæ, pro Eccleſiæ inſtitutione, & pro peccatorum ſalute. *Pater Texier in Sermone de hoc Myſterio.*

Iſaiæ 45.

Iſaiæ 7.

Præcipua cauſſa turbationis Mariæ fuit conſideratio Majeſtat. Dei qui Incarnandus erat in utero ſuo.

Cuinam rei acceptam referemus cauſſam turbationis Mariæ ad nuntium ſibi ab Angelo allatum ſe Matrem Salvatoris futuram? Vulgo dicitur illam turbatam fuiſſe propter nuncupatum perpetuæ Virginitatis

votum,

vótum; qua labe aliqua inficiendam putabat, ſi fieret Mater. Sed ne plura dicamus de hac ratione, quam alibi expoſuimus, illa Sancti Athanaſii ſaltem efficiet, ut admiremur diſpoſitionem, in qua erat hæc incomparabilis Creatura. Ex Sancti Patris hujus ſententia proficiſcebatur ex præſenſu, quem habuerat incomprehenſibilis magnitudinis Myſterii, quod ſibi nuntiabatur, ſanctæ formidinis, quæ illi inceſſit auguſtæ præſentiæ divinitatis; conſiderationis, quam habuit de Deo, & de ſemetipſa; de infinita Dei Sanctitate, qui tamen non horreret Virginis uterum, & de incomprehenſibili puritate, quæ requirebatur, ut illum ſinu ſuo complecteretur; & profecto nonne hæc æquiſſima erat turbationis cauſſa; an alia eſſe poterat æquior, & ſanctior? *In elogiis Hiſtoricis, Sermone de Annuntiatione.*

Nulla major dignitas eſt dignitate Deiparæ, & Deus ipſe poſt Deū incarnatum nihil majus operatus eſt.

Inter tot ineffabilia miracula, quæ dies hæc ſuper omnes memorabilis propter opus admirabile Incarnationis Verbi offert cogitationibus noſtris; Eccleſia quæ illam conſecravit ſub nomine Annuntiationis, & in honorem, quem recepit Virgo facta Dei Mater, jubet nos hoc facere elogiorum noſtrorum argumentum. Sed quid dicere poterimus, quod ſublimis hæc dignitas non ſupponat, & non complectatur? Poſt hanc qualitatem, generis nobilitas, omnes tituli, privilegia omnia evaneſcunt, vel obſcurantur, aut confunduntur cum divina Maternitate, hoc eſt cum titulo Matris Dei. Spiritus ſanctus licet zelotes gloriæ Sponſæ ſuæ loqui ceſſat, ubi dicitur illa Mater eſſe JESU CHRISTI. Ita Sanguis tot Regum, qui fluxit in cor Mariæ nullam habet partem in hoc elogio: omnes magnifici tituli Mediatricis, Reginæ Angelorum, Perfugii mortalium, Reparatricis Mundi perditi, in elogio Magnalium Sanctiſſimæ Virginis non ſunt niſi explicatio tituli Matris Dei, & tamquam epitheta naturalia. Privilegium prædeſtinationis, immunitatis a peccato, plenitudinis gratiæ illam altius nequeunt attollere. Nequaquam. Poſt adorabilem Filium ſuum Deus nihil præſtantius operatus eſt, niſi Matrem hujus Filii. Quidam Eccleſiæ Pater ait: *Hoc ſolum de Virgine cogitare, quod Dei Mater eſt, omnem excedit altitudinem.* Alius plus inquit, nec tamen dicit nimis, cum aſſerit, ubi ſermo eſt de dignitate, Mariam ipſam eſſe, *qua Majorem Deus facere non poteſt.* Unde Tertius optime argumentatus eſt, data ratione de Maria dici poſſe, quod Sanctus Paulus de Salvatore inquit, Deum, dum faceret Matrem ſuam, dediſſe illi qualitatem ſuper omnem qualitatem, & nomen quod ſuperat omne nomen, ut omnes Cælorum throni, omnes Cælorum principatus, omnes inferorum poteſtates flectant genua coram illa, & Altitudini ejus præſtent obſequium, ut in nomine Mariæ omne genuflectatur Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum. *Pater Aurelianenſis ſermone de Myſterio Annuntiationis.*

Continuatio ejuſdem argumenti.

Quantumvis ſublimis ſit Mariæ dignitas, eo quod Filia eſt David, & Abraham, longe tamen ſublimior eſt quia Mater eſt Dei; ita Patres omnes fatentur, ubi agitur de laudanda ſublimi hac dignitate, ſibi verba deficere, ac ſe invenire illam ita laudibus omnibus ſuperiorem, ut non liceat eam niſi longe inferioribus proſequi. Quantumlibet nobiles ſint conceptus tui, cum agitur de laudanda JESU CHRISTI Matre, longe ſunt inferiores dignitate ſua, Sanctus Auguſtinus ait, ſi illam extollis, uſque in Cælum tuis encomiis, ipſa eſt Cælo ſublimior; ſi hominum omnium Matrem vocas, aliam habet qualitatem toto Cælo ſublimiorem; ſi eam Angelorum Reginam facis, talis revera eſt, ſed illius panegyricum non reples; ſi eam appellas imaginem, & formam Dei ipſius, magnum, & admirabile aliquid dicis; ſed nihil dicis, quod illius merita excedat. Ut oſtendat autem quantum Deiparæ dignitas omnes ſuperet cogitationes noſtras, Magnus hic Doctor audet aſſerere, illam ipſam non poſſe verbis exprimere, quod in utero concipere potuit. Sileant ergo creaturæ omnes, & Sancto horrore contremiſcant, quidam Pater exclamat, & non ſine metu reſpiciant immenſam extenſionem qualitatis Deiparæ. Apoſtolus probaturus JESUM CHRISTUM ſuper omnia eſſe poſitum, ait: *Cui dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Utamur ergo hac eadem argumentatione ad extollendam Mariam ſuper Angelos, & homines, & ſimiliter dicamus, cuinam creaturæ Filius Dei dicere potuit: Mater mea tu es, tu mihi tribuiſti nativitatem? Omne illius Elogium in Maternitate conſiſtit; nam ſi pro reliquis hominibus gloria deſcendit, & filio communicatur, hic filii gloria aſcendit, & communicatur Matri . . . . . Quis ergo poteſt concipere quibus gratiis illam prævenerit Dominus, ut illam adeo eminenti dignitati præpararet? Cetera enim bona infra ipſam erant; Sola eſt gratia, quæ bonum illa dignum conſtituat. *Abbas de Monmorel Homil. de Conceptione.*

S. Petrus Damiani ſerm. de Nativit. Virginis.
Ad Hebr. 1.

Mariæ conſenſus erat conditio requiſita ad Verbi Incarnationem.

A Mariæ reſponſione pendebat complementum glorioſi hujus Myſterii, quod hodierna die celebramus. Conſenſus iſte erat in ordine decretorum æternorum Dei, una ex conditionibus requiſitis ad Verbi Incarnationem: & hæc eſſentialis eſt obligatio, quam habemus huic Reginæ Virginum, quoniam de fide eſt, per illam datum fuiſſe nobis JESUM CHRISTUM, & illa a nobis deberi Deum hunc Salvatorem: Si enim Filius Dei deſcendit de gloria ſua, ſi in caſtis Mariæ viſceribus pro hominum ſalute humanam ſuſcipit carnem, hoc factum eſt eo momento, quo dixit, & quia dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum Verbum tuum.* Pater Bourdalove in primo ſermone Annuntiationis.

Humilitas Sanctæ Virginis fuit cauſſa elevationis ejus, propter quam Deus illam ſibi Matrem elegit.
Luc. 1.

Quia in re Maria inter omnes Virgines coram Deo Majeſtatis enituit, ut ille eam ſibi in Matrem deligeret? Hoc illa nos docet; per cognitionem quam habuit ſuæ infirmitatis, & propter illius confeſſionem. Hæc autem confeſſio non aliud fuit niſi viva, & pathetica ſignificatio humilitatis cordis ſui: *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* Ita dixit illa in Cantico ſuo, quod ex Sancti Ambroſii Sententia fuit veluti extaſis ſuæ humilitatis. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent*, & profecto beata ſum: quia Omnipotens *fecit mihi magna*. Cur autem mihi Magna fecit? Quia dedignatus non eſt reſpicere humilitatem ancillæ ſuæ, & quia rationem habuit humilium ſenſuum, quos illa fovebat: *Ecce enim ex hoc.* Hoc unum non ſolum mihi promeruit ſuas benedictiones, & gratias; ſed illius etiam perſonam, & divinitatem: Ego vero hæc illius in me beneficia prædicabo, ut omnes animæ juſtæ proficiant ex ea profeſſione, quam facio, ſcientes, unam humilitatem eſſe, cui ſe communicet Deus, & unam, propter quam accedamus ad illum, & ille accedat ad nos. Neque mirum eſt, Deum ita ſeſe gerere cum Maria: nam uti Sanctus Bernardus arguit, Deus, qui prope erat, ut ſeſe ad excelſum uſque humiliaret, noſtram induens mortalitatem, in deliciis habere debebat humilitatem, quoniam in ipſo gloriæ ſuæ ſtatu tantam habet rationem hujus Virtutis, & propter hanc unam cauſſam, quia magnus eſt, omnes illius affectus, & animi propenſiones ſunt erga parvulos, & humiles: *Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit.* Idem.

Quomodo aliquis poteſt ſimul eſſe magnus, & humilis.

At enim, inquies, poteſtne aliquis ſimul humilis, & magnus eſſe? etenim hic ille prætextus eſt, quem Mundi Spiritus ſemper oppoſuit veritati Chriſtiani hujus documenti: Ego vero reſpondeo, poteſt ne dubitari poſt authenticam probationem, & admirabile exemplum, quod nobis reliquit Deus in Filii ſui Incarnatione, & in Matre ſua purarum creaturarum glorioſiſſima ſimul & humillima? Quæris utrum quis eſſe poſſit humilis ſimul, & magnus? & Filius Dei potuit humilis fieri permanens Deus: & Maria humilis eſſe potuit facta Dei Mater. Quid ergo, Sanctus Joannes Chryſoſtomus ait, humanæ magnitudines habent ne majorem nitorem, majuſque decus, quam Dei Maternitas, & ipſa Divinitas? Et quandoquidem Divinitas, & Maternitas Dei adeo præclare conſenſerunt cum humilitate in JESU CHRISTO, & in Maria; audebimus ne dicere, aliquid ita magnum eſſe in terra, quod cum humilitate nequeat conciliari? Ita eſt, Chriſtiani; poſſumus ſimul, & magni & humiles eſſe; hoc eſt humiles eſſe poſſumus in magnitudine, quemadmodum ſuperbi eſſe poſſumus in miſeria. Nemo poteſt humilis eſſe, & adfectare, atque ambire magnitudinem; complacere ſibi in honoribus, & nihil intentatum relinquere, ut honores aucupetur; ſed licet ſimul humilem, & magnum eſſe; licet enim magnum eſſe juſſu Dei, & ſecundum ordinem Dei, & Dei ordo nihil habet, quod ad humilitatem fovendam non conferat. *Idem.*

Quo majori Virtute prædites es, eo magis te humiliare debes te ipſum coram Deo.

Exemplum Virginis æque humilis, ac ſublimis in gratia, & Sanctitate nos doceat, quo plus Virtutis nobis ineſt, eo magis coram Deo noſmet humiliari debere; tamen verum fateamur; ſæpe videntur homines, qui pietatem profitentur, magis ſuperbi peccatoribus ipſis. Hodierna etiam die videntur, qui, ut olim Phariſæus, gloriantur de bonis operibus ſuis; & alii, quos crimina ſua, ut olim Publicanum, humiliant. Hoc enim diſcrimen eſt inter ſuperbiam, & alia vitia; ut pravæ tantum actiones eſſe poſſint aliorum vitiorum materia; ſed ipſæ etiam bonæ poſſunt eſſe materia ſuperbiæ. Aſſerere igitur poſſumus nullum eſſe peccatum, quod Dominus magis perhorreſcat, quam vanitatem hanc quæ ab ipſa Virtute percipitur, quia hoc eſt Apoſtatam Angelum imitari, Dei donis abuti, contra Deum. *Abbas de Monmorel Homil. in idem Feſtum Conceptionis.*

Maria humilitate, & ſilentio reſpondet laudibus Angeli.

Virtus, quæ mirum in modum commendat Mariæ Sanctitatem, profunda eſt ejus humilitas, quæ magnifica nequit ſuſtinere elogia, quæ ſibi tribuuntur ab Angelo. Fuit ne unquam certamen amabilius eo, quod viſum eſt in hoc Myſterio? Angelus cum Maria non loquitur de illius nobilitate, non de illius pulcritudine, non de acri ingenii ipſius vi; ſolida Virtus non flectitur inanibus iſtis verbis, futilibuſque ſermonibus; dicit tantum illam eſſe gratia plenam; Dominum eſſe cum illa, illam eſſe inter mulieres benedictam, & fructum, quem conceptura eſt, illi futurum

fructum benedictionis. Quid reddit tantis laudibus Maria? Non reſpondet niſi per profundum ſilentium, ac turbam ſpiritus ſui, quam caſta verecundia in ejus vultu præfefert. Angelus Mariam ſuper omnes attollit Angelos hominesque; Maria vero ſe infra omnia creata demittit. Angelus illam Dei Matrem appellat, Maria ſe *Ancillam Domini* vocat. Angelus inquit, Virginitatem, & fœcunditatem in illa conjunctum iri, atque æternam Sapientiam in illius utero iri incarnatum; Maria vero credit omnia, quæ ſibi Domini verbis dicuntur; ſed omnia in Omnipotentis gloriam convertit: *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* O quam rara Virtus eſt humilitas in honore habita, & probata! O quam periculoſum virus eſt laus; & quotuſquiſque illam perhorreſcit! *Liber, cui titulus: Virginum ſolitudo.*

Maria ſuo nobis oſtendit exemplo, eum qui ſe humiliat exaltari.

Nonne diceres omnes Dei favores, & gratias pro humilibus eſſe? *Quicumque ſe humiliat, exaltabitur.* Mater quoque Salvatoris huic legi ſubjecta fuit. Si illius exemplum conſulis, audiiſti jam illam ſe Domini Ancillam nuncupantem, eamque intueris in nuntio elevationis ſuæ, quod ſibi aſſertur ab Angelo, in ſua humilitate occupatam. Si ejus audis præcepta, docebit te, *Deum diſpergere ſuperbos mente cordis ſui, deponere potentes de ſede, & exaltare humiles.* Sed attolli cupis, & magnus fieri? en quid corrumpat pleroſque homines: heu! quid magis te valet attollere, quam omnipotens? Eſtne ex eorum numero, qui Dei promiſſionibus non moventur; vel qui fidem non habent iiſdem? *Lambert Homil. in Evangelium hujus Myſterii.*

Maria facta fuit Dei Mater, cum ſe illius Ancillam profeſſa eſt.

Quo tempore, & quo temporis hujus articulo putas Sanctam Virginem factam fuiſſe Dei Matrem? Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Joannes Damaſcenus id accidiſſe tenent, cum Virgo protulit hæc verba: *Ecce Ancilla Domini &c.* Ubi hæc prodierunt ex ore ipſius, aſcenderunt ad cor Patris, ſimulque ſine ullo intervallo Verbum Æternum deſcendit in Sanctæ Virginis uterum. Cur hoc potius momento, quam alio? quia ingrediebatur in admirabilem Patris imitationem, qui Unigenitum ſuum produxit per contemplationem perfectam ſui, & infinitarum perfectionum ſuarum. Vivens imago ejus, quod ille efficit, & quod videt in ſe; hoc a nobis dicitur Verbum, & unicus Filius illius; cumque Sancta Virgo conceptura eſſet, & paritura hunc eumdem Unigenitum, imitatur modum Æterni Patris; perfecte cognoſcit, & contemplatur, non quidem eſſentiam ſuam, uti Creator, non magnalia ſua, ut Deus, ſed merum nihilum ſuum, quatenus creatura, & quid ipſa ſit per ſe; & id cognoſcens hunc eumdem concipit Filium. Ecce quo profunda ejus humilitas illam demittit? eo uſque ut palam proferat, & oſtendat abyſſum nihili ſui; ecce quouſque ſimul illam attollat, eouſque ut proprium Dei Filium concipiat, & fiat Mater ejus. *Pater de Argentano e Capucinorum Familia. Collatione pro Myſterio Annunciationis.*

Per humilitatē Maria ſe ad ſublimē hunc gradum diſpoſuit, & ſe hoc dignā per humilitatem oſtendit.

Acquiſitæ magnitudinis proprium eſt immutare cor, efficiendo, ut ſtatum mutemus. Qui ante elationem ſuam conabatur ſe dignum præbere eo ſtatu, in quo verſabatur, ubi primum de pulvere emerſit, & ſuſtinere non potuit dignitatem, quam mereri potuerat, aliam venerationem ſuſcepit. Hoc non contigit Mariæ; non contenta eo quod dignam ſe præbuerat electione, quam de ipſa fecerat Deus, ut ingrederetur in ſingularem magnitudinis ordinem, ſuſtinere novit Virtutibus dignis Matre Dei, gloriam, quam ſuis meritis acquiſiverat. Ne putetis ergo a me vobis illam præſentari tamquam dignitatis ſuæ gradum in hominum oculis tenentem, magnitudine ſua intumeſcentem, & repoſcentem cultum, & obſequium ſibi debitum. Per humilitatem ſeſe ad hunc honoris apicem præparavit; per hanc ſe dignam præſtitit; per hanc Deus illam exaltavit: per hanc eamdem probat electionem de ſe factam a Deo: æque humilis poſt elationem, ac antequam in ſupremo hoc dignitatis faſtigio collocaretur, nunquam in hominum oculis niſi per humilitatem effulſit; cumque hic ſemper illius character extiterit; ita nunquam illum abjecit. *Pater Catrou in Manuſcripto Sermone de hoc Myſterio.*

Maria videns humiliationē Filii ſui in hoc Myſterio, non poterat non humilis eſſe ad ejus exemplum.

Quomodonam hæc humilis Virgo potuiſſet intumeſcere, vel ſe Dei Matrem gloriari, cum cogitabat ſe dignitatem hanc non poſſidere niſi gratuito ſibi conceſſam, & quia Divinum Verbum humanam carnem induerat? Quomodonam de eminenti hac dignitate gloriari poterat, ubi intelligebat obſcuram JESU CHRISTI Nativitatem eſſe in cauſſa? Itaque tantum aberat, ut ſuæ dignitatis adſpectus humilitatem ejus infirmaret, vel imminueret, ut illam potius augeret, ac ſuſtineret. Prout plures videt honores, quibus decoratur, plures videt humiliationes pro Deo, & has mente volutans, credit, ſe magis, magiſque humiliari debere, neque ea uti dignitate, quæ aliquo modo ſtat Filio ſuo tanti, quanti tota ſua majeſtas, & gloria. *De la Volpiliere ſermone de Viſitatione.*

Maria Deo referr acceptam

Nulla unquam perſona ſublata fuit ad tantum honoris faſtigium, ut fieret Mater Dei ſui. Cognovit illa hujus operis Magnitudinem, ſed propter Deum, non propter ſe; nullum ipſa humanum motum admiſcuit; nullam dignitatis ſuæ lætitiam percepit; nihil philautiæ ſeſe immiſcuit, Deo unice acceptam retulit hujus operis gloriam, & honorem. *Magnificat anima mea Dominum.* Non gratulatur ſibi, nec ſibi gaudet; ſed unice in Deo, & propter Deum. *Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo:* ac inde argumentatur, non quidem ſe magnam, vel Sanctam eſſe, ſed Deum Sanctum eſſe, atque potentem: *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & Sanctum nomen ejus.* Cor humanum plerumque corrumpit gratias Dei propter eam quam ſibi vindicat partem, & ſecretam quam inde percipit oblectationem: hic major eſt obex, quem ipſi opponimus incremento gratiarum Dei; ſed nihil eſt hujuſmodi in glorioſa Virgine, cujus perfecta humilitas efficit, ut ſui penitus obliviſcatur, & unice ſit de Deo ſollicita. *Ex ſpeciminibus Ethicæ tomo 5.*

omnem ſuæ elationis gloriam, & nihil vindicat ſibi.

Sublimis Mariæ exaltatio in hoc Myſterio.

Si immenſæ Verbi humiliationes ſunt magnum admirationis argumentum, ſublimis Mariæ exaltatio ad auguſtam Deiparæ dignitatem non minora nobis aperit mirabilia. Virgo, quæ concipit in tempore Filium, quem Deus genuit ante ſæcula ab æterno: Maria facta in proprio, ac naturali ſenſu Dei Mater, & per Divinam hanc Maternitatem Maria habens auctoritatem in Deum ſuum, & Deus Mariæ ſubditus; *Utrinque Stupor, utrinque Miraculum:* Duo magna ſunt prodigia; Deus tenetur Mariæ præſtare omnia naturalis officia Filii erga Matrem; Maria poſſidet erga hunc Deum-Hominem jura omnia, quæ Mater habet in Filium, & omnia bona, ut ita dicam, hujus Filii. Non ergo nobis ſtupor incedat, ſi audimus Sanctum Auguſtinum dicentem, inter meras creaturas nihil Mariæ Virgini par eſſe, aut ſecundum. Omnis ſileat creatura, Sanctus Petrus Damiani exclamat, reverentiali timore correpta ad immenſæ hujus dignitatis adſpectum, quam nulla humana creatura comprehendere poteſt, obmuteſcat. Cum de Mariæ Magnalibus loqueris, ſapienter dicebat Pariſienſis Cancellarius, ne quid nimis dicere te poſſe reformides. Dives tantum bonorum Filii ſui, inferior Deo ſuo, ſemper erit ſuperior magnificentiſſimis Angelorum, & Mortalium encomiis. *Quidquid humanis dici poteſt verbis, minus eſt laude Virginis.* Pater Croiſet in Aſceticis pro Menſe Martii.

Serm. de Conceptione Virginis.

Titulus Deiparæ fons omnium elogiorū quæ Patres tribuunt Mariæ.

Ne ſtuporem cieat in nobis unanimis ille conſenſus Patrum Eccleſiæ in prædicandis ineffabilibus Magnalibus Matris Dei die Annuntiationis illius. Hic fons eſt, ac primordium omnium privilegiorum ejus. Hinc ducit initium Immaculata ejus Conceptio, Virginitas ſine exemplo, plenitudo gratiarum ſine modo, ſublimitas, & Virtutum omnium univerſalitas. Hinc omnes magnifici, & conſolatione pleni tituli Reginæ Cœli, ac terræ, Matris miſericordiæ, refugii peccatorum. Tribuite, dicebat Sanctus Bernardus ſcribens ad Lugdunenſes Canonicos, tribuite Mariæ juſtas laudes, quæ illi debentur, dicite ipſam pro ſe, & pro nobis inveniſſe gratiæ fontem, dicite illam eſſe ſalutis noſtræ Mediatricem, & ſæculorum reſtaurationem: hæc ea ſunt quæ de illa univerſa canit Eccleſia. *Magnifica gratiæ inventricem, mediatricem ſalutis, reſtauratricem ſæculorum: hæc mihi de illa cantat Eccleſia.* Idem.

Cum Maria ſuppeditaverit Salvatori Sanguinem, Salutis noſtræ jure vocatur Redemptrix & Mediatrix hominum.

Liquet JESUM CHRISTUM ſolum Sanguine ſuo mundum redemiſſe; ſed ignorare nemo poteſt, Sanguinem, quem ille effudit, factum fuiſſe ex Mariæ ſubſtantia, ideoque Mariam ſuppeditaſſe, obtuliſſe, & miniſtraſſe pro nobis Sanguinem, qui fuit pretium redemptionis noſtræ, & hoc fundamento innixam Eccleſiam vocaſſe Mariam Mediatricem, ac Reparatricem hominum. Mariæ nimis intereſt noſtra ſalus, ita ut nullo habere nequeat in diſcrimine illius jacturam. Quæ igitur eſſe debet devotio noſtra erga Matrem Dei, quæ ſimul noſtra quoque eſt! Quis nobis eſſe debet religioſior cultus, & quæ noſtra confidentia? Illa pro nobis eſt vitæ fons; ipſa in hac exilii noſtri terra eſt conſolatio noſtra; Ipſa inter omnia pericula ſpes eſt noſtra; & quantumvis Hæreſis indigniſſime ferat, Eccleſia ſemper clamavit, eamque ſalutavit ſub omnibus auguſtis, ſed conſolatione repletis Nominibus. Videmus tamen hoc tempore homines adeo rudes, vel impios adeo, ut ſub devotionis colore dicant, Virgini non placere hos honoris titulos, & malle Ancillam vocari, quam Dei Matrem. Neque deſunt, qui impudentiſſime Hæreſiarchæ Neſtorio faveant, quem Synodus Epheſina damnavit, & cum illo doceant Virginem poſſe quidem *Matrem CHRISTI*, non autem *Dei Matrem* vocari. *Idem ex parte.*

Lib. cui titulus Monita ſalutaria.

Si Verbum Æternum Caro factum Matrem habere debebat, hæc nonniſi Virgo eſſe poterat; & ſi Virgo erat paritura, nonniſi Hominem Deum parere poterat.

Deus hoc prædixerat, Fideles, & maxime authenticum Signum ex iis, quæ Mundo promiſerat, ad innuendum magnum hoc noſtræ redemptionis Myſterium, hoc erat, Iſaia teſte, Virginem ſine Virginitatis jactura Filium eſſe parituram; & filium hunc Deum fore. Prodigium hoc, fatentur equidem omnes, naturæ legis ſuperabat; verum quodam in ſenſu per-

feſte

fecte naturæ conſonum videbatur: nam ſicut Sanctus Bernardus argumentatur, ſi Deus homo factus Matrem habere debebat, dignitas illius requirebat, & quædam erat ſpecies neceſſitatis, hanc Matrem Virginem eſſe, & ſi Virgo per inauditum miraculum ſine Virginitatis labe filium pareret, neceſſe eſſe, ut filius hic eſſet Deus. *Neque enim aut partus alius Virginem, aut Deum decuit partus alter.* Opus erat, ut Dei Verbum per exceſſum amoris, & caritatis ſuæ egrederetur de ſinu Dei, & ſi dicere liceat, extra ſe ipſum; ſed poſita hac egreſſione, quam proprie dicimus Incarnationem, Verbum Dei non poterat aliter concipi ſecundum carnem niſi per miraculoſam Virginitatis viam, quia alia quævis conceptio labem offudiſſet gloriæ & nitori ſuæ divinitatis. Hæc ſublimis eſt Sancti Bernardi Sententia. *Pater Bourdalove primo ſermone de Annuntiatione.*

Maria recuſaſſet Deiparæ dignitatem, ſi hæc comparanda fuiſſet jacturæ Virginitatis.

Dicere non poſſumus Mariam ignoraſſe Dei de ſe ipſa Conſilia, quod proculdubio illam cogere potuiſſet ad accipiendam ex toto corde Angeli propoſitionem; verumtamen tantum abfuit ut illiceretur magnificis Angeli titulis ſibi collatis, ut illi non ſufficerent quidem ad conſolandam jacturam quam facere reformidat Virginalis integritatis ſuæ, Mater effecta. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quid mihi dicis, Cæleſtis Spiritus? Ignoras ne quæ mihi ſit vitæ ratio in conjugio, & quomodo ad obitum uſque vivere decreverim? Si fieri poteſt, mulierem ſimul & Matrem eſſe, & Virginem; eſto: ſed ſi alterutri huic privilegio abrenunciandum eſt, & optio mihi permittitur, alteri hanc, quam mihi offers, largire coronam. Virgo ſum, & ero in æternum. *Pater de la Colombiere.*

Vult Deus aliquo modo periculum facere puritatis Mariæ antequam Matrem ſibi deligat.

Virtus præcipue, cujus inſigne experimentum petiit Deus a Maria, antequam illam ſibi in Matrem eligeret, conſtans fuit, & immutabilis puritas, quam ſemper in deliciis habuerat. Et profecto decebat, eam, quæ futura erat Mater Dei, irreprehenſibilis eſſe integritatis, & nulla unquam ſollicitatione poſſe labefactari: & ſane, ſi oportuit, ut Deus ſibimet, ut ita dicam, vim inferret, antequam iniret Conſilium deſcendendi, & in Virginis utero permanendi; *non horruiſti Virginis uterum*, ut loquitur Scriptura, quid fuiſſet, niſi Deus in illa inveniſſet, quæ Mater ſua erat futura, Virginitatem ſine labe? Mulierum hac in re dedecus reſilit in omnia, quæ illis circumſtant; in Patrem, & Matrem, in filios; oportebat igitur, ut in re adeo delicata periculum faceret; quapropter eo momento, quo illam electurus eſt, requirit integritatis ejuſdem argumenta. 1. Re adhuc integra illam Angelus in ſolitudine reperit. Non invenit illam in tumultu, in converſationum licentia; non evocat illam ex gaudentium conſortio, ut ſeorſim cum illa loquatur, & ſuam illi nuntiet felicitatem; ſolam reperit; domus clauſa eſt; Angelus fit, opus eſt, qui aditum valeat invenire, Sanctus Ambroſius inquit: *O hoſpitium ſolis Angelis pervium!* 2. Videtur velle Deus periculum facere ſuæ fidelitatis, Sanctus Chryſoſtomus ait, per naturam novæ hujus apparitionis. Apparet Angelus illi ſub ſpecie adoleſcentis. Hinc illa expaveſcit, & trepidat: *turbata eſt.* Angelus ea mutuetur verba, quæ aſſentatio ſæpe ingerit in os ſæcularium, qui in hujuſmodi occaſionibus non loquuntur niſi de gratia, de illecebris, de venuſtate: *Gratia plena.* Periculoſum experimentum; Maria hoc cum pudore ſuſtinet: Officioſa verba illi negotium faceſſunt; blandum ſermonem reformidat. Turba, & confuſio plerumque ſunt effectus ſalutationis nimis adfectatæ, & blandientis. *Turbata eſt in ſermone.* Silentium tunc fit verecundiæ argumentum; dum laudatur, legationis hujus naturam conſiderat: *Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* O Cælum! quænam imprudentia eſt blandos audire ſermones, quibus reſpondendi ratio quot innocentes animas corrupit? 3. Quod puritatis ejus ſpecimen illud eſt? Cum Angelus verba facit de illius electione in Matrem Dei, dicit, ſumptibus Virginitatis, quam vovi, & cujus jacturæ nunquam aſſentiar, inexpectatæ dignitatis fulgori abrenuncio. Evaneſcat gloria mea, ſi ſimul eſſe non poteſt cum ea integritate, quam vovi: *Quomodo fiet iſtud?* Fieri non poteſt me eſſe Matrem Dei mei, quoniam fieri non poteſt me violare votum, quod vovi. Quod argumentum? Qui major fingi poteſt puritati ſcopulus quam adulatio, quam ſpes talis gloriæ! Sed nihil horum vel minimum labefactare potuit Mariæ integritatem. Poterat ne meliori titulo mereri, ut fieret Mater Dei ſui, & nobilioribus diſpoſitionibus ſibi adipiſci Dei prælectionem, qui in ſinu ejus carnem erat ſumpturus? *Pater Catrou ſermone Manuſcripto de hoc Myſterio.*

Videtur Deus velle periculum facere humilitatis Mariæ non ſecus ac puritatis.

Humilitas quoque Virtus eſt, cujus periculum facere debebat Deus in illa, quam ſibi electurus erat in Matrem: Nonne enim æquum erat, ut illa quæ maximis erat Myſteriis inſtituenda, immunis eſſet a communi filiorum hominis ſuperbia; cum ejus gloria ſuper Angelorum gloriam eſſet extollenda, maxime cavendum erat ab ejus jactantia. Creatura omnium perfectiſſima, & beatiſſima ſpecimen præbere debebat altiſſimæ ſuæ humilitatis. Quid autem Deus? Expectat, donec Maria dignam ſe præbeat humilitate ſua, quæ Deum Maieſtatis impellat, ut uſque ad illius humilitatem deſcendat: *Humilitate concepit*, dicit ipſe etiam Bernardus. Scrutemur, Chriſtiani, omnem hujus humilitatis altitudinem, quæ cauſa, & menſura eſt elationis illius. Neque illam ſolum argumentor ex obedientia, quam præſtat imperiis Dei ſui; facile eſt obedire, cum nos attollit obedientia, & palpat acerrimæ ambitionis deſideria; ſed humilitatis ejus probationes ex nuntio ipſius gloriæ ſuæ argumentor. Salutatur gratia plena; adhibentur loquendi rationes maxime nitentes, ut ab illa agnoſcatur tota hujus dignitatis altitudo, eaque meritis ejuſdem adſcribitur: *inveniſti gratiam apud Deum.* Greſſus tui, tuæque Virtutes placuerunt in oculis Domini; Maternitatis ejus gloria commendatur per filii, cujus futura Mater eſt, dignitatem: Filius *Altiſſimi vocabitur.* Illius jactatur nobilitas exaltando filii nobilitatem: Naſcetur ex progenie David, ac tu Davidicum ſanguinem in illius venas infundes: tenebit locum patrum ſuorum, *& regnabit in Domo Jacob in æternum.* Quam impreſſionem fecerunt in corde Mariæ hujuſmodi promiſſiones adeo magnificæ, privilegia adeo præſtantia eo tempore, quo videtur defuiſſe illi otium conſiderandi vilitatem ſuam in primo impetu, quem natura ſua parit nuntium gloriæ adeo parum expectatæ, cum per otium minime poſſet eſſueſcere gloriæ, cujus pondus agnoſcit, & qua ſe obrutam videt: *Ecce Ancilla Domini*, inquit illa, dum verba fiunt de illius Maternitate. En quam ſint ſolidæ diſpoſitiones ad inſignia Dei beneficia; ecce quid ſibi velit mereri magnitudinem ſuam, & ſe maximis favoribus dignum præbere! *Idem.*

Quo amore Virgo puritatem proſequeretur.

Non ignoro quanta ſit Virginum religio, ubi agitur de puritate; ſed cum criminis horror non contineret illas in officio, ſolus infamiæ timor illas in periculoſiſſimis occaſionibus deterreret, & metuendum eſt ne aliquando hunc adfectent pudorem, qui eas decet, potius propter nominis ſui exiſtimationem, quam propter Virtutis amorem. Maria Virginalem profitebatur puritatem eo in ſtatu in quo non tenebatur, & eo tempore, quo ne in honore quidem habebatur. Amabat illam in conjugio, in quo tantum aberat, ut in illius honorem cederet, efficiebat, ut tamquam ſterilis traduceretur, quod illius ævo habebatur velut dedecus, & tamquam Dei maledictio. Tamen cum puritas aliquid ſit glorioſum, & admodum amabile, non admodum obſtupeſcerem, ſi Maria illam amaſſet eo tempore, quo Virtus hæc ne cognita quidem erat, ſed illud miror, quod illam amaverit pluſquam dignitatem Matris Dei, & Reginæ Cæli, atque terræ. *Pater de la Colombiere.*

Quomodo Maria receperit plenitudinem gratiæ, de qua illi locutus eſt Angelus illam ſalutans.

Angelus, qui Sanctæ Virgini felix hoc attulit nuncium, ipſam electam fuiſſe Dei ſui Matrem, non ſolum eam plenam gratia appellavit, neque dixit illi: *inveniſti gratiam apud Deum*, ſed addidit ipſum gratiæ auctorem effuſurum eſſe in illam omnes gratiæ divitias: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*, quaſi diceret: jam Sancta es, ſed qualitas hæc Matris Dei tui, te Sanctitate replebit; jam cæleſtibus gratiis plena es, ſed ille qui gratia eſt increata, ſuperveniet omnibus donis ſuis: *ſuperveniet.* Jam Deo accepta es, ſed opus eſt ut tibi communicetur gratiæ plenitudo, & Spiritus ſanctus effundat ſuper te omnia ſua bona ipſe ſuperveniens in te: *Spiritus ſanctus ſuperveniet.* Dabitur tibi in perſona, & non ſolum in effectibus ſuis, quemadmodum illum receperas in aliis prærogativis, quæ præceſſerant ſublimem hanc, & eximiam dignitatem Matris Dei, quoniam ad ſuſtinendum glorioſiſſimum honoris titulum, quo mera creatura poterat honorari, opus eſt, ut quidquid celſiſſimum eſt in ordine gratiæ, tibi conferatur; &, ut me verbo expediam, omnem recipies plenitudinem, & de te in præſentiarum dici poteſt, quod aliquando dicetur de illo, quem mundo datura es, Spiritum ſanctum nequaquam dari tibi in menſura, ſed quantum ipſa recipere capax es, ut reſpondere valeas dignitati ad quam elevaris. *Auctor ſermonum in omnia argumenta, tomo ſecundo Myſteriorum.*

Judicium ferendum eſt de Magnitudine, & excellentia dignitatis Deiparæ ex pretio, & excellentia gratiæ illius, quæ fuit diſpoſitio ad illam dignam efficiendam.

Ut feramus judicium de Magnitudine hujus dignitatis Matris Dei, conſideranda ſunt verba Angeli, & ita arguendum. Si gratia hominem ita attollit, ut nihil in mundo ſit, quod cum illa valeat comparari, quid erit de plenitudine gratiæ ipſius, quæ non eſt niſi effectus hujus Maternitatis, vel præparatio ad illam recipiendam? Si gratia hæc aliquid eſt ita pretioſum, ut minimus illius gradus majori in pretio habendus ſit, quam quidquid maximum eſt in natura, quid arguendum eſt de hac plenitudine, quæ non fuit niſi via, & diſpoſitio ad auguſtam hanc Maternitatem? Judicium feramus de rerum pretio non ſecundum hominum æſtimationem, qui illas appendunt in ſtateris doloſis, ut Rex inquit Propheta, ſed ad Sanctuarii pondus, quod regula eſt Veritatis, & inde inferamus gratiam præferendam eſſe Magnitudinibus omnibus,

omnibus, quæ poſſunt excogitari; quia hæc qualitas eſt ſupernaturalis, quæ nonniſi de liberali manu Altiſſimi proficiſci poteſt, quæ eſt pignus pretioſum amoris ſui, & participatio Spiritus ſancti. Sed ecce quanti facere debeamus gratiam, quam in diſcrimen adducimus pro nihilo, & cujus plerumque ſine dolore, ac pœnitentia jacturam fecimus. Uos nobis perſuaſum ſit de Magnalibus Reginæ Angelorum, quam Deus ipſe elegit ſibi in Matrem, dubitare non poſſumus quominus in felici hac Creatura Deus collocaverit qualitates omnes, quæ illam efficere poterant tanto honore digniſſimam: ſed ut illam præferret ceteris mulieribus, quas æque eligere poterat, atque ut ex parte ſua illam ad eminentem hanc dignitatem diſponeret, in ea poſuit, & conſideravit tantummodo gratiam, qua eamdem replevit, tamquam ea re, quæ una in Mundo illam altius poſſet attollere, ac digniſſimam facere ſublimi hoc gloriæ faſtigio. *Idem.*

Magnitudo hujus dignitatis deſumi etiā poteſt ab arcta affinitate quā Maria quatenus Dei Mater contrahit cum filio ſuo, quæ fons eſt omnium ejuſdem Magnalium.

Cum Verbum æternum menſes novem permanſerit in Utero Mariæ, ubi vitam ab illa recepit, & ubi corpus ejus formatum fuit de ejus ſubſtantia, & de puriſſimo ejus ſanguine; hinc factum eſt, Virginem illi novam, quam non habebat, eſſentiam tribuiſſe: ita ut illa dicere poſſit in tempore quod Deus in æternitate: *Ego hodie genui te.* Ego te peperi; a me vitam recepiſti; quapropter illa cum Filio contrahit inexplicabile fœdus conſanguinitatis, ut quidam Sancti Patres loquuntur, vel ut alii ſentiunt, affinitatis, Quolibet utamur nomine, nihil intereſt; ſemper conſtat nullum in natura eſſe vinculum arctius, quam ſanguinis, neque affinitatem, quæ perſonam propiorem alteri efficiat, quam Matrem Filio; quoniam caro illius ingreditur in compoſitionem alterius; quoniam eorum ſanguis communis eſt, & ſubſtantia filii facta eſt ea Matris Subſtantia; ex quo ſanctus Auguſtinus concludit. Carnem JESU partem eſſe Subſtantiæ Mariæ; *caro Chriſti caro MARIÆ.* Hinc o Fideles, quinam Magnitudinis hic fons eſt pro glorioſa hac Virgine, quæ particeps ſit eorum omnium, quæ ad Verbum Incarnatum pertinent, tamquam filium ſuum, & ſuimet ipſius partem: ita ut, ſi hæc humanitas conjuncta eſt cum perſona Verbi, pars carnis Mariæ divinitati conjuncta ſit; ſi JESUS ſuum effundit Sanguinem in Cruce propter Salutem hominum, hic ſit Sanguis ille, quem recepit a Maria. Si Mater hæc videt deinceps Filium hunc in Empyrei Sede poſitum, coram quo ſublimiſſimæ univerſorum poteſtates genua flectunt; ecce, poteſt dicere, pars mea ipſius, quæ meretur Angelorum, & hominum adorationes. Cur hoc? quod gloria ipſorum communis facta eſt per hanc affinitatem, qua nulla arctior, & major eſſe poteſt in natura. *Idem,*

Sequitur idem argumentum.

Si cupis igitur ſcire, ad quem uſque Magnitudinis gradum Deiparæ dignitas Beatam Virginem attollat, ſcrutare ſi potes abyſſum ejuſdem divinitatis, metire altitudinem infinitæ hujus eſſentiæ, coram qua creata omnia verum ſunt nihil; tandem enim ſi proprie loquendo Deus unus per ſe magnus eſt, & reliqua omnia magna non ſunt, niſi propter Deum; ſequitur quo magis aliquid accedit ad Deum, & majorem habet cum illo rationem, eo magis particeps fieri Magnitudinis ejus. Sed quænam creatura ad illum propius accedit, vel arctiorem cum ipſo habet affinitatem, excepta Sancta Salvatoris humanitate, quam illa, quæ Deum concepit in utero, quæ illi vitam tribuit, & fuit eſſentiæ ejuſdem principium; quandoquidem in natura nulla datur relatio, vel major, vel magis realis, quam relatio Matris ad filium? Quis ergo de Maria jure dicere non poterit non ſine proportione, quod Sanctus Paulus ait de Salvatore ipſo: *tanto excellentior Angelis effecta, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit?* Quæ eo magis exaltata eſt per hanc dignitatem ſuper Filios hominum; quo nomen Matris, quod gerit, ſine ulla comparatione major eſt, & quo ſublimiori deſtinata eſt miniſterio. *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Mater mea es tu;* poſſemus addere in ſenſu hujus Apoſtoli: quænam fuit ex omnibus ſupremis hiſce intelligentiis, quam Deus ad ſimilem dignitatem evexerit! Non ita: beati ſpiritus! vos non eſtis niſi Miniſtri, & famuli Verbi hujus Incarnati. Gloriæ veſtræ ducitis hanc qualitatem, quæ ſummus eſt vobis honoris apex, dum interea Maria illius Mater eſt; quod illam ad ſublimem hanc dignitatem extollit, & propius admovens ad Supremam hanc Majeſtatem elevat ſuper omnia, quæ Deus non ſunt, & infra ipſam relinquit intervallum, quod non longe recedit ab infinito: *Quidquid eſt, o Beatiſſima Virgo,* verba ſunt Sancti Anſelmi, *vel ſupra, vel infra te eſt; Supra, ſolus Deus; infra, quidquid Deus non eſt. Idem.*

S. Bonaventura à Anſelmus, & S. Bernardus.

Mariæ quatenus Mater jus habuit in filium ſuum quod poſſidet tamquam bonum ſuum.

Quemadmodum revocari non poteſt in dubium jus, quod natura dat ceteris matribus in filio ſuo, ſequitur Verbum hoc Incarnatum ad illam pertinuiſſe tamquam propriam poſſeſſionem ſuam, perinde ac alii filii pertinent ad eos, a quibus vitam receperunt, & illam æquiori titulo, quam olim David, vocare poſſe hunc hominem Deum ſuam poſſeſſionem, hæreditatem, & bonum: *Pars mea Deus in æternum;* quia ea ipſa erat ſuum non ſolum tamquam exterior poſſeſſio ſed etiam interior, ſaltem quoad tempus illud, quo fuit in ſinu ſuo; non ſicut fortunæ bona, quorum jus ſæpe contentioſum eſt, & dominium imperfectum, ſed per juſtiſſimam, perfectiſſimamque poſſeſſionem, quæ in Mundo eſſe poſſit, innixam titulo Matris, qui omnia complectitur jura, quæ haberi poſſint aliqua in re, quin aliquis poſſit in dubium revocare, quin aliqua alia contraria conſuetudo poſſit imminuere, vel præſcribere; quin alia quævis creatura in partem accedere poſſit, ut ſunt patres in aliis filiis, denique jus quod alienari non poteſt, & natura ſua æternum, quoniam amitti non poteſt, donec duæ partes ſubſiſtunt, & ita quoad hæc humanitas ſancta erit conjuncta cum perſona Verbi, ſemper hic Homo-Deus erit poſſeſſio Mariæ. Ne dixeris ergo ſolum, Virgo ſancta, pro primo omnium elogiorum tuorum, & primo fonte magnalium tuorum Deum te poſſediſſe a principio viarum ſuarum: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum;* ſed adde te quoque viciſſim primam, & unicam poſſediſſe Deum, antequam reliquus Mundus poſſideret illum; te locupletatam fuiſſe hoc theſauro antequam aliquis ſciret dumtaxat, ubi lateret. Heu! quem in illa affectum ciebat alta poſſeſſio, ſciente, ac jugiter cogitante hunc honorem incomparabilem? Meus es tu, dicere poterat illi, quoniam filius es meus; ſed etiam meus quoque ea, quia es Deus meus. Locuples poſſeſſio pretioſus theſaurus! Singularis benedictio! quæ efficiet, ut omnibus Sæculis habeatur tamquam centrum, in quo omnes veteris, novæque legis benedictiones coaleſcant. Quinam autem gloriæ cumulus, quinam Magnitudinis fons inde inferri non poteſt &c. *Idem.*

Proverb. 8.

Maria etiam quatenus Mater veram habet poteſtatē in Filium.

Nonne eſt cumulus omnium Magnitudinum, ad quem Maria poterat attolli per glorioſum titulum, & incomparabilem Deiparæ dignitatem, ſi cogitemus hanc fuiſſe conjunctam cum juſta, & legitima poteſtate quam tamquam Mater acquirit imperandi Omnipotenti; quo jure, & poteſtate, ſatis diu uſa eſt, quemadmodum innuit Evangelium: *Et erat ſubditus illis;* poteſtate, quæ naturæ ipſi innitebatur; probata ab omnibus legibus, & ab ipſo Filio ſuo confirmata, qui ſuo addit exemplo novum pondus præcepto, quod pueris omnibus irrogavit obediendi illis, a quibus vitam recepiſſent; & dicere poſſumus ſicuti nullus unquam filius fuit Matris ſuæ obedientior, quam Mundi Salvator Mariæ, quæ jus hoc partita non eſt cum ullo patre ſuper terram, ita nullam unquam filium Matri fuiſſe obedientiorem, neque Matrem habuiſſe in filium ſuum magis legitimam auctoritatem: quod Sanctum Bernardum impulit, ut confiteretur ſe ignorare, utrum admirabilius eſſet, vel Deum creaturæ ſubditum eſſe, vel creaturam cum auctoritate Deo ſuo præcipere: *Utrinque ſtupor, utrinque Miraculum. Idem.*

Deus rationem habuit humilitatis Mariæ eligens eam in Filii ſui Matrem. Luc. 1.

Profundam Mariæ humilitatem reſpexit Deus, ubi illam elegit Matrem Filii ſui, cum non alia Virtus perficere poſſet ſanctitatem adeo perfectam: *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* Deus reſpexit illam in hac humiliatione, in qua erat veluti exinanita; profecto negligenda non erat; quippe erat omnium humillima, & perfectiſſima; *reſpexit.* Reſpexit, quia erat ſpectaculum divinis oculis dignum, videre illam ad tantum Magnitudinis cumulum, adeo humiliter de ſemet ipſa ſentire; *reſpexit.* Oculos conjecit in illam, quia Deus, qui reſpicit ſuperbos de longe, ut inquit Propheta, cominus videt creaturarum omnium humillimam. Aliqua eſſe debebat ratio inter Matris humilitatem, & Filii annihilationem: alter carnem aſſumens propter Salutem hominum videbatur exhauſiſſe Omnipotentiam ſuam, atque ſapientiam in perquirendis mediis per quæ ſe ipſum poſſet humiliare. Quærebatur Mater humilis Dei humilitati; & jure Sanctus Bernardus aſſerit, Mariam, cum humilitate illum concepiſſe in corde, ſeſe diſpoſuiſſe ad illum in utero concipiendum. *Virginitate placuit, humilitate concepit.*

Vult Deus in nobis naſci per gratiam & ideo noſtrum petit aſſenſum, ut petiit illum a ſancta Virgine.

Poſtquam vidimus ad quem Magnitudinis cumulum Verbum Æternum evexerit Matrem ſuam in hoc adorabili Myſterio, nihil mihi reliquum eſt, quod dicam; niſi fieri quotidie in nobis aliquid ſimile; quandoquidem, ex Sancti Pauli ſententia Filius Dei in nobis oriri vult, novamque in nobis vitam accipere per gratiam, fidem, & caritatem. Hinc idem Apoſtolus cupit illum formare in cordibus noſtris verbo ſuo. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in Vobis CHRISTUS.* Hæc etiam de fide Veritas eſt, Salvatorem in nos venire per gratiam, & hoc pacto a Deo nos elevari uſque ad participationem naturæ, & ad filiorum ſuorum qualitatem. Nos autem cooperari debemus ineſtimabili huic beneficio per eaſdem Virtutes, quas glorioſa Virgo in hoc exercuit Myſterio, & aurem præbere ſuaſionibus urgentiſſimis, quibus nos invitat, ut revertamur ad ſe, & ſanciamus cum illo divinum hoc fœdus, tamquam legationibus, quas mittit ad nos, ut nobis idem nuntient; quod Angelus Beatæ Virgini: *Ecce concipies,*

Ad Galat. 4.

Digitized by Google

concipies, & paries. In nobis eſt recipere hunc eumdem Dei Filium, eique Vitam dare. Nobis nuntium mittit: conſenſum noſtrum expectat; nihil ardentius optat, quam venire in nos. Ah! Deus meus, quam benigne miſertus es malorum noſtrorum; quanta fuit tua in nos indulgentia, ut non ſolum ſemel pro nobis naſci tibi placuerit, ſed in nobis etiam naſci volueris; ſed nos ipſi mirum in modum ſumus noſtrummet ipſorum inimici, & oſores noſtræ felicitatis ſæpe repellentes officioſiſſimos greſſus tuos, ut venias ad nos. Meminerimus enim, ſatis non eſſe concipere in cordibus noſtris Dei Filium, ſi ita loqui licet; pariendus quoque eſt, & in lucem emittendus: *Ecce concipies, & paries*; hoc eſt non ſufficit illum formare noſtris deſideriis, ſed hæc ſunt in praxim redigenda; tandem enim bona quidem videntur conſilia, quæ tamen abortum patiuntur, & in irritum cedunt. Proferendum eſt ad exemplum glorioſæ Virginis *fiat*, & verbum hoc prolatum, ut decet, non minus erit efficax in ore noſtro, quam ſuo, modo proficiſcatur ex voluntate firma, integra, & abſoluta: *Velle fortiter, & integre*, ut loquitur Sanctus Auguſtinus.

L. 8. Confeſſ.

Decíſio Epheſini Concilii declarantis Mariam eſſe Dei Matrem.

Sicuti Eccleſia hodiernæ feſtivitati nomen fecit Annuntiationis Mariæ, videlicet nuntii felicis, quod Angelus illi nuntiavit, ipſam electam eſſe, ut Mater fieret Dei ſui, mihi videtur, utilitas, quam ex glorioſo hoc titulo percepturi ſumus, excitare debere in cordibus noſtris lætitiæ ſenſus, in quos erupit olim populus ingens poſt Concilii cujuſdam definitionem. Hoc fuit OEcumenicum Tertium Epheſi habitum contra hæreticum Neſtorium aſſerentem, Mariam eſſe hominis Matrem, non Dei. Cum enim hæc execrabilis hæreſis ſeſe in Orientis partes late effudiſſet Auctoris ſui conjuratione, & eorum, qui illam amplexati fuerant, auctoritate ſuffulta: cumque glorioſam hanc Cæli Reginam ampliſſima hac dignitate viduaſſet, ſatis exprimi nequit ſollicitudo, & impatientia, quam veri fideles teſtati ſunt, audiendi, quid venerabilis ille cœtus decerneret ad auferendas lites, & contentiones, quæ ignem diſſenſionis in Imperio excitaſſent, & crudele ſchiſma in Chriſtiana religione peperiſſent. Ubi primum manavit rumor, qua die publicanda erat magnæ hujus quæſtionis deciſio, ſummo mane terribilis populi multitudo omnes aditus ad Concilii locum ſepſit, certa conſilii, ſe non illinc abituram, niſi ex Concilii Oraculo didiciſſet Veritatem, de qua amplius dubitandum non eſſet. Vix autem audita fuit vox præconis affirmantis Mariam declaratam fuiſſe Dei Matrem; nuntium hoc de ore in os, de civitate in civitatem percrebreſcens in omnes orientis regiones ſe effudit, & incredibili cum gaudio receptum fuit. *Auctor ſermonum in omnia Ethica argumenta, tomo ſecundo Myſteriorum.*

Maria Mater eſt JESU CHRISTI, & omnium hominum.

Quandoquidem Verbi Incarnatio in hominum gratiam facta eſt; hoc beneficium, quod cedit illis in honorem incomparabilem, cum alio conjunctum fuit, quod cum ſit prioris conſequens, ſeorſim conſiderandum eſt, ac acerrimos & æquiſſimos grati animi ſenſus nobis afflare debet. Eſt autem hoc; Dei Matrem fieri ſimul in hoc Myſterio Matrem noſtram, modo quidem alio; ſed affinitas hæc quam contrahit cum nobis, licet mere ſpiritualis, non ideo tamen minorem nobis adfert utilitatem; quoniam per utramque Maternitatem cauſſa eſt, & medium noſtræ ſalutis. Ad probandam vero hanc Veritatem, quæ conſolari nos poteſt, nobiſque animos addere in æquiſſimo timore, quo veremur, ne participes efficiamur fructuum Incarnationis, alia ſupponenda eſt, videlicet potuiſſe Deum unice ad gloriam ſuam referre hoc Myſterium, quin ullam haberet rationem humanæ ſalutis: cum enim tunc Verbum Incarnatum eſſet dumtaxat Deus noſter, & Dominus, quin aſſumeret qualitatem Salvatoris, ſimiliter glorioſa Virgo Mater tantum fuiſſet Dei, quin ſimul & hominum eſſet. Sed Divina Sapientia, quæ alia habuit conſilia, voluit aliquam adeſſe ſimilitudinem inter hominis regenerationem, & primam illius creationem, ita ut quemadmodum uſus eſt Deus viro, & muliere, ut corporis vitam ceteris hominibus impertiret; voluit virum alium, aliamque mulierem Mundi reparatores eſſe, eiſque reddere animæ vitam, quam peccatum illis abſtulerat; quod Patribus tribuit locum dicendi, Mariam vere noſtram eſſe Matrem, idque titulo en æquiori, quo vita, quam nobis procuravit, toto Cælo nobilior eſt, ac præ corporis vita præſtantior.

Rationes, quibus jubemur colere, & revereri Mariã tamquam Matrem noſtram.

Quamvis Maria non aliam haberet qualitatem niſi Matris Dei, æquiſſimum eſſet, ut ſublimes etiam poteſtates illi ſua præſtarent obſequia; & quidquid magnum eſt in Cælo, & in terra, eſſet ſub pedibus ejus; Qualitas hæc illi ſubjicit omnia, eamque ſuper omnia attollit. Sed ubi cogitamus hanc eamdem Dei matrem, noſtram quoque eſſe; illam non dedignari hoc nomen, & nominis munus obire, atque uti auctoritate, quam altera ei tribuit, ut perfectius alterius muneribus perfungatur. Ah! nonne noſtra nos utilitas cogit, ut noſmet ſervituti illius devoveamus, & gloriemur in filiorum ſuorum albo recenſeri? Nonne omni ratione tenemur eſſe fideles illi, eique omnia officia præſtare, quæ filii parentibus debent? Matrem Dei mei colo, & revereor hoc intuitu: nihil unquam ſatis efficere poſſum pro illius ſervitute, & gloria: ſed hæc Mater Dei mei voluit eſſe mea, & hoc titulo curam gerere rerum omnium, quæ pertinent ad me, & nihil ſalutem æternam procurare. Nonne igitur omnes fovere debeo ſenſus filii grati, & obſequentis? amorem pro amore rependere, obſequia pro officiis maternis, & demum omnem ſubmiſſionem, quam duo hi tituli merentur, & poſtulant? Hoc in ſenſu Chriſtiani numerare debemus hanc diem, qua illa Dei Mater declarata eſt, tamquam primam ortus noſtri ad gratiam, ſpei noſtræ ad gloriam; diem Deiparæ quidem glorioſam, ſed filiis ejuſdem feliciſſimam. *Idem.*

Ne arbitremur (Fideles) Mariam dignam hanc Dei Matrem, eo quod ad tantum gloriæ faſtigium evecta eſt, dedignari, vel oblviſci noſtrum; nimis enim ſua putat intereſſe, quidquid intereſt noſtra, ut non ab illa deſpici, & rejici vereamur. Hodierna die jure eadem illi verba dicere poſſumus, quæ Mardochæus olim Reginæ Eſther, cum vidit illam ad ſupremam poteſtatem evectam quatenus magni Regis Sponſam, cum interim Dei populus magna oppreſſione teneretur; ne putes Regina, dicebat illi, te pro re ſolum ad hujus Magnitudinis cumulum evaſiſſe: hunc debes populo Dei. Ut hunc tuereris, atque protegeres, Deus te voluit attollere: poſſumus inquam hodierna die eumdem habere ſermonem cum hac glorioſa Dei Matre: Ecce te, Virgo Sancta ad Magnitudinis faſtigium, quatenus Dei Matrem evectam: ſed reminiſcere ſine peccatoribus nullum futurum fuiſſe hominem-Deum, ideoque te nunquam illius Matrem futuram fuiſſe: ſed ſcias tibi utendum eſſe hac incomparabili dignitate, ut nos protegas, nobiſque opituleris. Hos illa nunquam obliviſcetur, Chriſtiani, niſi ipſi obliti fuerimus illam imitari, & ſi conati fuerimus eidem ſimiles fieri in iis Virtutibus, quæ illam ad hanc dignitatem diſpoſuerunt. *Auctor ſermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta in Myſteriis Beatiſſimæ Virginis.*

MYSTE-

MYSTERIUM
VISITATIONIS BEATÆ VIRGINIS.
MONITUM.

Si hac Sancta Virginis actio ſpectetur, ſecundum ea, quæ videntur extrinſecus, & ſub ſenſibus cadunt, ſtatim judicium fiet, hanc Urbanitatis eſſe Viſitationem, & ad ſummum officium, quod amicitia, vel cognatio Mariam præſtare cogit Eliſabeth. Verum ſi hæc eadem actio conſideretur ſecundum conſilia, & cauſſas, quæ Mariam impulere ad hoc Urbanitatis officium, inveniemus nil majus eſſe quoad Myſterium, quoad Miracula, quæ ibi Deus operatus eſt, quoad Virtutes, quas Beata Virgo ibi exercet, & quoad documenta, quæ nobis ſuppeditat. Quapropter tantum abeſt, quod Virginis Viſitationem numerare debeamus inter ſterilia argumenta; ut dicere poſſimus, hoc unum ex illis eſſe, quæ latiorem præbent campum eloquentiæ, & morali diſciplinæ, cujus maxima utilitas eſt; maximi enim momenti eſt moderari viſitationes, & converſationes, quæ ſunt civilis Societatis Vinculum.

Ut igitur hoc pertractemus Myſterium, & ne ab argumento recedamus, ob oculos habere debemus tres præcipuas perſonas, quæ illius participes ſunt, vel quæ potius illud componunt, & quæ ſunt, Sancta Virgo quæ hanc obit Viſitationem, Sancta Eliſabeth, quæ illam recipit, & Sanctus Joannes, qui in Matris utero ſanctificatur; ſingula enim propriam moralem ſuppeditant, didiſcalicam, & univerſo Mundo perutilem.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum Synopſis hujus argumenti.

I. PAUCA ſunt noſtræ Religionis Myſteria ubi ſub actione ſimpliciori, minimique fulgoris contigerint plura miracula, & plura ad vitæ noſtræ regimen documenta. Et profecto quid eſt in ſpeciem adeo mirabile, atque conſideratione dignum in ea Viſitatione, quam Sancta Virgo reddit Cognatæ ſuæ, ut inde in Myſterium convertatur id, quod habitum fuit ab iis qui cognoverunt illud, tamquam urbanitatis actus, vel officium, quod Sanctæ Eliſabeth præſtitit? Sed attollamus cogitationes noſtras, & conſideremus, Viſitationem hanc benedictionibus replere univerſam Zachariæ familiam, Cæli gratias attrahere in patrem, matrem, & filium, quem Mater hæc in utero geſtabat. Quæ in hac Viſitatione Miracula? quandoquidem Eliſabeth repleta fuit Spiritu ſancto; fructus, quem gerebat, ſingulari privilegio fuit Sanctificans; Zacharias, qui mutus erat, quam primum factus eſt eloquentiſſimus Incarnati Verbi propheta. Ceterum in hac Viſitatione viſa eſt Virgo ventrem ferens, ſterilis facta Mater, filii, qui invicem colloquuntur, quin proferant Verbum, in ventrem Matrum ſuarum, & mutus, qui poſt modicum tempus loquendi recipit facultatem. Si ſpectentur Virtutes, quas Maria, & Eliſabeth exercent in actione, quæ plerumque cauſſa eſt, & occaſio majorum criminum in ſæculi hujus hominibus; quæ ibi non deprehenditur humilitas, quæ caritas, quæ exempla? Si conſideretur bonum, quod hæc parit Viſitatio, numquid fides, caritas, pietas, ac ſublimes de Deo ſenſus, inſigne inde in Sanctis his perſonis incrementum non receperunt? Sed ut hauriamus fructum, quem in nobis parere poteſt Mariæ Viſitatio, cujus feſtivitatem Eccleſia concelebrat, fert animus vobis oſtendere

1. Cauſſis, quæ Sanctam Virginem impulerunt, ut ſuum receſſum, ac ſolitudinem relinqueret, & longum, & arduum iter ſuſciperet Sanctam Eliſabeth viſitatura. Hinc diſcemus qua mente, & quo conſilio obeundæ nobis ſint viſitationes, quas a nobis fieri jubet urbanitas, vel neceſſitas, ut ſanctificemus illas, & in totidem chriſtianas actiones convertamus, cum plerumque non alias habeant cauſſas niſi curioſitatem, & oblectationem.

2. Virtutes, quas in hac re præſetulit, fervorem, alacritatem, fortitudinem, quæ nobis oſtendunt, qua mentis, & cordis diſpoſitione exercere debeamus actus Caritatis, & obſequi afflatibus Dei, quibus urgemur, ut his muneribus perfungamur.

3. Effectus, quos hæc viſitatio parit in Eliſabeth domo, unde diſcemus, quem recipere fructum debeamus ex iis viſitationibus, quas propter urbanitatem, vel caritatem obire tenemur.

II. 1. Paullo poſt quam Sancta Virgo Mundi Salvatorem concepit per operationem Spiritus Sancti, diſceſſit a Nazareth feſtinanter in Judæam profectura, ut videret Eliſabeth, eique opem ferret, qua indigebat in puerperio.

1. Caritas ergo cauſſa eſt hujuſmodi Viſitationis, caritas, quæ eſſe debet exemplum illius, quam Chriſtiani omnes invicem ultro, citroque ſibi præſtare debent in officiis, quæ ſibi mutuo reddunt. Primum quidem neceſſe eſt, ut caritas ſit earum principium, & ut nihil fiat niſi ad intuitum Dei. Chriſtianus, qui ad eum omnes debet actiones referre, ubi egreditur domo ad viſitationes obeundas, ſeſe colligat opus eſt ut ad examen revocet finem, & videat, utrum agatur de ope ferenda illi, qui inviſitur, vel de illo in ærumna conſolando, aut in proſperis ejuſdem gratulando. Tantum enim abeſt ut Chriſtiana Religio velit humanam ſocietatem evertere, ut e contra illam alere, ac fovere quærat: ac ſuadeat *gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus*; ita ut Chriſtiani ſe mu- Ad Rom. 12.
tuo reſpiciant tamquam corpus unum, quorum ſingula membra conſiderare debent ſibi accidere quidquid boni vel mali omnibus corpus illud componentibus contingere poteſt. Hæc autem caritas, ut eam imitetur, cujus glorioſa Virgo nobis præbet exemplum in Viſitatione Eliſabeth Cognatæ ſuæ, prompta eſſe debet, ſine mora, ſine cunctatione; vigilans eſſe debet, ut occaſionem aucupetur, eique non deſit; auxilium enim opportune allatum, & cum neceſſitas urget, innuit veram, fidelemque amicitiam. Liberalis eſſe debet, benefica, minime cupida, quæ neque opibus, neque viribus, neque laboribus parcat; talis eſt caritas, quam Maria erga Sanctam Eliſabeth exercuit.

2. Si Chriſtiana Religio jubet caritatem eſſe principium omnium greſſuum ſuorum, exigit etiam, ut Virtutem hanc comitetur humilitas. Hoc quoque exemplum in hoc Myſterio nobis Sancta Virgo ſuppeditat; & circumſtantia, quæ potiſſimum nobis conſideranda proponitur in hoc, quin recenti Deiparæ dignitate intumeſceret, non expectat ſe a Cognata viſitari, immo illam prævertere cum in ipſa Viſitatione, tum in Salutatione; & *Salutavit Eliſabeth*. Maria prior eſt humilitate, quemadmodum prior eſt dignitate; ita in hac Viſitatione non ſolum ſe Domini vocat ancillam, perficiendo illius Voluntatem, & interiori voci obtemperando, qua jubetur iter maturare; ſed re ipſa fit ancilla ſimplicis feminæ, ſtatim ac pervenit domum illius ſeſe demittens ad humillima officia, & ad quamlibet opellam, quam illi præſtare poſſit. Præclarum, & magni momenti documentum, quod Mater Dei tradit nobilibus, ac generis illuſtris viris non exercendi ſolum caritatis officia erga inferiores, ſed etiam obeundi illa, ut veros decet Chriſtianos; videlicet cum ſenſu ſinceræ humilitatis; veluti cum agitur de inviſendis pauperibus in xenodochiis, captivis in carcere, ægrotantibus domi; hæc enim ſunt caritatis officia, quorum ratio a nobis extrema judicii die repoſcetur. Quam dedecet tunc ordinem tueri velle, & arbitrari nihil horum ad dignitatem ſuam pertinere! ſi enim conſiderarent JESUM CHRISTUM in perſonis eorum, quos viſitant, vel quibus famulantur, nonne putarent eximium inde ſibi honorem cedere humillima officia obeuntibus?

In hujuſmodi ſermone repræſentari poſſunt gratiæ, III.
& dona, quæ Maria communicat domui Zachariæ in viſitatione Eliſabeth, niſi mallemus dicere, quæ Deus ipſe largitur per Mariam, quæ quidam veluti rivulus eſt,

eſt; per quem ille omnia beneficia ſua in Mundum effundit.

1. Replet mentem Eliſabeth luminibus Spiritus Dei, eique revelat omnia Magnalia Verbi Æterni geniti ab æterno in ſinu Patris in ſplendoribus Sanctorum, ſed concepti in obſcuritate, & ſilentio, & exinaniti in Virginis ſinu.

2. Effundit lætitiam, lumen, & Sanctitatem in animam Joannis Baptiſtæ, qui videre incipit, & annunciare juſtitiæ Solem in utero Mariæ, cum adhuc in Eliſabeth ſinu contineretur.

3. Communicat Zachariæ donum prophetiæ, eumque dicentem inducit jamjam catenas Iſrael diſruptum iri & ſanctam Nationem brevi in libertatem eſſe vindicandam. Poterat Dei Filius hæc omnia patrare miracula, quin pedem efferret ex Nazareth; ſed volebat ſe a Maria deferri domum Eliſabeth, ut aliquid conferret benedictionibus, quas ipſe in familiam univerſam effuſurus erat, ut intelligeremus, Deum Electis ſuis paucas conferre gratias, quarum Maria Mediatrix non ſit. Quinam zelus, quæ caritas! Vix Maria facta eſt Dei Mater, cum incipit eſſe apud Filium ſuum Mediatrix hominum! Gratiæ habeantur Deo Virtutum, qui veniens ad nos ſalvos faciendos, vult Matrem ſuam participem eſſe Myſterii noſtræ Redemptionis. Verum nonne parem habere debeo zelum pro fratribus meis, & proximis meis? Miſereri debeo imperfectionum eorum; opem illis ferre debeo, ut cum in aliquod inciderint peccatum, reſurgant; non debeo illos eo in ſtatu deſerere, in quo ſunt objectum Divinæ iracundiæ. Quam modica igitur ineſt mihi Caritas? Vel quam male ordinata eſt; quia nunquam fortaſſe cogitavi, ut illis ſpiritualia procurarem ſubſidia, quibus indigent.

IV. In Viſitatione, quam Sancta Virgo Sanctæ Eliſabeth facit, triplex diſtingui poteſt motus, vel pius affectus, quem JESUS CHRISTUS in utero Matris incluſus gignit in cordibus trium perſonarum, ad quas hæc potiſſimum ſpectat Viſitatio.

Primus eſt motus caritatis in corde Mariæ, cui mentem injicit celeriter conveniendi Eliſabeth Cognatam ſuam, gratulatum, eo quod Dominus inſigni miraculo, ac beneficio abſtuliſſet ab illa ſterilitatis opprobrium, ut illi operam præſtaret ſuam, ubi opus eſſet, & ut illi magna aperiret Myſteria, quæ recens in ſe per Dei miſericordiam contigerant. Hic locus erit differendi latius de fine, & cauſſis viſitationum noſtrarum.

Tom. II. Alter eſt grati animi ſenſus in corde Eliſabeth, ſeu propter beneficium, quod recepit a Deo, ſeu propter honorem ſibi factum a Salvatoris ſui Matre, quæ illam prævertere dignatur; ſenſus, qui uſque ad admirationem procedit, & reſpondet humili caritati Mariæ per aliam humilitatem, per quam ſe tanta gratia cenſet indignam.

Tertius ſenſus eſt lætitiæ, quem operatur per Virginem in corde Sancti Joannis, ex eo temporis articulo incipientis fungi Præcurſoris officio, publicando Meſſiæ adventum motu corpuſculi ſui, cum nondum hoc præſtare poſſet voce, quæ aliquando clamabit in deſerto.

Tales eſſe debent viſitationes noſtræ; ſuſcipi debent ex caritate; inflammare debent corda amore Dei, & illa ad grati animi ſenſum propter collata beneficia excitare; nec non Sanctam inſpirare lætitiam, quæ in nobis cieat deſiderium ſerviendi Deo, & obeundi noſtri ſtatus officia.

V. Oſtendere etiam poſſumus: 1. Quomodo in hac Viſitatione finis, quem ſibi Virgo propoſuit, qui eſt Sanctificandi univerſam Zachariæ familiam, damnat inutilitatem plerarumque viſitationum noſtrarum, non alium finem habentium præter curioſitatem, oblectationem, & cupiditatem fallendi tempus. 2. Quomodo mutua ſalutatio duarum harum Sanctarum mulierum damnat adfectatas laudes, & blanda mortalium officia. 3. Quomodo ſermones, & colloquia Mariæ de beneficiis, & Magnalibus Dei confundunt obtrectationes, & obſcœnos ſermones, qui in viſitationibus ſunt admodum familiares.

VI. Accipientes Viſitationis Myſterium modo tantum morali oſtendere poſſumus,

Primo eos, qui vivunt in Mundi commercio invenire regulas Sanctificandi officia, quæ ſibi ſunt obeunda, 1. profundam humilitatem, quæ claudit oculos Mariæ, ne videat ea, quæ ipſam morari poſſent; docet Fideles in ſæculo implicitos ne de nobilitate, aut honore certent; ſed in rebus omnibus ſtudeant humilitati. 2. Ut de divinis tantum loquantur, ſicuti Maria, & Eliſabeth colloquebantur de mirabilibus, quæ in illis Dominus operatus fuerat. 3. Ne ſemet mutuis laudibus palpent, quibus venenum ineſt; ſed ad duarum harum Sanctarum exemplum acceptam Deo referant omnem gloriam donorum, quæ ab illo perceperunt.

Secundo; eos, qui negligunt caritatis exercitia invenire in Viſitatione Mariæ rationes ad confundendam ipſorum caritatis inopiam, & excitandum zelum; quoniam Maria. 1. Viſitat Cognatam ſuam Eliſabeth tempore maxime neceſſario, quo opellis ſui fiebat tamquam inevitabilis, quam eidem alacriter, & peramanter præſtat; cum plerique renuant opem ferre proximo indigenti, & illum viſitare, ut in adverſis opem, & ſolatium afferant. 2. Maria non præſtat Sanctæ Eliſabeth perfunctorie, ſed perſeveranter hæc officia caritatis: quandoquidem tres integros menſes manet apud illam; cum plerumque Fideles immorentur in primis amoris officiis, & ubi perſeverandum eſt, tædio afficiantur. Maria igitur illos confundit per caritatem, quam exercet erga Sanctam Eliſabeth eiſque præbet exemplum quod zelum ipſorum poteſt excitare. *Ex Specimine Panegyricorum tom. 2.*

Si aſſumantur pro textu verba illa: *Ut audivit Salutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus.* VII. Luc. 1.

Primo Oſtendi poteſt, Viſitationem, quam Deus facit Sancto Joanni, docere nos, qua bonitate nos prævenit, ac viſitat ſua, & media quibus ad peccatorem convertendum utitur.

2. Miraculoſa Sancti Joannis lætitia coram JESU CHRISTO exultantis nos docet, quænam ſint operationes gratiæ in Corde, & quomodo peccator eſſe debeat fidelis, ut cum illa converſioni ſuæ cooperetur. *Ibidem.*

Æquiſſima etiam eſſe poteſt ſermonis partitio oſtendere VIII.

Primo, Mariam ſe dare Sanctæ Eliſabeth 1. per naturalem communicationem ſibi inhærentem per vinculum Sanguinis, & naturæ, 2. per communicationem moralem, quæ conſiſtit in conformitate ſpiritus, & ſenſuum, quæ amicis ſuadet amicos in partem vocare ſuorum bonorum, 3. per communicationem Spiritualem, ut eam participem efficiat bonorum magnorum, quæ a Deo receperat.

Secundo, Mariam dare Filium ſuum Sancto Joanni, ut liberet eum de Sathanæ captivitate; ut ſuper illum effundat unctionem gratiæ, eumque ſuum conſtituat Præcurſorem, & maximum Prophetarum. *Ibid.*

Colligendo varias hujus Myſterii circumſtantias conſiderare poſſumus IX.

Primo, greſſus Mariæ inviſentis Zachariam, & Eliſabeth, qui nobis naturaliter repræſentat greſſus Dei venientis ad nos per gratiam ſuam, & nos viſitantis: nam 1. JESUS CHRISTUS per Mariæ Miniſterium Sanctificat peccatorem in perſona Joannis Baptiſtæ. En quid facit pro nobis, liberat nos de infelici peccati ſtatu per gratiam quam nobis tribuit; & hæc quodammodo eſt prima Viſitatio JESU CHRISTI in corde. 2. JESUS CHRISTUS per Mariæ Miniſterium perficit duas animas juſtas Zachariam, & Eliſabeth; ita JESUS CHRISTUS poſtquam peccatorem per priorem Viſitationem diſſolvit, facit ut in Virtute proficiat, & perficit, quæ eſt veluti ſecunda Viſitatio.

Secundo, ratio qua Zacharias, & Eliſabeth Mariam recipiunt domi ſuæ, nobis oſtendit, qua ratione recipere debeamus Dei Viſitationes. Joannes Baptiſta exultat, Eliſabeth loquitur, Zacharias tacet, & loquitur: ſimiliter, ut cum fructu recipiamus Domini Viſitationes debemus 1. Magnam concipere lætitiam, quoniam adfert nobis gratiam, quæ eſt bonum ſupremum, & quæ venit ad nos illuminandos. Quomodo Eliſabeth, debemus loqui, noſmet effundentes in preces, & laudes, & gratiarum actiones: quomodo Zacharias, debemus tacere, & loqui admirantes in ſilentio bonitatem Domini; ſilentium hoc non infringentes, niſi communicaturi cum aliis mirabilia quæ operatur in nobis. *Elogia Hiſtorica totius anni tomo ſecundo.*

Mariæ Viſitatio eſt perfectum exemplar, quod nobis proponit Eccleſia in omnibus Viſitationibus noſtris. Ergo oſtendere opus eſt,

1. Mariam Viſitantem Cognatam ſuam Sanctam Eliſabeth, actam fuiſſe ſola ratione caritatis; 1. Caritatis ſubjectæ nutibus Dei, quem conſulere opus eſt ad exemplum Mariæ, quæ non conſiderat Sanguinis propinquitatem, ſed aures præbet afflatibus gratiæ, & integrum Myſterii complementum; ſimiliter nulla viſitatio obeunda eſt fortuito, aut ex libidine, ſed ut Domino obſequamur, eique placeamus. 2. Caritatis, quæ ſecretum amat, & ſolitudinem, & quæ proximo ſe non communicat, niſi ut eum vocet in partem gratiarum, quæ privatim collectæ fuerunt; ſicut Maria, quæ ſe non communicat niſi poſtquam in ſecreto clauſa fuit cum Deo ſuo, & quæ dona impertit de ſua abundantia.

2. Oſtendendum eſt fructum hujus Viſitationis fuiſſe caritatem: 1. per Sanctos ſermones, & colloquia, quæ habuit Maria cum Cognata ſua, quorum objectum fere fuit Incarnationis Myſterium: 2. per exempla Virtutis & Sanctitatis, quæ præbuit illi toto eo tempore, quo apud illam commorata eſt: 3. per optima officia, quæ illi præſtitit, & univerſæ domui illius. Ita piis colloquiis, ſermonibus ſanctis, & officiis, quorum principium eſt caritas, debemus inci-

pere

pere viſitationes noſtras, & non alium inde fructum percipere niſi caritatem. *Auctor ſermonum in omnia argumenta Ethica Chriſtiana tomo ſecundo Myſteriorum.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, unde peti poſſunt hæ ſermonum Partitiones, & Auctores, qui de hoc tractant argumento,

SANCTUS AMBROSIUS in Evangelium Sancti Lucæ præ ceteris Patribus fuſius, & data opera de hoc agit Myſterio.

Sanctus Chryſoſtomus ſermonem habet apud Metaphraſtem menſe Julio; ubi ſermo tantum habetur de Sancto Joanne in utero Matris.

Venerabilis Beda *tom. 7. homil. Caſtival. de Sanctis* hom. 1. de hoc feſto, agit de iis, quæ in Beatæ Virginis Viſitatione acciderunt; & in hom. 2. percurrit hujus diei Evangelium, & Canticum Virginis, quod Commentariis illuſtrat.

Cardinalis Petrus Damiani ſerm. 1. & 2. de Nativ. Sanctis Joannis, loquitur etiam de Sanctæ Virginis Viſitatione.

Sanctus Bernardus *ſerm. de privilegiis Joann. Baptiſt.* ſimiliter loquitur de hac Viſitatione.

Auctores veteres qui Commentaria ediderunt in Sancti Lucæ Evangelium, velut Euthymius, Theophilactus, aliique.

Sanctus Bernardinus Senenſis ſermonem habet myſticum de hoc die feſto.

Hugo de Sancto Victore *in allegor. in Lucam*, fuſius laudat Canticum Sanctæ Virginis.

Dionyſius Chartuſianus duos habet ſermones in hujus diei Evangelium.

Sanctus Thomas Villanovanus in diei hujus ſermone ad examen vocat omnes partes hujus Myſterii, & præſertim loquitur de Cantico Sanctæ Virginis.

Caniſius l. 4. de Deipara a cap. 3. ad 8.

Granatenſis in Memoriali cap. 4. loquitur de Viſitatione Mariæ relate ad tres perſonas, quæ partem habuere in hoc Myſterio; idemque tres habet ſermones in hunc feſtum diem.

Pater a Ponte, parte ſecunda meditationum de fidei Myſteriis, meditatione undecima tractat de iis, quæ ad hoc Myſterium pertinent, & in ſequent. medit. explicat ſingula verba Cantici Beatæ Virginis.

Pater Craſſet libro cui titulus: *Devotio ad Mariam Virginem* parte 2. tract. 5. cap. 3. oſtendit, quomodo Sancta Virgo in honore habita fuerit a Sancta Eliſabeth.

Pater de Argentano Capuccinus collat. 16. de Magnalibus Virginis, Myſterium hoc, omneſque illius partes tractat: & in articulo ſecundo ejuſd. collat. explicat ſingulos verſiculos *Magnificat*.

Pater Alvares de Paz in tomo 3. meditationem habet hujus argumenti.

Pater Novet in medit. de Vita JESU in Sanctis ſuis, medit. pro ſecunda die Julii.

Pater Haineuve, in tomo 3. meditationum ſuarum: & omnes qui meditationes edidere in Myſteria JESU, & Mariæ.

Biroat in Myſteria Beatæ Virginis.

Texier in Myſteria Beatæ Virginis.

Abbas de Monmorel homiliam habet, & ſermonem hujus argumenti in Myſteriis Beatæ Virg.

In Elogiis Hiſtoricis tom. 2.

In Auctore ſermonum in omnia argumenta tomo 2. Myſteriorum.

In ſpeciminibus Orationum Panegiricarum tres inveniuntur deinceps hujus argumenti ſermones.

P. le Jeune tomo 4. ſermonum.

Abbas de Jarry in ſermonibus.

Carthagena *homil. de Beata Virgine.*

Theophilus Renaut *in Dipticis Marian.*

Labatha } Titulo. *Maria.*
Lohoner }

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes ſcripturæ ad hoc argumentum.

S*Urge, propera, amica mea, & veni.* Cantic. 2.

Quam pulcri ſunt greſſus tui, Filia Principis. Cantic. 7.

Veni, Domine, & noli tardare, viſita nos in Salutari tuo. Pſalm. 115.

Non te pigeat viſitare infirmum. Eccleſ. 7.

Quid eſt homo, quod memor es ejus? Aut filius hominis quoniam viſitas eum? Pſalm. 8.

Exurgens Maria, abiit in Montana, cum feſtinatione, & intravit in Domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. Luc. 1.

Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ibidem.

Ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu ſancto. Ibidem.

Ut facta eſt vox Salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in gaudio, in utero meo. Ibidem.

Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo. Ibidem.

Illuminare iis, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent. Ibidem.

In omnibus operibus tuis eſto velox Eccleſiaſt. 31.

Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi a Domino,

Exempla, & Figuræ Veteris novique Teſtamenti.

IN Sacra Hiſtoria tertio Regum libro cap. 10. legimus unam ex celeberrimis viſitationibus, quæ factæ fuerint, illam videlicet qua Regina Saba convenit Regem Salomonem, omnium, qui unquam fuerunt, Magnificentiſſimum, ac Sapientiſſimum. Teſtatur Scriptura, inſignem illam Reginam acceſſiſſe ad hunc inviſendum ingenti cum comitatu, & maximam attuliſſe vim auri, atque argenti, lapillorum, unguentorum, & aromatum, quæ inæſtimabiles erant divitiæ. Salomon quoque Reginam excepit omni cum honore, & Magnificentia, quam tanta merebatur hoſpita, quæ ab extremis terrarum finibus acceſſerat ad videndum Principem, cujus nomen, & Sapientiæ celebritas in univerſum orbem effuſa illam ex ſuis ſedibus exciverat. Sed hæc licet magnifica, & inſignis viſitatio conferri nequit cum illa, quam Maria præſtitit Eliſabeth, ſive perſonarum dignitatem ſpectemus, vel Viſitationis cauſſam; vel ea, quæ ibi tranſiguntur negotia, vel munera, quæ ultro, citroque fiunt, vel miracula, quæ ibi patrantur, omnia ibi ſunt admirabilia, omnia attentione digniſſima. Non eſt Regina Saba, quæ Salomonem conveniat, neque Rex Salomon, qui hanc recipiat viſitationem; hæc magis eſt, quam Regina Saba; hic pluſquam Salomon eſt. Homo Deus viſitat maximum inter natos mulierum: Verbum Incarnatum, vocem ſuam, Meſſias Præcurſorem ſuum, JESUS CHRISTUS Joannem ſuum. Ex hac parte Virgo Mater viſitat Matrem ſterilem; Regina hominum, & Angelorum Matrem Angeli, & hominis pluſquam Prophetæ; Verbo, Maria viſitat Eliſabeth. Viſitationis hujus cauſſa non eſt adſectatum officium, neque oblectationis ratio, neque quidnam eorum, quæ locum præbent pleriſque viſitationibus; ſed caritatis officium, & communicatio gratiarum, & Cæleſtium donorum. Negotia, de quibus agitur, maximi momenti, quoniam pertinent ad ſalutem humani generis, & complementum prophetiarum; munera, quæ ultro citroque fiunt, excedunt toto cælo pretium eorum omnium, quæ in terræ viſceribus, mariſque abyſſu continentur. Miracula, quæ ibi accidunt, omnem ſuperant fidem. Joannes Sanctificatur in Matris utero, Eliſabeth Prophetiæ donum recipit, Zacharias loquelæ uſum recuperat. Virgo in extaſim rapta in raptu ſuo admirabile canticum pangit: & ipſe JESUS CHRISTUS admirabile percipit gaudium videns jam fructus adventus ſui.

Viſitatio Reginæ Saba ad Salomonem comparata non poteſt cum Viſitatione Mariæ ad Eliſabeth.

Obſtupuerunt Bethlehemitæ, cum viderunt Prophetam Samuelem ingreſſum in Civitatem ſuam tunc temporis, cum illum minime expectabant. Inopinatæ hujus viſitationis ſtupore perciti, quæſierunt ab illo, utrum pacem afferret, neque timorem abjecierunt, niſi cum ille teſtatus fuit ſe ad illos in Spiritu pacis adventare: *Pacificus ne eſt ingreſſus tuus? ait, Pacificus.* Si Zacharias, & Eliſabeth obſtupuerunt videntes Mariam univerſæ terræ fere ignotam, & quam ipſa etiam ignorabat familia ſua, Judææ colles prætergreſſam fuiſſe, ut illos viſitaret; videntur illi non alia in ſtupore ſuo verba feciſſe, niſi quibus quærebant, utrum pacem ſibi afferret illa, quæ ferebat Deum ſuum illis, ad quos erat afferendus. *Pacificus ne eſt ingreſſus tuus? ait, Pacificus.* Quid aliud profecto ſibi expectare poterant a Cognata officioſa niſi verba conſolationis, pacis, & caritatis, niſi actus plenos affectionis, & benevolentiæ? Sed ubi Superioris luminis gratia, ſeſe extulerunt ſupra Cognationis cogitationes, & agnoverunt Matrem Dei in perſona Virginis, tunc gaviſi ſunt gaudio magno, ac ſtupore ipſorum in admirationem converſo, exclamaverunt dicentes: *& unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Foveamus nos quoque hos admirationis ſenſus cum dignatur Deus nos quoque inviſere per gratiam ſuam: Noſmet confundimus noſtram intuiti indignitatem; hæc eſt validiſſima ratio promerendi pretioſum hoc donum, ac illud conſervandi.

Ingreſſus Mariæ ad Cognatam ſuam comparatum cum Samuelis ingreſſus in Bethleem.

Arca fœderis tantopere celebrata in veteri lege ſemper habita fuit tamquam una ex præclariſſimis figuris Matris Dei. Myſteria, quæ repræſentat, Miracula quæ operata eſt, Dei beneficia erga populum ſuum, quorum hæc Arca erat tamquam univerſale inſtrumentum, perfugium quod populus ille in graviſſimis quibuſque neceſſitatibus in illa inveniebatur, cultus denique, & reverentia, quam illi adhiberi jubebat Deus, ita congruunt Matri Dei, ut nemo unquam dubitaverit quominus

Mariæ Viſitatio cum Arca Fœderis comparata.

minus

minus Mater Dei per Arcam hanc indigitetur, & hæc eſt Eccleſiæ Sententia illam hoc nomine nuncupantis, *Fœderis Arca*. Sed addere poſſumus, nunquam melius innotuiſſe veritatem veteris hujus figuræ, quam in Viſitationis ejus Myſterio, in quo hæc vivens Arca novi fœderis plures attulit benedictiones, & gratias familiæ Zachariæ, quam illa in lege veteri attulerit domus Obededom. Mater, quæ erit Eliſabeth, ad quam potiſſimum hæc dirigebatur Viſitatio, repleta fuit Spiritu ſancto. Puer Sanctificatus in utero ejus exultavit lætitia, & pater, quem incredulitas ſua mutum effecerat, recuperavit vocem ſuam, ut benediceret Dominum Deum Iſrael, qui viſitaverat, & fecerat redemptionem populi ſui.

Celeritas, qua Abraham hoſpites recipiebat, figura eſt celeritatis, qua Maria viſitavit Eliſabeth Cognatam ſuam.

Paullo poſt quam Angelus Mariam reliquit, illa iter ſuſcepit, ac viam corripuit feſtinans non ſolum propter amorem quo Eliſabeth proſequebatur, ſed quia caritas illius quem recens conceperat alvo, hunc eumdem Spiritum caritatis ciebat, ecce quid illam urgeat, ut gradum feſtinet. Hoc nobis proponere debemus exemplum cum agitur de exercendis operibus caritatis erga proximum. Hoc faciendum eſt *cum feſtinatione*, cujus Scriptura celebre nobis conſtituit exemplum in eo pacto quo Abraham recepit hoſpites ſuos. Ubi vidit illos, ſtatim ingreſſus eſt in Tabernaculum ſuum: *Feſtinavit Abraham*; juſſitque Saram celeriter ex tribus ſatis farinæ panem conficere: *Accelera tria Sata ſimila*, ſimulque cucurrit ad gregem, ut illis cœnam præpararet. *Ipſe vero ad armentum cucurrit*. Videte, Origenes ait, celeritatem, & alacritatem Sancti hujus Patriarchæ. Abraham currit, Sara imperata facit, famulus feſtinanter dapes præparat, opus fervet, quia caritas urget Abraham, ut maturet, & hoſpitio recipiat viros illos, ſtatim ac eos ſenſit accedere. Idem caritatis Spiritus urget Mariam; & feſtino gradu properat opem latura Eliſabeth Cognatæ ſuæ, quæ opella ſua fortaſſe indigebat.

Applicatio quorundam locorum Scripturæ huic Argumento.

Ratio, quæ urget Mariam, ut inviſat Eliſabeth Cognatam ſuam eſt Caritas mera.

CAritas CHRISTI urget nos. 2. ad Corinth. 5. Si quæris cauſſam hujus feſtinationis per quam Maria ſuam relinquit ſolitudinem Cognatam viſitatura, certus ſum te non aliam eſſe inventurum, niſi caritatem, qua urgetur. *Caritas CHRISTI urget nos*. Admirabilis loquendi ratio, quæ repræſentat cor Mariæ duobus motibus ſollicitatum. JESUS intus, extra JESUS urget illam ad actionem caritatis. Habet Caritatem JESU CHRISTI; ab intra etenim per caritatem, quam habebat propter illum, facta eſt Mater illius: ſed habet Caritatem JESU ab extra; quia propter Incarnationem ſuam intellexit per ſecretum Evangelium id, quod ille deinceps docuit omnes gentes: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Quidquid feceritis fratrum meorum minimo, hoc mihi factum putabo: Cum utrinque urgeretur, non feſtinavit ſolum opem ferre indigenti opera ſua, ſed concepit extremam caritatem pro omnibus hominibus, ita ut ex eo tempore, ſi licuiſſet illi, ſi motus cordis ſui ſecuti fuiſſent illos zeli ſui, profecta fuiſſet ad inviſenda omnia noſocomia, omnia xenodochia; pauperibus, & adverſa jactatis fortuna tuliſſet opem, quia videbat filium ſuum in eorum perſona; ſed cum ad omnes ſeſe conferre non poſſet, reſpexit Eliſabeth tamquam primum ſuæ Caritatis objectum, quatenus Cognatam ſuam. *Biroat*.

Matth. 25.

Maria eſt exemplum zeli, & fervoris, quo opera noſtra bona nos facere oportet.

Exurgens Maria abiit in Montana cum feſtinatione. *Luc.* 1. En perfectiſſimum exemplum nobis in Maria propoſitum, ut cum zelo, & fervore perſequamur actus caritatis erga proximos, & alacriter ad efficiamus, quin ullus obex, aut difficultas ulla nos remoretur. Si agitur de aliquo bono opere faciendo, ne momentum quidem abire patiamur; bis dat, qui cito dat; & feſtinabit Dominus retribuere, & duplum retribuet bonorum operum, quæ propter amorem ejus facere feſtinaverimus; Itaque ſtatim ac novimus pauperem opera noſtra indigere, infirmum ſolatio noſtro, rudem doctrina, peccatorem converſione, verbo, nobis exercendum eſſe opus aliquod vel Spirituale, vel corporale, imitemur celeritatem Sanctæ Virginis, ſtatim conſurgamus, ut illa; relinquamus ſolitudinem noſtram, & ſuavitatem fruendi Deo in pace, ut ad Fratrum Salutem confugiamus. *Exurgens Maria abiit cum feſtinatione in Montana*. Sed difficultates, quæ nobis occurrere poſſent, nos minime deterreant, & curemus, ne quid nos prohibeat: Admiremur conſtantiam, & firmitatem Mariæ; non itineris longitudo, nec montium difficultas, nec ſtatus in quo reperitur, videns ſe recens intumeſcere, illam prohibere poſſunt, quominus propero gradu feſtinet. Agitur de Caritatis officio, & gratia Spiritus ſancti, qua repleta eſt, non patitur moram, neque ullis obſtaculis frangitur; nam aſſerere poſſumus etiam, difficultates, quæ occurrunt veris Dei famulis, illos inflammare potius, quam retardare. Ita volumus ne cognoſcere utrum amor noſter erga Deum fortis ſit, an imbecillus? Videamus utrum in operibus, quæ pro illius gloria ſuſcipimus, ubi aliqua incidit nobis difficultas, ita ignavi ſimus, ut animum deſpondeſmus, an tantum nobis adſit firmitatis, ut ne graviſſimis quibuſdam deterreamur impedimentis. *Abbas de Monmorel*.

Dei Filius uſus eſt Maria ut Sanctificaret S. Joannem, & Sanctam Eliſabeth adhuc Sanctiorem efficeret.

Ut facta eſt vox Salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in gaudio in utero meo. *Luc.* 1. Patrum Eccleſiæ, atque Theologorum ſententia eſt, Dei Filium uſum fuiſſe voce Matris ſuæ, ut, tamquam gratiæ ſuæ inſtrumentum Sanctificaret Joannem Baptiſtam, repleret Spiritu ſancto Eliſabeth; & utrique Prophetiæ donum conferret. *Vocem prior Eliſabeth audivit: ſed Joannes prior gratiam ſenſit*, Sanctus Ambroſius ait; hoc eſt gratiam ſibi collatam. Uterque repleti fuerunt Spiritu ſancto, ubi primum Maria locuta eſt. Ita gratia prior, quam Dei filius hominibus ſenſibiliter contulit per Mariam, in illos pervenit; quod confirmat eorum ſententiam, qui docent, Mariam a Deo electam fuiſſe tamquam rivum gratiarum omnium, quarum ne una quidem de Cælo in terram deſcendit, niſi per manus illius. *Nulla gratia de Cælo venit in terra, niſi tranſeat per manus Mariæ*, ut Sanctus Bernardinus Senenſis ait.

Fructus Viſitationis Mariæ ad Sanctam Eliſabeth.

Et intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. *Luc.* 1. Quæ gratia huic contigit Familiæ recipere primitias gratiarum inhærentium adventui JESU CHRISTI! Maria prior eſt, quæ ſentit effectus Myſterii Incarnationis, & immediate Zachariæ domus tantam gratiam promeretur. Hæc igitur, poſt Mariam, familia eſt maxime ſpectabilis in oculis Dei, deſignatur Herodis, & Romanorum Cæſarum aulam, & oblectatur ſanctificare humiles, & pauperes. Ecce igitur arca vivens novi Teſtamenti, quæ ingreditur in domum Obededom, & affert illi eo majores gratias, & benedictiones, quo lex nova veterem excedit, & ſuperat. Mirum ne eſſe debet ſi Mater repleta fuerit Spiritu ſancto, ſtatim ac Maria illam ſalutavit? *Et repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth*. Si filius in Matris utero exultat præ gaudio? *Exultavit infans in utero*; & ſi pater, quem incredulitas mutum effecerat, ſtatim loquelam recepit, ut benediceret Dominum Deum Iſrael, qui viſitavit, & redemit populum ſuum. Præteriit ne hoc tempus Viſitationis? Numquid non inſtaurat quotidie Deus eadem Myſteria? Nonne JESUS CHRISTUS æque hodie miſericors eſt, ac heſterna die? *CHRISTUS heri, & hodie*. Cum pulſat ad oſtium noſtrum, ut petat cor, & amorem noſtrum, nonne præparat nobis viſitationem Sanctificationis, quam præparavit olim familiæ Zachariæ. ad Hebr. 13.

Quam pulcri ſunt greſſus tui Filia Principis! *Cantic.* 7. Ita exclamabat olim Sapiens, cum myſtico raperetur impetu amoris ſui: Verba omnia, quæ audio ex ore tuo prodeuntia, omnes inceſſus tui me rapiunt. Perhibeamus hoc ipſum teſtimonium Mariæ pedem efferenti ex optatiſſima ſolitudine ſua profectæ Domum Eliſabeth, & Zachariæ. Hoc æquius perhibebimus, quo magis ipſa antonomaſtice una eſt hæc filia Principis, & hi primi greſſus omnes ad noſtram dicari ſunt utilitatem. Nuperrime concepit Deum in ſinu ſuo, & in corde ſuo, & properat, ut faciat ſuæ felicitatis participes; nuperrime præſtitit Gabrieli conſenſum, qui ſimul ſuam gloriam conſtituens, noſtram ſimul conſtituit felicitatem, & perinde ac nova dignitas ſua ſibi gravis eſſet, quia una ipſa illius magnitudinem noverat; illam nobis communicare feſtinat. *Quam pulcri ſunt greſſus tui filia Principis!* Nobis vero quam utiles! quoniam nuntias nobis Salvatorem natum eſſe pro nobis; Cælum tandem miſertum noſtri dediſſe nobis Meſſiam, & te velle noſtram fieri Mediatricem apud illum; cum ceteræ ſexus tui, quæ ad ſublimem gradum attolluntur, non cogitant de elevatione ſua, niſi ut eadem in pace perfruantur, & illam ſentiant, qui illis ſubditi ſunt. Tu vero e contra vix extolleris, cum feſtinas, nos vocatura in partem elevationis tuæ quantæcumque ſit viarum difficultas. Non expectas donec veniamus ad te, ſed ipſa venis ad nos cum gaudio, & exultatione. *Quam pulcri ſunt greſſus tui filia Principis!*

J. C. dat S. Joanni Spiritualem Vitam per Viſitationem Mariæ, quam reddit Sanctæ Eliſabeth.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. 1. *Joann.* 10. JESUS CHRISTUS recens conceptus in utero Mariæ poterat ne diutius videre ſub umbra mortis Præcurſorem ſuum, quin daret illi vitam, quandoquidem uſurus erat Sancto Joanne Baptiſta, ut homines præpararet ad vitam, & ſalutem recipiendam. Inexpectato igitur die, quo Sanctus iſte puer erat naſciturus, & antequam ipſe etiam lucem adſpiceret, vult viſitans illum in anteceſſum præcocem quamdam illis præbere reſurrectionem, replet figuram adoleſcentuli ab Eliſeo ſuſcitati; Maria obediens ſecretis Cæli nutibus, tamquam Giezi imperiis domini ſui, feſtinat ſeſe collaturus ad hunc filium, qui

mot-

mortuus fuerat in oculis Dei, ut reciperet Vitam JESU CHRISTI eum plenitudine, & abundantia: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Cum hoc diſcrimine tamen, quod Giezi ad ſuſcitandum filium hunc mortuum deferebat ſecum inanime, & inutile inſtrumentum, cum e contra Maria geſtat in utero ſuo illum, qui tenet in manibus ſuis claves vitæ, ac mortis. Itaque hoc accedente Joannes Baptiſta præ gaudio exultavit, teſtatus ſe vitam accepiſſe, & ſicuti Eliſeos communicavit vitam ſuam filio Viduæ Sareptanæ, ut illum ſuſcitaret, JESUS CHRISTUS quoque communicat Joanni Baptiſtæ vitam Sanctam, atque divinam, & tantam, quanta decebat Sanctum ipſius præcurſorem, qui de ſua plenitudine erat aliis communicaturus.

Deus tegit gratiam ſuam ſub humanis Conſiliis, ut ex hoc innoteſcit Myſterio.

Suaviter, & fortiter attingit a fine uſque ad finem. Sap. 8. Abſcondit Deus operationes gratiæ ſuæ ſub velo communium, ac ſimpliciſſimarum operationum. Adnectit exteriori Miniſterio gratuitam operationem gratiarum ſuavium, & efficacium, cum quibus de cordibus noſtris triumphat. *Suaviter, ſed Fortiter.* Greſſus Mariæ non oſtendunt niſi ſimplicem urbanitatem, extrinſecus eſt officioſus actus, qualia eſſe ſolet in vitæ civilis commercio, & nihilominus hoc utitur medio, ut inſpiret cognitionem, & amorem Meſſiæ Sancto Joanni in utero Eliſabeth clauſo. Maria feſtinat, ut bonum hoc officium præſtet Eliſabeth. *Abiit cum feſtinatione.* Ecce velum urbanitatis, & officioſitatis; ecce efficacia, quæ ſub hoc cortice latet. Hic ipſe JESUS CHRISTUS properat Viſitaturus Sanctum Joannem, & educturus illum de indignitate filiorum Adam, ut Spiritu ſuo illum eo uſque conſortet, ut coram Salvatore ſuo, & ad vocem illius præ gaudio exultet. Da nobis, Domine, gratiam noſmet ſubjiciendi amabili tuæ providentiæ, & Eccleſiæ regimini; da nobis illam colendi omnes greſſus, vocem, diſciplinam, cæremonias ejus; quandoquidem ſub hoc cortice, externaque hac ſpecie aſſequeris fines tuos, tanta abſcondis Myſteria, tuas gratias communicas, procura nobis hanc ſubmiſſionem Sancta Virgo, tu, quæ libenter, & peramanter ſecuta es motus filii tui, qui inſpiravit tibi hanc Viſitationem ob tantos fines, quos tamquam totidem Myſteria veneramur.

J. C. Viſitans Joannem Baptiſtam fungitur munere Salvatoris.

Ego Dominus ſalvans te, & redemptor tuus fortis Jacob. Iſai. 60. JESUS CHRISTUS hodierna die fungitur munere Salvatoris, & Redemptoris. Sanctificans enim Joannem Baptiſtam vobis dat pignus, quo ſeſe adigit ad veſtram procurandam Sanctificationem. Videte quouſque procedat illius amor pro vobis. Corpore ſuo nondum uti poteſt, & opus eſt, ut ſecundum naturæ legem novem menſibus maneat in utero Maaris incluſus; verum non ne utitur pedibus Mariæ, ut ſe conferat domum Zachariæ, ejus voce, ut loquatur ad Eliſabeth? Certum præludium, quod aliquando facturus eſt pro vobis ſemel totum conſecrans in uſus veſtros; Vera imago ejus rei, quam pro vobis fecit in baptiſmate veſtro. Nonne uſus eſt pedibus eorum, qui vos in Templum detulerunt, ut vos introducerent in ſinum caſtæ hujus Matris? Vos loqui non poteratis, nonne uſus eſt voce patrinorum, & matrinorum; ut abrenuntiaretis Mundo, Sathanæ, & pompis ejus, & ut Spiritus ſanctus ingrederetur in animam veſtram non ſecus ac in illam Joannis Baptiſtæ? Nonne igitur verum eſt ipſum eſſe Dominum ſalvantem te, & fortem Jacob redemptorem tuum? Nonne pluries exercuit officium Salvatoris erga te; quotieſcumque enim vocavit te, ut ad ipſum reverteretis, quotieſcumque animadvertit in te propter duritiem tuam, quoties compeſcuit furorem inimicorum tuorum qui prope erant, ut te devorarent, toties erga te functus eſt munere Salvatoris, cum toties eripuerit te de morte, liberans te de periculis, in quibus perire merebaris; ideoque hoc in ſenſu magis eſt Salvator tuus quam Joannis Baptiſtæ.

J. C. ſæpe nos viſitat, ut viſitavit Joannem Baptiſta.

Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Luc. 1. Hæc verba ſatis exprimebant ſenſus Joannis Baptiſtæ, & Sanctæ Eliſabeth. Poſuerat Deus gratiam in labiis Mariæ, ut involuntario peccatori auferret originalem maculam, qua deformabatur in oculis Omnipotentis, & perficeret Eliſabeth, & Zachariam. Heu! quoties uſus eſt Deus verbo Miniſtrorum ſuorum in pœnitentiæ tribunalibus, ut te abſolveret a tot peccatis actualibus voluntariis, & meræ nequitiæ, quæ commiſiſti? Quoties tecum in gratiam rediit, quot gratias tibi conceſſit rogatus a ſua amantiſſima Matre, cum ad illam confugiſti in neceſſitatibus tuis? Eſto igitur ſenſibilis viſitationibus Domini, & largitatibus Sanctiſſimæ Matris ſuæ; ita vive, ut de te dici poſſit quod de parentibus Joannis Baptiſtæ. *Erant juſti ambo ante Deum; incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela;* intelliges tunc Magnitudinem beneficii, quod recipis a JESU, & a Maria, & in anim grati ſignum, ac amoris exclamabis: *Et unde hoc mihi, ut veniat Dominus, & Mater Domini mei ad me?*

Luc. 1.

Zacharias, & Eliſabeth ſeſe præparaverant Viſitationi C.

Erant ambo juſti ante Deum. Luc. 1. Gratiæ quæ ſunt magis pretioſæ exigunt a nobis diſpoſitiones, quæ ad eas aliquam habeant rationem. Viſitatio Mariæ, & JESU per illius miniſterium reddita parentibus Sancti Joannis Baptiſtæ, gratia eſt primi ordinis; præparationes igitur dignæ erant tanta gratia. Poterat ne Scriptura verbis aptioribus exponere, quam dicendo ambos juſtos fuiſſe coram Deo, & coram hominibus? cum enim eſſent irreprehenſibiles incedebant in omnibus mandatis Domini replentes duplex præceptum caritatis erga Deum, & proximum? Fruſtra igitur a Domino viſitari cupitis, niſi voſmet præparatis. Rex iſte gloriæ, & puritatis non ingreditur in abjectam animam, & iniquitatibus coinquinatam. Expectate igitur, ut Zacharias, & Eliſabeth, quæ uſque ad momentum illud, quo receperunt JESUM CHRISTUM & Mariam domi ſuæ, expectaverant non ſecus ac alii Patriarchæ, & Prophetæ, immo etiam ardentius, quam ceteri, quandoquidem uberior fuit eorum remuneratio. Cum Sanctis his ſæpe dicite verba illa, quæ uſus Scripturæ, & patrum noſtrorum praxis conſecravit: *Rorate cæli deſuper.* Per illa meritus eſt Abraham videre diem JESU CHRISTI, & præ gaudio exultare: *Vidit, & gaviſus eſt.* Per illa merita eſt Sancta Eliſabeth recipere Meſſiam, & juſta viſa eſt coram Deo, & coram hominibus; vos quoque ejuſdem juſtitiæ participes eritis, ejuſdemque remunerationis.

Joann. 8.

Quomodo S. Eliſabeth repleta fuerit Spiritu S.

Repleta eſt Spiritu ſancto. Luc. 1. Quænam ergo, inquies, ea eſt prærogativa, qua Sancti Joannis Parentes præditi fuerunt; ſi enim *erant juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela,* erant jam Spiritu ſancto repleti. Verum eſt Sanctam Eliſabeth poſſediſſe jam Spiritum ſanctum per gratiam Sanctificantem, & per habitualem caritatem; ſed longe poſſedit illum perfectiori modo per donorum ſuorum plenitudinem, per fidem majorem, & magis illuminatam; per cognitionem magis diſtinctam Salvatoris; ad acceſſum illius ſenſit ſe magis illius amore, eique ſerviendi deſiderio inflammari per acriorem impreſſionem luminis, & amoris, quem peperit in corde illius præſentia Dei, qui dignabatur illam ſuis viſitationibus; per conſtans conſilium ea tantum faciendi, quæ ipſi magis accepta eſſe cognoſceret; per metum obſequentiorem, ac ferventiorem pietatem; per incrementum pacis, & gaudii, quod ſeſe effudit in omnes animæ ſuæ facultates; denique per fidelem beatamque perſeverantiam in Virtute; hæc enim totidem ſunt dona Spiritus ſancti, quibus Eliſabeth, & Zacharias repleti fuerunt: *Repleta eſt Spiritu ſancto.* Eorum igitur exemplo, nullum perfectioni veſtræ limitem conſtituere debetis, & per fidelem cooperationem veſtram gratiam gratia promereri debetis. In Virtute non progredi, retrocedere eſt. Cum Pater Cæleſtis aia, ſe velle veſtrum exemplum eſſe, & imperat, ut ſitis perfecti ſicut ipſe eſt, vult in ſtatu veſtro voſmet contineri, & de imperfecta plenitudine Spiritus Dei tranſire ad plenitudinem perfectiorem.

Privilegium Joannis Baptiſtæ præ Jeremia in Sanctificatione ſua in utero Matris ſuæ.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi. Joann. 1. Joannes nondum loquendi facultatem fuerat adeptus, & tamen prophetica exultatione ſenſus ſuos exprimit, perinde ac clamaret: *Ecce Agnus Dei.* Fungitur Præcurſoris, ac Prophetæ munere, antequam naſcatur, quia illum prævenit gratia. *Novit CHRISTUM ab infantia, immo in utero Matris novit, & eum ſalutavit,* Sanctus Chryſoſtomus inquit. Etenim, Sanctus Cyrillus inquit, JESUS CHRISTUS ſignificavit illi, ſe Deum eſſe ſuum, & Salvatorem: Etenim Dei unius eſt inſpirare Prophetas, eoſque replere Spiritu ſuo. Legimus quidem Jeremiam in Matris utero Sanctificatum fuiſſe: ſed illum ibi prophetaſſe non legimus. Inaudita hæc gratia uni reſervabatur filio Eliſabeth, qui cum nondum poſſet corporeis oculis intueri, oculis mentis Dominum ſuum cognovit. *Erat quidem Jeremias Sanctificatus in utero: ſolum Joannes in utero exiſtens exultavit gaudio, & corporeis oculis nihil videns, ſpiritu Dominum cognovit.* Ratio igitur, & libertas in anteceſſum conceſſæ fuerunt Sancto Joanni Baptiſtæ; ideoque non potuit permanere ſine actione coram Deo, a quo beneficiis cumulabatur. Hinc quidem labes originalis delecta, inde vero gratuita ejus electio, JESU CHRISTI Magnificentia, qua ad Præcurſoris dignitatem elevabatur, & cumulabatur gratiis exquiſitiſſimis eo tempore, quo minime ſperabantur, & deſtinabatur ad glorioſiſſimum miniſterium, effecerunt ut carceris ſui tenebras ſuperaret, & motu corporis ſui exclamaret, & cognoſcendum præberet Benefactorem ſuum, atque Liberatorem. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi.*

Homil. 2. in Joannem.

S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 3.

Joannes Baptiſta laudat JESUM CHRISTUM exultatione ſua.

Omnia oſſa mea dicent, Domine, quis ſimilis tibi? Pſalm. 34. Quidquid ſumus, obſequium præſtare debemus Domino; Spiritus, memoria, cor, voluntas, omnes corporis ſenſus debent illius enarrare mirabilia:

Omnia

Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis ſibi? Sed ecce Sanctus, qui ſuperat zelum, & amorem Prophetæ! Oſſa ejus nondum obduruerunt, brachia, & pedes nondum formata ſunt, & lingua ejus adhuc eſt captiva: ne balbutire quidem poteſt, & nihilominus Sanctus hic Præcurſor Deum vehementius exaltat quam David, quoniam publicat illius Magnitudinem totius corporis ſui exultatione. *Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis ſibi?* Parvulus iſte præcurſor impatiens fruendi Deo ſuo, præcedit illum, eum Meſſiam prædicaturus, & eo quo poterat modo loquitur: *Salutabat Salvatorem meum, quo poterat, & in occurſum Domini præcurſor impiger erumpere geſtiebat.* Hoc ipſum faciendum eſt vobis omnibus, quos viſitat Deus per gratiarum ſuarum communicationem. Procul igitur a vobis abſit hic torpor, & ſopor iſte lethargicus: ubicumque eſt Spiritus Dei, operatur, agit, movet, excitat. Licet eſſet in animabus æque gravibus ac currus ille, de quo loquitur Ezechiel, eas attollit, quia Spiritus Dei eſt vitæ Spiritus. Illum ſentiunt Zacharias, & Eliſabeth, & clamant: *& unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Sentit illum Joannes Baptiſta, & clamat: *Domine, quis ſimilis ſibi?*

Guerricus Abbas in Natal. Joannis ſerm. 3.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententia Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Conſiderandum eſt, quia ſuperior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur, Maria ad Eliſabeth, CHRISTUS ad Joannem. Sanctus Ambroſius in Evangel. Lucæ.

Simul autem ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu ſancto; vide diſtinctionem, ſingulorumque verborum proprietatem: Vocem prior Eliſabeth audivit, ſed Joannes prior gratiam ſenſit, illa naturæ ordine audivit, iſte audivit ratione Myſterii. Idem, ibidem.

Exultavit infans, & repleta eſt Mater, non prius repleta eſt Mater, quam filius; ſed cum filius eſſet repletus, replevit & Matrem. Idem, ibidem.

Et unde hoc mihi? hoc eſt, quo tantum bonum mihi accidit, ut Mater Domini mei veniat ad me? Miraculum ſentio, cognoſco Myſterium, Mater Domini, verbo fœta, Deo plena eſt. Idem ibidem.

Manſit autem Maria cum illa quaſi tribus menſibus ... non enim ſola familiaritatis cauſſa eſt, quod diu manſit, ſed etiam tanti vatis profectus. Idem ibidem.

Quæ venerat propter officia, inhabitat officioſa. Idem ibidem.

Non quaſi incredula de Oraculo, nec quaſi incerta de Nuntio, nec quaſi dubitans de Exemplo; ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina pro gaudio, in Montana perrexit. Idem.

Eliſabeth non hoc ſui meriti, ſed muneris fatetur eſſe divini, (nempe quod a Maria viſitetur). Idem ibidem.

Vide humilitatem; quæ Dei Mater eligitur, nullam ſibi prærogativam tantæ gloriæ vindicavit. Idem ibidem.

In Montana perrexit. Hoc eſt iter eorum, qui Deo pleni ſunt, ad ſuperna cum feſtinatione aſcendere, ima deſerere, terreſtria ſpernere, cæleſtia ambire. Idem ibidem.

Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia. Idem ibidem.

Ad introitum Mariæ exultavit infans: audiebat enim Verbum Domini per os Virginis perſonantis, & de utero Matris in occurſum ejus geſtiebat erumpere. S. Hieronymus Epiſt. ad Lætam.

Meruit Joannes in utero exultare, qui originis ſuæ libertatem ante noſſe, quam naſci meruit; ſentire quam vivere. Sanctus Chryſologus ſerm. 97.

Nondum naſcitur, & ſaltibus loquitur, nondum paritur, & properat (Joannes) *præcurrere.* Idem.

Per iter devium, & abrupta montium veniens Maria; ut deferret amicis actualis vitæ laborioſum officium, Zachariæ ingreditur domum. Sanctus Ildephonſus ſerm. 5. de Aſſumptione Virginis.

Nondum natus Joannes prophetica exultatione commotus eſt, quaſi etiam intra Matris Viſcera jam exclamaret: Ecce Agnus Dei. Sanctus Leo ſermon. 4. in Epiphan.

Illud certum eſt, quod non parum contulit puero naſcituro intemeratæ Virginis conſortium. Sanctus Bernardus ſerm. de Privileg. Joannis Baptiſtæ.

Venit propinqua ad proximam, junior ad ſeniorem. Non ſolum venit, ſed etiam prior ſalutavit; decet enim, ut quanto caſtior Virgo, tanto humilior ſit. Sanctus Ambroſius in Evangel. Lucæ.

PARAGRAPHUS V.

Quid hauriri poteſt ex Theologia penes ad hoc argumentum.

Difficile eſt aſſerere de cujus feſtivitate agatur in hoc Myſterio.

Si omnia ſpectentur miracula, quæ in hoc accidunt Myſterio, arduum eſt ſtatuere, cujus feſtivitas celebretur Filii ne Dei, an Sanctæ Virginis; Sanctæ ne Eliſabeth, an Sancti Joannis Baptiſtæ, quandoquidem quatuor iſtæ perſonæ ad hanc ſolemnitatem concurrunt. Feſtivitas eſt Filii Dei; hæc enim prima illius manifeſtatio, prima operatio gratiæ ſuæ extra Sanctam Matrem ſuam. Feſtivitas eſt Sanctæ Virginis, hac enim die cognoſcitur, & honoratur, tamquam Dei Mater. Feſtivitas eſt Sanctæ Eliſabeth; dies enim eſt, qua recipit plenitudinem Spiritus ſancti, Prophetiæ donum, ſupernaturalium Myſteriorum cognitionem, eamque publice profitetur. Dicere quoque poſſumus, hanc eſſe feſtivitatem Sancti Joannis Baptiſtæ; quia hic dies eſt, quo incipit Sanctus eſſe, quo ab originali peccato liberatur, quo in anteceſſum recipit uſum rationis, quo fit Propheta, & plusquam propheta, & incipit officio fungi Præcurſoris Meſſiæ, quia illum agnoſcit, adorat, & Matri ſuæ tradit cognoſcendam, Eccleſia abſtulit hanc dubitationem, & difficultatem, quæ oboriri potuiſſet cum voluerit Sanctam hanc feſtinationem, qua properavit Maria Sanctificare Cognatam ſuam Eliſabeth cum univerſa ejus familia, ferens ad illam ſuæ Sanctitatis auctorem, paullo poſtquam in utero ſuo corpus acceperat, voluit inquam ut iter, quod illa ſuſcepit, & viſitatio, quam Cognatæ ſuæ propter hanc præclariſſimam cauſſam præſtitit, Viſitatio Sanctæ Virginis appellaretur, & ſub hoc titulo inſtitueretur, Urbanus Papa VI. hanc inſtituit feſtivitatem anno 1385. & Bonifacius IX. illius Succeſſor paucis poſt annis illam confirmavit, & promulgavit per occaſionem ſæviſſimi ſchiſmatis quod cum Eccleſiam annos quinquaginta perturbaſſet, feliciter extinctum fuit hac devotione erga Sanctam Virginem.

In hoc Myſterio duæ ſunt Viſitationes, altera quidem Mariæ ad Eliſabeth, altera vero JESU CHRISTI ad Joannem Baptiſtam.

Animadvertendum eſt tamen duas celebrari viſitationes, ſub hoc Viſitationis titulo, alteram quidem Sanctæ Virginis ad Eliſabeth; alteram vero JESU CHRISTI ad Sanctum Joannem, duarum perſonarum dignitate præſtantium ad duas inferiores; cum hoc tamen diſcrimine, quod Mariæ Viſitatio ſenſibilis fuit, illa vero JESU CHRISTI ſecreta, & abſcondita; quod repræſentat, ut ajunt Myſtici quidam Theologi, duplicem Viſitationis ſpeciem, qua utitur Deus erga animas; altera enim fit per vias inviſibiles, atque interiores, cognitas illis tantum a quibus recipiuntur; altera vero per ſigna exteriora, quæ ſub ſenſibus cadunt. Species hæc nobis repræſentatur per Virginis Viſitationem, quæ ſub ſenſibus incidit; quoniam locuta eſt, Cognatam ſalutavit, illam ſua præſentia dignata eſt, tres menſes apud illam permanſit, & plura habuit colloquia cum illa. Ratio altera nobis ſignificatur per Viſitationem JESU CHRISTI; quæ nec viſibilis fuit, nec ſenſibilis, niſi Sancto Joanni eam recipienti. Verum cum iſtic minime agatur de hac duplici Viſitationum ſpecie, quæ ad gratiam pertinent, ſed ſolum de Myſterio Viſitationis Mariæ, in quo Dei Viſitationes non niſi indirecte per alluſionem locum habere poſſunt, non eſt hic locus diſſerendi de illis.

Viſitatio Mariæ ad Eliſabeth non eſt ſimplex actus urbanitatis, ſed zeli, & caritatis.

Viſitatio Mariæ non eſt inſpicienda, tamquam officium urbanitatis præſtitum Sanctæ Eliſabeth; quod inter homines eſſet ſimplex Viſitatio, in Maria Myſterium eſt; & quod officium, urbanitas, amoris teſtificatio in Mundi commercio haberetur, in illa eſt actus puriſſimæ, altiſſimæque caritatis; & zelus ardens, qui illam urget, ut proximo inſigne ſpirituale ſimul, ac temporale præſtet officium. Qualitas Deiparæ qua nuper aucta eſt, in Verbi Incarnatione, quam Spiritus ſanctus operatus eſt, inſpirat illi hunc ſenſum zeli, & beneficæ caritatis ſe ſe extrinſecus communicans; cum enim hactenus in receſſu, atque ſolitudine vixiſſet, per hanc Viſitationem incipit Cognatæ ſuæ beneficia conferre, quibus cælitus locupletata eſt, cooperans juſtificationi peccatoris, & Sanctæ ædificationi totius familiæ Zachariæ.

Primum miraculum quod Filius Dei operatus eſt in gratia æque ac in natura, per Mariæ interceſſionem operatus eſt.

Quemadmodum ad Mariæ preces Mundi Salvator operatus eſt primum omnium miraculorum in natura, cum aquam convertit in vinum, ita dicere quoque poſſumus ad preces Matris ſuæ, quarum non meminit Evangelium, ſaltem per Matris ſuæ præſentiam operatum fuiſſe primum miraculum ſuum in gratia erga peccatorem, juſtificans parvulum Joannem Baptiſtam; ita ut ſi Verbum Dei, quod Maria gerebat in utero, cauſſa fuit præcipua hujus Sanctificationis, ipſa fuerit tamquam inſtrumentum, quo uti voluit, ut nos doceret per interceſſionem Mariæ a nobis expectandas, obtinendaſque gratias omnes, quas nobis facere decrevit: quibus adjicere poſſumus, quemadmodum in Sacramentis utitur Deus hominum voce, qui illius Miniſtri ſunt, & elevat verba eorum ad productionem gra-

Digitized by Google

gratiæ, quam operantur, ſecundum plurimorum Theologorum ſententiam; ſimili ratione cur dici non poſſet, verba, quæ protulit Virgo ſalutans Sanctam Eliſabeth, miraculoſe elevata fuiſſe ad cooperandam productionem gratiæ, & Sanctitatis in corde Sancti Joannis, eodem tempore, quo in Matris auribus perſonuere?

Cauſſa propter quam Maria egreſſa eſt de ſolitudine ſua ut viſitaret Sanctam Eliſabeth, fuit amor ſupernaturalis erga Cognatam.

Exiſtimandum non eſt, Sanctam Virginem egreſſam fuiſſe de ſolitudine ſua propter aliquam de divinis Oraculis dubitationem, neque propterea quod diffideret de eo, quod ſibi nuntiatum fuit ab Angelo, neque ut certior fieret exempli, quod ſibi propoſitum fuerat graviditatis Eliſabeth Cognatæ ſuæ, quod hæretici nonnulli aſſerere non dubitaverunt. Neque animi reficiendi cauſſa hoc illa iter ſuſcepit; etenim ſemper in deliciis habuit ſolitudinem ſuam. Neque putetis illam ſolum naturali amore propinquorum ſuorum ductam Viſitationem hanc obiiſſe; oſtendit enim palam ſe nullo ſuorum amore teneri, cum paterna domo egreſſa eſt, ut uni Deo viveret, ac deſerviret in Templo. Igitur amor ſupernaturalis in Cognatæ ſuæ Sanctitate fundatus illam perduxit, & etiam amor communicativus, qui fecit, ut ſtatim ac Deus illam ſuis donis repleverit, ipſa in eorum partem arceſſeret Cognatam ſuam, quæ ad illa recipienda erat diſpoſita.

In Viſitationis Myſterio potiſſimum eluxit Sanctæ Virginis humilitas.

Liquet humilitatem in omnibus beatæ Virginis actionibus illuxiſſe; ſed verum nihilominus eſt ipſam in hoc potiſſimum Myſterio innotuiſſe, idque triplici ex cauſſa: 1. In Incarnatione illa quidem ſe ancillam profeſſa eſt: *Ecce Ancilla Domini*; ſed cujus? Dei videlicet immediate; Sed in Myſterio Viſitationis non ſolum ſe vocat, ſed actu facit ancillam creaturæ, quæ toto Cælo inferior ſe eſt. 2. Se humiliat, ac demittit, tunc temporis, quo merito ſe ſe attollere potuiſſet: obedit tunc cum ſibi confertur jus ſupremum creaturis omnibus imperandi. 3. Humilitas eo major, & admirabilior eſt, quo glorioſior eſt ſtatus illam exercentis. Sed Maria nunquam fuit in ſtatu nobiliori, quia, ut Sanctus Ambroſius ait, tunc erat *Virgo Verbo fœta, Deo plena*. Ita dubitandum non eſt dicere illam in Cælo, quamvis gloria coronata ſit, & ſedeat ad dexteram Filii, eas non habere prærogativas, quas habuit, cum profecta eſt, ut Cognatæ ſuæ opem, operamque præſtaret: nam præter relationem Matris Dei, quæ fundamentum eſt totius Magnitudinis ſuæ, in hoc ſtatu conſideratur, tamquam una eademque perſona cum Filio ſuo homine-Deo. In Cælo amicta eſt Sole, ſed tunc intra ſe Solem capiebat. Hæc igitur Virgo Deum ferens alvo, ancillæ munere fungitur, ut cum Filio ſuo dicere poſſit; *non veni miniſtrari, ſed miniſtrare*.

Comparatio eorum, quæ in hoc Myſterio acciderunt cum iis, quæ in Incarnatione contigerunt.

Si hoc Myſterium cum Incarnatione comparetur, dicere poſſumus quæcumque ſecreto acciderunt in hoc in gratiam Beatæ Virginis, a Sancta Eliſabeth in Viſitatione publicari, & quidquid videtur ad nihilum redigere in altera divinas omnes perfectiones, hoc a Virgine in Cantico ſuo celebrari. In Incarnatione petit Angelus Virginis aſſenſum: In Viſitatione Sancta Eliſabeth eam laudat, quod aſſenſum præſtiterit, ideoque Beatam prædicat: *Beata, quæ credidiſti*. In Incarnatione Angelus Virgini nuntiat illam futuram eſſe Filii Dei Matrem; In Viſitatione Sancta Eliſabeth illam hoc Nomine ſalutat, eique præſtat obſequia: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me?* (*Luc. 1.*) In Incarnatione Angelus facit encomium Filii, & Matris, & in Viſitatione Sancta Eliſabeth illud annuntiat, & celebrat: *Benedicta tu inter Mulieres, & benedictus fructus Ventris tui*. (*Ibidem.*)

Sanctificatio S. Joannis ſolum eſt miraculum quod narret Evangelium S. Virginis.

Nunquam ante hanc diem uſus fuerat Deus aliqua perſona tamquam Organo, ut gratiam produceret, & peccatorem ſanctificaret: ſed in hoc Myſterio Verbum Virginis Organum eſt Spiritus ſancti, ut afferat gaudium, lumen, & gratiam in animam pueri, & ut ex eo faciat Principem Prædeſtinatorum non ſine inſigni Miraculo, quod unum in tota Vita operata eſt. *Ut facta eſt vox Salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo*. Hoc eſt eximium Sanctæ Virginis Opus, quoniam hoc unum eſt Miraculum illud, quod nobis narrat ab ipſa factum, Scriptura; dignum profecto Miraculum illa, quæ in caſtis viſceribus ſuis gratiæ fontem geſtabat.

Maria per Viſitationem ſuam cœpit munus Mediatricis Deum inter, & homines.

Statim ac Maria locuta eſt, Joannes Baptiſta ſanctificatus eſt: Ex peccatore repente Sanctum fecit. Verba Virginis fuerunt quodammodo Sacramentalia; habuerunt vim Baptiſmi, ut originale peccatum delerent, & ſanctificarent puerum adhuc in utero Matris latentem. Voluit JESUS CHRISTUS Mariam eſſe Inſtrumentum, & ut ita dicam, coadjutricem primæ Sanctificationis, quam in Mundum veniens operatus eſt. Ex eo tempore functa eſt Mediatricis officio, quod deinceps tanta quidem cum gloria ſua, noſtra vero exercuit utilitate. Filius ejus nobis connotare voluit, ipſam aliquando ſaluti noſtræ cooperaturam eſſe, ob eam partem, quam erat habitura in opere noſtræ redemptionis, & per poteſtatem procurandi gratias illis, qui ad ipſam confugerent.

Maria acceptā Deo refert Magnitudinē ſuam, & laudes, quæ ſibi deferuntur.

Satis non fuit Mariæ ſeſe humiliare coram Deo, & Angelis, niſi coram hominibus etiam humiliaret ſe ſe. Procul recedit a Nazareth, ubi Omnipotens fecit potentiam in brachio ſuo, ut in illa operaretur Magna. Abiit in Montana Judææ. Eliſabeth in impetu gaudii ſui vix Mariam ſenſit adeſſe, cum illam Dei Matrem appellat, & Maria nihil ſui infirmitatem, & humilitatem profeſſa, Domini ſe vocat ancillam. Verum cum hæc Viſitatio vocari poſſit revelatio Divinitatis Verbi Incarnati, & revelatio Maternitatis Mariæ: Maria Deo refert acceptam gloriam laudum omnium ſibi debitarum, ſe humiliat, ac eo uſque deſcendit, ut abjectiſſima quælibet Cognatæ ſuæ præſtet officia. Quantum eſt magnitudinis in humilitate, cum quæ Deo uni inferior eſt, ſuperior eſt omnibus creaturis! Quantum generoſitatis eſt in anima quæ ſuæ oblita Magnitudinis eo uſque per humilitatem deſcendit, ut ad ſummum dignitatis faſtigium mereatur attolli!

Sancta Virgo, & Sancta Eliſabeth ſunt utræque repletæ Spiritu S. ut teſtatur Evangelium, ſed longe aliter.

Quamvis Maria jam repleta fuiſſet de Spiritu Sancto, ubi primum ab Angelo ſalutata fuit, & Eliſabeth eodem fuerit Spiritu ſancto repleta, ubi ſalutata fuit ab Angelorum Regina, *Repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth*; non ideo tamen duæ Matres iſtæ æque Sanctæ fuerunt. Verum eſt modum, quo loquitur Scriptura, ſimilem eſſe; ſed ſenſus longiſſime differt. Primo enim Sancta Virgo non ſolum repleta fuit gratia, ſed perſona eadem Spiritus ſancti. 2. Quia huic datus fuit tamquam Sponſæ Sponſus, cum illa fœcunda facta eſt per divinam operationem illius. 3. Quia illi datus fuit ut ſemper permaneret cum illa, quin ab illa unquam recederet. Sed cum dicitur Sancta Eliſabeth repleta Spiritu ſancto, intelligendum eſt de donis, & gratiis Spiritus ſancti, eum ſanctior, atque illuminatior fuerit effecta per Sanctæ Virginis præſentiam.

Ex tribus perſonis, quæ interveniunt in hoc Myſterio, docemur quomodo recipere debeamus gratias & Cæli Viſitationes.

Tres memorantur Perſonæ in Myſterio Viſitationis Mariæ, quæ illam æque recipiunt, ac Viſitationem Filii Dei, qui in illius utero continetur; videlicet Joannes Baptiſta, Eliſabeth, & Zacharias: ſed quibus cum diſpoſitionibus? Joannes Baptiſta exultat gaudio, Eliſabeth loquitur, Zacharias tacet; Hinc mirum in modum docemur, quid nobis faciendum ſit, ut cum fructu recipiamus gratias, & Viſitationes Domini, quas nobis beata Virgo procurat. Illas recipere debemus cum gaudio tamquam ſigna, & pignora divinæ erga nos bonitatis; debemus gratum animum teſtari per actiones gratiarum, & demum illas occulere, & non niſi ad proximi ædificationem proferre.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Sanctæ Virginis feſtinatio Sanctam Eliſabeth Cognatā ſuā viſitantis effectus eſt gratiæ, non ſimplex urbanitatis Officium.

LIQUIDO conſtat hoc in loco non agi de Viſitatione meræ urbanitatis, & officii: Non ita feſtinat, qui ſe confert ad ea obeunda munera, quibus tenetur legibus tantum conſuetudinis, & officii. Magna hæc Virginis feſtinatio ſublimius habet principium. Effectus eſt gratiæ, qua plena eſt, & Sancta violentia Spiritus ſancti, lento gradu incedere neſcit. *Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia*. Geſtat in utero ſuo auctorem vitæ, & propero gradu ſe confert ad ſuſcitandum puerum, qui illam amiſit antequam naſceretur. Feſtinat liberatura captivum innocuum, & juſtum factura puerum, qui neſcit adhuc, quid ſit peccare. Feſtinat Prophetam conſecratura, qui non niſi per os alienum ſua promere poteſt oracula. Feſtinat ut admoveat Verbum voci, & Solem ſyderi, quod præcedere debet Nativitatem ſuam, & adventum illius annuntiare. Feſtina igitur, arca Dei, feſtina ingredi in domum hanc benedictionis, ut ejicias inde anguem infernalem, qui jam infecit veneno ſuo parvulum Joannem Baptiſtam; feſtina pacem allatura cum illo, qui vocari non vult Deus iræ, & ultionis; feſtina latura legem gratiæ, & datura principium Evangelio; propera adimpletura primum Myſterium Vitæ abſconditæ JESU CHRISTI, & operatura primum hujus Incarnati Verbi Miraculum. *Auctor recens*.

Humilitas Mariæ prima Virtus eſt, quam Maria præ ſe fert in ſua Viſitatione.

Primum illud, quod in hac Mariæ Viſitatione conſidero, eſt humilitas illa profunda, quæ oculos claudens omnibus conſiderationibus, quæ illam morari poſſent, efficit, ut prævertat Eliſabeth, eamque feſtinanter per Montium juga conveniat: *Abiit in Montana cum feſtinatione*. Ne expectetis, Fideles, ut ineffabilis Magnitudo dignitatis, ad quam evehitur, efficiat, ut ad illius nitorem, ac decus ſervandum aliquam ſibi præcautionem proponat, & reformidet objicere Dei Matrem laboribus, & impedimentis itineris ardui, & difficilis; inanes, futileſque colores, quos prudentia carnis prætexit ſuam diſſimulatura ambitionem, numquam aditum inveniſtis in ani-

mam

Digitized by Google

mam Mariæ! Homines ſæculi, inter vos de honoribus, & præeminentia certate: contendite in oculis hominum apparere eo in ſtatu, qui veſtram palpat ambitionem, & voſmet in magnitudinis veſtræ fulgore continentes; conamini ejus ideam amplificare in animis populorum. Hujuſmodi inſana ſunt Mundi placita; Maria vero propter longe diſſimiles cauſſas operatur. Rationes, quæ illam remorari debere videbantur, diſcedere cogunt, quin præſtoletur ſibi deferri obſequia Deiparæ debita, in hac ipſa qualitate maturat Cognatam inviſere; & Domini Mater prævertit Matrem S. Joannis illam viſitatura in eodem Spiritu quo JESUS CHRISTUS aliquando præveniet S. Joannem ab illo baptizandus. Officioſa ejus caritas augebit ardorem zeli ſui: iter corripit ſine mora, progreditur ſine requie, ingreditur domum Eliſabeth, illam pari affectu, ac humilitate ſalutat, & Matrem, filiumque gaudio replet, atque admiratione. *Ex Specimine Panegyricorum Tomo 2. pro die Viſitationis.*

Regulas a nobis ſervandas in Viſitationibus nos docet Maria in hac Viſitatione.

Virginis Exemplum nos docet regulam, quam primum in obeundis Viſitationibus ſervare debemus; neque ſecunda minus connotata eſt, videlicet tantum temporis duntaxat in illis impendendum, quantum opus eſt. Hinc illa dicitur feſtinaſſe in Montana Judææ. Feſtinabat, ut reverteretur in ſolitudinem ſuam, centrum videlicet ſuum; & ſecundum hanc regulam corrigendæ ſunt omnes inutiles moræ viſitionum noſtrarum, in quibus plurimi meliorem vitæ ſuæ partem traducunt. Sed hoc malum eſt, quod plerique mortalium omni proprie carent occupatione; neſciunt quid agant domi ſuæ, nullam habent curam temporis ſui; neſciunt enim, qua ratione illud impendant, & temporis jactura ab illis fit, tam domi, quam foris. Sed homo Chriſtianus, qui uti debet tempore ſuo, ejuſque pretium novit, in viſitationibus tantum duntaxat temporis inſumere debet, quantum neceſſe eſt. *Ex Speciminibus Ethicorum.*

In Viſitationis Myſterio duæ Viſitationes diſtinguendæ ſunt.

In dici hujus Myſterio duæ conſiderandæ ſunt Viſitationes, S. Ambroſius ait. Viſitatio JESU ad Joannem, & Viſitatio Mariæ ad Eliſabeth. S. Joannes indigebat JESU, & Eliſabeth Mariæ. Sed quomodo nam pueri duo, uterque in Matris ſuæ utero concluſi ſibi occurrere poſſunt? & quomodo duæ Mulieres ventrem ferentes ab invicem inacceſſis prope itineribus ſejunctæ in anni parte incommoda ſe ſe viciſſim convenire poſſunt? Hoc noſtis Fideles JESUS CHRISTUS ſecreto mentem inſpirat Mariæ viſitandi Eliſabeth; novæ dignitatis Magnitudo, longitudo, ac itineris labor illam ne momento quidem morantur; pretioſum onus, quod geſtare incipit, illam ſolatur, S. Auguſtinus inquit, non gravat. Suffulta ſecreto hoc gratiæ motu, quo ducitur, omnes ſuperat obices, tandem pervenit, quo cupit, & præſentia JESU facit, ut S. Joannes in Matris ſuæ utero exultet. Lætitia, humilitas, grati animi ſenſus divinitus elucet in admirabili Cantico, quo Maria reſpondet benedictionibus Eliſabeth. Quot Myſteria, quot documenta in hac Evangelica narratione continentur! *Abbas du Jarry. Sermone hujus argumenti.*

Mirabilia, quæ acciderunt in congreſſu hoc Mariæ, & Eliſabeth.

S. Ambroſius admiratione capitur conſiderans celeberrimam hanc Viſitationem tot Myſteriis, prophetiis, prodigiis connotatam. Sanctus hic Præſul oſtentare videtur omnia eloquentiæ ſuæ argumenta, deſcripturus nobis ea, quæ contigerunt in illuſtrium duorum parentum congreſſu, quorum altera paritura eſt Maximum præ filiis hominum, altera vero Deum pro omnium ſalute hominum factum. Eliſabeth, hic Pater ait, audit primam Mariæ vocem; ſed Joannes ſentit gratiam JESU CHRISTI; illa gaudet Viſitatione SS. Virginis; hic autem Viſitatione Domini noſtri. Matres extrinſecus prædicant gratiæ Miracula, & pueri duo ſentiunt, vel producunt operationes gratiarum. JESUS CHRISTUS replet S. Joannem gratia inhærente miniſterio Præcurſoris, & S. Joannes prævertit officium ſuum modo admirabili. Eliſabeth, & Maria intus animatæ Spiritu filiorum ſuorum oracula, & prophetias ſimul colloquentes effundunt. *Idem.*

Maria in hoc Myſterio oſtendit ſe eſſe diſtributricem gratiarum Filii ſui.

Cur cogitas eo momento, quo Virgo Deo plena facta eſt, afflari Spiritu ſancto, ut domo egreſſa feſtinet viſitatura Eliſabeth Cognatam ſuam? ſi putas hoc factum ex mero urbanitatis officio; næ tu quidem humiles abjectoſque ſenſus foves. Hac in occaſione voluit Deus, authentico teſtimonio profiteri, ſe nolle amplius hominibus largiri gratias niſi per hujus Virginis Interceſſionem in qua videtur concluſiſſe fontem gratiarum omnium; & Maria in præſtantiſſimum iſtud Conſilium conſpirans gradum properavit Eliſabeth domum ventura. Eliſabeth Mater Sancti Joannis eſt per naturam, Maria vero per gratiam: huic enim largitur gratiæ vitam eo ferme pacto, quo illam tradidit Filio Dei ſecundum carnem. Dat vitam JESU recipiens Spiritum ſanctum, dat Vitam JESU per verbum: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum;* & alio verbo vitam impertit S. Joanni: *Ut facta eſt vox ſalutationis tuæ,* & quemadmodum gratiæ Dei duos tantum habent effectus, convertendi peccatores, & juſtos perficiendi; Joannes peccator eſt, & Eliſabeth juſta. Hinc liquet ex eo tempore in hoc glorioſo munere Mariam gratiarum omnium Dominam extitiſſe. *Auctor recens.*

Exprobrabit aliquando Deus inutiles hominum viſitationes.

Si noſtratum viſitationum finis ſanctus eſſe debet, quid dicendum, vel faciendum vobis erit, Fideles, cum vobis improperaverit Deus tot inanes, periculoſas, & noxias viſitationes, quas obiiſtis, ut indulgeretis inconditis cupiditatibus veſtris, tot repulſas, quas paſſi eſtis, ut viam vobis faceretis in eas domos, in quas ſexcenti obices aditum vobis intercludebant; tot artes, quibus uſi eſtis, ut per confertam, ac importunam turbam, qua principum virorum limina vobis obſtructa erant, vobis pateret acceſſus; Noſocomia, & Xenodochia, vobis dicetur, patebant omnia. Illic vos expectabam in perſona pauperum ope veſtra indigentium; ego vero hoc memoriæ veſtræ teſtimonium iis præmiis cumulaſſem, quæ majorem vobis conſolationem peperiſſent, quam ſuaviſſima quælibet Mundi hujus ſolatia. Sed ne pedem quidem movere dignati eſtis, ut me quæreretis. Quid ipſi reſpondebitis æquiſſimis hujuſmodi objurgationibus? Quo confugiet peccator, cum Deus nequaquam intra has exprobrationes ſe continens, efficiet, ut ille cognoſcat, ſentiat, ac intelligat totum pondus, magnitudinem, & nequitiam ſuæ immiſericordiæ? *Idem.*

Modus, quo S. Virgo, & S. Eliſabeth colloquuntur, & quam longe earum converſatio diſtet a ſæcularium converſatione.

Noſtis, Chriſtiani, quem admirabilem effectum Incarnati Verbi præſentia produxerit in hoc admirabili puero, qui futurus erat ejus Præcurſor: quomodo anima ejus divinitus illuſtrata in anteceſſum obire cœpit munera adeo auguſti Miniſterii, quomodo acutus gratiæ radius repente a Filio ad Matrem pertranſiens, fecit, ut illa magna penetraret Myſteria, quæ Spiritus ſanctus operatus fuerat in Maria, ita ut repente afflata gratia protulerit divina verba illa, quæ elegit Eccleſia ad perficiendum Mariæ elogium, quod Gabriel Angelus cœperat, & quæ in compendio continent omnia incomparabilis hujus Virginis Magnalia: *Benedicta tu inter Mulieres, & benedictus fructus Ventris tui.* Verum ne putetis converſationem earum fuiſſe aliquod miſerum ludum, atque adulationum commercium adeo uſitatum in Mundi hujus viſitationibus, & utramque ſimul ſuperbiendi locum aucupantes ex magnis Myſteriis ad quorum complementum electæ fuerant a Deo, ſecreto, & viciſſim ſibi plaudere; etenim videntur e contra ſecum certare, utra ſe ſe magis humiliet. Altera enim ſe indignam fatetur, quæ a Deipara viſitetur, altera vero nihil invenit in ſe niſi nihilum ſuum, quod potuerit attrahere Verbum in ſinum ſuum. Earum colloquium non aliud eſt niſi gratiarum, atque virtutum communicatio, quarum repletæ ſunt: & Maria quantumvis ſupra Eliſabeth exaltata ſit, non aliam præ illa habere vult prærogativam, niſi majoris humilitatis, atque modeſtiæ. Quam longe diſtat ratio noſtratum viſitationum & converſationum? *Idem.*

Viſitationes, & periculoſæ Converſationes fieri vituperari non poſſunt.

Hinc arguamus omnes has viſitationes, quæ ultro citroque fiunt, ut tempus teratur, ludendo, obtrectando, & cor ſuum corrumpendo, modo blandis, ac fallentibus laudibus, quibus ſibi mutuo ſcabunt homines, & modo quædam venenata conſtituendo placita, quæ eo ſpectant, ut ſuas roborent cupiditates, & dæmonis regnum confirment. Etenim nonne verum eſt, neminem ex hujuſmodi ſocietatum, & converſationum genere egredi; niſi pleniorem ſpiritu ſæculi, & magis vacuum Spiritu Dei? Si ibi caritas adeo modicam habet partem; humilitas profecto minorem habet. Quod liquet ex mutuis laudibus, quæ alternatim deferuntur, & quæ vafre, callideque captantur. *Abbas de Monmorel.*

Quomodo ſequi debemus S. Virginis exemplum, cum laudamur.

Laus, ſeu vera illa ſit, ſeu falſa, tantam habet illecebram, ut ſi inveniuntur, qui ita modeſti ſint, ut illam minime quærant, nemo ferme ſit, qui non afficiatur illa, quæ ultro ſibi defertur, & quamvis nos aliquando fateamur indignos illa per erubeſcentiam, quæ in faciem prodit, anima noſtra, S. Hieronymus ait, intus gaudere delatis laudibus non ceſſat. Cum autem nihil melius cor noſtrum valeat corrumpere, quam ſecreta illa oblectatio, quam ex laude percipimus, ut noſmet præſervemus ab hac adeo generali contagione per diverticulum, quod prohibeat, ne illi vacemus, modo noſmet colligere debemus, ut agnoſcamus, cum in nobis nihil adſit præter infirmitatem, atque peccatum, laudes, quibus excipimur aptiores eſſe ad nobis verecundiam ciendam, quam ad inflandam ſuperbiam, & modo cum veræ ſunt, nobis ad S. Virginis exemplum Deo acceptas eſſe referendas, quandoquidem illi debemus ea omnia, quæ laudem promerentur. Tunc nobis per ſenſus perfectiſſimæ gratitudinis exclamandum eſt; *Magnificat anima mea Dominum & exultavit Spiritus meus in Deo Salutari meo.* Omnia Deo accepta referre, quia omnia a Deo proficiſcuntur, & in uno illo gaudere, & conquieſcere; quia omnia ad illum debent reverti; hæc ea ſunt documenta quæ haurire debemus ex verbis Cantici Virginis Mariæ. *Idem.*

Quomodo ſanctam Virginem imitari poſſumus in inviſendis pauperibus, & eis, qui noſtro egent auxilio.

Exemplum S. Virginis Cognatam ſuam inviſentis, ut illi præſtet opem, excitare nos debet ad inquirendas, & viſitandas perſonas noſtro ſubſidio indigentes; etenim nonne plurimi ſunt ſimiles paralytico illi

Evangelico, qui plurimos annoa languent ſub malorum ſuorum pondere, cum per ſe nequeant invenire ſolatium, neminem habent, qui hoc illis procuret: *Hominem non habeo*. Quot honeſtæ familiæ ad incitas redactæ, quæ artes ignorant, unde eleemoſynas ſibi comparent, vel quibus rubor uti vetat? Quot viduæ oppreſſæ diluunt panem ſuum lacrymis, & vident modicum illud bonum, quod illis reliquum eſt, prædam fieri avaritiæ, & ambitionis, quia carent conſilio, quo regantur, vel præſidio, quo ſuſtineantur? Quot ægrotantes abditi in latebris, ubi illos ſua infirmitas detinet, ne triſte quidem habere poſſunt ſolatium fidelium miſericordiam excitandi ſuorum malorum adſpectu, quæ ignorantur, & qui in eo deplorabili ſtatu ad quem redacti ſunt nullam invenire poſſunt opem niſi piorum hominum viſitationibus foveantur? At enim inquies, non novi hos miſeros, de quibus loqueris; ſed illos non cognoſcere tua culpa eſt; hoc oſtendit oblivionem, & duritiem animi tui, quoniam tantum abeſt quod illos viſites, eiſque opituleris, ut etiam eos quærere negligas. Tandem enim quocumque in loco ſis, ne dubites deeſſe miſeros, ægrotantes, oppreſſos, vel egenos; & hæc generalis cognitio tibi ſufficere debet, ut tenearis cognoſcere eorum neceſſitates, & pœnas, ut quantum fieri per te poteſt, opituleris. Si verum eſſes Eccleſiæ membrum, miſereri deberes pœnarum membrorum aliorum, quæ afflicta ſunt, audires ex imis carcerum latebris murmura, atque blaſphemias miſerorum, execrantium vitam, quam defectus caritatis tuæ efficit illis deteriorem morte, quæ imminet ſibi. Moverent te clamores, & gemitus filiorum panem petentium a Matre deſolata non habente, unde illorum neceſſitati opem ferat: Sed modica veſtra caritas vobis aures obſtruit, & quin miſereamini eorum quæ flectere deberent animos veſtros, illos avocatis ſedulo ab omni ſenſu pietatis. *Ex ſpecimine Panegyricorum pro die Viſitationis. Tomo* 2.

Effectus & fructus Visitationis B. Virginis in S. Joannis Baptistæ Justificatione.

Quemadmodum Mariæ ſinus repletus fuit Virtute Spiritus ſancti, ut produceret Filium Dei Unigenitum, qui Primogenitus eſt in multis fratribus: ita cor Incomparabilis Matris hujus eodem Spiritu repletum fuit, ut gratiæ omnes Dei Filios producerent. S. Joannes fuit primogenitus Mariæ filius in hoc ordine generationis; communicavit illi primitias ſpiritus gratiæ quo fuerat repleta, & peccatorum in Sanctorum omnium maximum convertit. Ille adhuc ſepultus erat in communi corruptionis maſſa, ex qua omnes homines educti ſunt; nihil illum ſecernebat adhuc a cæteris filiis Adam prævaricatoris, & cum aliis hominibus dicere poterat, ſe mortem nactum fuiſſe in eodem ſinu, in quo vitam invenerat: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea*. Sed ubi Maria ſalutavit Eliſabeth, & ejus vox in hujus aures inſonuit, eo momento Joannes Baptiſta ſentiens gratiæ impreſſionem, exultat admirabili gaudio; non eſt amplius peccator in naturæ chaos implicitus, ut ibi pœnas luat peccati primi hominis: Sanctus eſt, qui in antecellum guſtat beatificam lætitiam, quam Maria illi communicat per felicem hanc Viſitationem, quam afflante Spiritu ſancto peragit; non eſt ultra miſer captivus, qui ſqualleat in ſervitute peccati, liber eſt, in libertatem vocatus, qui fruitur libertatem Filiorum Dei. *Ibid. in tertio argumento*.

Psalm 50.

Sublimes Dei ſenſus quos nobis inſinuat Canticum Virginis.

Dum Mundi Salvator Præcurſorem ſuum ſanctificabat per gratiarum affluentiam, quas in animam illius effundebat, Maria ædificabat Zachariæ familiam magnis ſenſibus pietatis, & religionis, quos illi inſpirabat. Revocari ne poſſunt ea, quæ illa dicit in Cantico ſuo, quin repleamur obſequio erga ſupremam Dei Majeſtatem; Concipi ne poteſt idea ſublimior poteſtatis ejus, quæ fecit potentiam in brachio ſuo, & diſperſit ſuperbos mente cordis ſui; quæ depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles; quæ ſuſcepit humilem paſtorem de caligine tugurii ſui, ut in Superbi Regis Solium exaltaret? Quid cogitari poteſt majus, aut dignius infinita illius Miſericordia, quæ a progenie in progenies ſe effudit timentibus Sanctum Nomen ejus? Sperari ne poteſt vividior, & acrior grati animi ſenſus erga Creatorem, qui eſurientes implet bonis, & divites dimittit inanes; qui ſuſcipit Iſrael puerum ſuum recordatus Miſericordiæ ſuæ, ſicuti locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula? O quam ſublimes concipit ſenſus anima Deo plena! O quantam percipit lætitiam Deus videns ſe lingua adeo pura, qualis hæc eſt, celebrari? *Auctor recens*.

Profectus quos præstat Visitatio Mariæ S. Elisabeth.

Verum inquies, quæ bona Beatæ Virginis Viſitatio S. Eliſabeth attulit? Hæc S. Lucas oſtendit, cum ait, Eliſabeth fuiſſe repletam Spiritu ſancto. Illa jam poſſidebat S. hunc Spiritum per gratiam ſanctificantem, & caritatem habitualem, quæ illam juſtam reddebat coram Deo; ſed poſſedit illam longe perfectiori modo per donorum illius plenitudinem, per fidem majorem, magiſque illuminatam, per cognitionem magis diſtinctam ad Salvatoris acceſſum, cujus amore ſe magis inflammari ſenſit; per vividiorem impreſſionem luminis; & caritatis quam fecit in mente, & corde ejus præſentia Dei, qui illam ſuis viſitationibus dignabatur; per Conſilium ſtabilius initum, ne in minima qualibet re illi diſplicendi: per metum, & obſequium, per ferventiorem pietatem, per incrementum pacis, & lætitiæ, quæ ſe ſe in omnes animæ ipſius facultates effudit. Denique per fidelem, beatamque in Virtute perſeverantiam; quia hæc ſunt dona Spiritus ſancti, quibus Zacharias, & Eliſabeth repleti fuerunt. *In Elogiis Hiſtoricis*.

Iter Sanctæ Virginis per Judææ montes susceptum ut ferret opem Cognatæ, indigitat nobis, quo fervore cœlestes actus aggrediendi sunt, ut omnes difficultates superemus.

Dicere poſſumus Sanctam Virginem per iter feſtinanter ſuſceptum per Montana Judææ nobis repræſentare animam repletam Deo, quæ alas, ut ita dicam, habeat, ut volet in Dei viis, & ſuperet omnes difficultates, quæ occurrunt. Verum eſt enim heroicarum virtutum exercitia montes eſſe, qui horrentes quidem videntur ignavis animabus, quæ obrutæ ſunt pondere naturæ, quo terram verſus trahuntur, magis quam attollantur Dei Spiritu in Cælum. Ægre has difficultates ſuperamus, & fatendum eſt, ardentiores cupiditates mortificare, & teneris affectibus abrenuntiare, difficilius eſſe, quam altiſſima juga montium ſuperare. Fateor equidem cæcam exercere obedientiam, & proprium judicium abnegare, ut alterius ſententiam amplectamur, arduum eſſe corruptæ naturæ, humiliationem amare, contemni velle, crucem amplecti ad imitationem JEUS CHRISTI patientia, atque contempti, inacceſſibilem montem videri. Quis negare poteſt, auſteræ pœnitentiæ praxibus inhærere, ſenſibus durum minime videri, & viam hanc eſſe difficilem, quot enim videntur ex illis ipſis, quos prævenit Deus uberiori gratiarum copia, qui deficiunt in via, & quibus animus deeſt. Sed ubi Dei Spiritus animæ poſſeſſionem ingreſſus eſt, illam attollit ſuper ſe ipſam, nihil illam moratur, non infirmitas naturæ, non virtutis difficultas, non objecta externa, omnia ſuperat, & nihil illam deterret, quia omnia illa plana, ac ſtrata videntur: *Erunt prava in directa, & aſpera in vias planas*. Anima Dei Spiritu afflata, ubi difficultates intuita eſt, illa jam ſuperavit. *Pater de Argentano in Collatione pro die Viſitationis Beatæ Virginis*. Luc. 3.

Sensus Sanctæ Elisabeth recipientis Visitationem Mariæ.

Ex verbis, quæ Sancta profert Eliſabeth, conjicite, quomodo motus Spiritus divini illam rapiant extra ſe. Non utitur niſi exclamationibus, & admirationibus: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Unde hæc mihi tanta felicitas, ut videam Matrem Dei, quem adoro, venientem ad me? Ego Mater ſum famuli, & ecce Mater Supremi univerſorum Monarchæ ad me viſitandam accedit? Caritas incomparabilis! Profunda humilitas Mariæ Matris filii Dei, quæ tanta utitur dignatione erga indignam famulam ſuam! Domus millies beata, quæ recepit adeo pretioſa Cæli munera per primam Viſitationem, quam fecit Salvator mundi in terris, & per Sanctæ Virginis medium. *Unde hoc mihi?* o adorabilis providentia! quæ mihi perfectam parit felicitatem. Intellexi quidem unam ex optimis illius diſpoſitionibus quæ illam præparavit ad recipiendum hunc gratiarum cumulum, fuiſſe longam, ac diuturnam ſex menſium ſolitudinem, in quam ſe ſe receperat, ut mundo lateret, quod Evangelium non ſine peculiari conſilio nos docuit. *Occultabat ſe menſibus ſex*. Si hæc Sancta Mulier ſæculi negotiis fuiſſet implicita, niſi inventa fuiſſet domi ſuæ, cum Dei Filius in utero Matris ſuæ convenit eam, fortaſſe illa omnibus hujuſmodi favoribus caruiſſet, ſed affluenter illis cumulata fuit, quia Deus invenit eam in ſolitudine. Felix anima, quæ amat receſſum, & mundi rumorem ac tumultum perhorreſcit. Ibi illam viſitat Deus, ibi Deo fruitur. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*. Luc. 1. Osee 2.

Per J. C. motum Maria visitat Cognatam suam Sanctam Elisabeth.

Quamcumque partem habuiſſe videatur in hoc Myſterio Maria, atque in diſpenſatione gratiarum, quibus cumulat domum Eliſabeth, fateamur tamen neceſſe eſt, agentem Superiorem, cujus vi illa movetur, primam earum cauſſam fuiſſe. Tibi igitur, divine Salvator debemus omnia; tibi qui dignatus es viſitare creaturam tuam, eamque tua præſentia honorare. Maria te geſtat, ſed tu illam moves, & ſi illa feſtinat optatiſſimam Cognatam inviſere, non ſequitur niſi illecebras gratiæ tuæ, neque agit, niſi per ſecretam Virtutem impulſus divini Spiritus tui. Es, Domine, licet incluſus in viſceribus Sanctiſſimæ Matris tuæ id quod fuit Angelus Tobiæ in regione Medorum, ut duceres illam per montana Judææ, & ut illam in Nazareth reduceres. Erga illam eodem officio fungeris, quo ignis, & nubis columna fungebatur apud Iſraelitas, ut illis oſtenderes vias, per quas erat ambulandum, ut omnia noctu, & interdiu pericula amoveres. Tu, Domine, illius lumen es, dux, Raphal, Moyſes, protector, fortitudo: per motum ſuum feſtinat, pericula evitat, difficultates ſuperat, & labores itineris, qui alteri cuipiam inſuperabiles viſi fuiſſent, præter Mariam, tuo amore ſuccenſam. *Ex Elogiis hiſtoricis tomo* 2.

J. C. nos visitat, quemadmodum Maria visitavit Sanctum Joannem in utero Sanctæ Elisabeth.

Cogitate, Fratres mei, omnes inceſſus Mariæ apud Cognatam Eliſabeth non aliud objectum habuiſſe, niſi humani generis redemptionem, Maria ſequebatur adorabilis Filii Conſilia; ut nos, & ut Sanctum Præcurſorem ſanctificaret, defert JESUM CHRISTUM Filium ſuum in hanc domum. Jam nos quærebas, Domine, quaſi tibi eſſemus neceſſarii, quaſi mereremur Viſitationem tuam, quam in Sancti Joannis perſona recepimus: *Viſitavit nos oriens ex alto*. Hoc bonitatis, atque Indulgentiæ Myſterium admirabatur David, cum Luc. 1.

futura proſpiciens ſæcula, & vidans te ingredientem in Zachariæ domum, prophetico afflatus Spiritu, quo illum replevaras, exclamat: *Quid eſt homo quod memor es ejus: aut Filius hominis, quia viſitas eum?* Myſterium, quod ille prædixerat, quin illud comprehendere poſſet; tanta eſt Creatoris a creatura diſtantia, Myſterium hoc inquam hodie adimpletum eſt; Deus inclinavit Cælos, ut ad nos uſque deſcenderet, & æneæ portæ apertæ ſunt, ut ſalutem nationibus daret. Myſterium hoc duxit initium a vobis, Zacharias, & Eliſabeth. Vos recepiſtis primos radios Solis hujus Juſtitiæ; ſed nonne ipſi etiam hodierna die eamdem poſſidere poſſumus felicitatem? JESUS CHRISTUS peccatorem ſanctificat in Eliſabeth domo; perficit Virtutes duarum animarum quæ jam Sanctæ erant: Nonne hoc ipſum facit quotidie per infuſionem gratiæ ſuæ, & Spiritus ſui impreſſionem: Nonne igitur cum Zacharia cum grati animi ſenſu exclamare debemus; *Viſitavit nos oriens ex alto. Sermo Manuſcriptus.*

S. Joannes eſt primitiæ miſſionis JESU CHRISTI in terris.

Felix puer, qui cæleſtibus benedictionibus præventus, & acceſſu Dei Salvatoris ſanctificatus eſt. Felix Præcurſor qui videt lumen gratiæ antequam diei lumen videat, & in cujus favorem Redemptor Deus peccatum oppugnare feſtinat, & Patri ſuo offerre primitias naturæ ſanctificatæ, ac innocentis. Præcepiſti olim populo tuo, Domine, ut ubi in promiſſam terram ingrederetur, offerret tibi primitias terræ illius, & arma caperet, ut inimicos tuos expugnaret. Hodierna die Verbum Incarnatum hoc munus adimplet; ingreditur in novam hanc terram, quæ Mariæ uterus eſt, pugnat cum inimicis tuis, & pro primis fructibus miſſionis ſuæ offert tibi puerum quem in Matris ſuæ utero ſanctificat? Quid non faciet pro ſalute noſtra in aliis ſuæ Vitæ Myſteriis in Nativitate, in Circumciſione, in laboribus, in prædicatione ſua, quandoquidem ex ipſo momento, quo conceptus fuit, præbet tanta ſpecimina Virtutis gratiæ ſuæ. Domine, quam propitiæ nobis eſſent Viſitationes tuæ, ſi diligenter earum obſervaremus tempora, iiſque præclare uteremur. Olim trepidabamus, cum accederes ad nos, modo vero non intelligimus noſtram felicitatem, cum ad nos acceſſiſti. Olim dicebamus; vidimus Dominum, moriemur; Nunc autem in ſenſu prorſus oppoſito dicimus: Dominus ſe cum natura noſtra conjunxit, & Sol gratiæ nobis primis ſuis illuxit fulgoribus; nequaquam moriemur. Antea dicebamus; loquatur nobis Moyſes, non Dominus, modo vero cum Samuele dicimus. Loquere Domine, audit enim ſervus tuus. *Idem.*

JESUS CHRISTUS quærit nos per Mariæ miniſterium.

Venit hora, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent. S. Joannes expertus eſt hoc oraculum. Fac Domine, ut & nos illud ſentiamus. Captivi ſumus, libera nos: cæci ſumus, nos illumina; ſumus peccatores, ſanctifica nos; infirmi, nos cura, paralytici, & ſine motu, vitam, motumque nobis redde. Hujuſmodi ſunt effectus propitii Viſitationis Mariæ, & JESU CHRISTI; Pro nobis ſuperat non quidem Montes Judææ, ſed magnum illud chaos, quod inter ipſum, & nos intercedit; inter miſerias noſtras, ſuam felicitatem, inter egeſtatem noſtram, & illius plenitudinem, inter peccata noſtra, & infinitam illius Sanctitatem. Pro nobis feſtinat ipſius miſericordia noſtras catenas infringere; diſſolvere vincula noſtra, excutere jugum ſervitutis noſtræ, reddere ſalutem, & libertatem filiorum ſuorum, cujus jacturam feceramus. Facis hodierna die multo majora, quam quæ pollicitus es in Evangelio ſub Prodigi filii parabola. Ille graditur ut Patrem ſuum conveniat; ſed hodie tu ipſa nos viſitas. Alius quilibet præter te Domine, nequaquam oblitus fuiſſet inobedientiæ noſtræ; ſed tu oblitus, & quid ipſi ſumus, & quid ipſa es, Magnitudinis quidem tuæ, noſtræ vero infirmitatis, nos omnes prævenis; Maria eſt Mediatrix pro nobis; illa nobis motum tribuit, quem a te recipit, ut ad nos inquirendos acceleret; ſi te poſſidemus, per illam te poſſidemus; illa te nobis impertit. Nunc intelligo illa Eccleſiæ verba, quæ nobis filiis ſuis adeo plena ſunt conſolatione, & Matri noſtræ glorioſa: *& JESUM poſt hoc exilium nobis oſtende:* quandoquidem in tua ſitum eſt poteſtate, illum nobis largiri. *Idem.*

Exinanitio J. C. in hoc Myſterio.

Adoremus Dominum, Fratres, in primo hoc Myſterio quod operatus eſt ſuper terram poſt ſuam in noſtra carne exinanitionem. Myſterium ſecretum, & abſconditum, ubi per alteram exinanitionem abſcondit divinam operationem ſuam ſub ſpecie actionis prorſus humanæ, qualis eſt viſitatio, quæ officioſa duntaxat videtur. Dei de animabus Conſilia ſub integumento ſimplicis Viſitationis, & inſigniores gratiæ divinæ bonitatis in cor pueri poſt ſex menſes concepti, ſunt objectum, quod hodierna die revereri debemus. O Deus exinanite! Viæ tuæ quam diſtant a viis hominum! Non deſunt, qui ab incunabulis ſuis terræ univerſæ terrorem incutiant, cum adhuc fere nihilum ſint, & tantum rumorem ſui cieant eorum facta quamvis adhuc puerilia, ut Perſona, Vita, & operatio Dei pueri maneant quaſi ad nihilum redacta, cum nemo ferme cognoverit tunc verbum abſconditum in carne, Vita divina tamquam ſepulta in infantia, & omnipotens illius operatio involuta velamine actionum communium cum femina. Sed tu Virgo ſancta es illa femina, quæ licet infirma geſtas in utero tuo Virtutem Dei, qui eſt fortitudo noſtra, & quæ contines Solem Juſtitiæ, orientem: ut tenebras noſtras illuminet. Sinus tuus eſt Cæli inſtar; & per te, Mater Dei, Sol jacit primum radium ſuum in puerum, quippe ille tuo uſus miniſterio Joannem quærit, dum ipſa quæris Cognatam tuam Eliſabeth; & illum quærit, ut in eum primos ſuæ Incarnationis influxus effundat: *Auctor recens.*

Quid JESUS CHRISTUS operetur in Sancto Joanne per Mariam.

Quid JESUS CHRISTUS in hoc Myſterio operatur, in gratiam S. Joannis? Pro illo primum operatur inviſibilium miraculorum ſuorum; tribuit illi primum uſum vitæ hujus divinæ, quam omnibus hominibus eſt communicaturus; eum participem facit primæ effuſionis Spiritus ſui; exercet erga illum pro vice prima Salvatoris officium, eumque facit primum Chriſtianum, & maximum omnium Sanctorum; tradit illi miſſionem, illum conſecrat ſibi in Præcurſorem; ei gratiam confert ad Miniſterium hoc exercendum, ungit tamquam Prophetam, & pluſquam Prophetam; format illum tamquam vocem ſuam, quæ perſonatura eſt ſecus oras Jordanis; pingit in illo primam imaginem ſuæ humilitatis, pœnitentiæ, zeli, fortitudinis, quæ aliquando ipſum effectura eſt Martyrem Veritatis. O Virgo Sancta, dignum Incarnati Verbi inſtrumentum, prima Spiritus ejuſdem cooperatrix, prima in ſocietatem operum gratiæ ſuæ adlecta; colo te, ac veneror in te partem, quam tibi conferre dignatur in intimis operationibus ſuis, quæ maxime ſecretæ ſunt, & propriæ ſtatus ſuæ annihilationis. Homo ideo factus eſt, ut effundat in te Spiritum ſuum, & ſicuti per te factus eſt homo, ita per te facere voluit primam hujus Spiritus effuſionem. Effuſio, per quam nobis oſtendit quomodo operetur in cordibus noſtris per gratiam ſuam, cujus tu Virgo Sancta eſſe debes rivus, & medium. *Idem.*

Oratio ad ſanctam Virginem ut nobis participet gratiam, quam procuravit S. Joanni, & domui Zachariæ.

Quid mihi cogitandum eſt videnti Mariam tot gratias S. Joanni communicantem. Nonne hæc naturalis eſt imago gratiæ illius, quam Deus mihi per illius Miniſterium largiri cupit? Oſtendiſti, Virgo Sancta, te Matrem eſſe S. Joannis Baptiſtæ, gerens ad illum vitam, ut ex mortis ſtatu illum educeres; Oſtende quoque te Matrem noſtram eſſe, obtinendo nobis ut S. Joanni gratiam, per quam ſimus Filii Dei, Fratres filii tui, ſemper acti, ducti, & ſanctificati Spiritu tuo; & ſicuti temet contuliſti domum Eliſabeth Cognatæ tuæ, ut illi communicares gratiam, quam receperas, atque ut effunderes in cor illius primos influxus Verbi hominis facti, quem tuo geſtabas utero; nobis quoque præſta, ut communicemus alacriter, cum amore, ac voluptate cæleſtia dona, quæ nobis apud Filium tuum promeruiſti. Grati animi ſenſu plena hæc in Auctorem conjeciſti, laudibus extollens benefactorem tuum; & Spiritus ſanctus ingeſſit in os tuum divinum illud Canticum, cujus verba ſingula totidem ſunt gratiarum actiones; quoniam ibi loqueris tantum de Miſericordiis Domini, de ineffabilibus operibus gratiæ ſuæ, de Omnipotentis intuitu erga humilem ancillam ſuam, de rebus magnis, quæ ille operatus eſt in te! Concede, quæſumus, ut illum agnoſcamus auctorem donorum omnium, quæ nobis communicat. *Sermo Manuſcriptus.*

Mariæ Viſitatio noſtrarum regula eſt, vel condemnatio.

Quomodo Maria ſuas Viſitationes ſanctificat? edoceri adnitamur; ipſa noſtrum exemplar eſt, opus eſt, ut illi conformes videamur: ſi ſumus ex numero famulorum illius; vel ſi illi ſumus oppoſiti, illa nos inter inimicos rejiciat: digni illius clientela, ſi eidem ſimiles fuerimus; vel ab ea reprobandi, niſi ex divinis ejuſdem exemplis profecerimus. Spiritus Mundi, curioſitas, vanitas nullam habent partem in viis ejus. Non proficiſcitur Cognatam Eliſabeth inviſura, niſi per Spiritum Dei; geſtat ſecum JESUM CHRISTUM in utero, in corde, & in ore ſuo, quocumque effundit odorem ſuum & quin extinguat, vel imminuat gratias in animabus, quod plerumque uſuvenit in viſitationibus, & per viſitationes ubi hoc reſpiratur, neque inſpiratur, niſi diſſipatio, vanitas, & corruptio Mundi; ipſa inſtrumentum eſt gratiæ, & benedictionis pro illis, quos viſitat. Cum illa ſit plena JESU CHRISTO, non fert niſi JESUM CHRISTUM, non loquitur niſi de JESU CHRISTO, non communicat, niſi Spiritum JESU CHRISTI, & inde revertitur repletior Spiritu JESU CHRISTI quam venerit, quia ipſa alios eodem Spiritu replevit. Maria igitur nos docet ſequi regulas S. Pauli, ne in colloquiis noſtris proponamus objecta niſi digna Deo, & Majeſtate Religionis, niſi quidquid caſtum, & pudicum eſt; quod aptiſſimum eſt ad ciendum amorem Dei, & proximi, hoc ſit ſermonum tuorum argumentum, dicit Apoſtolus. *Sermo Manuſcriptus.*

Humilitas Mariæ in Viſitatione Eliſabeth.

Maria ſalutavit Eliſabeth, S. Ambroſius inquit, ut illi præſtaret obſequia, quippe quæ junior erat, ſeniori, Nova Matris Dei dignitas, ad quam erat

ſublata, nullam illi ſuperbiam immiſerat: e contra humilior erat, nam, ut illa ipſa de ſe ait, ut Deus faceret ſibi magna, qui potens eſt, reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Non cogitavit illa Magnitudinem ſuam, ut inde intumeſceret, ſed ſuo ſtuduit officio, ut eſſet fidelis. Audit Cognatam ventrem ferre, & ſe teneri putat ad illam inviſendam, ut ſecum gratuletur, eique ſuam præſtet opellam. Cogitat ille tantum munus obire ſuum & neſcit quantus futurus ſit fructus Viſitationis cum adeo pura, humilique caritate peractæ. Joannes Baptiſta hoc primus ſenſit, qui eaultavit præ gaudio, quod non aliunde niſi a divino ſpiritu proficiſcebatur. Sanctus hic communicavit Matri ſpiritum, quo repletus erat. Ita ad Mariæ vocem Eliſabeth, & Filius ſuus gratia repleti ſunt; prophetarunt uterque, Mater quidem voce ſua, filius autem motu Corporis ſui. Jam fungitur Præcurſoris officio, ad quod erat deſtinatus; debebat hominibus oſtendere Agnum Dei; eumque in anteceſſum oſtendit Eliſabeth. Hoc pacto JESUS CHRISTUS infans jam præparat Miniſtros ſuos, & hæc operaturus miracula una tantum utitur Viſitatione. *Auctor recens.*

Viſitationum noſtrarum vitia, & perfectio Viſitationis Mariæ.

Felices Viſitationes, ubi hoc pacto fertur JESUS CHRISTUS ad eos, qui viſitantur, quorum colloquia dictantur a Spiritu ſancto, in quibus nemo ſtudet ſe ipſum laudibus extollere, neque laudes alienas captare, ſed Deo acceptam referre omnem gloriam, quæ illi debetur. Maria ſalutat Cognatam non officioſa urbanitate ſed ſanctæ humilitatis ſenſu, ſuo fungi gaudens officio. Eliſabeth & Maria colloquuntur non de nugis, ſed de Myſterio, quod Deus in terris erat operaturus. Non proſcindunt proximum venenatis obtrectationibus, neque ſe ſe mutuis, fictiſque laudibus eatollunt, ſed Eliſabeth laudat Mariæ fidem, & Maria Deo acceptas refert laudes, quibus cumulatur. In hujuſmodi Viſitationibus, quarum caritas anima eſt, & quas humilitas comitatur, ſeſe prodit JESUS CHRISTUS, Spiritus ſanctus ſeſe communicat, proaimus ædificatur, & Deus, qui honore afficitur, non ceſſat eos haurire fructus quos ne homines quidem ſperare auſi fuiſſent. Propheticæ Spiritus replet Eliſabeth; hinc illa cognovit & fidem, & conſenſum Mariæ per Verba, quæ dixit illi; *beata quia credidiſti*: ita illa cognovit præteritum, & præſens etiam, quod omnibus erat ignotum, cum dixit: *& unde hoc mihi, quod veniat Mater Domini mei ad me? Idem.*

Oratio ad JESUM CHRISTUM, ut nos viſitet, & ut in viſitationibus noſtris illum cognoſcendum aliis tradamus.

In Sancta hac Viſitatione nullam partem habuit ſuperbia: Maria enim, quæ non rejicit elogium, quo Cognata ſua fidem extollit, canit Deo Canticum illi acceptas referens laudes, quæ ſibi deferebantur. Maria ſibi non retinet nihil niſi humilem nihili ſui ſenſum, in id unum intenta, ut celebret Magnitudinem illius, qui in ipſa magna operatus eſt. Mariæ Canticum ipſum quoque admirabilis eſt Prophetia; in ea quippe portendit proximum complementum promiſſionum Domini, qui populo ſuo pollicitus erat ſe illi Salvatorem daturum. Domine, qui ex utero Matris tuæ per ſanctificationem Præcurſoris tui, magnum ordiris opus ſalutis noſtræ, viſita nos per gratiam tuam, fac, ut te cognoſcamus, & ſpiritum noſtrum illuſtrans cor inflamma: ut ſicut Sanctus Joannes adoravit te per motum Corporis ſui, nos omnibus vitæ noſtræ actionibus te veneremur. Sanctifica viſitationes noſtras, Deus meus, eſto illis præſens, eſto illarum principium, & finis, quemadmodum fuiſti Viſitationis Virginis Sanctæ. Fac, ut feramus te in illas, & in illis recipiamus ſpiritum tuum. Eſto argumentum ſermonum noſtrorum, & laudum noſtrarum objectum. Humilitas nos præſtare cogat illis, quos convenimus officia; caritas nos impellat ad opem, qua indigent, ferendam: Da nobis hanc fidem, quæ Mariam fecit Matrem tuam, & profundam, conſtantemque humilitatem, quæ effecit, ut ignoraret meritum ſuum, ſuam tantum infirmitatem, & Magnitudinem tuam inſpectura; fac, ut in oculis noſtris parvuli ſimus, magni duntaxat futuri in oculis tuis. *Idem.*

Diſcrimen inter Viſitationem Mariæ, & eas, quas mortalium plerique obire conſueverunt.

Glorioſa Virgo nequaquam imitatur pleroſque illorum, qui recenti aliqua dignitate nitentes, expectant ſe viſitari, & gratulationum officia ſibi præſtari, quæ eſt in hujuſmodi occaſionibus amicorum, & conſanguineorum conſuetudo, qui confluunt proſperum eventum aliquem gratulaturi. Maria longe aliter agit, & quin domi ſuæ gratulantes expectet, domo egreditur viſitatura Eliſabeth Cognatam ſuam, ſimulac Angelus nuntiavit illi, ipſam evectam fuiſſe ad celſiſſimam mundi dignitatem Matris Dei, ut nos doceret humilitatem, cujus eaemplum tradidit nobis in ſua Viſitatione. Si enim homines ultro citroque obeunt viſitationes, ut plurimum vanitas earum eſt cauſſa. Quid enim illic agitur; niſi propria quæritur laus? De negotiis ſuis ſermo inſtituitur; de ratione ac prudentia, propter quam beneverterint, de conſiliis, artibuſque in rebus gerendis, per quas negotioſi, officioſique viri fama captatur. Alienæ etiam nonnunquam admiſcentur laudes ad hominis honeſti auram quærendam; opportune loqui, ac reſpondere curas, ut in ſocietate elegans, & officioſus videaris. Quod ſi in glorioſæ Virginis Viſitatione fulget humilitas, non ideo minus caritas eniteſcit; e contra vero in plerisque viſitationibus caritas læditur. Quot diræ obtrectationes! quot aculeatæ irriſiones! quot alienorum actionum cenſuræ! Vel quænam ars minime adhibetur ad ſignificandum amorem, quo teneris, & cupiditatem, qua flagras? Quid ſibi vult ille vir adfectatis lenociniis, illecebriſque, nec non verſutis laudibus, & de induſtria pro rei opportunitate diſpoſitis, niſi ſuam perflare libidinem, ac ignem, quo uritur, in aliis accendere? *Auctor recens.*

MYSTE-

MYSTERIUM
PURIFICATIONIS SANCTÆ VIRGINIS.
MONITUM.

Satis liquet, multitudinem Mortalium, qui eodem ſpiritu ducti occurrerunt in Templum Jeruſalem, cum Maria Mater JESU illuc ſe contulit, ut ſe ſe purificaret, & efferret Filium ſuum Domino ſecundum Legem Moyſis, varias circumſtantias, quæ legalem hanc cæremoniam concomitata ſunt; Virtutes, quæ ea in occaſione a variis perſonis exercita fuerunt, & denique Veritatem rerum quæ ibi acciderunt, & quæ merito totidem appellari poſſunt Myſteria; ſatis liquet, inquam, hæc ſimul omnia olim Occurſus *nomen myſtice huic ſollemnitati feciſſe. Sed experentia docuit Concionatores, quanta ſit difficultatis hæc omnia facta in unum Sermonis corpus redigere.*

Diſcrimen [illegible]

Hinc Magna hæc hujus argumenti latitudo efficit, ut illud Sacri Oratores partiri teneantur, & alii unice de Matris Purificatione ſermonem inſtituant, alii in Præſentatione Filii eodem tempore facta Deo immorentur. Hæ profecto duæ ſunt leges a Moyſe diverſas ob cauſſas latæ, quibus JESUS, & Maria ſe ſe ſubmittere dignati ſunt. Verum cum Eccleſia una die ſimul duo hæc celebret Myſteria, Concionatores ſibi jus eſſe putarunt, alii quidem illa ſeparandi, alii ea ſimul conjungendi, ac inſerendi omnes circumſtantias, & alii leviter utraque perſtringendi, & immorandi in iis, quæ inde hauriri poſſunt, documentis. Ego vero, ſi ſententia mea aliquo habenda eſſet in pretio, hoc in argumento, non ſecus ac in ceteris, auctor eſſem, Eccleſiæ Conſilio eſſe inhærendum, quod eſt, loquendi de Mariæ Purificatione; quandoquidem ſub hoc titulo feſtivitas inſtituta eſt, tunc vero potiſſimum cum hoc argumentum locum præbeat Morali, quæ omnibus profutura eſt, & mundo univerſo neceſſaria. Quod tamen non prohibet quo minus afferam collectanea ad replendum argumentum, quod ſinguli elegerint, & ſibi tractandum propoſuerint.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus argumenti Synopſis.

I. *Poſtquam completi ſunt dies purgationis ejus ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Luc.* 2. Non injuria Eccleſia Græca diem hanc *Occurſuum* feſtivitatem appellat; ut enim vera dicam, difficillimum eſſet in alio Myſterio quopiam invenire majorem Caſuum numerum, vel magis admirabilium. Sed ne vos fatigem eorum recenſione, quæ in infinitum ſuccreſceret; nonne admirabilis eſt occurſus Purificationis Mariæ cum Salvatoris Præſentatione? in altera quippe harum cæremoniarum, omnia abjecta ſunt, & Mariam aliquo pudore ſuffundunt; in altera vero omnia conſpirant ad illius magnalia, merita, ac dignitatem celebrandam. 1. In Purificationis cæremonia Virginum puriſſima accipitur pro Muliere puerperii ſordibus maculata; Mater Dei pro Matre hominis, cujuſmodi reliquæ ſunt; creaturarum omnium ſanctiſſima pro perſona peccatis obnoxia; Cæli, terræque Regina pro egena, ac paupere femina, ne agnum quidem habente, quem offerat in Sacrificium. 2. Vice verſa Præſentatio JESU huic eidem Virgini eſt glorioſiſſima: non enim hoc facto reparavit ſolum cum fœnore honorem, cujus jacturam feciſſe videbatur, abrenuntians quodammodo divinis ſuis qualitatibus, verum etiam ad ejus gloriæ cumulum acceſſit, offerre Deo munus ipſo dignum: nova ſibi acquirere jura in Filium ſuum, illum redimendo, & ſollemniter declarari illius coadjutricem in opere ſalutis, & redemptionis hominum. O felicem Occurſum duplicis hujus cæremoniæ invicem ſibi appoſitæ! Nihil hodie poſſum ædificantius, nihil aptius ad permovendos animos veſtros, quam vobis proponere magnum ſimul humiliationis, gloriæque Myſterium Matris Dei; ideoque hoc erit argumentum Sermonis in duo puncta partiti.

1. Maria in Purificatione ſua humiliata, primum erit; 2. Alterum vero, Maria in Præſentatione Filii ſui elevata, & glorificata. Petite mecum, ſi lubet, purificationem linguæ, & cordis mei, ut cum fructu pertractem hoc argumentum, quod complectitur, & colligit præcipua duo hodiernæ feſtivitatis Myſteria.

Pro puncto priori; oſtendendum eſt quantæ ſit difficultatis abrenuntiare in re adeo delicata, qualis eſt honor, juri ſuo; & opus eſſe, ut de ſe abjectiſſima ſentiat, qui carere velit ſuaviſſimo fructu, quem parit meritum, & præclariſſima Virtutis remuneratione. Ita extremus eſt Chriſtianæ generoſitatis niſus, ſe ſe ultro objicere contemptui, & proprio dedecori aſſentiri; præſertim vero, cum hoc nos pati nulla ratio cogat; & aliter a nobis fieri ſuadeat. Hic vere ſtatus eſt Mariæ in Templum proficiſcentis, ut purificetur; duæ, eæque validæ rationes potuiſſe videntur illam ab hac cæremonia deterrere. Prima erat, illam lege nulla teneri, ut ſe illi ſubjiciat, quoniam Moyſes id duntaxat præceperat Mulieribus, quæ communi via filios procreaſſent. Altera eſt hoc plurimum obfuturum fuiſſe gloriæ ſuæ, quoniam caliginem, labemque offundebat honori divinæ Maternitatis, ejuſque Majeſtati, ac Magnitudini damnum inferebat. Hæc omnia ſunt enucleanda, & in lucem proferenda; poſt quæ latius excurrere licebit in eam Ethicæ partem, quæ inferri poteſt ex hoc humilitatis exemplo, & gloriæ ſuæ abrenuntiatione. Ubi modo ſunt filii ſæculi? ubi Spiritus illi ſuperbi, qui tantum abeſt, ut aſſentiri velint dedecori ſuo, quod pluribus in locis humilitas Chriſtiana ſuadet, ut nolint unquam propter Deum rubore ſuffundi? Noſmet pauliſper colligamus Chriſtiani; nonne verum eſt, nihil a nobis reformidari magis, quam humiliationem? Aliquis fortaſſe in nos injurioſe dictum protulerit, vel nullam nominis noſtri aliqua in occaſione rationem habuerit; vel noſtram vanitatem non ita palpaverit, ut ab ipſo fieri debere credidimus, non vero quin has nugas negligimus, eaſque generoſe miſſas faciamus, ſuccenſebimus? & acri amaritudine cordis vexabimur? &c.

Pro puncto altero. Tempus eſt auferendi velamen, quod hominum oculis tegit Mariæ gloriam; opus eſt modo, ut dedecus Purificationis Mariæ cedat in gloriam ipſius in Filii ſui præſentatione. Admirabilis ſane eſt Dei Providentia, ex abjectione eos attollere, qui ipſi ſuam ſacrificant gloriam. Niſi Maria feciſſet illi magnum hoc puritatis ſuæ Sacrificium, niſi generoſe abrenuntiaſſet privilegiis, quæ illi conferebat dignitas Matris Dei, ſuæque innocentiæ; niſi ſuſcepiſſet illa omnis pudibundæ paupertatis inſignia; 1. Nequaquam merita fuiſſet reſtitui, ac ſervari in poſſeſſione titulorum ſuorum, ſuorumque magnalium coram Deo, & hominibus. 2. Non potuiſſet offerre Deo munus ipſo dignum, & nova acquirere jura in perſonam JESU CHRISTI; 3. Nec ſollemniter declarari coadjutrix ejus in noſtræ redemptionis œconomia? Quæ tria magnifice fecit Deus, ut illuceſcerent, efficiens, ut oracula palam in Mariæ laudem, ad illius gloriam reparandam loquerentur. Primum jam diximus Virginitatem eſſe inſeparabilem a titulo Matris Dei; non igitur melius declarari poterat Mariam Virginum eſſe puriſſimam, quam declarando ſollemniter illam eſſe Matrem illius, qui ex Virgine tantum naſci poterat, & debebat.

Quod admirabili ſane pacto factum eſt, cum Simeon, & Anna, quorum Sanctitas, & pietas comperta erat, & quorum ſinceritas ab omni ſuſpicione abhorrebat, & qui ſæpe polliciti fuerant, Meſſiam tandiu expectatum quam primum eſſe venturum; eum, inquam, Simeon, & Anna occurrerunt Mariæ JESUM præſentanti, & afflati Spiritu, qui palam teſtabatur illorum gaudium, & admirationem, elata voce prædicarunt oracula jam eſſe adimpleta, Virginem peperiſſe; feminam, quam videbant feliciſſimam eſſe Matrem Redemptoris Iſrael; Puerum, quem inter ulnas gerebat, Meſſiam eſſe, Emmanuelem, Filium David Abrahæ promiſſum &c. Secundo eodem teſtimonio Maria declaratur creaturarum omnium Sanctiſſima, & Univerſorum Domina; Deiparæ enim dignitas neceſſario duas haſce præclaras prærogativas complectitur. Complectitur primam quia cum nulli major ſit affinitas inter meram creaturam, & Deum, quam hæc, ne ipſa quidem excepta gratia adoptionis, ſequitur adeo a Veritate abhorrere, Mariam vel leviſſimæ noxæ obnoxiam eſſe, quantum abhorret lumen cum tenebris conciliari. Complectitur alteram, quia Mater particeps ſit jurium Filii ſui; cum ergo Maria prædicetur Mater Filii Dei, prædicanda quoque eſt totius Mundi Domina. Reſtat adhuc, ut in Salvatoris Præſentatione tres oſtendamus circumſtantias, ex quibus Maria maximam haurit gloriam, quarum prima eſt, ipſam Deo munus feciſſe digniſſimum ipſo; videlicet feciſſe, quod nemo ante ipſam fecerat unquam, & facere non potuerat; Altera vero, Mariam redimere filium ſuum, ut illum offerat pro nobis iterum, & ex hac die incipiat opus maximum redemptionis noſtræ. Tertia tandem eſt, ipſam Filium ſuum redimendo novum jus adeptam eſſe in Verbum incarnatum. Obtinebat illa jus naturale in ipſum, quatenus Mater, & Mater quæ cum nullo partiebatur gloriam vitæ illi communicatæ; Ita ut Salvator debebat illi obedientiam non ſolum tamquam Matri, ſed etiam tamquam dominæ ſuæ, & vere hac in occaſione dici poteſt, *& erat ſubditus illis*. Finis fieri poteſt huic Sermoni per eam Ethicæ partem quæ rationem habeat ad punctum utrumque. Incipiamus hodierna die purificare nos ad Exemplum Mariæ. Quot ea ſunt, quæ ſunt in nobis purificanda? &c. Præſentemus JESUM CHRISTUM Patri ſuo: hoc facere poſſumus per communionem, & in altaris Sacrificio; comitemur munus, quod illa faciamus Filii ſui, qui nobis tribuitur, cum Sacrificio humilitatis, contritionis, pœnitentiæ &c.

II. Virgo Sancta in ſuæ Purificationis Myſterio offert Domino duplex Sacrificium, alterum quidem ſuimet ipſius, & alterum Filii ſui, quod efficere poteſt argumentum, & partitionem Sermonis, oſtendendo ipſam obtemperaſſe quam diligentiſſime duabus legibus a Moyſe irrogatis, quarum prior reſpicit Matrem, quæ Filium pepererit; poſterior vero, Filium, qui primus in lucem editus fuerit.

Pars prima. Maria obſervans legalem hanc cæremoniam, facit Deo Sacrificium ſuimetipſius; 1. Sacrificium ſpiritus, & voluntatis ſuæ per obedientiam legi, qua non tenebatur, nulla habita ratione dignitatis Dei, per quam a lege diſpenſata erat: legi, quæ erat quam primum abroganda, & æquiſſimum erat, ut ab illa potiſſimum abrogaretur. Sed Maria non diſputat cum Deo; hoccine præceptum eſt? an Conſilium? Illi ſatis eſt ſcire, Deo ita placere; & alacriter, celeriter, & libenter ſe ſubjicit. 2. Sacrificat gloriam, & honorem ſuum; hæc enim lex illam de gradu dejiciebat; efficiebat enim, ut ab omnibus, qui illam intuebantur, haberetur tamquam mulier e trivio, & quæ non ſecus ac ceteræ Matres, eſſet purificanda. Deinceps latius excurrere licet in injuriam; quam legis hujus obſervantia inferebat qualitati Deiparæ, Meſſias enim in lege promiſſus ex Virgine erat naſciturus: verum cum humilitas ſemper comes ſit obedientiæ, Maria ſemet huic ſubjicit legi, quin ullam habeat ſuæ dignitatis & honeſtatis rationem, & quin humanus ullus reſpectus illam deterreat. Præclarum, quod nobis relinquit documentum, ex quo percipimus liberaliter nobis agendum eſſe cum Deo, neque ullam gloriæ noſtræ rationem habendam, cum agitur de ſua.

Pars altera. Maria ſacrificat Filium ſuum, in obſervantiam ſecundæ legis, qua Deo offerri tenebantur primogenita, 1. Quia ſe ipſam privat offerens illum ſupremo Domino propter Conſilia, quæ de eodem conceperat; tandem enim aliter de Maria, ac de Matribus ceteris ſentiendum eſt, quæ ubi filios ſuos redemerant, eoſdem ut antea poſſidebant. Maria vero illum offert pro Mundi ſalute, & veluti victimam piacularem pro peccatis hominum univerſorum, quamvis aliter naturalis amor ſuaderet. Unde parentes diſcere debent divinæ non reluctari Voluntati, ſive illos naturali fato filiis orbet, ſive per mortem civilem, cum illos ad Religionis ſtatum evocet. 2. Offert illum crucifigendum, cum non lateret Matrem cauſſa, propter quam Homo hic Deus Nativitatem acceperat; & ad quid venerit, & quid pro hominum ſalute paſſurus erat. Quamvis autem poſſet Deus de Filio diſponere inconſulta Matre; tamen ſicut naſci nolebat ſine ejus conſenſu, hunc eumdem conſenſum petit, ut naſceretur eo modo, quem per oraculum Prophetarum illi ſignificaverat; ſed illum offerens ad hanc rem, quem dolorem experta non eſt? quinam illius ſenſus fuerunt? &c.

Cum Deus ita ſuper creaturas omnes ſit poſitus per ſummam eſſentiæ ſuæ libertatem, & naturæ excellentiam, mirum eſſe non debet, ſi ad quemcumque honoris gradum, ac dignitatem quempiam evexerit ſemper ſibi ſupremi dominii jus reſervet; & ſi ab illo exigit obſequium, ſive Magnitudini ſuæ debitum, ſive juſtum grati illius animi tributum. Angelus, & homo vix creati fuerunt, alter quidem ut cælis, alter vero ut terris præeſſet; cum, antequam ullum poteſtatis ſuæ actum exercerent, voluit Deus ut per obedientiam ſuam teſtarentur ſupremum ejus imperium, a quo tot bona receperant; ideoque legem illis irrogavit, atque præceptum, cui cum parere detrectaverint, alter quidem illico præceps datus fuit in abyſſum malorum; alter deturbatus fuit de jure ſuo, quod non niſi per obedientiam hominis Dei reparavit. Adeo verum eſt, Deum ſummæ libertatis ſuæ zelotem eſſe, quam nemini vult, aut poteſt communicare, & quam vult, creaturas omnes per obedientiam, ac ſubmiſſionem ſuam conſiteri. III.

Illud vero portento ſimile videtur videre modo homines quibus infirmitas æque naturalis eſt, ac ipſa eſſentia, ſibi arrogare velle immunitatem a legibus per eaſdem cauſſas, propter quas ſe ſe illis debent ſubjicere; & cauſſari illa ipſa propter quæ arctius illis parere tenentur. Quidam exempli cauſſa putat honorem ſuum cum Mundi placitis conciliari non poſſe; alius opponit præcepti, cui ſe ſe ſubjicere debet, aſſertam difficultatem, & alius opinatur ſe a lege diſpenſari propter genus ſuum, dignitatem, nobilitatem.

Contra tres has cauſſas ſpecioſiſſimas, & quas frequentiſſime prætexunt homines ad eludendas obligationes, quas illis Chriſtianiſmi & Religionis imponit lex, in hodierno Myſterio producturus ſum glorioſæ Virginis exemplum ſemet ſubjicientis legi Purificationis, qua minime tenebatur, & ſemet illi ſubmittentis primum quidem non ſine gloriæ ſuæ jactura; cum enim eſſet Virginum omnium puriſſima in Templum venit purificanda tamquam Mulier quædam communis; ſecundo loco ſemet ſubjicientis, quamvis hoc illi videri poterat moleſtum, atque difficile, quoniam jubebatur ſimul ſacrificare quidquid illi cariſſimum erat in Mundo, offerendo Filium ſuum pro Mundi ſalute; ac demum ſemet ſubjicienti quin ullam habeat rationem dignitatis ſuæ quatenus eſt Regina, & Mater Dei ſui. Ita ſibi officere videbatur obſequens legi, quæ illam de gradu dejiciebat, eamque exuere videbatur omnibus juribus, ac titulis ſuis. Ita honoris ratio, præcepti difficultas, dignitas, vel Magnitudo, quæ tria homines paſſim prætexere conſueverunt, ut ſe a Religionis officiis diſpenſent, hodie a me impugnanda aſſumuntur, ut inde cauſſas eliciam obedientiæ magis ineluctabilis & ſanctius ſervandæ. Hæc erit Sermonis partitio, quæ Myſterium in prorſus morale documentum convertet. *Hæc partitio eſt Auctoris Sermonum in omnia argumenta tomo 2. Myſteriorum.*

Tempore Purificationis Mariæ expleto ſecundum Legem Moyſis tulerunt puerum in Jeruſalem, ut illum Domino offerrent. Hæc omnia ſecundum legem peraguntur & docemur, quo pacto ipſi etiam Dei leges obſervare debeamus. IV.

In eo quod Maria legi paret, invenimus cauſſam propter quam pudore ſuffundi tenemur ſuperbiæ noſtræ contra Dei auctoritatem inſurgentis. Pars prima. In eo, quod Maria ſuperat omnes legis difficultates, invenimus damnationem ignaviæ noſtræ, quæ animos deſpondet, ubi vel leviſſimum conatum debet exerere, ut divinæ obtemperet legi.

Pars prima. In obedientia Mariæ invenimus ſuperbiæ noſtræ confuſionem, quæ contra Dei legem inſurgit: primo per rebellionem cordis; 2. per cæcitatem mentis; quarum utramque Mariæ obedientia confundit.

Pars Secunda. In eo quod Maria ſuperat omnes legis difficultates, invenimus ignaviæ noſtræ condemnationem, quæ animos deſpondet, ubi aliquem exerere conatum debet ad Dei legem ſervandam. Fingimus enim legem hanc nimis a nobis requirere 1. Quia ſexcentis in occaſionibus iis abrenuntiare tenemur, quæ nobis ſunt cariſſima: 2. Quia nos privat quibuſdam gaudiis, & vitæ deliciis, quibus inhæremus. 3. Quia ſæpe imperat, ut mundano cuidam honori abrenuntiemus, de quo gloriamur. His tria adverſantur documenta, quæ Maria in hoc Myſterio nobis relinquit; primum ſacrificandi Deo, quidquid nobis eſt antiquiſſimum; alterum ſacrificandi legi Dei vana gaudia, cujuſmodi noſtra ſunt: tertium ſacrificandi ipſum etiam honorem, cum illius jactura eſſet ſubeunda ad Dei legem ſervandam. *P. Bourdaloue. Serm. 1. de Purificatione.*

V. Quod ſpectaculum ! quod exemplum ! quod Myſterium ! Quod documentum recipimus in hac cæremonia ubi quidquid gravius eſt in præcepto, auguſtius propter perſonas, quæ illud comitantur, ſanctius in celebritate, venerabilius in ſenectute, ſpectabilius in viduitate, & maxime verendum in loci ſanctitate, oculis noſtris occurrit, ut mentem meam confunderet, niſi unice immorari deberem in glorioſa Virgine, cujus exemplum 1. nos docet legem ſervare, 2. & ad illam exequendam nos excitat.

III.

Primum punctum. Mariæ exemplum Dei legem ſervare nos docet. Lex, quam obſervat Maria, præcipiebat, ut Mulieres, quæ peperiſſent, abſtinerent ab aditu Templi, & nequaquam accederent ad Sanctuarium; quod illa adeo diligenter obſervat, ut ſit exemplum diligentiæ a nobis adhibendæ in obeundis officiis ſtatus noſtri, & obligationibus, quas Dei lex nobis imponit. Quod in priori hoc puncto a nobis ad examen vocandum eſt. 1. Totam, integramque legem obſervat. Duæ leges erant per Moyſem latæ; altera, qua Mater jubebatur ſe ſe purificare; altera qua jubebatur præſentare Deo primogenitum. Duæ leges iſtæ longe plures complectebantur, cujuſmodi erant redimere oblatum puerum, eum reſpicere tamquam pertinentem ad Deum, offerre Sacrificium explicite memoratum in lege. Maria exequitur, quidquid per legem præcipitur, quin aliquid prætermittat, omnibus ſatisfacit cum ea; quæ exoptari poteſt, perfectione. Hoc exemplar eſt quod in divinarum legum obſervantia debemus imitari. Intueamur, utrum omnia mandata obſervemus, an in re aliqua deficiamus, an in pleriſque noſmet diſpenſemus. Legis tabulas evolvamus, ad examen vocemus qua cura ſervemus præcepta, quæ ſpectant ad Dei cultum, & proximi caritatem; nulla utamur exceptione cum Deo; ne imitemur Saul, qui juſſus internecione delere omnes Amalecitas, & anathemati omnes eorum exuvias devovere, ſibi quod optimum erat reſervavit, & audacter Samueli reſpondit: *Implevi præceptum Domini*. Sed noſtis, quid Dei nomine illi Samuel reddiderit. Ita noſmet cum Deo gerimus; Legis partem ſervare ſatis eſſe putamus; ſed exigit Deus, ut a nobis ſine imminutione tota ſervetur. 3. Non ſolum obſervat Maria ad unguem omnia, quæ in hac legali Purificationis cæremonia imperantur, verum etiam ſervat omnes circumſtantias loci, ac temporis, ut oſtendat nihil negligendum eſſe, cum Deo obediendum eſt. Revera

Luc, 2. dies connotata eſt: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus*. Locus, qui Templum eſt, memoratur, teſtes, actiones ſingulares.

Quod ad Templum pertinet; nec illud prævenit, nec differt; omnia eo temporis articulo, ut jubetur, fiunt; non imitatur illos, qui coacte ſua obeunt munera, ac ſerius quam poſſunt. Ut autem innoteſcat qua cum perfectione Maria his omnibus muneribus perfungatur, oſtendendum eſt quas ob cauſſis, qua mentis puritate, qua caritate ipſa hæc munera impleverit, & brevem apponere indiculum rationum, & cauſſarum, quæ meliores actiones noſtras ut plurimum corrumpere conſueverunt; vanitatem, humanos reſpectus &c.

Punctum alterum, Sanctæ Virginis exemplum in hoc Purificationis Myſterio nos excitat ad ſuperandas difficultates, quæ occurrunt in legum Dei obſervantia. Hæ difficultates, quæ ſæpe ſunt obices validi, redigi poſſunt ad tres. 1. Pudor, & confuſio, quæ timetur, vel potius quæ fingitur eventura, ſi viſi fuerimus regulares in adimplendis ſtatus, vel noſtræ religionis officiis. 2. Labor, & difficultas in obeundis tot muneribus, quæ amor noſter ſæpius amplificat. 3. Prætextus, quos non ſine induſtria mendicamus, ſed qui nos coram Deo minime excuſant: Prætextus inanes, ac futiles valetudinis noſtræ, multitudinis negotiorum, noſtræ dignitatis, quorum colore conamur noſmet diſpenſare a graviſſimis Chriſtianæ Religionis officiis, quæ aliquando futuræ ſunt cauſſæ propter quas ignaviæ damnabimur, quin ne minimum quidem laborem ſuſtinere poſſumus, vel minimam nobis inferre vim, ut Domini legem obſervemus. Ad id autem nos excitare, & impellere debet Mariæ exemplum, quæ omnes contemnit difficultates, quæ videbantur ipſam deterrere poſſe ab obedientia legis purgationis ſuæ.

VI. Oſtendi quoque poteſt in duabus Sermonis partibus: 1. Quomodo ſe geſſerit Maria erga Deum, obediens legi Purificationis. 2. Viciſſim quomodo ſe geſſerit Deus erga Mariam in hoc Myſterio.

In parte prima oſtendetur. 1. Mariam obſervare legem hanc, quamvis non teneatur; quia illam diſpenſabant eadem verba legis. 2. Obſervare eam in rebus difficillimis, cujuſmodi eſt abrenuntiare gloriæ habendi pro Matre Dei, & Meſſiæ, quem expectabant, ideoque habendi pro Deipara, ac Matre Dei, qui naſciturus erat de Virgine. 3. Obſervare illam in punctis omnibuſque circumſtantiis, quæ memorantur in Evangelio, ne una quidem prætermiſſa.

In poſteriori parte oſtendetur, quomodo ſe geſſerit Deus erga Mariam in hoc eodem Myſterio; 1. auget illius puritatem, quo magis illa aſſentitur jacturæ exiſtimationis ſuæ apud homines, eamque Virginem, & Salvatoris hominum Matrem prædicat per os duorum, qui tunc in terris maxima Sanctitatis celebritate gaudebant; videlicet ſanctiſſimum Simeonem, & Annam Propheteſſam. 2. Illam vocat in ſocietatem Mediatricis, ac Redemptricis hominum, tituli, quos Patres non renuunt illi tribuere in hoc Myſterio, quamvis in ſenſu longe alio ab eo, in quo Salvatori ipſi tribuitur.

VII. Poſt relatas leges duas, quæ in hoc Myſterio continentur, quarum prior præcipiebat, ut offerrentur Deo primogenita e populo Iſrael, & altera quarum cautum erat, ut Mater ſe ſe purgaret a ſordibus puerperii, oſtendendum eſt, quomodo Maria duabus his legibus obedierit.

In prima offert Filium ſuum, qui eſt gloria ſua, atque deliciæ. Oſtendenda eſt hujus oblationis excellentia, & quomodo per hanc fecerit maximum Sacrificium, & Deo reddiderit ſummum honorem; & ratio, qua hunc reddit illi, ardentiſſima nempe cum caritate, & fortitudine &c.

In ſecunda, obſervat eadem cum fidelitate Purificationem; videlicet cum humilitate incomparabili, & cum heroica obedientia. Moralis, quæ hæc duobus his punctis hauriri poteſt, obvia eſt, & per ſe patet.

VIII. Quamvis feſtivitas, quam Eccleſia hodie celebrat ſit congeries quædam Myſteriorum, cæremoniarum, & variorum eventuum, propter quos aliquando occurſuum nomine appellata fuit; credo tamen, Auditores, vos tenere, illam præcipue inſtitutam fuiſſe ad excitandam in mentibus Chriſtianorum memoriam voluntariæ ſubmiſſionis, quam JESUS, & Maria præſtiterunt duplici huic legi, quam Deus per Moyſem inſtituerat, quamvis pro illis minime irrogata fuiſſet. Prima enim lex ſpectabat ad Matrem, quæ puerum fuiſſet enixa, communi via, eique præcipiebat, ut poſt dierum quadraginta receſſum, quibus a puerperii ſui ſordibus expiaretur per legalem cæremoniam ad effectum hunc inſtitutam, ſe ſe conferret in Templum; Altera vero puerum reſpiciebat, qui prior egrederetur ex Matris utero, qui offerendus erat Deo, & illius cultui devovendus.

Hinc fit, quod Verbum hoc incarnatum per hanc oblationem, quam fieri voluit perſonæ ſuæ, & quam ipſe fecit æterno Patri ſuo duas habet functiones habita noſtrum ratione, videlicet doni, & oblationis. Donum eſt, quod Deus fecit hominibus, ut eſſet illorum Mediator, atque Salvator, eſt oblatio, quam homines faciunt Deo, ut pacem faciant cum illo, & reconcilientur. Utrumque fit per Mariæ manus; etenim quemadmodum per illam Deus datus fuit hominibus, ita per manus hujus puriſſimæ, & Sanctiſſimæ Virginis offertur etiam Deo; cum enim una fuerit digna, quæ illum reciperet, una quoque digna fuit, quæ illum offerret.

Per alteram harum functionum, ſatisfecit Deus ſuæ bonitati; & per alteram nos ſatisfacimus ejus juſtitiæ, & magnitudini earum obligationum, quibus illi devincti ſumus. Sed cum hoc Myſterium non minus uber ſit eruditionum, ac ſenſuum pietatis, atque cæremoniarum, relinquamus Purificationis cæremoniam, cujus jam vobis perſuaſum eſt illum non indiguiſſe, & unice hæreamus oblationi, quam facit Deo Filii ſui, ut hoc exemplo nos doceat, quomodo noſmet gerere debeamus in muneribus, quæ facimus Deo, & in rebus omnibus quas offerimus illi.

Ideo ad examen vocabimus primum naturam muneris, quod facit, & eorum quæ ad illius imitationem nobis facienda ſunt, & deinceps modum, quo facienda ſunt, ſecundum exemplum quod nobis tradidit. Duplici verbo: quid offerendum eſt, & quomodo offerendum eſt ad exemplum Mariæ. Hæc erit Sermonis partitio.

IX. Eccleſia duo celebrat in hac feſtivitate Myſteria: videlicet Virginis Sanctæ Purificationem, & Præſentationem JESU CHRISTI in Templum; Maria ſe purificat, Maria offert Filium ſuum æterno Patri, quod nobis locum præbet inveniendi in duabus illis ſanctis cæremoniis duo inſignia documenta.

1. Si Matrum omnium puriſſima ſe purificat, ut obediat legi Moyſis: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum legem Moyſis*, Ipſi debemus expiare nos ab omni peccato, ut Dominicæ legi pareamus.

2. Si Mater amantiſſima offert æterno Patri dilectiſſimum Filium, tamquam perfectiſſimam Mundi victimam; *Ut ſiſterent eum Domino*, nos debemus illi conſecrare quidquid nobis eſt cariſſimum, & pretioſiſſimum ut oſtendamus illi amorem, & gratitudinem noſtram. Hæc duo documenta ſunt Sermonis partitio.

X. Summa hodierni Evangelii eſt devotio Sanctæ Virginis Legi. Obſervantia, qua illi obedit, efficere debet pulcherrimum zeli noſtri excitamentum; & fructus quem inde percipimus eſſe debet perfectum exemplar veræ devotionis; quandoquidem ſecundum Theologos, perfecta devotio eſt adimplere omnia Dominicæ legis officia.

Hæc autem vera devotio ut perfecta ſit, duas continere debet qualitates, regularitatem, atque firmitatem: Regularitatem quoad officia, quæ nobis præſcripta ſunt per legem, quæ eſt adimplenda; firmitatem vero, quoad obices, qui adverſantur executioni horum officiorum per legem propoſitorum. Regularitatem, & firmitatem, quas detegemus in duabus Evangelii partibus, & quæ duæ erunt ſermonis partes.

XI. In duabus Sacrificiis, quæ Sancta Virgo præſentat in hujus diei feſtivitate, deprehendo tres potiſſimum Virtutes, quas in illis exercet, & quæ Sermonis Partitionem poſſunt efficere.

1. Indignam obedientiam, per quam ſacrificat libertatem ſuam ſemet ſubjiciens legi ad ſignificandum obſequium, & reverentiam erga mandata Dei, quamvis non deeſſent ſibi jura ſeſe ab ea diſpenſandi.

2. Profundam humilitatem, per quam offert Sacrificium gloriæ ſuæ, & famæ, cujus anima generoſa maxime zelatrix eſt.

3. Ardentem erga homines caritatem, pro quorum ſalute offert Deo Filium ſuum.

XII. Ut totum hoc Myſterium mortale ſit, conſiderare poſſumus tres neceſſarias conditiones ad Dei legem perfecte exequendam.

1. Præſto eſſe ad illam in omnibus exequendam ad exemplum JESUS CHRISTI.

2. Illam fideliter adimplere ad imitationem Mariæ.

3. Conſtanter perſeverare uſque ad finem in legis obſervantia, ad Sancti Simeonis exemplum. *Ex Speciminibus Panegyricorum pro die Purificationis.*

XIII. Sicuti arduum eſſet uno Sermone complecti varietatem conceptuum, quos nobis adſtruit Evangelium in hoc Myſterio, hæreamus duobus documentis, quæ Maria nobis proponit.

1. Adimplens legem in omnibus ſine ulla exceptione, docet quam religioſe omnia legis præcepta nobis obſervanda ſint.

2. Adimplens legem ſine diſpenſatione damnat omnes ſpecioſos prætextus, quibus utimur ad eludendas inevitabiles Chriſtianæ Religionis obligationes. Expendamus duas hasce maximi momenti veritates, & ad ſtatimur edoceri de iis, quæ in Religione ſunt maxime eſſentialia. *In iiſdem Speciminibus.*

XIV. Maria immolat in legali hac ſuæ Purificationis cæremonia tres diverſas victimas. Filium, cor, & gloriam.

1. Offert Filium ſuum Morti.

2. Offert cor ſuum doloribus: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.*

3. Offert exiſtimationem ſuam pudori, & confuſioni. Offert Filium ſuum Cruci, per illius præſentationem æterno Patri. Offert doloribus cor ſuum per acceptationem gladii, quem Sanctus Simeon portendit penetraturum animam ejus: Offert exiſtimationem ſuam probro, per Purificationem; cui ſe ſubjicit, & quæ facit, ut in hominum exiſtimatione amittat gloriam Virginalis puritatis, & conſequenter divinæ Maternitatis. *Extrat in primo Sermone de hoc Myſterio.*

XV. Deſumi poteſt pro argumento Sermonis in hunc feſtum diem: 1. Neceſſitas, in qua ſumus reddendi ſupremo Domino obſequia noſtra, tamquam Chriſtiani, per externum, publicumque cultum ad exemplum Beatæ Virginis in cæremoniis Religionis. 2. Senſus interiores, quibus comitari debemus interiorem hunc cultum ad exemplum Virginis ejuſdem.

Pro parte prima, 1. Quamquam Maria minime teneretur hac legali cæremonia, tamen rata eſt ſe teneri honorem deferre Deo per hanc ſubmiſſionem, & per reverentiam, quam adhibet legi. 2. Pro ædificatione proximi, qui ſcandalum accipere potuiſſet, ſi Maria ab hoc officio ſeſe diſpenſaſſet. 3. Eoque perfungitur, quamvis illam difficultas deterreret.

Pro parte altera 1. Abuſus eſt, quem Dei Filius ſæpe Judæis exprobravit, exterioribus duntaxat Religionis cæremoniis inhærere. *Populus hic labiis me honorat* &c. 2. Senſus Sanctæ Virginis ad profundam referuntur humilitatem, ad ſenſum amoris erga Filium ſuum, ad ardentem erga homine caritatem. *Partitio Sermonis Manuſcripti P. Carron de Purificatione.*

XVI. Sicuti hodiernum Myſterium neceſſario duplicem eſſentialem habet rationem ad duas perſonas, quoniam in illo videtur Maria offerens, & JESUS CHRISTUS, qui oblatus eſt, primum oſtendi poteſt Spiritus fidelitatis in Maria omnia ſacrificante, quæ nos docet quo pacto noſmet conſecrare debeamus perfecte Deo, tamquam holocauſta, quorum ne minima quidem pars eſt reſervanda.

2. Spiritus Sacrificii in JESU CHRISTO, qui omnibus ſuis abrenuntiat attributis, ut ſupremum Dei Patris dominium colat, & ſuis humiliationibus reparet injuriam primi prævaricatoris, qui Deo ſubeſſe detrectabat.

Ad primum punctum exornandum oſtendere poſſumus. 1. Mariam fideliter ſacrificaſſe, quod in lege præcipiebatur, & hoc feciſſe, quin ratiocinaretur. 2. In hoc Sacrificio fidelitatem ſuam eſſe humilem, neque ipſam intumeſcere, quamvis hoc jure facere poſſe videatur. 3. Fidelitatem ejus in hoc Sacrificio generoſam eſſe, quoniam, quibuſcumque hoc illi ſtet ſumptibus, animum non deſpondet. Maria nonne dicere poterat, ſe nequaquam habendam eſſe tamquam Matrem ceteris ſimilem, idque intereſſe gloriæ Filii ſui; quoniam hoc ſilentium officiebat divinitati illius, expectationi Iſrael, qui ardentibus votis præſtolabatur omnipotentem Salvatorem, qui eſſet magni Conſilii Angelus; oraculis Angeli, qui illam Dei Matrem futuram nuntiaverat; laudibus Eliſabeth, & Zachariæ, qui publicum perhibuerat teſtimonium divinitati Filii ſui; ideoque ſuum eſſe oſtendere Iſraeli univerſo rationes quibus a lege diſpenſabatur; ſe Virginem eſſe, & concepiſſe per Virtutem Spiritus ſancti. Sed Maria omnia ſacrificat quin ratiocinetur; Cæli mandata per legem explicita prævalent illi rationibus omnibus; putat Sacrificium ſuum perfectum nequaquam futurum fuiſſe, niſi humilitas comes eſſet docilitatis. Dignatur illa craſſæ rudique cæremoniæ ſemet ſubmittere, quin viam perfectiorem ſcrutetur; quod illi facere licuiſſet cum ratione eminentis gratiæ ſuæ, quia nullas contraxerat ſordes pariens illum, qui recens puritatem ſuam conſecraverat, non imminueret. Sacrificium ejus humile ſimul eſt, & generoſum, quia offert ſe ipſam doloribus. Hoc illi Simeon prædixit; hoc illa novit per cognitionem, quam habuit Myſterii Redemptionis; hoc illa conjicit ex humiliationibus JESU pueri; idcoque offert ſe gladio, quo eſt transverberanda, & ſimul offert quidquid ipſi eſt optatiſſimum, cariſſimum, pretioſiſſimum, & quod redimere vellet vita ſua. Sed quemadmodum videt ab æterno Patre dari Filium ſuum immolandum, ipſa juri ſuo abrenuntiat, & conſentit; ut Filius ſuus totum effundat Sanguinem pro ſalute generis humani. Magnum nobis exemplum perfecti Sacrificii.

Pro altero puncto oſtendi poteſt Spiritus Sacrificii in JESU CHRISTO, qui offert ſe ſe Patri per reparationem humani generis; & qui offert ſe 1. realiter, 2. integre, & univerſaliter, 3. voluntarie. JESUS CHRISTUS paſſus eſt poſt ipſum Abel, & immolabatur in omnibus Sacrificiis legis antiquæ, ſed in umbra tantum & in figura. Sed ad reparandam injuriam factam Deo, opus erat Sacrificio reali, & meriti infiniti opus erat, ut adimpleretur Prophetia Malachiæ, ut victima in altari videretur, ut Primogenitus deferretur in templum, ut Sacerdos illum offerret, ut juſtæ, ac piæ mulieres in hoc novo Calvario invenirentur, ut Sacrificio præſens intereſſet Maria, & ut omnia nobis repræſentarent idem crucis Sacrificium. Hoc hodierna die invenitur, quoniam JESUS CHRISTUS offert ſe totum ſe mutuo, cum realiter ſe offerat. Sacrificat Patri gloriam ſuam, poteſtatem ſuam, ſuam quoque innocentiam. Nihil excipit, Sacrificii integritas omne illius meritum conſtituit. Igitur JESU CHRISTI Sacrificium perfectum eſt, quia integritati voluntas accidit. Oblatio eſt quæ meritum ſuum non haurit ex legis ſervitute, ſed ex voluntario conſenſu illius, qui ultro ſe offert in Sacrificio. JESUS CHRISTUS expectare poterat, donec offerretur; ſed non expectat. Ipſe illis prævenit mentem injiciens S. Mariæ, & S. Joſeph adimplendi id, quod ſe ſcriptum erat in lege, & in Prophetis: *P. Maſſillon tomo 4. Sermonum, qui ſub ejus nomine circumferuntur.*

Sequi poſſumus Spiritum Eccleſiæ hodierna die offerentis duo Myſteria, ut ſint cultus noſtri argumenta, & repræſentare XVII.

In priori puncto, Mariam ſe ſe purificantem in Templo eſſe poſſe peccatoribus exemplum, 1. Humilitas illam expiare incipit abrenuntiando omnibus privilegiis, quæ fuerunt argumenta laudum Eliſabeth, & Zachariæ, & per hoc nobis oſtendit Maria, per noſtram pœnitentiam inchoandam eſſe noſtram a ſordibus expiationem. 2. Dolor Mariam purificat reddendo illam perfectiorem; offert enim ſe vitæ perſecutionum, quibus videt expoſitum Filium ſuum. Denique ſe ſe offert morti ſubeundæ pro dolore, & videndo cariſſimum Filium morientem. Pœnitentia noſtra nos expiabit per dolorem congruum magnitudini peccatorum noſtrorum. Denique amor Mariam purificat; Propter amorem illa ſe ſubjicit legi. Neſciremus plene expiari niſi amor noſtram animaret pœnitentiam.

Pro puncto altero poſſumus repræſentare JESUM ſe ſe Templo offerentem, ut ſit Juſtis exemplum. Offert ſe 1. libere, etenim per amorem deſcendit in terram ad quærendas oves deerrantes, perfectum Juſtis exemplum, qui nihil offerre Deo debent coacte, neque propter humiles cauſas. Offert ſe jugiter, & ſine intermiſſione. Incipit in ſinu Matris tamquam in primo Templo ſuo; pergit ſe ſe viſibiliter offerre in Templo Jeruſalem; & tota vita ejus juge eſt Sacrificium. Ita juſti vivere non debent, niſi ut moriantur. *Pater Cauchemer in tomo Myſteriorum.*

Optimum etiam Sermonis eſſe poteſt argumentum, oſtendere XVIII.

Primum; Mariam ſacrificare id quod Matri cariſſimum eſt, Unigenitum ſuum 1. aſſenſum præbendo ut

in Cru-

in Cruce immoletur. Hoc magnum eſt generoſitatis argumentum, ſeſe attollere ſupra naturæ ſenſus quod fecit Maria, & conſentire Maternitati JESU CHRISTI per verba illa, quæ dixit Angelo; *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, conſentire Patri æterno, ut illum pro humani generis ſalute ſacrificaret per alterum conſenſum, qui continebatur in primo. 1. illum devovendo, & per ſemet conſecrando, ubi Myſterium agnovit, ipſa illud prævertit. Sacrificium quod facit Filii ſui liberum eſt, & voluntarium, & opus eſt ipſum immolari; hæc enim vita eſt electa pro ſalute generis humani: *Propoſito gaudio ſuſtinuit Crucem*.

Secundo: Mariam offerre quidquid illi pretioſiſſimum eſt 1. Honorem Virginitatis ſuæ; hoc enim perinde eſt ac ſi palam profiteretur, ſe concepiſſe communi via; hæc enim habebatur de illa, quæ ſubjiciebat ſe legi Purificationis. 2. Dignitatem Matris Dei; quia illa videbatur Mater hominis e trivio; ſervi, qui redimendus eſſet; peccatoris, qui peccaſſet in Adam non ſecus ac ceteri. Illa non apparet niſi conjux Joſeph, cum ſit Sponſa Spiritus ſancti; Mater Verbi, & Meſſiæ. *Pater la Colombiere tomo 1. ſermonum*.

XIX. Immorari poſſumus in conſideratione cæremoniæ hodiernæ magnitudine doni, quod Maria facit Deo, & hominibus, atque oſtendere

1. Mariam hodie offerre JESUM CHRISTUM Filium ſuum æterno Patri gloriæ ipſius conſecrandum, & 1. Ut illum adoret in ſpiritu, & veritate, ut inſtituat ſpiritalem religionem in locum carnalia, & reparet adorationibus ſuis idololatriam, & populi Judaici, & Ethnicorum. 2. Ut ſit inſtrumentum miſericordiarum ſuarum, & oſtendat per Filii ſacrificium quantum eſt amor Dei Patris, quo humanum genus complectitur. 3. Ut magnum ſit divinæ Juſtitiæ monumentum; quandoquidem opus eſt hominem Deum eſſe illum, qui offert ſe, & moritur per oblationem ſuæ voluntatis peccatorum criminis expiaturus.

2. Mariam hodie offerre JESUM CHRISTUM hominibus omnibus. 1. ut illis oſtendit ſe vere Matrem illorum eſſe ſacrificando primogenitum, ne minores natu vitam amittant, ut meruerunt. 2. ut illos benedictionibus cumulet; quandoquidem Sacrificium cariſſimi Filii illos non ſolum liberat a morte, ut illis vitam impertiat: ſed fons eſt omnium gratiarum quæ ſunt neceſſariæ ad vitam hanc conſervandam, confirmandam, atque augendam.

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Sermonum ſtructuras exornandas, & Auctores qui de hoc tractant argumento.

Sancti Patres. SAnctus Auguſtinus *ſerm. 13. de Tempore* loquitur potiſſimum de Sene Simeone, de quo in hoc agitur feſto.

Sanctus Ambroſius *lib. 2. comment. in cap. 2. Lucæ* hoc ipſum facit, & fuſius hanc perſequitur circumſtantiam, tamquam eam, quæ melius Meſſiæ probavit adventum.

Sanctus Eligius Noviodunenſis Epiſcopus Homiliam habet, ubi oſtendit Salvatorem, & Sanctam Virginem immunes fuiſſe a lege, qua jubebatur alter quidem præſentare ſe Templo, altera vero ſe purificare.

III. Sanctus Chryſoſtomus *Sermone de occurſu Domini* plura dicit ad hoc argumentum ſpectantia.

Venerabilis Beda Homiliam in feſtum Purificationis diem oſtendit per eadem Evangelii verba, JESUM & Mariam nequaquam ſubjectos fuiſſe legi Moyſis.

Sanctus Gregorius Nyſſenus *Orat. de occurſu Domini* loquitur de hoc Myſterio, ſed homiliarum more de pluribus argumentis verba facit.

Sanctus Ildephonſus duos habet hujus argumenti Sermones, in quorum ſecundo tantum proprie agit de Sanctæ Virginis Purificatione, & de illius immunitate ab hac lege.

Ivo Carnotenſis in Sermone de Purificatione fuſius loquitur de cæremoniis hujus feſtivitatis, cujus explicat Myſteria. *In tomo primo Auctorum Bibliotheca Patrum*.

Sanctus Bernardus tres habet Sermones de hac feſtivitate, in quorum prioribus loquitur ſolum de cæremoniis hujus diei, quas explicat allegorice; ſed in tertio explicite loquitur de Purificatione Matris, & Præſentatione Filii, & hic eſt ex Patrum numero, qui pulcherrimas res attingit, & ampliores ſenſus inſpirat.

Idem *ſerm. de tempore* in Sermone, qui eidem tribuitur, de hoc Myſterio verba facit.

Sanctus Methodius Martyr Homiliam habet hujus argumenti.

Sanctus Gregorius Nazianzenus *Tomo 1. Oratione 39.*

Sanctus Cyprianus in Sermone de Nativitate JESU CHRISTI loquitur de Virginis Purificatione, & de omnibus cæremoniis in lege præſcriptis.

Euſebius Emiſſenus Sermonem habet de hoc Myſterio.

Origenes *Homil. 8. in Leviticum*.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. de fide ad Reginas* de hac re loquitur paullo poſt initium libri.

Sanctus Anſelmus in Evangelium Sancti Lucæ.

Abbas Rupertus *lib. 2. in Levit. cap. 16.*

Euthymius *in cap. 2. Evangel. Lucæ.*

Sanctus Laurentius Juſtiniani Sermonem edidit de hac cæremonia, ubi narrat quidquid acciderit in Templo ea in occaſione.

Sanctus Odilon pariter habet Sermonem in hunc feſtum diem, ubi recenſet cauſſas, propter quas Filius Dei voluit legem adimplere, & veritatem figurarum, quam lex iſta ſignificabat.

Hugo de Sancto Victore tres habet Sermones de Purificatione Sanctæ Virginis, ubi loquitur de purificatione animarum noſtrarum, & myſtice tractat, quidquid accidit in ea cæremonia.

Abbas Guerricus ſex habet Sermones de hoc Myſterio, ubi ſemper myſticum eſt, & agit de ſpiritali purificatione.

Sanctus Thomas præter ea quæ de hoc Myſterio dicit in ſumma *part. 3. quæſt. 17. art. 4.* duos etiam edidit ſermones de hac feſtivitate, alterum in illa Malachiæ verba: *Statim veniet ad Templum Sanctum dominator, quem quæritis*; & alterum in Evangelium Dei, ubi conſiderat, & exponit ſex virtutes quas Virgo exercuit in hoc Myſterio, & poſtea docet quomodo ad illius exemplum noſmet purificare debeamus. Malach. 3.

Granatenſis in memoriali lib. 6. recenſet virtutes, quas Virgo Sancta exercuit in hac legali cæremonia. Aſcetici, aliique.

Pater a Ponte in 3. parte Meditationum de fide *Medit. 25.*

Pater de Argentano Capuccinus in collationibus Spirit. de magnalibus Mariæ *collat. 19.* de purificatione, ubi ſeptem articulis comprehendit quidquid pertinet ad hoc Myſterium.

Pater Novet plures habet hujus Myſterii Meditationes.

Pater Haineuve in prima parte, vel tomo Meditationum unam habet de præſentatione Domini in Templum, & de Purificatione Mariæ.

Pater Bourgoin Presbyter Oratorii in Meditationibus de veritatibus, & excellentiis Verbi Incarnati plures habet de hoc Myſterio.

Omnes qui egerunt de Meditationibus in Myſteriis Domini noſtri, & Beatæ Virginis.

Pater Croiſet in anno Chriſtiano pro menſe Februario agit de Inſtitutione hujus feſtivitatis, & plures habet morales conſiderationes, quibus uſi ſumus in Paragrapho quinto, & alibi.

Pater Nepveu in primo tomo Conſiderationum Chriſtianarum pro ſecunda die Februarii.

In Tomo 4. Operum Aſceticorum Patris le Valois in Sermonibus de Myſteriis Virginis duo ſunt de Purificatione.

In libro cui titulus *Virginum ſolitudo* ſermo eſt de reverentia, quam Sancta Virgo adhibuit legi, & de ejus Purificatione.

Non afferimus Theologos, vel interpretes in Sancti Lucæ Evangelium, qui fuſius egerunt de Myſterii hujus circumſtantiis. Concionatores recentiores.

Biroat in Tomo Myſteriorum Dominæ noſtræ tres habet Sermones de Purificatione.

Pater Texier in Myſteriis Virginis, agit de illo Purificationis.

Idem in Myſterio Domini noſtri Sermonem habet de præſentatione Salvatoris in Templo.

Pater Dunetu in Myſteriis Virginis duos habet Sermones de Purificatione.

Item Pater de la Colombiere duos ejuſdem argumenti.

Abbas de Monmorel homiliam habet, & Sermonem.

Pater Bourdaloue in tomo 2. Myſteriorum, tres habet in tomo 2. Myſteriorum, quorum tertius proprie eſt de præſentatione Filii Dei in Templo.

Pater Chauſſemer in Tomo Myſteriorum unum habet de Purificatione.

Unus item adeſt in eos, qui Patri Maſſilon referuntur accepti.

Unus quoque in elogiis hiſtoricis.

Abbas du Jarry unum habet.

In ſpeciminibus Panegyricorum tres ſunt diverſi.

Lambert homil. 65. in Evangelia tom. 5. homiliam habet hujus argumenti.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. duos habet in tomo 2. Myſteriorum.

In Chriſtianis Sermonibus unus eſt de hac feſtivitate.

In Collectione Sermonum, tomo primo, unus eſt.

Quin loquamur de antiquioribus, quibus adhuc utiliter uti liceret, cujuſmodi ſunt Molinier, Mathias Faber, Sermones Granatenſis; Franciſcus Lucaburgenſis, aliique.

Labatha, *titulo Maria.*

Theophylus Renaut *in Dipticis Marianis.* Qui collectiones ediderunt.

Interpretes in D. Lucam.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHUS III.

Loci, figuræ, exempla & applicationes Scripturarum huic argumento.

S*Uſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.* Pſalm. 47.

Sacrificium, & oblationem noluiſti, holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti; tunc dixi: ecce venio. Pſalm. 39.

In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Ibidem & ad Hebr. 10.

Tempus faciendi Domine, diſſipaverunt legem tuam. Pſalm. 118.

Quomodo dilexi Domine, legem tuam, tota die meditatio mea eſt. Pſalm. 118.

Quidquid habueris maſculini ſexus, conſecrabis Domino. Exod. cap. 12.

Homo ſenſatus credit legi, & lex illi fidelis. Ecclesiaſt. 33.

Conſerva fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ. Prov. 6.

Sanctifica mihi omne primogenitum; mea ſunt enim omnia. Exod. 13.

Omne autem primogenitum hominis pretio redimes. Ibid.

Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum immunda erit ſeptem diebus. Levit. cap. 12.

Omne Sanctum non tanget, nec ingredietur Sanctuarium, donec impleantur dies Purificationis ſuæ. Ibidem.

Cum expleti fuerint dies Purgationis ſuæ, deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ, ſive turturem pro peccato, & tradet Sacerdoti, qui offeret illa coram Domino & orabit pro ea. Ibidem.

Quod ſi non potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccato, orabitque pro ea Sacerdos, & ſic mundabitur. Ibidem.

Poſtquam impleti ſunt dies Purgationis ejus ſecundum legem Moyſi, tulerunt in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Luc. 2.

Et ut darent hoſtiam ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Ib.

Reſponſum acceperat (Simeon) a Spiritu ſancto non viſurum ſe mortem, niſi prius videret CHRISTUM Domini. Ibidem.

Et ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum. Ibidem.

Et erat Anna Propheteſſa, & hæc vidua erat ad annos octoginta quatuor; quæ non diſcedebat a Templo jejuniis, & obſecrationibus die, & nocte, & hæc, ipſa hora ſuperveniens, loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael. Ibidem.

Figuræ, exempla Veteris, novique Teſtamenti.

Purificatione legali abolita ſanctitatem eſt animæ purificatio Purificatione corporis.

OMnes leges cæremoniales ad JESUM uſque ſubſiſtere debebant; Magnus ille aſperſionum numerus, effuſionum Sanguinis, purificationum, diſtinctionum carnium ceſſaverunt, quia lex ex figuris compoſita data fuit Moyſi, & gratia & veritas per JESUM CHRISTUM. Umbræ debebant præcedere, quemadmodum evaneſcere debuerunt, cum res ipſa apparuit; & ubi res figuratæ atque prædictæ contigerunt, & adimpletæ fuerunt, non fuit ultra opus prædictionibus neque figuris. Ita corporalis purificatio non eſt amplius neceſſaria. Sed hac in re licet nobis imitari Sanctam Virginem purificando animas noſtras a ſordibus, quibus coinquinamur quotidie peccantes. Et ſicuti nemo eſt abſque peccato, nemo non indiget hac ſpirituali purificatione.

Cur redimebantur filii, qui Deo offerebantur, & quomodo Salvator oblatus fuit pretio ſiclorum quinque. Matth. 5.

Filii, qui deferebantur in Templum Domino offerendi, non remanebant, ex quo tota tribus Levi conſecrata fuit Miniſterio Tabernaculi. Illis reddebatur libertas, ſed ut cognoſcerent veterem ſervitutem, ſiclis quinque redimebantur, qui præter propter octo Gallicis libellis æſtimabantur. Salvator igitur qui veniebat, ut humanum genus redimeret, hoc pretio redemptus fuit; etenim quemadmodum dixit nobis; *non veni legem ſolvere, ſed adimplere*. Demum Sancta Virgo totam legem ſervavit, qua mulieres omnes quadrageſima poſt puerperium die offerre tenebantur duo animalia, in holocauſtum alterum, ut ſuppleret vicem filii, qui reſtituebatur, alterum vero, ut expiarentur a peccato, quod contraxerat.

Cur Maria non obtulerit Deo agnum ſed duntaxat par turturum, aut duos pullos columbarum. Luc. 2.

Diximus jam Sanctam Virginem nulli ex hiſce legibus fuiſſe ſubjectam, eamque illas per humilitatem ſervaſſe, quæ fuit omnium actionum ejus principium, & fons omnium ejus magnalium: ſed quod nobis documenti loco eſſe debet, Maria non offert agnum quæ divitum erat oblatio, ſed pauperum, videlicet *par turturum, aut duos pullos columbarum*. Quæ conſolatio pro pauperibus fuit, videre Filium Dei voluiſſe naſci pauperem, & tamquam talem offerri Patri ſuo. Vidua de qua ſermo eſt in Evangelio, duos tantum obolos jecit in gazophylacium: Tamen Dominus poſtquam ad trutinam revocavit, non quod illa contulit, ſed affectum cum quo id contulit, non dubitavit aſſerere, illam plus ceteris contuliſſe.

Sanctificationes & oblationes legis antiquæ erant figuræ tantum.

Oblationes Primogenitorum, quæ fiebant in Templo, figuræ tantum erant, & ſacrificium eorum non deſtruebat illos. Offerebantur Templo redimendi potius, quam ſacrificandi. Victimæ erant potius conſuetudinis, & officii, quæ vere quidem offerebantur, & in Templum uſque adducebantur, ſed quæ in ara non mactabantur: Sed JESUS CHRISTUS in Templum ingreſſus ſeſe vere conſecrat Deo, tradit ſe in Pontificis manum, tamquam victimam immolandum.

Maria comparatur Abrahamo in Sacrificio, quod facit Filii ſui.

Numquam mecum cogito, quid agatur in corde Mariæ, cum Simeon illi triſtem hanc, ac amaram prophetiam propoſuit, quin mihi videre videar cor Abrahæ juſſi immolare Deo proprium filium ſuum. Deus ter locutus eſt ad Abraham de Filio. 1. Ut hunc illi polliceretur. 2. Ut aſſereret illi, futurum ut omnes gentes benedictionibus replerentur in illo, & 3. Ut peteret, hunc ſibi filium immolari. Deus, ut veritas figuræ reſponderet, eamdem ſequitur rationem cum Virgine. Ter illam allocuta eſt. 1. Per os Angeli Filium illi promiſſurus; *Ecce*, dixit illi [illegible]briel, *concipies in utero, & paries filium*, qui fu[illegible] eſt Filius altiſſimi. 2. Mox loquitur illi per os Eliſabeth, quam replet ſpiritu ſuo, ut eam certam faciat, ipſam eſſe benedictionibus cumulatam, & benedictam inter omnes mulieres propter hunc filium. Demum loquitur ad illam per os Simeonis, quem replet ſpiritu ſuo, ut ab illa petat hujus filii ſacrificium. Aliquidne poteſt eſſe hac aptius comparatione? Angelus miſſus ad Abraham dicit illi: *noli timere Abraham*. Angelus ſimiliter ad Mariam miſſus loquitur: *Ne timeas Maria*. Abraham naturam omnem ſubjicit pedibus ejus, præparans ſe ad immolandum filium ſuum, uti jubetur, & præfert, Sanctus Ambroſius inquit, qualitatem ſacrificii qualitati parentis: *Sacerdotem prætulit Patri*. Maria ſimiliter offert Filium ſuum, aliquando victimam futurum.

Gen. 5.
Luc. 1.

Cæremoniæ factæ in dedicatione Templi Salomonici minores fuerunt illis Purificationis Mariæ, & Præſentationis Salvatoris.

Licet magnificæ fuerint cæremoniæ, quæ celebratæ fuerunt in Dedicatione Templi, quod Salomon Domino ædificavit, hoc tamen pro nihilo habendum eſt, ubi conferatur cum eo, quod contigit in hujus diei cæremonia, cum Deus ipſe hujus Templi illud ingreſſus eſt, & Sancta illius Mater ſe purificavit. Illuc allata fuit arca Domini illuſtre bonitatis ejus monumentum, ut fieret Templi dedicatio. Maria vivens arca fœderis novi accedit illuc factura oblationem ſuam. Illic facta fuerunt ſacrificia, & victimæ ſine numero immolatæ fuerunt; hic victima univerſalis generis humani, per quam cetera ceſſare debent, offert ſe Patri ſuo. Inviſibilis Domini præſentia ibi replevit illam domum gloriæ; hic ejus occulta Majeſtas ſub integumentis humanitatis ſuæ novam illi lucem tribuit. Ille promiſit Deus futurum, ut aperirentur aures, & oculi ſui, ad videndas miſerias, preces audiendas, populi ſui mala revelanda: hic miſeretur, & ipſe etiam ſentit miſerias, & Eccleſia in tanti beneficii gratitudinem exclamat: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio Templi tui*. Illic denſa aſſurgit nebula, ita ut nec Sacerdotes, neque populus ſeſe mutuo poſſent aſpicere: hic obſcuræ virtutes ita celant JESUM, & Mariam, ut vix poſſint dignoſci. Quæ illum gerit in ulnis ſuis, Virgo eſt, & nihilominus tamquam immundam ſeſe purificat. Hæc eſt Maria omnium optima; attamen tradit amabiliſſimum omnium filiorum paſſionibus, & certis perſecutionibus, quaſi omni careret benevolentia, & nullum Matris amorem foveret. *Elogia Hiſtorica*.

Cur Deus voluerit a Judæis ſibi offerri primogenita ut [illegible] Filium Dei, ſe offerre in hoc Myſterio tamquam primogenitum generis humani. Numer. 3.

Judæi offerebant Deo ſuo primogenita in memoriam inſignis illius beneficii, quod receperant cum Deus liberaturus illos de Pharaonis ſervitute, nocte una omnia in Ægypto percuſſerat primogenita: *ex quo percuſſi primogenita in terra Ægypti: ſanctificavi mihi quidquid primum naſcitur in Iſrael*. Hæc fuit cauſa Deo ipſo teſte potiſſima propter quam hæc cæremonia inſtituta fuit, & JESUS CHRISTUS qui erat legis finis, & conſummator, hodie offertur tamquam primogenitus totius humani generis in gratiarum actionem propter infinita beneficia perſonalia, & ſingularia, quæ Deo debemus: ſed quibus nemo noſtrum parem poterat gratiam referre, niſi per adorabilem præſentationem ſuam hic homo-Deus medium ſuppeditaſſet.

Filius Dei legem obſervat, quæ reſpectabat Filios conditionis magis noſtris, quam alii.

Neceſſitas, qua in veteri lege tenebantur parentes conſecrare Deo primogenita, juxta vim verborum legis eos tantum afficiebat, qui in Mundum venturi Matrum ſuarum uterum aperuiſſent: *Sancti fica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam*: ideoque JESUS CHRISTUS, qui non violaverat Matris integritatem ſed exierat ex Virginis ſinu eo modo, quo radius Solis tranſit per cryſtallum quin illam infringat vel maculet, non tenebatur legem hanc adimplere: Illi tamen ſe ſubjicit, & perfectius quam ceteri: etenim dummodo hi redimerentur pretio per legem conſtituto, Deus non petebat ab illis Sanguinis effuſionem, & illis relaxabat jus, quod in vitam eorum habebat. Sed JESUS CHRISTUS hoc non gaudet privilegio. Geſtari vult in Templum, ibi Deo offertur tamquam primogenitus; novit jus, quod habet Deus in vitam ſuam, ſe

ipſum

Google

ipſum redimit, & nihilominus ſubjicit voluntati Patris ſui, qui illum deſtinat morti pro humani generis redemptione.

Exemplum durationis, & conſtantis perſeverantiæ in Sancto Sene Simeone qui erat juſtus & fidelis in obſervantia legis Dei.

Satis non eſt præſto eſſe ad obſervandam legem ad exemplum JESU CHRISTI, eamque fideliter implere in occaſionibus, quæ occurrunt, ad Mariæ imitationem; conſtanter perſeverandum eſt in legis obſervantia Simeonis inſtar. Sanctus hic Senex præbet nobis exemplum probatæ perſeverantiæ; & coronatæ per conſolationem, quam recepit felici hic die, & quam tot annos ante præſtolabatur. Receperat ille reſponſum a Spiritu ſancto, qui, Sanctus Ambroſius inquit, oracula ſua edidit in corde illius, tamquam in Templo, ubi habitabat per gratiam ſanctificantem; Receperat, inquam, reſponſum ſe non eſſe moriturum, niſi vidiſſet CHRISTUM Domini. Tamen diſtulit Deus promiſſionis hujus fidem uſque ad extremam ſenectutem, & probavit ejus fidelitatem longa annorum ſerie illam glorioſe hodierna die coronaturus; quoniam non ſolum gaudet videns Meſſiam, ſed illum inter ulnas habere, & penetrare in futurum maxima vitæ ac mortis ejus Myſteria, ac tandem in pace mori eum famuli fidelis reſponſione. In nobis ſitum eſt, non videre monumentum mortis advenientis, niſi viderimus JESUM CHRISTUM formatum in animabus noſtris; ſed qui ad hanc felicitatem anhelat, expectare debet, non ſecus ac Simeon CHRISTUM Domini, Sanctus Ambroſius ait, hoc eſt, beatum illud momentum, quo veniet noſtram legibus ſuis obedientiam remuneraturus.

JESUS & Maria ſe legi ſubjiciunt ne tribuant Judæis ſcandali occaſionem.

Una ex præcipuis rationibus, propter quas Maria ſe purificavit ſecundum aliarum mulierum conſuetudinem, fuit, ne afferret proximo ſcandali occaſionem, qui neſciebat illam Virginem eſſe, & Matrem Dei: Qua in re ſe geſſit, uti deinceps Filius ſuus ea in occaſione, quam Sanctus Matthæus narrat. Salvator enim cum urgeretur ab illis, quorum erat vectigal exigere, quæſivit a Sancto Petro, quin tenerentur Principibus tributa perſolvere, & filii ne, an alieni? & Apoſtolo reſpondente, alienos ſane teneri. Reddidit Salvator, Filii ergo minime tenentur, innuens, ſe quatenus Unigenitum Principis univerſorum nullum tributum debere perſolvere; mox addidit, ne illis ſcandalo ſimus, *vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies ſtaterem: illum ſumens da eis pro me, & te.* Itaque cavit, ne homines illi ignorantes, quiſnam eſſet, ſcandalizarentur, ſi ſemet a tributo perſolvendo exemiſſet, cui ceteri erant ſubjecti. Sancta Virgo poterat procul dubio ſimiliter ratiocinari. Quænam Purificationi ſunt obnoxiæ? Virgines an Mulieres, quæ vulgari more pepererunt; Mulieres Matres hominum, an Virgo Mater Domini Mundi totius? Sed JESUS, & Maria noluerunt ſcandalum præbere: *Ne autem ſcandalizemus eos.* Mater purificavit ſe, & Filius tributum perſolvit, quamvis aliunde minime tenerentur.

Matth. 17.

Ibidem.

Omnia legis antiquæ ſacrificia erant figura illius, quod Maria offert in hac cæremonia.

Omnia legis antiquæ ſacrificia figuræ illius erant, quod de Salvatore factum eſt. Illud prædixerant Prophetæ, illud Patriarchæ concupierant, expectabant populi, & hodie in Templo adimpletum eſt. Profecto Seraphim gloria amicti non deſcendunt amplius ad Sanctuarium alis ſuis tegendum, pannoſa lintea Verbum carnem factum involvunt; non expectatur amplius, ut nubes de Cælo pluant juſtum, Virgo illud peperit. Denique non accedit amplius Mulier ex Iſrael, quæ offerat in Templum primogenitum, quem emundare nequeat a ſordibus: Maria, Virgo hæc ſine macula, quæ immunis licet a ſordibus, venit hodie oblatura Primogenitum ſuum, liberatorem, Deum ſuum, & quæ ſemetipſam purificat, quamvis inter omnes filios Adam præſervata ſit a peccato, immaculata, & ſola digna, quæ cum Filio ſuo in æternum ingrediatur Sanctuarium.

Applicationes nonnullorum Scripturæ locorum huic argumento.

Dei Filius declaravit ſe non veniſſe, ut legem infringeret, ſed adimpleret.
Quomodo hoc factum fuerit.

NOn veni legem ſolvere, ſed adimplere. *Matthæi 5.* Propter hoc Myſterium divinus Salvator noſter erudiens diſcipulos ſuos ſæpe illis declarabat, quod hodierna die nobis illius prædicat humilitas voce validiore, ac magis perſpicua. *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Quaſi veritus eſſet, Sanctus Chryſoſtomus animadvertit, ne qualitas Meſſiæ, & Auctoris novæ legis locum præberet id cogitandi, quod ſciebat illis non placiturum. Non veni legem ſolvere, ſed adimplere. Verbum divinum, quod nobis in æternum os debet obſtruere. Propter hoc ipſum Salvator iſte adorabilis adeo fidelis erat, & adhærebat omnibus legis ſcriptæ obſervantiis; ſeſe regulariter adeo Jeroſolymam conferebat Paſcha celebraturus, & ita ut non ſineret jota unum, aut unum apicem præterire, quin omnia ad unguem perficeret: *Jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Quo facto in nobis evertere cogitabat noxiam hanc animi diſpoſitionem, qua ferimur ad diſputandum cum Deo, cum agitur de lege ſua, & conabatur efficere, ut noſtram execraremur injuſtitiam, cum divinæ legi adhibemus coactam, mutilam, imperfectamque obedientiam, quæ univerſa ad hanc regulam redit: Nunquid id facere teneor? Hoccine abſolute præceptum eſt? hic agitur de ſalute æterna? Regulam fallacem, quæ nos objicit æternæ damnationi, quandoquidem certum eſt inter legis obligationem, & conſilii, unum plerumque gradum ſupereſſe, & nos hoc pacto noſmet gerentes, ſemper incedere ſecus oram præcipitii; quamobrem nos confirmare in hac maximi momenti ſententia cupiebat; nobis ſemper contra nos arripiendas eſſe partes divinæ legis: ubi agitur de lege Dei, metuendum eſſe ne decipiamur, & de nobis fallacem conſcientiam concinnemus: ad judicium ſexcentis in occaſionibus ferendum, quo uſque divina lex extendatur, non eſſe nobis conſulendas Mundi leges; in iis quæ ad Dei legem pertinent, ſolum diſpenſationis nomen formidinem, trepidationemque nobis inferre debere, & nobis horrorem incutere cum eo zelo, quem firma, & ſolida religio poteſt ſuadere. Hæc quippe ſunt, Chriſtiani, Sancta illa documenta, quæ in hoc Myſterio nobis tradunt Præſentatio Filii Dei, & Purificatio Reginæ Virginum. *Pater Bourdalouë ſerm. primo de Virginis Purificatione.*

Quam acceptum Deo fuerit hoc ſacrificium per Mariæ manus oblatum.

Tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Luc. 2. Pater æternus voluit, ut Filius ſuus ſibi per Mariæ manus offerretur. Poterat ne recipere ſacrificium ſibi acceptius; quandoquidem Deus erat victima, & Mater Dei erat Sacerdos? Si volumus ergo oblationes noſtras Deo acceptas eſſe, offeramus illas per Mariæ manus, conjungamus illas cum oblationibus JESU, quantumvis humiles, & immundæ illæ ſint oblatæ per manus adeo puras, conjunctæ cum victima adeo accepta, mundæ fient, & acceptæ. Cum Pater æternus voluerit dare nobis Filium ſuum per Mariam, voluit quoque nos habere per Mariam omnia bona, & voluit per Mariam noſtras preces recipere. Quidquid filius offert Patri, illi infinite jucundum eſt; quidquid Maria offert Filio, acceptiſſimum eſt. Pater nihil negare poteſt Filio, nec Filius Matri, nec Mater filiis, & iis, qui ad ipſam confugiunt vera cum fiducia. Si poſt hæc vobis deſunt gratiæ, cuinam ſubiraſci poteſtis niſi vobis?

Sanctus Simeon vivebat expectans Meſſiam, a terrenis rebus avulſus.

Simeon expectans conſolationem Iſrael. Luc. 2. Noverat Simeon ex Scripturis Meſſiam venturum in Mundum, ut redimeret populum ſuum, & vivebat hanc fovens ſpem, & hanc conſolationem expectans. Hanc tantum cupiens felicitatem, quis dicere poteſt quantum ille Mundi hujus fallacia bona contemneret? Spes ejus rei, quam expectabat, videbatur illi præferenda iis omnibus, quæ in terris poſſidere poterat; Scriptura de illo teſtatur, cor ejus penitus vacuum fuiſſe iis omnibus, quæ creata ſunt, & peritura, eumque Spiritu ſancto plenum fuiſſe: *& Spiritus ſanctus erat in eo.* Plenus erat gratia, & Spiritu ſancto, tamquam Stephanus; omnia in illo ſancta erant, cogitationes, deſideria, actiones, motus. Adhuc ſub lege jam pertinebat ad gratiam; primus, & noviſſimus. Noviſſimus e lege Moyſis, primus in gratia JESU CHRISTI; Judæus Religione, Chriſtianus amore. Sanctum hunc Virum imitemur, ſi recipere volumus eamdem gratiam, quam hodie recipit. Vivamus in expectatione bonorum æternorum; ſpes futuræ beatitudinis nos ſuſtineat in omnibus adverſis præſentibus, & faſtidium in nobis cieat omnium terrenorum bonorum.

Hoc Myſterium docet parentes offerre Deo Filios ſuos.

Tulerunt eum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Luc. 2. Ad aſſequendum illud documentum, quod nobis Sanctæ Virginis exemplum ſuppeditat, & quod reſpici poteſt tamquam unum ex maxime neceſſariis Ethicæ Chriſtianæ, dicimus, parentibus peculiarem adeſſe neceſſitatem offerendi filios ſuos Domino, & dicendi, quod illi dixit prudentiſſima Samuelis mater: *Pro puero iſte oravi & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam poſtulavi eum. Idcirco & ego commodavi eum Domino cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino.* Qua in re aſſeri poteſt, paſſim peccari; alii enim ab altari revellunt pueros, quos Dominus vocat ad ſe, & alii trahunt ad altare victimas involuntarias, quas ille non vult, & quæ nonniſi repellere poteſt. Parentes, quibus nulla eſt agendi ratio, niſi ambitio veſtra, diſcite, quomodo providentia in ludibrium vertat conſilia veſtra præpoſtere inita. Creditis filium hunc futurum gloriam familiæ veſtræ, qui fiet ejus opprobrium, & dedecus. Dei conſilium minime ſecutus incidet in nequitiam, & intemperantia diſſipabit bona, a vobis tot ſudoribus parta; vel illius jacturam patiemini, qui vobis relinquat poſteritatem, quam tantopere concupiiſtis, ut nomen vobis æternum compararetis; & ingentes opes, quas pro illo tantum congeſſiſtis, & fortaſſe tanto cum ſalutis veſtræ periculo, in alienas manus tranſibunt, & ſæviſſimorum inimicorum veſtrorum præda fient.

1. Reg. c. 1.

Maria nobis præbet magnum exemplum obedientiæ.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Luc. 2. Quid agit Maria? Seſe purificat, ut obediat legi, a qua ſe poterat diſpenſare dicens Miniſtris; ille, quem peperi, Templo major eſt, *& ecce Templo major eſt hic*, quoniam ille eſt, in quo reſidet Patris æterni Sapientia: *Et ecce plus quam Salomon hic*, quoniam Rex iſte nullum accepit donum a Cælo, niſi quia erat figura illius,

Matth. 12.

filius, quam Templo ſum oblatura. Tamen oblita omnium perſonalium privilegiorum ſuorum, & eorum Filii ſui, ſubjicit ſe legi, quæ humiliabat æque Matrem, & filium; & ubi completi ſunt dies Purificationis ſuæ, venit purificanda illa, quæ purior evaſerat per Dei-hominis Nativitatem, & redimit filium ſuum offerens oblationem pauperum, & per publicam actionem hanc declarans, filium ſuum ſervum eſſe, quem redimebat, & ſe non aliud eſſe, quam Matrem ſervi. O præſtantem obedientiæ lectionem, quam recipitis hodie, Fratres mei, a Maria ſemet ſubjiciente legi per inſpirationem Filii ſui, & a JESU CHRISTO, qui oſtendit ſubmiſſionem ſuam Patri, obedientiam a vobis debitam legibus ſuis, & neceſſitatem Purificationis, ſtatim ac Lex, & conſcientiæ veſtræ ſtatus hanc flagitant.

Maria ſupra legem obedit.

Nonne Deo ſubjecta erit anima mea? Pſalm. 61. David conſiderans, talem eſſe creaturæ conditionem, ut rebus in omnibus ſubjecta ſit Deo, tamquam Domino ſuo, ſemetipſum excitabat ad profitendum per obedientiam ſuam jus Dei ſuper illum in delicatiſſimis circumſtantiis, in quibus natura ſeſe ſubmittere refugit. *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea?* Huic innixa principio Maria ſe ſubjicit legibus omnibus; fatetur Deum eſſe Dominum ſuum, & ſe ancillam ejus. Non igitur ſe continet intra legis terminos, ut David: ſed cum illa vocetur ad virtutem prorſus inauditam, legem ipſam excedit, & adimplet legem Purificationis, quæ pro ſe artogata non fuerat, & in qua Moyſes præcaverat, ne involveret Mariam; de mulieribus enim duntaxat verba facit, quæ communi ratione *ſuſcepto ſemine* conceperunt; cum e contra Maria adhuc Virgo non ſine maximo prodigiorum omnium conceperit. Virgo erat, antequam conciperet Deum, Sanctus Bernardus inquit; manſit Virgo, cum illum concepit; poſt Conceptionem, & puerperium virginalem pudorem nequaquam amiſit. Dignatur tamen ſubjicere ſe legi, a qua cum ceteris vulgo Mulieribus confunditur; dicebat illa intra ſe cum Sancto Bernardo: Quid! Filius meus ſe ſubjicit, & non renuit haberi tamquam homo communis, cur erubeſcam, ſi tamquam Mulier ex aliarum mulierum cœtu videar? *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea?*

D. Bern. ſerm. 3. de Purif.

Humilitas Mariæ cum humilitate David comparata.

Vilior pluſquam factus ſum, fiam. Videri volo vilior adhuc, quam viſus ſim, David inquit, exprobrans, quaſi coram Arca ſaltationes edidiſſet Regis Majeſtate minime dignas. Videbor adhuc vilior, inquit Maria Davidis filia, ubi ingreſſa eſt in Templum Jeruſalem cum Arca fœderis, quam ulnis ſuis deferebat: *Vilior pluſquam facta ſum, fiam.* Jam dixerat Angelo, ſe Domini ancillam eſſe; & ipſum de ſe diſponere poſſe ſecundum verbum ejus. Hi ſenſus ſublimes quidem erant, ſed nonniſi glorioſi eſſe poterant; ſed illa nuntiabatur conceptum Filium in utero, & Salvatorem, ac Deum ſuum paritura. Sed talis non eſt cum ingreditur in Templum Jeruſalem. Tantum abeſt, ut extrinſecus aliqua laude afficiatur eo quod legalem adimplevit cæremoniam, ut immo offunditur quædam veluti nebula gloriæ Virginitatis ſuæ, & lex, quæ aliarum ſordes eluit, videtur illi eas, quas non habet, exprobrare. Angelus annuntians illi Myſterium Incarnationis dixerat, Altiſſimi virtutem obumbraturam eſſe; hic illa effundit ſuper ſe umbram longe aliam, non illam quidem Dei glorioſi, ſed Dei humiliati, & exinaniti, umbram, quæ illam obſcurat, umbram, quæ per obedientiam legis reddit eam in hominum oculis viliorem, & contemptibiliorem quam ante. *Vilior pluſquam facta ſum, fiam.*

Maria offert æterno Patri majus donum, quod illi poſſit offerri.

Tulerunt JESUM in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Luc. 2. Glorioſa Virgo repræſentari non poteſt in nobiliori ſitu, quam illam exhibendo geſtantem inter brachia JESUM, illum æterno Patri oblaturam. Hæc ſarcina nonne illam reddit auguſtiorem, quam ſi ſceptra geſtaret? Hoc enim diſcriminis intereſt inter Purificationem, aliaque Sanctiſſimæ Virginis Myſteria quod alibi recipit munera de manu Dei, hic autem Deum ipſum largitur. In Conceptione, & Nativitate recipit ſanctitatem cum vita; in Annuntiatione Pater æternus illi dat proprium filium ſuum, atque in triumphali Aſſumptione tribuit illi gloriam ſuam. Sed in hujus diei cæremonia, quam vocare poſſumus feſtum liberalitatis, & magnificentiæ Mariæ erga Deum, ipſa illum dat, offerens altaribus Dei JESUM CHRISTUM, & conſtituens illum munus pulcherrimum, quod creatura valeat offerre; offert enim Creatorem ſuum. Et ſane contemplemur magnitudinem doni, quod hodierna die offert æterno Patri Maria, hoc Verbum eſt, par Deo rebus in omnibus; objectum eſt in quo ſibi Deus complacebit; Videamus modo quanti ſteterit Mariæ hoc munus. Hic fructus eſt ſuæ Maternitatis; hæc anima eſt animæ ſuæ, quam magis amabat quam ſe. Meminerimus quem in finem offerat illum, videlicet, aliquando immolandum in Calvario; cujus præludium eſt Purificationis oblatio. Igitur Maria majus donum offerre non poteſt, quam quod offert Deo in die ſuæ Purificationis.

Maria ſemet ſacrificat cum Filio.

Sacrificium & oblationem noluiſti tunc dixi: ecce venio. Ecce igitur, o Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, ecce te in loco ſacrificii in Templo Patris tui, ubi oblatus fuiſti illi, & immolatus a ſæculo in omnibus victimis, & in legalibus oblationibus, quæ te figurabant, & pollicebantur. Non venis huc ſacrificandus; nondum enim venit hora tua, & mundi Salvator effuſurus eſt Sanguinem ſuum extra civitatem, & quaſi coram univerſo mundo, quoniam futurus eſt redemptio illius, & Sanguis hic inferendus eſt in Sanctuarium, non manu factum. Sed nequaquam ſolus es, quem temet offeras adorabilis victima! Sancta Mater tua, & dignum Dei Templum, ubi temet primum obtuliſti, tibi hic caſtis manibus ſuis altare conſtituit. Cor adhærens tuo fit in te idem Sacerdos, eademque victima offerens ſemet per te, & te rum eodem tempore, quo temet offers per illam, pro illa, & cum illa. Sancta hæc omnium ætatum, omniumque ſtatuum multitudo, quam ad hoc ſpectaculum vocas adeo novum atque divinum, conjungens ſe cum Filio, & Matre, ut concurrat ad ineffabilem hanc oblationem, oſtendit nobis jam in compendium redactam univerſam Eccleſiam tuam, & viventem imaginem ſacrificii corporis tui, & ſanguinis, quem offert hic in terris, & quem ſanctiori modo offeret in Cælis, ubi in te omnia tibi tua membra collegeris.

In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Pſalm. 39. Hiccine eſt JESUS CHRISTUS, qui ita Patrem ſuum alloquitur, quandoquidem ipſe victima eſt, quæ genus humanum eſt Sanguine ſuo reconciliatura? An Maria eſt, quæ ſemet ita Patri devovet æterno? ſimul ſunt JESUS, & Maria, quandoquidem unum eſt utriuſque ſacrificium. Sine, igitur Domine, ut me tecum, & cum Sanctiſſima parente tua me offeram: in capite enim libri, ſuper quo juravi me legem tuam obſervaturum eſſe, ſcriptum eſt, me voluntati meæ abrenuntiaſſe, & mihi tuæ eſſe obtemperandum: *in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Quis inferet illam in cor rebelle, quale meum eſt? Nonne gratia tua, quæ de nobis triumphat! Operare igitur admirabilem hunc effectum, Domine, & da mihi cor dignum, quod offeram tibi, & quod digne offeratur. Da mihi, ut reipſa exprimam cæremoniam Eccleſiæ Sanctæ tuæ; & concede, ut eo tempore, quo Eccleſia tua Sancta in manu mea cereum conſtituit, habeam fidem ardentem caritatis, eſuriam Cæleſtia bona per ſpem illuſtratam. Eleva cor meum, ut recipiam te tamquam lumen, tamquam ſuam ſanctificationem, atque ſalutem. Fac me participem diſpoſitionum, quæ ſunt in corde tuo, & in illo Sanctæ Genitricis tuæ, & in eo ipſe tu ſpiritus tui digito ſcribe, ut faciam voluntatem tuam. *In capite libri &c.*

Noſmet ſacrificare debemus cum Jeſu Chriſto, & cum Maria.

Sacrificium, & oblationem noluiſti, holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti; tunc dixi, ecce venio. Pſ. 39. Legis antiquæ Sacrificia tibi placere deſierunt: quamobrem dixi, ecce venio, & memet offero tibi. Hæc enim verba Regii Prophetæ conveniunt ad litteram Salvatori, ac in Templo Jeroſolymitano authentice adimpleta fuerunt; ibi enim hic Homo-Deus vetera antiquans holocauſta, ut novum inſtitueret, ingreſſus eſt in Sanctuarium, non jam, ut Apoſtolus inquit, per ſanguinem hircorum, & taurorum, ſed per proprium Sanguinem; hoc eſt, coluit Deum non amplius per externas victimas, ſed per ſeipſum, & ſumptibus ſuis, & per unicam hanc oblationem dedit illis, qui erant ſanctificandi, perfectam ideam cultus, qui Deo viventi debetur: *Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Ecce igitur quid nobis inſpirat diei hujus Myſterium; ſenſum profundum, ac reverentialem ſupremæ Dei Majeſtati, inviolabilem adhæſionem primo huic religionis officio, quod eſt obedientia, & ſummiſſio Deo: diſpoſitio ad ſemet ſanctificandos, & ſi fieri poſſet exinaniendos, ut tamquam JESUS CHRISTUS, Dei veneremur imperium. Hic arguite, & conjicite quantum ſit hominis malum, qui cum per proprietatem, quæ ſeparari non poteſt ab eſſentia ſua, cujuſcumque tandem conditionis ille ſit, natus ſit Deo ſubjectus, vivit tamen quaſi non penderet a Deo ex criminoſus, & quin erubeſcat, potius ſæpe gloriari videtur.

Filius Dei venit ipſe in Templum ſuum, ut [illegible] victima ſacrificia, & novum inſtituat.

Hebr. [illegible]

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Ecce aliud documentum quod nobis præbet Mariæ docilitas; cui enim ad altiſſimum evecta ſit apicem gratiæ, cui par eſſe poſſit creatura, non dedignatur ſeſe ſubjicere huic cæremoniæ rudi, & craſſæ, qualis eſt lex purificationis mulierum. Non adfectat illa, ut melius Deo ſuam oſtentet fidelitatem, vias magis ſpirituales ſequi, & perfectiores præ reliquis matribus, quarum ſordes nequaquam contraxerat. Hoc longe accidit eo, quo vivimus ſæculo; ubi ſi quis virtute præditus eſt, inde eſt, ut inter ceteros niteat. Sanctæ devotionis praxes ſimplici populo relinquuntur; crederet aliquis indecorum eſſe ſibi, populi devotionem imitari. Homines ſibi perſuadent, viam, quo purior eſt, eo perfectiorem eſſe; & nihilominus liquet, quo magis ſeſe attollunt per vias ſublimes, minus progredi, quia ut plurimum decidunt in tædium, & ariditatem, ex qua non ita facile emergunt.

Maria ſequitur vias communes, & non adfectat ſingularitatem.

Si Virgo adeo diligenter hiſce paruit cæremonialibus legibus, quibus minime tenebatur, quanto magis ipſi

obe-

obedire debemus præceptis Dei, quibus tenemur pœna peccati, & æternæ damnationis propoſita! Si adeo veneratа eſt ſervitutis legem, ut ſe illi ultro ſubjecerit, quam reverentiam, & ſubmiſſionem debemus ipſi Legi gratiæ, Legi Evangelicæ! & ſi ad unguem religione ſumma obſervavit, quod illi nullo erat in diſcrimine, qua cura nobis obſervandum eſt id, quod non ſolum noſtram petit amoris cauſſa obedientiam, ſed exigit per neceſſitatem! &c.

Maria nos ſuo docet exemplo, omnia nobis eſſe ſuſtinenda, & abrenuntiandum gaudiis omnibus ut Dei Legem obſervemus.

Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Luc. 2. Ne putetis Mariam non ſenſiſſe hujus prædictionis effectum, niſi in Calvario, eum adiiit Filii ſui Crucifixioni. Quidquid illi tunc fuit ſuſtinendum, ab hodierna ſuſtinet die, & hodie dicere poteſt ſe Cruci eſſe confixam: ſed cur opus eſt, ut obediens legi adeo acerbum patiatur martyrium? Ah Chriſtiani; quia erat prædeſtinata, ut magnam hanc nos veritatem doceret, ubi agitur de lege Dei, ibi nullam eſſe voluptatem, aut vitæ ſuavitatem quærendam. Hoc autem palam probatur; ſi enim ſacrificanda fuerunt gaudia æque pura, & ſancta, qualia fuerunt gaudia illius; nonnu æquum eſt, Sanctus Bernardus ait, ut ipſi ſacrificemus noſtra, quæ vana ſunt, quæ profana, quæ nos diſſipant, atque nobis Dei ſpiritum auferunt! Et ſi Mater Dei, quæ per excellentiam inter omnes mulieres erat Beata, nihilominus ſubjiciens ſe legi præbuit aſſenſum, ut affligeretur, itane facile divina lex iſta nos deterrere debet, ob aliquot pœnas, quæ in illius obſervantia ſunt ſubeundæ? At, inquies, quomodo ducenda nobis eſt vita omni ſapore carens, & moleſta? Hic enim ſpecioſus eſt ille color, quem prætexunt ignaviæ tot animarum mundanarum, cum apud illas habetur ſermo de perfecta divinæ legi ſubmiſſione. Quomodo ſtatus hic ſuſtineri poteſt? Sed auditor mi! Quomodo illum ſuſtines omnibus diebus inter tot impedimenta, quem habes cum Mundo? Quomodo illum ſuſtines ea in ſervitute, ad quam te redigis ut ſequaris omnes voluntates, & libidines hominis, cujus gratiam aucuparis? quomodo illas ſuſtines, ubi te ad id cogunt ambitio, & cupiditas tua? Si ageres per ſpiritum fidei, dicerem tibi, gratiam Dei omnipotentem lenituram tibi hoc tædium, quod reformidas. Si ſcires donum Dei, confitereris fluxa hæc gaudia ſatis ſuperque penſari conſolationibus, quæ longe aptiores ſunt ad cordis tui captum replendum. *Pater Bourdaloue ſerm. tom.* 2.

J. C. hodie oblatus a Maria finem imponit omnibus ſacrificiis.

Sacrificium, & oblationem noluiſti. Hominum, brutorumque primogenita, quæ per legem erant offerenda Domino ad redimenda populi peccata, inſufficientes erant oblationes, quæ ex Sancti Pauli ſententia ad ſummum purificare poterant carnem, non autem ſpiritum, neque corda. Idcirco illa, Domine, noluiſti, fuiſſentque tibi ſacrificia male olentia, niſi fuiſſent umbra quædam Filii tui. Ecce ille venit, ac deinceps renuis id genus ſacrificii; tempus enim acceſſit, quo non immolabitur amplius in ſchiſmatico monte Garizim, neque in Templo Jeruſalem. Ecce novus ordo ſacrificii, & Sacerdotis; Deus eſt, qui Deo offertur a Matre Dei: qui recipitur manibus Prophetæ non viventis niſi ut videat divinam hanc victimam, quæ ſubſtituenda erat in locum antiquarum; coram Propheteſſa loquente ad omnes, qui expectabant redemptionem Iſrael; ac dicente, te repuliſſe vetera ſacrificia, & in locum eorum te poſuiſſe deſideratum gentium, objectum, quod Patriarchæ concupiverant, & quod Davidi peculiariter promiſſum fuerat. Quam magna in ſe eſt recens hæc victima! Quam magna ratione offerentis, & illius, cui offertur; ſed quanta eſt, & quam utilis propter fines, ad quos deſtinata eſt; ſcilicet ad replendam multiplicitatem ſacrificiorum uno tantum, quod abunde noſtris ſatisfacturum eſt neceſſitatibus.

Cur JESUS, & Maria noluerint ſe diſpenſare a legibus, quibus non tenebantur, ſed potius jecerunt fundamenta Chriſtianiſmi per obedientiam.

Non veni ſolvere legem, ſed adimplere. Matth. 4. Nequaquam, fratres, Sanctus Auguſtinus ait, ſive ratio habeatur ſpiritus legis, ſeu littera inſpiciatur; Maria, & Mundi Salvator non poterant hac lege contineri; quia nihil erat in Maria purificandum, & hominum Salvator per ſe conſecratus erat Deo excellentiori modo, quam eſſe poſſet per omnes Judaicæ religionis cæremonias. Poterant ergo uterque ſuo uti jure, quoniam Moyſis lege non tenebantur: verumtamen Deus, Sanctus Auguſtinus adjicit, per admirabilem providentiæ ſuæ diſpoſitionem noluit, religionem noſtram, cujus JESUS & Maria, ut ita dicam, tunc jaciebant fundamenta, ducere initium a quantumvis legitima diſpenſatione. Diſpenſatio hæc licet probata, potuiſſet per falſas illationes, quas inde elicere potuiſſemus, locum præbere noſtris relaxationibus, & noſtra ipſa philautia iiſdem abuti nequaquam prætermiſiſſet. Itaque ad auferendam quamcumque prætexere cauſſam poſſemus; Chriſtianiſmus, qui eſſe debebat irreprehenſibilis Sanctitatis idea, duxit initium ab ultronea obedientia, a gratuita obedientia, ab obedientia, quæ annihilat quidquid vana ſubtilitas nobis ſuggerere poteſt contra Sanctas leges, quas nobis imponit Religio; per obedientiam, quæ ſine exceptione damnat tot diſpenſationum abuſus, quos nobiſmet ipſis concedimus; tot inviſas ſingularitates, quas adfectamus, tot a jure communi exceptiones, quas aſſertæ neceſſitatis integumento involvimus, tot futiles, laboranteſque argumentationes, tot opiniones audaces, & nimis laxas, tot chimericas probabilitates, tot ambages, & nimias ſubtilitates, quibus legis puritatem adulteramus: ita ut quamtumvis arcta ſit, nos minime obligat, niſi quantum volumus, & eo modo, quo volumus: etenim quam virtutem non habet exemplum hominis Dei, & Beatæ Genitricis ejuſdem ad hunc errorem auferendum, & has illuſiones nobis aperiendas?

Sacrificium Mariæ, quo obtulit Filium ſuum, præſtat ſacrificio Abrahæ.

Tolle Unigenitum tuum, quem diligis Iſaac. Gen. 21. Si Abraham adeo acceptus fuit Deo, quia voluit offerre illi ſacrificium filii ſui Iſaac, ut Deus ipſe videatur unum illud habuiſſe de quo in Lege veteri gloriaretur; ſi hoc extremum fuit periculum fidelitatis ejus, & actus maxime heroicus conſtantiæ ſuæ; quid dicendum erit de ſacrificio, quod Maria offert hac die? Sancti Patres admodum diſerti ſunt, cum de ſummo hoc differunt Patriarcha. Deo, ſatis non eſt, inquit Ambroſius, præcipere, ut filium ſibi ſuum ſacrificet, eum vocat *Unigenitum*, ac dilectum: *Tolle Unigenitum tuum, quem diligis Iſaac*, idque ut magis crucem figat amori paterno; ut magis moveat cor ejus, proponens illi mortem filii, quem diligit, & ut magis illius eiet miſerationem. Præcipit etiam ut ad filium offerendum recedat in montem procul, ut itineris tempore locum habeat meditandi, & ſpatium agendi cupiditati ſuæ, ac tenerrimos pietatis affectus in illo ciendi. Permittit, ut filius ſecus viam illum interpellat de actione, quam facturus eſt, & quærat de victima; & hæc omnia ut compertum habeat, utrum amor patris inceſſanter in corde ejus experrectus illum ab incepto deterreret, & utrum fidelitas tot, tamquam variis modis laceſſita, labefactaretur. Ad examen has omnes circumſtantias revocate; non vobis videtur Deus eamdem ſecutus eſſe rationem erga glorioſam Virginem, & adeo gravi præcepto illius conſtantiam expertus fuiſſe? Vult, ſi Sancto Bernardo credimus, illam quadraginta expectare dies antequam illi hanc victimam præſentaret, ut per otium cogitaret quid ſibi faciandum eſſet, & ejus amor toto hoc temporis intervallo juges ſuſtineret incurſus; vult illam ſeſe in Templum conferre, ac ſe præſentare in hunc finem, ut per gravem hunc tentationem faceret ſimul ſacrificium Matris & Filii. Videtne quidquam poteſt magis conforme? Nos docet exemplo adeo illuſtri, & manifeſto; nullam eſſe benevolentiam, aut amorem, aut difficultatem, quæ vetare poſſit, ne obtemperemus Deo, quoniam hæc omnia ſæpe vetare non poſſunt, ne hominibus pareamus. Quid enim adeo arduum, ac moleſtum petit Deus, ut mundus, cui alacriter obedimus, duriora, & graviora non petat? *Auctor ſermonum in omnia argumenta.*

Poſſumus eadem felicitate qua S. Simeon in communione, & in altaris ſacrificio, & J. C. Patri Æterno præſentare.

Et ipſe Simeon accepit eum in ulnas ſuas &c. Luc. 2. Simeon accepit JESUM CHRISTUM in ulnas ſuas illum Deo oblaturus. Non Filius tantum obtulit ſe Patri, neque ſolum Sancta ejus Mater illum obtulit: Sed Simeon quoque auſus eſt illum offerre, ubi accepit eum in ulnis ſuis. Mihi quoque contingat Domine, ut te poſſideam, ut ita dicam, æque ac Simeon, non quidem inter brachia mea, verum etiam in ſinu meo. Permitte ergo ut ego quoque te offeram omnipotenti Patri tuo, & me etiam illi præſentem, cum te, & non ſecus ac te. Ecce Pater omnipotens Filium hunc æqualem tibi. Ille ſe mihi dedit, ut illum pro me tibi poſſem offerre. Hunc offero tibi, magne Deus, ſed quoniam omnes ſimul cum illo idem corpus efficimus, cujus caput eſt, & nos membra, quia cum illo idem ſpiritus ſumus, & idem cor; quoniam nolo unquam ab illo ſeparari, & offerens illum tibi, Deus meus, offero me quoque cum illo, in illo, & per illum. Si me ipſum duntaxat offerrem, contemptibilis tibi eſſem oblatio; ſed cum Filius tuus tibi offerat, Domine, poteſtne tibi acceptum non eſſe quod a tali offertur manu? Cum ego cum illo conjunctus ſim; cum ille, & ego non efficiamur, & non ſimus niſi eadem oblatio, poteſne illum quidem recipere, me autem repellere? Nimis illum diligis, ut non ames, quod ipſe amat; ego vero illi nimis carus ſum, ut nullo me habeat in diſcrimine. Quid tibi debeo, vel quid tibi non debeo, Salvator mi! Sine te nihil eram, niſi miſeria, infirmitas, ægritudo, peccatum, inimicus Dei, mancipium Inferni, victima igni devota; ſed per te dimiſſa ſunt mihi peccata mea, per te vim habeo ferendi miſerias meas, coercendi cupiditates meas, vincendi inimicos ſalutis meæ, ſuſtinendi me in infirmitate mea; per te amicus Dei fio, Dei Filius, hæres Dei; ut me præſentem eum JESU CHRISTO, debeo præſentare me tamquam JESUM CHRISTUM. Igitur conſidera, anima mea, circumſtantias oblationis ſuæ, & qua cum perfectione ſe offerat. *Pater le Valois in Alloquiis de Myſteriis Sanctæ Virginis.*

PARA-

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

UNde ſordes in Maria, quæ nec in concipiendo libidinem, neque in pariendo eſt paſſa dolorem? Unde ſordes in domo, in qua nullus habitator ſorte acceſſit? Solus ad eam ejus fabricator, & Dominus venit. Sanctus Auguſtinus contra duas hæreſes.

Timenti, grave præceptum Domini, amanti leve. Idem in Joannem.

Quantum Deum diligat, debes in dilectione legis oſtendere. Idem.

Mariæ ſupra legem fecerat gratia, ſub lege fecit humilitas. Idem.

Non Abel ex muneribus, ſed ex Abel munera placuerunt. Gregorius in Job lib. 22. cap. 8.

A partu Virginis (JESUS) uſque ad paſſionem effectus hoſtia. Tertullianus adverſus Judæos loquens de CHRISTO.

Nequaquam immunda judicatur, quæ Sancto Spiritu obumbrata, totius munditiæ & ſanctitatis auctorem genuiſſe probatur. Euſebius Emiſſenus, ſerm. de Purificat.

Non eſt diſſimilis ratio Purificationis Matris & Filii Circumciſionis. Sanctus Bernardus ſerm. 3. de Purificat.

Nihil in hoc conceptu, nihil in hoc Partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum, nimirum cum ipſa proles fons puritatis ſit, & purgationem venerit facere delictorum. Idem ibidem.

Quid in me legalis purificæ obſervatio, quæ puriſſima facta ſum ipſo partu immaculata. Idem ibidem.

Vere o Beata Virgo, vere non habes cauſſam, nec tibi opus eſt Purificatione, ſed nunquid Filio tuo opus erat circumciſione? Idem ibidem.

Eſto inter mulieres tamquam una illarum; nam & Filius tuus ſic eſt in numero puerorum; circumcidi voluit, & non multo magis voluit offerri. Idem ibidem.

Cur abſtineam ab ingreſſu Templi, cujus uterus neſciens virum, factus eſt Templum Spiritus ſancti? cur non ingrediar Templum, quæ peperi Dominum Templi? Idem ibidem.

Offer Filium tuum Virgo ſacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino præſenta, offer ad noſtram reconciliationem hoſtiam Sanctam, Deo placentem. Idem ibidem.

Veniet quando non in Templo offeretur, nec intra brachia Simeonis, ſed extra civitatem, intra brachia Crucis. Idem ibidem.

Illud erit Sacrificium veſpertinum, iſtud eſt matutinum: in utroque tamen potes accipere, quod Propheta prædixit. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Idem ibidem.

Venies, quando non redimetur alieno, ſed alios redimet Sanguine proprio. Idem ibidem.

Et nos faciamus quod poſſumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod ſumus utique noſmet ipſi. Idem ibidem.

Nobis CHRISTUS circumciditur, & Maria purificatur. Sanctus Hieronymus.

PARAGRAPHUS V.

Quid depromi poteſt ex Theologia penu hoc in Argumento.

Hac die duplex celebratur feſtivitas & duplex Myſterium, videlicet Purificatio Virginis & Præſentatio Salvatoris Æterno Patri in Templo.

DIei hujus feſtivitas duo magna Myſteria complectitur, Sanctæ Virginis Purificationem, & JESU CHRISTI Præſentationem. Omnium Virginum puriſſima, quæ ſe ſubjicit legi purificationis; Sanctus ſanctorum, æternus, novi fœderis Sacerdos, qui offert ſe Domino, quatenus victimam; Maria Dei Mater, mulierum omnium Sanctiſſima offert expiationis ſacrificium; illa, quæ ne minimam quidem labem contraxit; Filius unicus Patris æterni, Redemptor humani generis redimi vult, ut ſemetipſum immolet pro nobis in Calvario. Duplex ſacrificium in duplici Myſterio Matrum omnium amantiſſima venit ipſa Filium ſuum immolatura; Virginum omnium puriſſima, quæ per humilitatem cum ceteris vulgo mulieribus commiſceri dignatur. Maria in Præſentatione, quam Filii ſui facit Deo pro hominum ſalute ſacrificat quidquid ſibi cariſſimum eſt quatenus Matri, & in Purificatione ſua immolat, ut ita dicam, quidquid ſibi pretioſiſſimum eſt quatenus Virgini, gloriam videlicet ſuæ Virginitatis. Quot in uno Myſterio! Deus victima; Virgo, quæ ſolam ſibi ſumit Matris qualitatem; Sanctus Propheta, qui tenet inter ulnas ſuas Meſſiam, & qui omnia evolvit ſecreta, omnemque noſtræ redemptionis œconomiam.

Quid continerent duæ leges per Moyſ. [illegible] pro Matribus, & Filiis.

Dominus irrogans leges populo ſuo præceperat, ut feminæ poſt puerperium ſuum aliquot dies abſtinerent a tactu rei cujuſpiam Deo conſecratæ, & ab ingreſſu in Templum. Hoc tempus erat dierum quadraginta, ſi puer, & octuaginta, ſi puella oriretur: quo tempore elapſo Mater in Templum ingreſſa offerret agnum in holocauſtum, ut Deo gratias ageret felicis puerperii, & columbam, vel turturem pro peccati expiatione; videlicet pro expiatione ab omni impuritate legali; quod ſi Mater eſſet egena, offerret pullum columbarum, vel turturem pro agno, quo per Sacerdotem oblato coram Domino, jam pro purificata haberetur. Præter legem Purificationis Maternæ, alia ſpectabat ad primogenitum. Si primus uteri Materni fructus proles eſſet virilis, illum Domino ſeparabis, inquit Scriptura, eumque Domino conſecrabis. Hac lege omnia filiorum Iſrael primogenita devovenda erant altarium miniſterio; ſed quia ad hoc munus elegerat Deus ſibi filios Levi, præceperat, ut Tribuum aliarum primogeniti immunes a Templi miniſterio Domino offerentur tamquam primitiæ illi debitæ, & mox argento redemptæ.

Maria ſe ſubjicit legi Purificationis licet non teneretur.

Liquet Mariam nequaquam ſubjectam fuiſſe legi Purificationis, quæ cum concepiſſet Spiritus ſancti opera, quin Virginitatis detrimentum pateretur, indigere non poterat Purificatione, ideoque ſub hac lege non comprehendi; cum miraculoſa JESU CHRISTI nativitas nonniſi Matrem effeciſſet puriorem. Maria tamen quantumvis Virgo, ultro ſe ſubjicit legi, quæ pro mulieribus vulgo erat impoſita. Ex amore, quo illa Virginitatem proſequebatur, conjicite magnitudinem ſacrificii, quod obtulit hodierna die immolans ante oculos omnium id, quod, ut ita dicam, conſtituit Virginum gloriam. Sufficit hunc eſſe humilitatis actum, & religionis ne ſe diſpenſet, ſuo uti renuit privilegio. Exemplum quod illi dederat Filius ſuus octavo poſt nativitatem ſuam die ſemet legi Circumciſionis ſubjiciens, non ſinit, illam ſe diſpenſare a Purificationis lege die poſt puerperium quadrageſima. Quæ confuſio! quod probrum illis, qui ſecum diſpenſant ab eſſentialibus religionis officiis ob inanes titulos dignitatis aut generis!

Munera, quæ Maria offert pro ſe, & pro Filio ſuo.

Sancta Virgo ſe confert in Templum ea die, quæ per legem conſtituta eſt; & ſequens rebus in omnibus Spiritum Filii ſui offert & pro ſe, & pro illo duos pullos columbarum, quemadmodum pro pauperibus cautum erat. Verum eſt, quod ipſa offerente Deo Agnum ſine macula, cujus cruore mundus totus erat aliquando expiandus, neceſſe non fuiſſet offerre in holocauſtum Agnum, qui ſecundum Fidei ſpiritum, ſimplex erat figura.

Quamvis hæ duæ leges viderentur contumeliosæ Matri Dei & Salvatori, illi ſe tamen ſubjiciunt.

Lex Purificationis non ſolum erit Deiparæ contumelioſa, cujus divinæ Maternitati labem aliquam videbatur offundere, non minus ac puritati ſui partus; ſed multo magis JESU CHRISTO, quandoquidem illius Divinitati, & ortus ſanctitati videbatur oppoſita. Tamen uterque ſeſe illi ſubjicitur, & una eademque cæremonia duas diverſas leges adimplent; alteram, quæ Matres jubebantur, ubi filium enixæ fuiſſent, die quadrageſima in Templum proficiſci, ac interea toto eo temporis ſpatio abſtinere; alteram vero, qua cautum erat, ut illuc afferrent primogenitum ſuum Domino conſecrandum in gratiarum actionem, quas receperant Hebræi, cum præſervati fuerunt ab interitu, dum per Angelum exterminatorem omnia Ægyptiorum primogenita necarentur. Proculdubio nec Filius, nec Mater his legibus tenebantur; immo videretur, Interpretes inquiunt, propria legis verba, quæ ad Matres pertinent, habuiſſe Sanctiſſimæ Virginis rationem, ita enim, inquit, *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum*, quæ verba non pertinent ad Matrem Dei, quæ per omnipotentem Spiritus ſancti virtutem concepit: ita devotus Sanctus Bernardus illam loquentem inducit: *Cur abſtineam ab ingreſſu Templi, cujus uterus neſciens virum, factus eſt Templum Spiritus ſancti? cur non ingrediar Templum, quæ peperi Dominum Templi?*

Quovis tempore Deus exegit munera & Sacrificia a creaturis ſuis propter bona, quibus eas cumulavit.

Quovis tempore petiit Deus a ſuis creaturis ſeu tamquam tributum in gratiarum actionem eorum bonorum quæ ab illius largitate cumulatæ ſunt, ſeu tamquam obſequium, quod majeſtati ſuæ præſtare tenebantur: Hinc profecta ſunt legis antiquæ ſacrificia, quorum varietas innuit varietatem cauſſarum, propter quas ab hominibus offerebantur, & diverſos titulos, ſub quibus ſupremæ huis majeſtati debebantur. Omnibus vero id erat commune, quod videlicet erant actus Religionis, quo homines colebant illum tamquam auctorem rerum omnium, & modo offerentes illi partem bonorum, quæ ab illius bonitate receperant, illi gratias agebant laudis, & honoris ſacrificium, & modo etiam juſtitiam ejus flectere adnitebantur, offerentes pro peccatorum expiatione munus conforme ſtatui, in quo apparebant, ut veniam conſequerentur. Hæc autem munera omnia & ſacrificia hactenus fuerant infirmæ gratiarum actiones, appoſitæ, ſi habet, hominum infirmitati, & egeſtati, ſed minime congruæ magnitudini, & ſupremæ Dei majeſtati. Sed hodierna die ipſi offertur munus dignum ipſo, hoc eſt offertur munus meriti infiniti Deo infinitæ majeſtatis: Ideoque munus, quod par eſt illi, cui offertur, quandoquidem Homo-Deus offert Deo. & Verbum Incarnatum, quod hactenus hominibus tantum videbatur datum venit ad præſtandum obſequium, quod nonniſi æterno Patri debere poterat; *Veniet ad Templum ſuum Dominatorem, quem vos quæritis.* Illud vero Malach.

hodie

Digitized by Google

hodie nobis cogitandum eſt velle Deum, ut hæc omnia fiant per manus Mariæ, quæ non minus contulit ſaluti noſtræ ſe felicitati virtutum ſuarum exemplo, & documentis, quæ ex omnibus actionibus ejus percipimus, quam oblatione, qua Filium ſuum præſentavit.

Quanti ſteterit Mariæ in hac cæremonia ſacrificium gloriæ ſuæ, & ſuæ exiſtimationis.

Non deſunt in terris, qui generoſe ſacrificent Deo bona ſua, fortunas, voluptates, libertatem, vitamque ipſam: ſed quotuſquiſque ultro ſacrificant deſiderium gloriæ omnibus hominibus inſitum, præſertim vero iis, qui corde magnanimo prædita ſunt? Quis e contra non adnitatur ſartam tectam tueri eam celebritatem, quam ſibi legitime comparavit apud eos, qui virtutem colunt, & plurimi faciunt? Quamvis tamen ſuaves ſint honoris illecebræ, fatendum tamen eſt, infamiæ metum toto cælo eſſe graviorem; amor enim, quo hujus vitæ bona complectimur, nunquam adeo violentus eſt, ac horror, quo mala illis oppoſita fugimus, quoniam omnia hæc bona non addunt eſſentiæ noſtræ niſi perfectionem accidentalem, qua facile carere poſſumus, cum malum vel nos deſtruat, vel ſaltem nos lædat, & in nobis ſemper pariat moleſtiam, atque dolorem. Cum autem infamia ſecundum hominum ſententiam habeatur tamquam malorum omnium maximum, mirum eſſe non debet, ſi illud naturaliter tantopere horreamus. Ita hic extremus eſt Chriſtianæ generoſitatis conatus, ultro ſeſe objicere contemptui, & proprio aſſentiri dedecori, tunc vero potiſſimum, cum nulla id lege tenemur, & plurimæ adſunt cauſſæ, quæ nos deterrent. Hoc in ſtatu reperitur Virgo ſancta, quæ Templum ingreditur purificanda. Lex iſta mirum in modum officiebat ejus honori; offundebat enim labem nitori puritatis ſuæ, & caliginem gloriæ divinæ Maternitatis. Magnum igitur dedecoris argumentum, ſecundum ſpeciem, videri jacturam feciſſe pretioſi ejus theſauri, qui vita ipſa illi carior erat: Tamen omnes illa conſiderationes hujuſmodi prætermittit, & quæ Virginitatem quodammodo prætulerat honori divinæ Maternitatis, mavult videri tanto hoc decore exuta, quam non exercere humilitatem obtemperando legi a Deo per Moyſem irrogatæ.

Præter naturalē obligationem offerendi Deo generatim ſacrificia, poſitivâ lege hujus cæremoniæ ſacrificia imperata ſunt.

Quamvis obligatio offerendi Deo ſacrificia ex eſſentiæ noſtræ natura proficiſcatur, adeoque illam ignorare nequeamus, Deus tamen illam populo ſuo per leges poſitivas ſignificavit. Ita videmus in Levitico duo præcepta, alterum generale, quo præcipiebat Deus, ut poſt conſtitutos dies pro Matris Purificatione offerretur ſacrificium in Templo pro filio: alterum vero particulare, quo Deus præcipiebat, ut primogeniti offerentur. Hac de cauſſa, S. Thomas inquit, voluit JESU CHRISTUS in Templum deferri Deo præſentandus, ut ſubjiciens ſe legi eos, qui ſub lege erant, redimeret: *CHRISTUS voluit ſub lege fieri, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret*; & pro eo, quod ad Matrem pertinet, cum eodem Patre dicamus; *Hodie Sacerdotiſſa magna Templum ingreditur*, ut Sanctiſſima Religionis obeat officia.

Sacrificium redemptionis noſtræ incepit hodie, & Maria meruit nomen Redemptricis.

Legalis cæremonia non eſt, ut ita dicam, niſi cortex Myſterii: Sacrificium Filii, & Matris totum interius eſt. JESUS CHRISTUS per hanc oblationem incipit hodierna die in Templo ſacrificium noſtræ redemptionis, quod in Calvario conſummaturus eſt. Maria de hoc edocta Myſterio, offerens Filium ſuum æterno Patri, illum quodammodo devovet Cruci. Dici poteſt, ipſa illum redimere tamquam victimam in diem magni illius ſacrificii paſcendam. Patres omnes teſtantur; ipſam libentiſſime hunc obtuliſſe, & propterea tribuunt illi glorioſum nomen reparatricis generis humani: quamobrem Sanctus Bonaventura applicat illi præclara hæc Sancti Pauli verba, quibus uſus eſt ut exceſſum divini erga homines amoris innueret: *Sic Maria dilexit Mundum*, ait ille, *ut Filium ſuum unigenitum daret* in illius redemptionem. Cogita, ſi fieri poteſt, quanti ſteterit parentum omnium amantiſſimæ tale ſacrificium. Non ſolum ex eo tempore generatim intellexit, cariſſimum hunc filium daturum eſſe vitam pro noſtra redemptione, ſed videbat etiam, quemadmodum Rupertus Abbas teſtatur ſingillatim tamquam in ſpeculo deſcriptos omnes dolores, quibus mors illius erat conſocianda. Hodierna die divinam hanc Domino victimam præſentans, incepit, ut ita dicam, ſuum ſacrificium.

Sacrificium hoc fuit initium ſacrificii Crucis.

Matris Purificationem excepit oblatio Filii. Mariæ ſacrificium vocatur ſacrificium matutinum, & illud quod offeret Filius ejus, veſpertinum vocabitur. Qui judicium ferre vellit ex hujus cæremoniæ apparatu, nihil ibi deprehendit niſi ſuave, & jucundum. Maria offert Deo Filium ſuum per manus Sacerdotis; illum quinque ſiclis redimit; offert duorum turturum ſanguinem, ut Salvatoris Sanguini parcat. Quia rigoris lex continet iſta. Sed aufer myſtica integumenta, & ſcrutare ſpiritum hujus cæremoniæ, & intelliges puerum hunc aliquando in Crucem ſublatum iri, quinque diris vulneribus eſſe transverberandum, totumque illius cruorem pro mundi ſalute effundendum. Eſt ne ſacrificium magis oppoſitum caritati Matris unum duntaxat filium habentis? Matris, quæ non partitur ſuum amorem cum Patre; Matris, quæ ſcit Filium a ſe oblatum eſſe Deum, & quæ diſtinctiſſimam habet cognitionem ſuppliciorum, quæ manent Filium ſuum, eique præparantur?

Dignitas, & pretium oblationis quam in hoc Myſterio faciunt J.C. & Maria.

Attendenda eſt dignitas, & pretium oblationis, quam JESUS CHRISTUS hac die ſollemniter facit in Templo Jeruſalem. Hæc quacumque ex parte ſpectetur eſt infinita: perſona oblata infinitæ dignitatis eſt; ipſe eſt JESUS CHRISTUS; Homo-Deus, perſona offerens dignitatis eſt infinitæ, eſt JESUS CHRISTUS: Homo-Deus eſt offerens ſemetipſum. Perſona, cui fit oblatio, eſt infinitæ dignitatis, Deus eſt, Pater æternus, Principium cujus cauſſa fit, infinitum eſt; amor JESU CHRISTI erga Patrem ſuum, & erga nos. Finis propter quem fit, infinitus eſt, fit enim ut procuretur Deo gloria, qualem meretur, & infinitæ illius majeſtati debetur, ut deleantur mundi peccata, quæ ſunt infinita gravitate, & numero fere infinita; ut homines redimantur, & tribuatur illis ſanctitas, & beatitudo, quarum utraque infinita eſt in objecto, & duratione ſua.

Inſpiratione ſecreta Maria defert in Templū Filium ſuum Domino offerendum. Luc. 2.

Per ſecretam Filii Dei inſpirationem, Maria Mater ſua pergit in Templum oblatura illum Domino, ut in lege ſcriptum eſt: *Ut ſiſterent eum in Domino ſicut ſcriptum erat in lege*. Cum lex iſta pro communibus filiis exercebatur, opus erat, ut patres eorum in ipſorum locum ſe ſubſtituerent, offerrent Deo victimas innocuas, quæ nondum ſemet poterant offerre, & quodammodo ſuam mutuarentur voluntatem filiis nondum voluntatis uſum habentibus. Hoc non accidit huic filio, quem Joſeph, & Maria præſentant in hac ſollemnitate. Filius hic ſimul eſt Sacerdos, & victima: dum Maria illum extrinſecus offert, ipſe intus ſe ipſum offert, idque modo prorſus ineffabili: Quemadmodum perfecte cognoſcit ſupremum Dei dominium in ſe, tamquam Filium ſuum, perfectiſſime ſeſe ſubjicit illi. Templum reſonat clamoribus Filii, ſed inter confuſos balbutientis vagitus, ſecreta vox exauditur clamans: *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Hoſtia quam Virgo ſacra offert talis eſt, qualem S. Paulus requirit.

Hoſtia quam Sancta Virgo offert in hoc Myſterio omnes habet qualitates, quas Sanctus Paulus requirit *Hoſtiam Sanctam, Hoſtiam viventem, & Deo placentem*. Hoſtiam Sanctam per Verbi unctionem, & increatam Dei ſanctitatem, per quam Corpus & Anima JESU ſacrificantur; Hoſtiam Sanctam, & ſanctificantem, ſanctificat enim naturas omnes intellectuales, & ſi Templum locus eſt Sanctus; ſi victimæ legales Sanctæ erant, id erant intuitu divinæ hujus Hoſtiæ, quæ replet meritis ſuis, ſuaque ſanctitate omnes umbras, & figuras legis antiquæ ſecundum Aggæi prophetiam: *Veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebit domum iſtam gloria*. Hoſtiam Viventem prima hac vita, originali, & ſupereminente, quæ pertinet ad illum, qui vivit in ſæcula. Hoſtiam acceptiſſimam Deo: quoniam hoc objectum eſt, in quo ab æterno ſibi complacet Deus Pater, qui non amat niſi filium hunc, vel eum qui defert characterem hujus Filii, hoc eſt, qui particeps eſt ſuæ amabilitatis.

Maria offerens filium ſuum Domino perſpexit intellexit hunc ad Deum magis pertinere quam ad ſe, & hanc ſolam eſſe victimam quam poterat.

In hoc Myſterio intellexit Maria, Filium ſuum ad Deum pertinere, Sanctam humanitatem, qua ipſum induerat, opus eſſe Creatoris; fortaſſe hujus unius victimæ intuitu, Dominum petiiſſe, ut omnia ſibi primogenita offerrentur. Profecto cætera non poterant Deum glorificare, unus JESUS CHRISTUS, hoc eſt Incarnatus Deus, oblatus ſuper ara, victima erat digna Domino, cui offerebatur. Quid? potuiſſetne Maria privare hoc Deum ſuum? Subtrahere Domino unicam victimam dignam ipſius magnitudine? Non ita, Auditores, aliud quidpiam ab omnium creaturarum obedientiſſima expectate. Se transfert in Templum cum iiſdem ſenſibus, quibus olim ſeceſſit in Montana Judææ: *Magnificat anima mea Dominum* inquit. Gloriam tuam, Domine, magnificare fert animus per donum, quod tuis altaribus offero. Huc uſque omnes hominum filii, qui tibi fuerunt oblati, & animalia, quæ tibi jugulata fuerunt, infirma erant argumenta ad teſtandam magnitudinem quidem tuam, noſtram vero ſubmiſſionem. Ecce tibi victimam univerſo Mundo, quem creaſti, majorem, atque audeo dicere, hanc dedignari non potes. Hanc expectas, & fortaſſe propter hanc, univerſam legis Moſaycæ œconomiam diſpoſuiſti. *Pater Caſtro*.

Filius Dei præter Moſaycæ legis obſervantiā illam quoque adimplevit quā Pater illi intogaverat: hoc eſt hominum Redemptionem.

Quod pertinet ad legem Moyſis, Dei filius illam obſervavit juxta omnem illius latitudinem. Legi vero, quam Pater æternus illi irrogavit, fidelius, ac diligentius ſatisfacere non poteram, quam in hoc Myſterio. Illam audire ſatis eſt ex ore Apoſtoli in Epiſtola ad Hebræos dicentis; Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: ecce me paratum, ut illud tibi ſacrificem. Subii jam acerbiſſima paſſionum ſpecimina in nativitate mea, & vidi me redactum ad extrema quæque, ad quæ vita humana redigi poteſt. Effudi jam primitias ſanguinis mei, quem ad noviſſimam uſque guttam effuſus ſum, & modo in hoc Templo, ubi me tibi offero per præparationem mentis, & cordis mei, ut obediam te uſque ad mortem Crucis, incipio ſacrificium quod in Calvario ſum conſummaturus: *Corpus autem aptaſti mihi, tunc dixi: ecce venio.* Ad Hebr. 10.

Re-

Pſalm. 1.
Pſalm. 39.

Regius Propheta aliquando conſtituit juſti voluntatem in lege: *In lege Dei voluntas ejus*, & aliquando legem in corde juſti conſtituit: *Lex Dei in corde ipſius*, ut intelligamus, legem eſſe debere in corde noſtro, tamquam in ſede ſua, ubi præcipit omnibus motibus animæ noſtræ; ſimulque cor noſtrum eſſe debere in objecto amoris ſui, ut ſemper meditetur ejus mirabilia. Sed omnes hæ diverſæ locutiones Prophetæ nil ſignificant aliud, niſi diſpoſitionem, in qua eſſe debemus ſervandi legem: non enim ſolum in occaſionibus lex eſt adimplenda, ſed ſemper debemus præſto eſſe ad illam implendam tunc etiam cum occaſiones ſe minime offerunt: Hæc enim voluntatis diſpoſitio complectitur aliquo modo pretium effectivæ obſervantiæ, & eſt veluti fons meriti, quod ſeſe in vitam omnem effundit. Hinc fit, quod Propheta ſeſe exercens in hac eximia, & Deo accepta præparatione, non putabat ſolum ſatis eſſe, ſi diligens, & fidelis videretur legis obſervator; ſed ardenter cupiebat hoc ipſum deſiderium obſervandi illam, cujus efficaciam, & meritum noverat: *Concupivi deſiderare juſtificationes tuas.*

Pſalm 118.

Voluit Dei Filius in hoc Myſterio Sanctam Matrem ſuam participem harum humiliationū.

Dei Filius voluit Sanctam Matrem ſuam fieri humiliationum ſuarum conſortem, & quia aures præberet omnibus rationibus, quæ prohibebant ne ſubiret neceſſitatem legis, quæ facta non fuerat propter ipſam, ſeſe ſubjiceret, & ſecundum motum, quem ipſe illi inſpiraverat, exteriorem hanc dedecoris labem ſubiret. Hæc Filii innocentiam æque ac Matris laceſſebat; hunc ceteris hominibus parem faciebat, hunc cum peccatoribus confundebat, quamvis peccatoris ſolam haberet ſimilitudinem, fidemque adſtruebat, ipſum nulla in re illis eſſe ſuperiorem.

Rationes propter quas voluit Deus, Mariæ virtutem probari his doloribus, quos illam paſſuram ſenex prænuntiabat.

Sancti Senis Simeonis prophetia Beatæ Virgini facta importuna videtur, & vix credi poſſe videtur ipſam hoc in ſtatu fuiſſe, ut cum illa talibus locutionibus duris adeo, & inſuetis uteretur dicens illam dolore tamquam gladio eſſe transverberandam. Verum ſi nobis liceat cauſſas inquirere, en aliquot. Prima eſt, oportuiſſe, virtutem adeo eminentem, qualis ſua erat, non communibus tentationibus exerceri. Altera eſt, quia Mater cum Filio perfectam habere debebat ſimilitudinem, & ſicuti Paſſiones JESU CHRISTI fuerunt infinitæ, opus erat, ut Matris quoque dolores eamdem haberent infinitatem. Tertia tandem quia tribulationes ſunt ornamentum, gloria, & magnarum animarum pulchritudo.

Quodnam eſſet peccatum pro quo offerebatur ſacrificium in purificatione. Levit. 12.

Quamvis Maria innocens eſſet, & ab omni peccatorum genere ſeu actuali, ſeu originali præſervata, tamen venit ad offerendum ſacrificium in lege ſtatutum. *Alterum pro peccato.* Ubi Doctores quærunt, pro quo peccato Maria ſe purificaverit, & debuerit hoc offerre ſacrificium: Putant alii pro peccato originali filii; ſed jam deletum fuerat in Circumciſione, quæ octavo poſt Nativitatem die peragebatur. Crediderunt alii, hic verba fieri de peccatis, quæ Mater commiſiſſe poterat in filii Conceptione, per concupiſcentiam. Non ideo tamen ſignificatur, parentes ſemper eſſe nocentes in filiorum productiones, ſed ſaltem filium quem gignunt, ſemper eſſe peccatorem, non ſolum quod naſcitur reus originalis peccati quod ſecum defert ab utero Matris: ſed quia contrahit cum illa quamdam depravatam propenſionem, & quoddam peccati germen, quod concupiſcentia vocatur, & quod inceſſanter illum urget, ac ſollicitat in malum, quod fit cum tempore fatalis origo plurium peccatorum. Sed hoc locum habere nequit in Beata Virgine, dici enim non poteſt, illam concepiſſe in peccato Unigenitum ſuum; cum alioquin nequaquam ſubjecta fuerit concupiſcentiæ.

Purificatio in Maria idem erat ferme quod Circumciſio in Salvatore.

Mariæ Purificatio erat illi, quod Filio ſuo fuerat Circumciſio, qui peccator viſus eſt, & peccati characterem accepit; cum enim Circumciſio eſſet veluti remedium aliquod a Deo præſcriptum, & quod nunquam antea, vel quod applicatum fuerat niſi peccatoribus tantum, coram Deo ſimul, & coram hominibus peccati ſimilitudinem deferebat. Hoc ipſum dicendum eſt de Purificatione puriſſimæ Virginis; quia hæc erat cæremonia a Deo præſcripta non ſecus ac Circumciſio; illa ibi quodammodo gerit characterem cicatricis, videtur enim inter inquinatas mulieres, quemadmodum Filius ſuus geſſerat characterem peccati, viſus peccator. Sed etſi per legis hujus obſervantia Sancta Virgo nullum coram hominibus paſſa fuerit gloriæ detrimentum; ſaltem ſemet ſubjiciens, ſe ipſam debita privavit gloria; quia jure ſuo exigere poterat, ut haberetur pro ea, qualis erat, & abrenuntiabat incomparabili prærogativæ Virginitatis ſimul & Maternitatis ſuæ; etenim ſe purificans ſicut Matres ceteræ, nonne palam ferebatur, ſe nihil habere ſuper ceteras? Sed honor qui maximus illi cedere poterat, ſi habita fuiſſet tamquam Meſſiæ Mater non deterret illam ab officio, in hoc facientem contra id, quod plerique homines faciunt, qui externam tantum ſpeciem, & corticem ſervare cupiunt, modo videantur juſti, & viri boni, & pro talibus habeantur in mundo, hoc ſatis eſſe putant quin de rei veritate laborent. Hæc praxis eſt plurimorum ignavorum Chriſtifidelium, qui in ipſis etiam Religionis officiis, ſeſe mancipant legibus mundi, ſed exemplum quod hodierna die nobis præbet hæc ſemper Sanctiſſima, & puriſſima Virgo, eſt nequaquam præferendi officio ſuo egregiam exiſtimationem faciendo id, quod Deus petit a nobis, & permittendo, ut homines judicent quomodocumque voluerint.

Quantum conſideraſſe debeat Virginis gloria ſua, & quam ſenſibile debeter eſſe illius ſacrificium.

Verumtamen ne cogitetis hoc ſacrificium honoris, & gloriæ, quod Sancta facit Virgo, parum aliquid eſſe, quemadmodum fortaſſe arbitramini; ſi enim humiliatio dimetienda eſt ex ſtatu, & profeſſione ſingulorum, quemadmodum nobilem, cordatumque virum dedecorat haberi pro ignavo, & eruditum doctumque haberi pro rudi, & illiterato: cum enim in eo ſuum decus conſtituant, hac in re ſaltem irreprehenſibiles eſſe, niſi in eadem emineant, nihil eſt, cujus exiſtimationem ſollicitius perquirant, quam gloriam ex iis rebus, quæ ſunt objectum ſuæ cupiditatis; & oculi pupillam lædere videntur illi, qui eos laceſſunt ex ea parte, ubi maximus eſt ſenſus illorum.

Sancta Virgo huic gloriæ abrenuntiare videtur publica profeſſione, quæ illi cedit in dedecus.

Ut legi huic pareat glorioſa Virgo, non ſufficit illi abrenuntiare quodammodo gloriæ qua nulla unquam major fuit, & videtur etiam illi per publicam abrenuntiare confeſſionem, & in ſollemni cæremonia; quæ circumſtantia in hoc ſiclo connotanda eſt, quoniam videtur illi æque ac ceteræ mulieres eſſe ſubjecta. Hæc publica eſt confeſſio ratione loci, frequentiæ populi, & qualitatis eorum, qui huic interſunt Myſterio, Sacerdotes, Laici, Pontifices, mortales ſtatuum omnium, & conditionum. In hoc templum, ubi alius vovit puritatem, nunc ingreditur purificanda; & Templum ipſum illi exprobrare videtur ſtatus diverſitatem, in qua hodierna die ſeſe illi præſentat. Miniſtri Templi non vident amplius illam, niſi inter ceteras vulgo mulieres, poſtquam tamdiu in altarium miniſterio verſata fuerat; & hæc altaria onuſta videntur muneribus, quæ lex in hujuſmodi cæremonia expetebat. Ita tempus, locus, perſonæ, omnia confluunt ad publicam, ſollemnem, authenticam profeſſionem hanc conſtituendam; Mariam nihil habere, quo inter ceteras diſtinguatur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, & nuperis Concionatoribus loci hujus argumenti.

Multitudo rerum mirabilium quæ hac in ſollemnitate accidunt, huic nomen fecerunt Occurſus.

IN hac feſtivitate, Auditores, Myſterium ne, an Myſteriorum congeries recolitur, quæ confluere videntur ad illam ſanctiorem, ac ſollemniorem efficiendam? Hæc feſtivitas ſimul eſt JESUS, & Mariæ, in qua utriuſque occurrunt magnalia, & humiliationes; in qua gaudium, & dolor ſimul locum inveniunt; in qua mors, & vita coaleſcere videntur in eodem ſubjecto, & ubi tandem mira inverſione mundi Redemptor eſt ipſe ab una ex ſuis creaturis redemptus. Hæc, fideles, harum rerum omnium congeries nomen Occurſus tribuit huic feſtivitati; eamque reddidit unam ex ampliſſimis, quæ in Eccleſia celebrentur.

Qua in re debeamus immorari in multitudine tot mirabilium.

Verum quia hæc mirabilium multitudo, quorum ſingula noſtram mererentur attentionem, prohibet ne in ſingulis immoremur, niſi indigne laturi id fueritis, unice id quæram, in quo præcipue hujus ſollemnitatis ratio ſita eſt. Hæc autem, Virgo Sanctiſſima, eſt exemplum quod omnibus præbes hominibus, temet ſubjiciendi legi humilianti, cui ut pareres nullo in diſcrimine habuiſti gloriam tuam, de qua agebatur, & difficultatem, quæ tibi poterat oboriri, in oblatione Filii tui pro generis humani ſalute, nec non dignitatem tuam, quæ proculdubio te diſpenſare debebat. Sed ut nobis præberes exemplum perfectiſſimæ obedientiæ in hac occaſione abrenuntians quodammodo gloriæ tuæ, temet licet Virginum puriſſimam purificationi ſubjiciens. Superas omnes amoris naturalis affectus offerens Filium tuum tamquam victimam pro hominum ſalute, & quamvis quatenus Dei Mater, ſis univerſorum Domina, & Regina, præſtas officium, quo nequaquam tenebaris, omnibus conſiderationibus magnitudinis tuæ, ac tuæ dignitatis per eam obedientiam, quam creatura præſtare poſſit maximam legibus Dei. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Documentum, quod haurire poſſumus ex Myſterio, quod hodierna die celebratur. 2. Par. 1. 6.

Quot mirabilia hoc Evangelium complectitur! Deus ſemet offert Deo; puer dies quadraginta natus offert ſe ipſum Patri æterno; ſimul Sacerdos, & victima. Virgo, quia Mater effecta eſt, ſeſe purificat, quamvis ſine Virginitatis jactura pepererit: Senex inter ulnas ſuas tenet eum, quem Cælum, & terra capere non poſſunt. Sed dicamus omnia quæ hodierna die fiunt, ad noſtram fieri eruditionem; Sanctiſſimam Virginem ſe in Templum conferre die quadrageſima ſecundum legem Moyſis; illam eo deferre Filium ſuum offerendum Domino; non ex aliqua neceſſitate ex parte Matris, vel Filii; ſed ut ibi præbeat exemplum humilitatis, & obedientiæ. Hæ duæ ſunt virtutes, quas in hac feſtivitate pro viribus debemus acquirere; ubi enim validiores nobis ſuppetere poſſunt ad eas acquirendas cauſſæ? Maria eſt Mater Dei, Maria Mater eſt ſimul, & Virgo; & quin ſe ipſam diſpenſare velit a generali lege purificationis per particulare privilegium, ſeſe cum ceteris vulgo Matribus confundit: Quæ humilitas! ſed ſimul etiam quæ

glo-

gloria pro illa, & quod pro nobis dedecus, qui adeo ſolliciti ſumus, ut gloriam aucupemur ex iis qualitatibus, quibus ab aliis ſecernimur. Gratia, quidam S. Pater ſit, Sanctiſſimam Virginem ſupra legem evexerat; ſed infra illam dejicit humilitas. Nos vero e contra dicere poſſumus, peccatum nos legi ſubjicere, & per ſuperbiam ab illa diſpenſationem appetere. Imitemur Sanctam Virginem, certi nihil aptius eſſe ad tuendam humilitatis virtutem, quam eos celare locos, qui nobis ſunt glorioſiſſimi, ſicuti nihil aptius eſſe poteſt ad illam nobis præripiendam, quam eos in lucem proferre. *Auctor recens.*

Reverentia Mariæ erga Dei legem prohibuit ne ſe ab illa diſpenſaret.

Cum lex Purificationis lata eſſet pro mulieribus tantum, Virgo ſeſe eidem ſubjicere nonniſi ægerrime poterat. Maria illi obſequens, mentiebatur quidquid erat; obruebat hac cæremonia gloriam ſuæ Virginitatis; amittebat apud homines honorem divinæ Maternitatis; Sacrificabat voluptatem, qua afficiebatur habita apud omnes Sancta, innocens, pura; quæ proculdubio ſatis validæ rationes erant, ne ſe legi ſubjiceret; ſed reverentia erga legis auctorem prævalet omnibus rationibus, quas diſpenſitioni prætexere poterat. Reſpicit Filium ſuum tamquam exemplum ſibi imitandum, neque erubeſcit facere in Purificatione ſua, quod ille non erubuit in Circumciſione. JESUS CHRISTUS in Circumciſione ſua occuluit notas omnes ſuæ divinitatis. Maria celat in Purificatione omnia divinæ Maternitatis indicia. In Circumciſione Dei Filius recipit in carne ſua peccati characterem: In Purificatione Dei Mater offert Sacrificium ad maculam peccati eluendam. Quæ ſubmiſſio! quæ reverentia! quæ obedientia? Quid impoſſibile virtutem habenti? Quid impoſſibile cordi diligenti? Sed aliquidne majus eſt, quam Deo parere?

Non imitamur exemplum Mariæ in obſervantia divinarum legum.

Blandiarne mihi ratus ſincerum habere Dei amorem, quandoquidem adeo modice legem ejus revereor? Maria ſibi Religioni vertiſſet, Purificationis legem nequaquam ſervare, quamvis ab illa eſſet immunis; ego vero quibuslibet excuſationibus aures præbeo, ut me a Dei lege diſpenſem, & tantum abeſt, quod humilitatem ejus imiter, qua tegit quidquid cedit in laudem ſuam, ut ſuperbia nobis ſuadeat, ut nihil miſſum faciamus, ut alii ab iis, qui ſumus, videamur. Sancta Virgo in Myſterio Purificationis ſuæ celat gloriam ſuam nolens videri quod eſt, & quin illam extollat, efficit, ut ſua ſulgeat humilitas, id eſſe viſa qualis non eſt, & quod illam humiliat. Mater Dei eſt, & non videtur niſi hominis Mater; puriſſima eſt, & videtur impura, quia, vult purificari. Quæ humilitas! Nolumus videri quales ſumus, hoc eſt peccatores, & videri volumus quales non ſumus, videlicet juſti. Quæ ſuperbia! Maria eſt omnium creaturarum puriſſima, & vult adhuc emundari? Quis puritatis amor! Impuri ſumus & in conceptione, & in nativitate, & in vita noſtra, & noſmet expiare negligimus? Quæ incuria! Maria ſubjecta non eſt legi Purificationis. Lex eadem illam excipit, & ipſa ſe ſubjicit. Facit plura quam debeat; ego vero non facio quod debeo. Quin faciam opera ſupererogationis, memet coarcto ad ea, quæ ſunt præcepti, & in his etiam ſæpe deficio. Quæ parcitas cum Deo ita liberali! *P. Nepven Tom. 1. Chriſtianarum Conſiderationum.*

Admirabilis Mariæ humilitas, quæ haberi vult tamquam mulierum vulgo.

Renuit Mariæ Dei Matrem eſſe, niſi Cæleſtis nuncius affirmet votum Virginitatis ab illa nuncupatum in ſua perfectione permanſurum. Tamen hodierno aſſentitur Myſterio, ut hujus Virginitatis decor, qui videtur illi adeo pretioſus, evaneſcat in oculis hominum, quandoquidem ſemet legi ſubjiciens juſtum præbet argumentum judicandi ipſam eo modo concepiſſe, quo ceteræ, pro quibus lex fuerat irrogata. Cum ergo ſeſe cum illis admiſcet in Templo in hominum oculis Virginitatis ſuæ gloriam ſacrificat. Immolat ſimul honorem ſublimis dignitatis ſuæ, quia in hac cæremonia nequaquam videtur tamquam Mater Sancti Sanctorum, neque tamquam Mater Redemptoris hominum, ſed tamquam Mater filii peccatoris, qui non ſecus ac alii redimendus eſt. O admirabilem Mariæ humilitatem! O mirabile Sacrificium, quod Deum colit per moralem deſtructionem ſtatus ſui, & omnium præſtantiſſimarum prærogativarum! Maria nihil habet adeo magnum, & carum, quod non ſacrificet gloriæ Dei ſui. Quod humilitatis exemplum! Noſmet inſpiciamus, & conſulamus, quæſo, utrum Deo hoc gloriæ Sacrificium offeramus. Heu! Quoties exprobrabit nobis conſcientia noſtra, nos, qui honoris noſtri victimam offerre debueramus, inde nobis idolum feciſſe? Fallaci huic numini potior orbis Chriſtiani pars ſacrificat. Quotuſquiſque inter nos eſt, inter illos dico, qui ad perfectionem anhelant, cui ſatis ſit fidelitatis, & conſtantiæ, ut gloriæ, atque exiſtimationis ſuæ acceptam in oculis Dei oblationem efficiat? Non deſunt qui ſacrificent Deo bona, voluptates, odium, incontinentiam; Non deſunt qui ſacrificent Deo oculos per lacrymas, corpus per jejunia, & auſteritates; ſed qui gloriam ſacrificet ſuam, nemo eſt. Hæc tamen eſt Chriſtianiſmi profeſſio, gloriam ſacrificare. *Houdry Bibl. Conc. Theol. de Myſter.* Tom. III.

Deus hanc ſibi victimam depoſcere, quæ nequit ſubſiſtere niſi ſuper altare Dei ſacrificetur: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* O quam diſtamus ab exemplis Mariæ! Abſcondit illa ſtatum ſuum, retinet in obſcuritate ampliſſimas perfectiones ſuas; nos vero conditionis noſtræ idololatræ ſumus; & videri volumus, quod minime ſumus. Cur mihi non vacat perſequi moralem hanc adeo neceſſariam. *P. Texier ſermonibus de feſtis diebus B. Virginis.*

Argument ejuſdem continuatio.

Sancta Virgo duos turtures offert, alterum in holocauſtum, gratias actura Deo propter datum ſibi Filium: ſed quod mirum eſt, offert alterum, ut expietur a ſordibus, quas lex declarat contrahi a mulieribus, cum Matres ſiunt. Ecce quænam fuerit humilitas Mariæ. Seſe cum aliis mulieribus confundit; non abnuit ſemet inſerere in numerum earum, quæ pollutæ ſunt, & quæ indigent offerre Sacrificium, ut purificentur. Non vult aures præbere rationibus, quæ illam diſpenſabant a lege, quæ facta non erat pro illa, & qua non tenebatur. Quæ probabilitatis ſpecies eſt, Judæorum Legiſlatorem declarando mulierem prægnantem immundam eſſe, illam etiam comprehendere voluiſſe, cui contigit Dei Matrem fieri, & quæ per hoc facta fuit omnium craturarum Sanctiſſima, atque puriſſima? Quæ ſpecies, Legiſlatorem hunc præcipiendo, ut Matres omnes in Templum accedentes, ut purificentur, eogere voluiſſe Matrem illius, qui factus eſt homo, ut humanum genus purificaret. Quæ Templum Dei eſt ſe indignam credere, quæ in Templum materiale ingrediatur! Quæ ulnis ſuis tenet ſummum Sacrificatorem, opem implorare mortalis Sacerdotis, ut pro ſe offerat Sacrificium. Illa, cui ſupervenit Spiritus Sanctus, & quam obumbravit virtus Altiſſimi, ita ſe gerit perinde ac ipſi non deberet unice gratiæ, & Spiritui Sancto Maternitatis ſuæ dignitatem. Magnum hoc exemplum nonne deberet efficere, ut intuentes illam, quæ ſine ulla neceſſitate ſe purificat, intelligeremus quanto magis noſmet expiare debeamus? Maria, quamvis puriſſima, ſeſe inſerit in earum numerum, quæ ſunt immundæ. Unde nam fit, ut nos peccatores, & noxii ægre noſmet humiliare velimus, & noſtra peccata, & miſerias cognoſcere? Inde eſt, quod ſumus ſuperbi; ſuperbia noſtra nobis tegit noſtras iniquitates. Illa, quæ humilis eſt, videri vult peccatrix, quamvis ſit innocens: illi qui ſuperbi ſunt, videri volunt innocentes, quamvis ſint peccatores; quid enim ſumus nos fratres? Si noſmet ipſos excuſſerimus, inveniemus in nobis longe alias, quam legales immunditias. Tamen videte maximam Judæorum curam ſeſe purificantium, ubi inquinati erant; & e contra videte negligentiam, in qua vivimus, & modicam curam, qua noſmet purificare ſtudemus! *Lambert Tomo 5. Anni Evangelici.*

Lucæ 13.

Humilitas Filii Dei, quæ in hoc apparet Myſterio exaltatur teſtimonio Sancti Simeonis, & Annæ Propheteſſæ.

Severitas legis, quam ſubit Dei Filius hodie illi gravior eſt propter id, quod eſſe videtur, quam omnes futuræ vitæ ſuæ ſtatus. In Myſterio ſuæ Præſentationis in Templo, & cum Sancta illius Mater eo ſe confert illum Domino oblatura, eumque redemptura; ibi in ſtatu peccatoris apparet; ſuſtinet, Matrem ſuam quæ eſt immaculata, non ſecus, ac alias ſubjici mulieres legi Purificationis: redimitur ille, qui venit futurus aliorum Redemptor. Hæc omnia ſunt humiliantia; ſed hæ humiliationes extolluntur per ea, quæ Simeon inquit, & per Annæ Propheteſſæ prædictiones. Licet puer, licet peccator videatur; divinitas ejus, ſe redemptio prædicatur. *Auctor Recens.*

Maria obedit legi, eamque in omnibus circumſtantiis adimplet.

Maria non obedit ſolum eſſentialibus legis articulis; illam obſervat etiam in omnibus circumſtantiis. Quadraginta dies moratur, quin domo pedem efferat. Sibi Templi aditum interdicit: neque fit particeps Sacrorum, quamvis nonniſi Sanctum Sanctorum pepererit. Par turturum ſe obtuliſſe contenta, non offert ſignum, ſed quia hæc erat divitum oblatio; ſeu quia deferens in ulnis ſuis Agnum ſine macula, qui veniebat, ut tolleret peccata mundi, coram veritate, umbræ, & figuræ debebant evaneſcere. Hoc quam ſpecioſum eſt! & quam magnum! Quantum poteſtatis habet in fidelem animam Dei lex! Sed quam ædificans eſt Spiritus, quo hanc animat cæremoniam! Hoc ipſa fecit ad evitandam ſingularitatem, & ſcandalum. Liquebat illam Matrem eſſe, ſed Filium ejus Deum eſſe latebat. Quid illa? ſacrificat ſpeciem puritatis ſuæ, ut auferat ſcandalum; ſed puritatis virtutem conſervat, ut ſemper Deo placeat. O quam verum eſt obedientiam inſigniores referre victorias; Maria enim honorem ſuum ſacrificans ea in re ſe vincit, qua nihil in Virgine delicatius eſt! Sanctus hic zelus, & ſapiens hæc agendi ratio mihi pro norma eſſe debet. Duo hæc ſimul conjungere debeo. Virtutem, & virtutis ſpeciem: mihi virtutem, ejuſque rem, proximo autem virtutis corticem debeo. Sed quot ſunt ex harum Virginum numero, de quibus S. Auguſtinus verba facit, quæ pudore ſuffundi metuunt, & quas non pudet id facere, propter quod ſuffundantur; quæ minorem adhibent curam, ut puritatem ſuam tueantur, quam ut præclaræ hujus virtutis ſpeciem ſartam,

Obediens legi omnem auferr ſcandali occaſionem, quam accipere Judæi potuiſſent, ſi illa ſeſe diſpenſaſſet.

ſpectamque cuſtodiant? Domine cujus oculus penitioſem cordis mei partem ſcrutatur, vides quam longe ſenſus, quos mihi vanitas inſpirat, abhorreant ab illis, quos humilitas vera tuæ inſpirat Sanctiſſimæ Matri. Ego videri volo quidquid ſum, ſæpe etiam pluſquam ſum, & fere ſemper id, quod minime ſum, & quod eſſe nolo. *Auctor Recens.*

Maria ſemet Purificationis legi ſubjiciens deſtruit exemplo ſuo ſpiritum independentiæ, quo nobilitas, & genus ſummi viris immittit.

Maria ſe ſubjiciens legi Purificationis, ſeque in Templo purificans noſtram agendi rationem confundit. Tandem enim Regina erat, Mater erat Dei, & tamquam Dei Mater legitimam poſſidebat auctoritatem in ipſum Legis auctorem, ideoque omnes habebat ſupremi titulos imperii, quos habere poteſt ſub Deo mera creatura. Verum eſt, ſed propter hoc ipſum vult Deus, ut illa ſe legi ſubjiciat, ut exemplo ejus deſtruat noxium illud imperium quod affectamus, & damnet licentiam noſtram invicta ratione, & ineluctabili. Si enim in redemptionis ordine, cujus adorabile Secretum hodierna die oculis noſtris evolvitur, Dei Mater, licet Dei Mater, immunis non eſt ab obedientia: qua fronte ſuſtinere poſſumus coram Deo inſolitam, & temeritatem inobedientiarum noſtrarum? Maria adhuc majus aliquid præſtat: quid autem? Non ſolum ſe ſubjicit legi: ſed filium quoque ſuum illi ſubjicit: filium hunc majorem, liberiorem, potentiorem ſe, qui nihilominus ſubjici dignatur per illam, ſuppeditat adhuc Deo contra nos rationem millies validiorem ad reprobandum, & confundendum hunc ſuperbiæ ſpiritum, quo peccatores efficimur; hoc eſt, Maria ſubjicit legi ipſam magnitudinem, legi eamdem potentiam, legi ſupremum ipſum imperium; hoc enim duplex eſt miraculum, quod cælum aperit nobis in hac ſollemnitate. Regina ſubjecta, & Deum ſubjiciens: Deus obediens, & oblatus per Matrem obedientem: cur? Ah! Cariſſimi Auditores, hoc bene intelligite. Vos qui in mundo prima tenetis ſubſellia, & qui noviſſima: Vos, quos conditiones veſtræ diſtinguunt, & quos minime diſtinguunt; Summi ſimul, & imi, divites ſimul, & pauperes; ſum enim debitor omnibus, audite me; hic vobis datur unius ex præcipuis veritatibus cognitio, idque per eamdem ſtatuum veſtrorum comparationem, quam vobis ſum oſtenſurus. Quare Homo-Deus legi ſubjectus? Ut intelligitis, mundi Principes, ſpecialem, in qua eſtis, obligationem vivendi in perfecta ſubmiſſione legum divinarum. Nondum fortaſſe hanc intellexiſtis, & per inverſionem rationis, & religionis vobiſmet blanditi fuiſtis eſſe divinarum legum ſeveritatem pro vobis non eſſe æque, ac pro ceteris hominibus: ſed fallaciſſimum hunc errorem abjicite, ideoque ſpiritu intruite in Templum Jeruſalèm: Videbitis enim oppoſitum effatum ſolide conſtitutum; & modo pauliſper intendatis animum in hodierni Myſterii conſiderationem, inſpicietis, divinas leges propius ad vos pertinere, quam ad homines reliquos, quamvis indiſcriminatim omnibus ſint irrogatæ.

De Sacrificio, quod Maria fecit gloriæ, atque celebritatis Virginitatis ſuæ.

Tertia, & noviſſima lectio; Maria ut legi obtemperet, ipſum quoque honorem ſacrificat; quia ſe purificans, ejuſdem conditionis, ac aliæ mulieres videtur. Ita offunditur nebula nitori Virginitatis ſuæ, Virginitatis, cujus adeo zelotypa fuerat in Incarnationis Myſterio, Virginitatis, cujus gloria eſt extrinſecus niteſcere, & ne minimam quidem labem aliorum oculis videndam permittere. Non abnuit illa hujus exiſtimationem, & nomen amittere; quæ omnium humiliationum, audeo dicere, difficillima eſt, quæ ſuſtineatur: eſſe puram coram Deo Solis inſtar, & impuram in hominum oculis videri. Tale nihilominus eſt Sacrificium, quod facit Virginum omnium Sanctiſſima, quare? ut legi pareat. At hæc Dei lex, nihil ex nobis adeo moleſtum requirit: vult nos videri, quales ſumus: & cum reipſa ſimus ſupremo Dei imperio ſubjecti, nos pudore non ſuffundamur ob ea, quæ ex nobis petit, officia, & quæ ipſi præſtare debemus obſequia, præſertim vero cum ſimus vere impuri, & peccatores, non erubeſcamus praxi pœnitentiæ, cujus opes noſmet expiare debemus, noſmet Deo reconciliare, & divinæ juſtitiæ ſatisfacere. Sed quid facimus ipſi? Peccatores eſſe volumus, & juſtos videri. Maria rerum ſpeciem negligit; modo certa ſit, ſe Virginitatis ſuæ theſaurum integrum tueri; vos autem ejuſdem parum ſolliciti ſpeciem illius tamen retinere contenditis. *Pater Bourdaloue, de Purificatione.*

Sancta Virgo, ut obediat legi ipſum quoque Filium ſuum, quem unice diligebat, ſacrificat.

Maria unum duntaxat habet Filium, & ut legi obtemperet, init conſilium illum ſacrificandi. Filium, quem ardentiſſima caritate diligebat; Filium, quem miraculoſe conceperat; Filium, in quo theſauros omnes poſſidebat, hunc offert in Templo Jeruſalem; ſed offert heroice ſine conditione, ſine exceptione, ſciens ſevera cæli præcepta, aliquando in divini hujus Filii perſona adimplenda; conſentiens illum eſſe victimam, & pretium redemptionis hominum; hac de cauſſa abrenuncians omnibus ſenſibus cordis ſui, & per extremum conatum generoſiſſimæ ſeveriſſimæque obedientiæ, volens Filium ſuum non amplius ſuum eſſe niſi cum triſti, ac inevitabili neceſſitate videndi illum poſt annorum lapſum in Cruce immolatum. En quanti ſteterit Mariæ legem adimplere. Tanti non, auditores cariſſimi, ſtaturum eſt nobis? Verum eſt; Dei legem adimplere aliquando ſtaturum eſſe nobis Sacrificio rerum omnium, quæ nobis cariſſimæ ſunt, ſed bona fide fateamur, nihilque noſmet celemus. Id quod nobis cariſſimum eſt, adeo ne ſpectabile eſt, ut tanti ſtare debeat Deo? Quantumvis nobis cariſſimum ſit, ex quo repugnat legi Dei, nonne id eſt, quod nos perturbet? Nonne id, quod nos corrumpit? Nonne id, quod nos damnat? Si Dei lex nobis reſecat malum adeo pernicioſum, quale iſtud eſt, num juſta eſt querela noſtra; & ſancta hæc vis, quam nobis facit nos ad abrenunciationem adeo ſalutarem impellens, habendane eſt tamquam rigoris exceſſus? Attendite ſi vobis lubet, hoc peculiarem animadverſionem requirit. In hac ſancta ſollemnitate Deus nobis dicit, ut Mariæ, vel ſi mavis, uti Abrahæ: *Tolle unigenitum tuum, quem diligis, & offer illum mihi in holocauſtum.* Gen. 22. Sacrifica mihi hunc primogenitum, hoc eſt, affectum hunc dominantem, qui eſt in corde tuo. Hoc nobis durum videtur, ſed ſimul ubi iterum id cogitaverimus, nos confiteri tenemur, hunc dominantem affectum, exempli gratia, eſſe turpem cupidinem nos dedecorantem, ſenſum ſervitutem nos ad brutorum conditionem redigentem, legem peccati in nos tyrannidem exercentem. Sed ſimul confiteri cogimur, affectum hunc eſſe faſcinationem ſpiritus, & cordis, errorum fontem in vita, & flagitiorum in affectionibus, & actionibus noſtris. *Idem in eodem argumento.*

Virtutes quas in hoc Myſterio exercet Maria, & quas pro viribus imitari debemus.

Conſiderate virtutes admirabiles, quas Virgo Sanctiſſima in hoc exercet Myſterio; gloriam ſuam tegit nolens videri qualis eſt: ſed præfert humilitatem id eſſe viſa, quod non eſt. Ipſa Dei Mater eſt, & hominis tantum Mater videtur. Venit ut ſe purificet non ſecus, ac alias mulieres, quamvis ſit Virginum puriſſima. Ab hac lege ſoluta, illam tamen ſecundum omnes circumſtantias adimplet. Quamvis cariſſimus illi ſit hic adorabilis Filius, illum tamen pro nobis offert morti hodierna die quatenus victimam Æterno Patri præſentans. Audit, quid ſibi acerbiſſimum, triſtiſſimumque portenditur: quanam cum ſubmiſſione ſe ſubjicit? Deus meus! Quam conformis eſt Mariæ Spiritus ſpiritui Filii, & uterque a noſtro quam deformis! Videri volumus, quod minime ſumus; ſuperbia noſtra ne pati quidem nos id videri, quod ſumus. Luxus, faſtus, ambitio, & vanitas nos ad pedes altaris uſque concomitantur. Quid ſibi volunt diſtinctionis inſignia, quæ nullibi magis quam in Templo appetuntur? Tamen perplacet nobis profunda Sanctæ Virginis humilitas. Sed erimuſne ſemper jejuni, ac ſteriles admiratores inſignium virtutum illius? Noſter puritatis amor inſpiratne nobis magnam conſcientiæ religionem? Quid ipſi facimus ad acquirendam, alendamque virtutem adeo neceſſariam, ac delicatam? Illi duntaxat Deum vident, qui mundo ſunt corde. *Idem.*

Quidquid offerimus Deo, offerendum eſt per manus Mariæ.

Pater Æternus voluit Filium ſuum ſibi per Mariæ manus offerri; victima adeo pura, & pretioſa non erat alienis manibus offerenda. Nulla unquam fuit acceptior oblatio. Volumuſne a Deo illam acceptari, quam offerimus illi? Offeramus eam per manus Sanctæ Virginis. Quinam pro nobis amor in Filio, ſemet diluculo propter homines immolare? Quæ caritas in Matre, offerre per ſe victimam hanc pro nobis! Nonne æquum eſt, ut qui nolunt habere JESUM CHRISTUM pro Salvatore, illum Judicem habeant? Nonne æquum eſt, divinum hunc Salvatorem in mundo fieri in ruinam eorum, qui ab illo ſalutem conſequi noluerunt? Nunquid ipſe hoc in numero futurus ſum? *Pater Croiſet in Aſceticis, vel in Anno Chriſtiano pro ſingulis anni diebus.*

Virtutes quas Maria exercet in hoc Myſterio, & quarum nobis tribuit exemplum.

Deſiderium, quod habuit Maria ſemet ſacrificandi, fecit, ut in hoc Myſterio eximias virtutes exerceret; obedientiam, humilitatem, amorem Dei, ſuimet collectionem. Cum illa concepiſſet per ſupernaturalem Spiritus Sancti operationem, non erat amplius ſubjecta legi Purificationis; tamen illi paret, ut imitetur exemplum filii ſui, qui, quin teneretur, ſubjecit ſe legi Circumciſionis. Non poterat illa Purificationis cæremonias ſervare, quin locum daret credendi, ſe non ſecus ac alias mulieres concepiſſe: ſed quamvis eſſet puriſſima, ſuſtinere voluit hanc humiliationem, & hanc mereri laudem, ſe imitatam fuiſſe in hoc Salvatorem, Deumque ſuum, qui cum eſſet Sanctus Sanctorum dedignatus non eſt peccati formam ſuſcipere, atque cum peccatoribus permiſceri. Latuit dies quadraginta, quin domo pedem efferrat, toto hoc tempore manſit ſemper intenta contemplationi, admirationi, & ſervitio JESU CHRISTI. Diuturna ſolitudine præparata, egreditur tandem in Templum profectura, illuc ingreditur magna cum gravitate, modeſtiam, ac reverentiam præferens ferventem fundit orationem; Sacerdotem precatur, ut pro ipſa intercedat, quin meminerit ſe Mediatricem eſſe pro Sacerdotibus non ſecus, ac pro hominibus ceteris. Quamvis unicum

habeat

habeat filium, nec alium ſit habitura; quamvis hic ſit ſibi infinite pretioſus, & in uno illo præter Filium, inveniat Creatorem, Deumque ſuum, ſola pro illo totum habeat amorem Matrum omnium erga filios ſuos, totum amorem Angelorum, & Sanctorum omnium pro Deo: illa tamen offert Filium hunc optatiſſimum, eum dat, atque ſacrificat. Quodnam tibi ſacrificium, Virgo Sancta! Pro me illud feciſti; ſed quam inde percipere valeo utilitatem, niſi eaſdem exercuero Virtutes, quarum adeo præclara mihi exempla tribuiſti? Offerens Deo Filium tuum ab illo poſce mihi exactiſſimam omnibus legibus ſuis obedientiam. *Pater le Valois in operibus ſpiritualibus Tomo 4.*

Lætitiæ ſenſus quibus afficiendi ſumus videntes Deum tantum glorificari, quantum meretur in hoc miniſterio.

Omnes oblationes, quæ tibi factæ fuerunt a mundi hujus primordio, Magne Deus; Victimæ omnes, quæ tibi ſacrificatæ fuerunt, hoſtiæ Abel, Noe, Abraham, Moyſis, Salomonis, nonniſi umbræ, & figuræ hujus fuerunt. Nullam huic ſimilem recepiſti, nullam vidiſti parem; ſed dabis mihi veniam, ſi addidero, quamvis Deus ſis, te nec comprehendere, nec optare, nec mereri poſſe aliam digniorem te! Sed ſimul fateor, licet illa ſit infinita, te tamen illam mereri integram, & me ad altare tuum accedere, ut oſtendam gaudium, quo cor meum exultat; ubi video te pro meritis glorificari. Conſidera, Deus meus, Filium hunc, in quo tibi æternum complaces; vide ſtatum ad quem ſe redigit: audi, quid ille tibi dicat pro nobis. Os ejus nondum loquitur, ſed loquitur cor ſuum, & elata voce loquitur, Ecce Pater, ecce victima, quam tot ſæculis exſpectas. Omnia quæ tibi immolata fuerunt animalia, omnia Ægypti primogenita, quæ tibi fuerunt mactata, omnia primogenita Iſrael, quæ tibi oblata fuerunt, non valuerunt unquam placere tibi eo uſque, ut flecterent Juſtitiam tuam: ego ipſe perſonaliter veni, ut meipſum tibi præſentem, veni, ut me offeram morti, & per hanc oblationem obtineam a te, & merear veniam pro fratribus meis.

Noſmetipſos offerre debemus cum Filio Dei, qui in hoc Myſterio ſeſe offert Æterno Patri.

Si me tantum offerrem, & ſi me offerrem ſine illo, facerem tibi Domine oblationem contemptibilem: ſed cum Filius tuus me tibi, Domine, præſentat, poteſne non acceptum habere, quod tibi talis manus præſentat? Cum accidat mihi, ut cum illo conjungar, cum ipſe & ego unam tantum oblationem efficiamus, poteſne illum quidem recipere, me vero repellere? Illum nimio amore complecteris, ut liceat tibi id non amare, quod diligit; ego vero nimis illi carus ſum, ut nullo me in diſcrimine poſſit habere. *Pater le Valois in iiſdem operibus Tom. 4.*

Maria quatenus Dei Mater magnum efficit Sacrificium offerens Deo Filium ſuum pro ſalute hominû.

Si Maria magnum hac die facit Sacrificium, quatenus Virgo per legalem Purificationem ſuam non minus efficit; quatenus Mater per Filii ſui præſentationem. Facile eſt cognoſcere Dominum legis non ſubjici legi ipſius. Ille tamen ſe ſubjicit, & Maria quinque ſiclos pro illius redemptione perſolvit. Hoc illa proculdubio non fecit, ut illum ab altarium eximeret miniſterio, cum ille ſit Sacerdos æternus, & hoſtia propitiationis pro peccatis hominum. Proinde quatenus talem hodierna die Maria ipſum offert Patri Æterno, & quatenus talem Filius ſeipſum offert Patri ſuo. Legalis cæremonia non eſt, ut ita dicam, niſi cortex Myſterii; Sacrificium Filii, & Matris totum intrinſecum eſt. JESUS CHRISTUS per hanc oblationem incipit hodie in Templo noſtræ redemptionis Sacrificium, in Calvario aliquando conſummandum. Maria de hoc edocta Myſterio offerens Æterno Patri Filium ſuum redimit illum tamquam victimam juvenculam, in magnum illud Sacrificium cædendam. Patres omnes aſſirmant illam ex toto corde Filium obtuliſſe, & hac de cauſſa illam vocant glorioſam humani generis Reparatricem. Ideo S. Bonaventura præclara hæc illi applicat verba: *Sic Maria dilexit Mundum*, ait ille, *ut Filium ſuum unigenitum dares. Pater Croiſet in Aſceticis, vel in anno Chriſtiano pro ſingulis anni diebus.*

Poterat Maria ſe diſpenſare a Purificatione, ſed illi ſe ſubjicit aliis quidem bonum exemplum allatura, aliis vero ne ſcandalum daret.

Potuiſſet Maria ſemet a Purificationis lege diſpenſare, quoniam miraculoſa ejus fœcunditas Virginitatis ſuæ nitorem commendaverat. Hæc prohibitio ne ingrederetur in Templum, & ne quid Sanctum attingeret pro certo dierum numero poſt puerperium, locum habitura non erat pro Virgine, cujus uterus fuerat Templum Incarnati Verbi, & geſtaverat novem menſibus Sanctum Sanctorum, eumque geſtabat adhuc in ulnis ſuis. Sed ſi glorioſæ Maternitatis ſuæ privilegia illam ab hac lege eximebant, neceſſitas ædificandi Judæos, qui ignorabant miracula, quæ Spiritus Sanctus operatus fuerat in illa, & evitandi ſcandalum, quod peperiſſet omittens cæremonias, quibus ceteræ mulieres ſeſe ſubjiciebant; hæc, inquam, neceſſitas illam re ipſa impellebat ut ſeſe citra debitum purificaret, quemadmodum JESUS CHRISTUS circumcidi voluit citra neceſſitatem. *Nobis ille circumciditur, & illa purificatur*, S. Hieronymus inquit. Se cum reliquis ſe permiſcet mulieribus eadem de cauſſa, qua mundi Salvator cum ceteris ſe permiſcuit hominibus cum Cæſari tributum perſolvit: quamvis enim Rex Cæli & Terræ minime teneretur Regi mortali tributum dare, cum Judæi non cognoſcerent illius dominium ſupremum, quo eximebatur a lege, quæ illius derogabat poteſtati, & ille detrectans huic legi parere, ſcandalum præbuiſſet Scribis, & Phariſæis ſemper vigilantibus utrum locus ſibi daretur cenſuræ actionum illius; reddit Cæſari, quod Cæſaris erat, & cenſuit dandum eſſe hoc ſubmiſſionis ſuæ ſignum exemplo, quemadmodum credidit Maria ſibi hodierna die dandum hoc ſuæ obedientiæ monumentum Judæorum ædificationi. Magnum hoc exemplum nobis oſtendit falſitatem eorum prætextuum, quorum colore noſmetipſos a maxime neceſſariis Chriſtianæ Religionis officiis noſmet diſpenſamus. Putatiſne, genus, opes, poteſtatem, honores, conſuetudinem eſſe coram Deo legitimas cauſſas ad probandum luxum, immodeſtiam, ſuperbiam, libidinem, intemperantiam, & inſolentiam veſtram? Mundi Principes, ſæculi Matronæ, putatiſne Deum probare has legis imminutiones, partitiones, exceptiones, negligentias, omiſſiones, palliatas, ac perſonatas tranſgreſſiones, contemptus, profanationes, quas probare conamini, vel criminoſa mollitie, vel ambitioſis occupationibus, vel chimericis diſtinctionibus. *In Speciminibus Panegyricorum Tomo 2.*

Maria offert Filium ſuum in hac cæremonia perinde, ac ſi ex tunc tradidiſſet illum carnificibus torquendum, & crucifigendum.

Cum Maria hodiernam peregit cæremoniam, ſibi in anteceſſum omnia propoſuit tormenta, quæ JESUS deinceps paſſurus erat, quaſi reipſa tradidiſſet eum in manus carnificum, qui exſpectare videbantur Matris aſſenſum, ut filium torquerent. Quis ambigit nunquid moleſtiſſimum fuerit ſuaviſſimæ Matri hunc aſſenſum præbere; illi inquam, quæ filium ſuum diligebat magis, quam Matres ceteræ ſuos; illi quæ illius noverat pretium, & quæ tamen adeo crudelibus cruciatibus objicit? O Deus! quot ſuſtinet impetus, & vires, antequam dicere poſſit, volo. Sed hinc quidem amor ſuus erga Deum, & conformitas voluntati ejus, atque decretis Juſtitiæ ipſius; inde vero amor, quo humanum genus complectebatur, cujus ſalus quodammodo ab hac oblatione pendebat, vicit amorem maternum, effecitque ut morti traderet victimam adeo caram, & pretioſam. Utique, dicit illa Æterno Patri, volo; reddo tibi, Deus, cariſſimum Filium, quem dediſti mihi; ad majorem tui nominis gloriam de illo diſpone. Offero tibi omnes, & ſingulas Sanguinis guttas, quas in venis ejus poſui, ut illas tuæ Juſtitiæ ſacrifices; Vade, innocens JESU, quocumque te ſalus hominum vocat; non oppono me decretis Patris tui, neque conſiliis tuis amoris; morere, aſſentior, modo ſalvos facias homines. Fingi ne quidquam poteſt illuſtrius, & glorioſius victrici hac conſenſione? Hac mente Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Gregorius Mariam humani generis corredemptricem, & humanæ ſalutis mediatricem vocarunt. Nolo autem dicere ſolum quia eum conceperit, atque pepererit Salvatorem, dedit illi pretioſum Sanguinem, qui pretium fuit redemptionis noſtræ; ſed etiam quia in hodierna oblatione cooperata eſt ſaluti noſtræ peculiari, & præſtantiſſimo modo. 1. Quod illum offerens morti, cauſſa quodammodo fuit, ut JESUS CHRISTUS tanto ardore mortem ſubierit, & fortaſſe nunquam ſine Matris conſenſu hæc tormenta ſubire acceptaſſet. 2. Quia ſuam cum Filii ſui voluntatem conjungens ſimul cum illo obtulit magnum hoc mortis ſuæ ſacrificium, & 3. Quia hodierna illius actio adeo excellens, & accepta Deo fuit, ut non ſine quadam congruentia merita fuerit humani generis redemptionem. Heu! poſſumuſne aliquid majus dicere, vel accommodatius ad gloriam Mariæ, vel illi majorem tribuere partem in hominum ſalute, & in omnibus gratiarum actionibus, quas æternum tribuemus JESU CHRISTO, eo quod nos redemit? Quid poſt hæc reliquum eſt, niſi ut cooperemur ad Mariæ gloriam, quandoquidem hodierna die eximie cooperata eſt ſaluti noſtræ, & inter laudes, quas recipit, illam etiam habet devotionum noſtratum: ad id ergo opus eſt, ut concomitemur oblationem, quam efficit pro ſalute noſtra, & præſentemus corda noſtra ſuper altare, ſuper quo ipſa præſentat filium ſuum. *Biroat de Purificatione.*

Magna fuit Salvatoris humilitas redimi ſiclis quinque, cui conſilio aſſentitur, & offert ſe Sacerdoti ejus, &c.

Si Maria redimit Filium ſuum ſecundum legem ſiclis quinque; Filius hic non aſſentitur, niſi ut ſe ulterius humiliet. Quæ enim humiliatio eſt homini Deo, ut adeo vili pretio redimatur ab hominibus, quos ipſe redempturus eſt pretio vulnerum quinque, & totius Sanguinis ſui? Aſſentitur ſolum ſe triginta denariis venumdari, ut habeat tempus creſcendi, & majorem Sanguinis copiam, quam effundat. Denique hac tantum conditione aſſentitur, ut permaneat ſemper æque vinctus Patri ſuo; quin deinceps ſeſe retractet, & primam obligationem infringat, illam inſtaurat quotidie, & ſingulis momentis vitæ ſuæ. Hoc munere perfecte adeo perfungitur, ut moriens dicere poſſit: *Conſummatum eſt*. Implevi Pater, quidquid tibi pollicitus ſum; docui homines legem tuam; paſſus ſum & pro te, & pro illis, quidquid voluiſti.

Reliquum eſt ut reddam tibi animam meam, quam repoſcis a me. Eam tibi reddo Pater, iterum pono in manibus tuis. Ecce Domine, quemadmodum tu te tradidiſti pro me, & quomodo volo meipſum dare tibi. Quamvis nihil dem tibi, quod ad te non pertineat, tamen, quia cupis, ut abſoluto dominio, quod neceſſario habes in me, addam ultroneam mei metipſius oblationem, libenter Domine, & libentiſſime me tibi ſacrifico. Sacrificium hoc ſincerum eſt, integrum eſt, meipſum trado omnibus voluntatibus tuis, & de me, de bonis meis, de valetudine mea, de omnibus ad arbitrium diſpones. Pudet me adeo ſero incipere, me tibi dare, ſed ultra differre neque poſſum, nec volo. *Pater le Valoiz, in Aſceticis Tom. 5.*

Ad exemplum Mariæ offerre debemus quidquid nobis cariſſimum eſt, neque in retributionem exſpectare in hoc mundo niſi paſſiones ad exemplum illius.

Maria Deo offert quidquid habet cariſſimum, hoc eſt Filium unigenitum; hunc illi offert in Sacrificium, quocumque ſit illi pretio ſtatutum. Heu! Jampridem Deus petit a te, ut offeras illi unicum hoc tui cordis objectum, videlicet, peccatum hoc, quod inhæret tibi, hunc habitum, affectum hunc in te dominantem, & illum nondum potuit obtinere. Tempore eodem quo Sanctiſſima Virgo facit adeo acceptam Æterno Patri oblationem, hic illi nihil promittit niſi cruces, atque paſſiones; eique declarat futurum, ut cor ſuum doloris gladius pertranſeat. Quæ merces? Ita Deus amicos ſuos excipit; Hoc pretio excipi vultis? Numquam dilexit impenſius aliquem niſi JESUM, & Mariam; & neminem magis afflixit. Creditis ne igitur, cruces eſſe indicium amicitiæ Dei erga nos, & gratiam, quam vobis largitur? Nunquid ambigere poteſtis videntes, quomodo JESUM & Mariam excipiat: Heu! querimoniæ, & obmurmurationes veſtræ inter tormenta, nonne palam oſtendunt a vobis oppoſitum credi? *Chriſtiana Conſiderationes Patris Neveu.*

Quo gaudio exultavit Simeon videns vota, & deſideria ſua adimpleta.

Venerabilis ſenex, cui Simeonis nomen, homo juſtus, ac timens Deum jam pridem Salvatoris adventum exſpectans, qui futurus erat conſolatio populi ſui, adfuit in Templo tunc cum illuc ingreſſa eſt Beata Virgo. Spiritus Sanctus quo plenus erat, & qui ſecretam illi aſſeverat certitudinem, ſe non moriturum, niſi videret CHRISTUM Domini, & qui illum in Templum adduxerat, aperuit illi Mulierem hanc eſſe Dei Matrem, ejuſque Filium eſſe Meſſiam. Tunc ſancto correptus impetu amoris, gratitudinis, ac lætitiæ accipiens puerum in ulnis ſuis exclamavit: Nunc dimittere potes Domine ſervum tuum, eumque in æternam requiem vocare, ſecundum id quod mihi pollicitus es. Voti compos morior; nihil ultra mihi optandum eſt in terra: tempus eſt, ut claudantur oculi mei, quoniam nihil reliquum eſt, quod videant, cum viderint illum, quem in mundum miſiſti, per quem mundus ſalvetur, illum, qui docturus eſt gentes, & ſuo lumine diſſipaturus erroris, & idololatriæ tenebras effuſas in faciem univerſæ terræ; illum denique, qui erit gloria populi tui Iſrael. Deinde ſenex Sanctus ad Mariam converſus, video, & intelligo, dixit, illi reddens pretioſum hoc depoſitum, quamvis cariſſimus Filius iſte in mundum venerit ad humanum genus ſalvandum, ipſum aliquando futurum cauſam propter quam multi peribunt eo quod ex illius morte proficere noluerint. Quamvis Judæi illum recipere concupiſcant, addidit, prævideo, neminem illi infenſiorem fore inimicum, quam populum ſuum; & donec in terris vixerit, hoc illi futurum eſſe contradictionis objectum. Venit ille, ut quatenus victima ſeſe offerat Patri ſuo; tu in illius Præſentatione aſſenſum præbuiſti morti ejus, hoc manet te, ut anima tua gladio tranſverberetur per dolorem, quem patieris cruentum hoc Sacrificium intuita. *Pater Croiſet in Aſceticis exercitationibus in ſingulos anni dies.*

Maria in hac cæremonia diſtingui noluit a ceteris mulieribus.

Maria cœleſti lumine præventa, confirmata in gratia, afflata motibus Spiritus Sancti, & ducta exemplo Filii ſui; quamvis diſtincta eſſet ab aliis mulieribus, nihil vidit in ſe, quod ipſam eximeret ab aliarum Purificatione, & quamvis Mater eſſet Dei, ſe ſe gerere voluit, quaſi non eſſet. Verita eſt ſingulares modo appetere, quos JESUS CHRISTUS reſpuebat. Voluerat ille ſimilis eſſe homini rebus in omnibus, exceptis ignorantia, & peccato; volebat etiam, excepta Virginali innocentia, & divina Maternitate ſua ſeſe cum aliis mulieribus permiſcere, ac ſe illis præbere ſimilem non ſolum quoad naturam, verum etiam quoad praxim earumdem virtutum, earumdemque legum obſervantiam. Ita cum loquor de privilegiis, quæ illi procuravit ſimplex hæc obſervantia, & de luce nova, quam effudit in eminentes virtutes illius, non vereor illum conferre cum celeberrimo Joſue, qui naturæ ordinem invertit, & qui ſolem retardavit in curſus ſui pertinacitate. Comparatio mea æquior erit, ſi illam cum prudenti Debora comparavero, quæ Dei inimicos delevit, quin ſtellarum ordinem inverteret: *Stellæ manentes in ordine, & curſu ſuo pugnaverunt contra Siſaram.* Videlicet Virgo Sanctiſſima, cujus tota vitæ ratio ſingularis extitit, & miraculoſa, nullam adfectavit ſingularitatem, aut miraculum; ſed e contra vitam ducens communem, voluit ſemper facere, licet modo non communi, quidquid aliæ ſuæ conditionis, & ſexus faciebant. O præſtantiſſima ratio, qua vos Auditores lectiſſimi, voſmet cum illa purificetis! Relinquite, relinquite in illuſionibus ſuis vanas animas, & ſemetipſis plenas, quæ, quidquid faciant, ſe in omnibus eſſe cupiunt univerſales. Sinite eas, ut inter ceteras niteant, ſibi peculiares leges præſcribere ſumptibus legis Domini. Vos autem bona fide facite, quod eſt officii veſtri, & ſcitote in vulgatioribus occupationibus veſtris puriores, & acceptiores Domino futuros, quam tot alii qui ſibi ad arbitrium confingunt devotiones, & perinde ac Evangelium ſaluti eorum non proſpexiſſet, ut perfectiores fiant, ſequuntur regulas, vel ut melius dicam, errores ſpiritus ſui. Facite quidquid vobis lubet ad acquirendos novos puritatis, & meritorum gradus; ſed ne ſequamini remotas vias, in quas amor proprius vos adducere poteſt, ut pereatis. Contendite ad ſtatus veſtri perfectionem; verum ad Sanctæ Virginis imitationem communia, & vulgaria officia veſtra ne deſeratis. Et ſi vultis melius adhuc proficere ex eo, quod in hodierna ſollemnitate vobis præbet exemplo, voſmet ut illa, purificate non ſolum per obedientiam, verum etiam per oblationem veſtram. *Elogia hiſtorica Sanctorum.*

Maria offerens Templo Filium ſuum experta eſt dolorem omnem, quem mox paſſa eſt in Calvario in morte Salvatoris.

Ad implendam Domini legem Virgo incomparabilis omnia animæ ſuæ gaudia ſacrificat. Apertius loquar: Novit id, quod factura eſt præſentans JESUM CHRISTUM, futurum ſibi fontem dolorum. Videt Simeonem ſibi oſtentantem gladium, quo eſt transfigenda: audit oraculum cœleſte, quod ſibi per Sanctum Senem nunciatur, & non ignorat prædictionem ſibi factam eſſe ſui Martyrii principium. Hoc nullo habet in diſcrimine, Zelus legis eam urget. Templum ingreditur, a Simeone videtur, ponit Filium ſuum in manibus ejus, & per prophetica illa verba: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, ab eo lethale recipit vulnus. (Lucæ 2.) Etenim ne putetis, illam effectum hunc in Calvario tantum excepiſſe, cum adſtitit Filii ſui crucifixioni; ſed quidquid tunc erat paſſura, hodierna die patitur, & hodie dicere poteſt ſe Cruci eſſe confixam. Sed cur oportet, illam obedientem legi acerbiſſimum hoc pati Myſterium? Ah! Chriſtiani, quia prædeſtinata erat, ut nos magnam hanc doceret veritatem, ubi agitur de lege Dei, ibi nullam haberi poſſe voluptatis, aut ſuavitatis vitæ hujus rationem. Cujus rei hoc authenticum eſt argumentum. Si enim gaudia æque ſancta, & pura, qualia fuerunt ſua, ſacrificanda fuerunt; ſi juſtum non eſt, S. Bernardus ait, ut noſtris parcamus, quæ inania ſunt, quæ ſunt prophana, quæ nos diſſipant, & quæ nobis auferunt Dei Spiritum; & ſi Mater Dei, quæ per excellentiam erat inter mulieres omnes benedicta, nihilominus non abnuit præ ceteris affligi ſeſe legi ſubjiciens; debemus ipſi adeo facile divinam hanc legem reſpuere, ſi qua nobis ſubeunda ſit pœna ad eam obſervandam? *P. Bourdalove, ſerm. de Purificatione.*

Pariter Filius Dei præſentans ſe Templo vidit quidquid paſſurus ſit propter hominum ſalutem.

Ita eſt, Auditores, ex quo JESUS CHRISTUS ex corde accepit pœnas omnes terribilis hujus ſententiæ, ab hac ſuæ Præſentationis die in Templo videt quidquid ſibi perferendum ſit, eique alacriter, & fortiter ſe ſubjicit. Ex eo tempore omnes naturæ humiliationes quibus ſe ſubjicit, omnes moleſti vitæ mortalis labores, omnes miſſionis ſuæ contradictiones, contemptus, qui fient de ejus perſona, contumelioſæ repulſæ divinitatem ſuam confitendi, inutilitas, & abuſus doctrinæ ſuæ, Judæorum ingratitudo, Scribarum, & Phariſæorum injuriæ, omnia oculis ejus præſentantur, omnia in anteceſſum in Sacrificii ſui proſpectum proponuntur. Jam videt paratum ſupplicii ſui locum, ubi Sanguinis ſui pretium perſolvetur, & ubi crucifigendus eſt. Videt illos, qui in Judææ ſubſelliis ſeſſuri ſunt ad judicandum ipſum tamquam blaſphemum, & ſeductorem &c. *Ex ſermonibus, qui Patri Maſſilon tribuuntur.*

Sacrificium, quod offert Maria, & exemplum, quod tribuit ſacrificandi, quidquid nobis cariſſimum eſt, ut divinæ legi obediamus.

Maria, quæ venit in Templum, Dei Mater eſt: Filius ejus ibi deberet ſacrificia recipere, & nihilominus ipſa illum offert tamquam victimam morti deſtinatam. Maria Virgo eſt; attamen ſemet offert purificandam perinde ac eſſet impura. Maria eſt parentum omnium optima; attamen offert omnibus paſſionibus, & perſecutionibus amabiliſſimum Filiorum omnium; quaſi illum nulla caritate diligeret. Quod in hac cæremonia admirabilius eſt, omnia fiunt per operationem Spiritus Sancti, omnia fiunt amoris affectu erga legem, cujus omnes circumſtantias ad unguem vult obſervare. Hac agendi ratione, Virgo Sancta, nos doces regulas accuratiſſimæ diligentiæ, & media nos purificandi, atque ſanctificandi. Hac nobis oſtendis adimpleta eſſe oracula, ac tandem nos recepiſſe Dei noſtri miſericordiam in medio Templi: *Suſcepimus Deus miſericordiam in medio Templi tui;* nobis impetra, ut ſacrificare poſſimus quidquid nobis cariſſimum eſt, ut ſequamur JESUM CHRISTUM in humiliationibus ſuis, ut amemus ſicut

ille,

ille, obſcuritatem; & ſicut tu, S. Virgo, eas contemnere actiones, quæ in hominum oculis renident, ſed illas tantum, quas approbat Deus, quamvis humilitatis velo tegantur. *Elogia hiſtorica Tomo primo.*

Maria ſeſe humiliat non ſecus, ac Filius.

Cæleſti afflatu perficere, quod per explicitam obligationem ſiebat, perfecta eſt obedientia, & humilitas, cujus una Maria capax eſt. Merum placendi Deo deſiderium fecit, ut ipſum ſuperaret præceptum; invenit in Filio ſuo exinanito ſpiritum legis, & id quod aliis erat humiliatio ſtatus, & inevitabilis neceſſitatis, facta eſt in Maria cauſſa meriti, ac perfectionis. Aliis dicebatur mulieribus, legem conſulite; Maria vero ſibi dicebat, inſpice Deum tuum, Legis auctorem. Ille Templum ingreſſus offert ſe Deo, quamvis ſit Deus Templi: cur abnuam memet purificare, licet ſim Virgo? Aliena indutus natura voluit illi obtemperare, a quo miſſus fuit, cur ego non obediam illi permanens in mea? O Creator! creatura! Quæ comparatio! Creator a nemine pendens, & nihilo ſecius ſubjectus! Quod exemplum ſubmiſſionis creaturæ vili, & contemptibili, & neceſſario ſubjectæ qualis ego ſum! In hunc ſcopulum, Domine, tota vanitas mea debet allidere, & videns illum, qui Deo par eſt tamquam mancipium imperata facere; contemplans creaturarum omnium perfectiſſimam ita obedire, ut videri velit immunda, poſſumne non ſubjici legibus, quibus a ſordibus meis jubeor expiari. *Ibidem.*

Duplex Mariæ ſacrificium.

Cor ſuum immolare Deo eſt illi ſacrificare, quod præ ceteris diligitur, eſt tamquam coram Domino jugulare omnes affectus, quibus cor vehementius agitur. Hoc poſito arduum non eſt invenire victimas, quas Maria præparare debuit pro ſuo Sacrificio. Mater erat; & erat Virgo, quod ſufficit, ut intelligatur, amorem, pudoremque partitos fuiſſe ſenſus omnes cordis ſui; & invenio has duas eſſe affectiones, quas hodierna die vincit in duplici Myſterio, quod celebramus. Noſtis Eccleſiam recolere, & Præſentationem Filii, & Matris Purificationem. Maria cum ſimul obierit duplex munus ſuum matribus omnibus impoſitum duabus diverſis legibus, quarum altera cautum erat, ut offerrent Deo primogenita poſt quadrageſimum ab ortu diem, altera vero ut illæ ſe ſe purificarent a ſordibus puerperii ſui, per oblationem agni, vel ſi pauperes eſſent duorum turturum; dico in primo horum Myſteriorum Mariam Deo ſacrificaſſe amorem ſuum maternum; quoniam devovit Unigenitum ſuum morti, & in altero feciſſe Sacrificium Virginalis pudoris ſui; quoniam ejus exiſtimatio expoſita fuit ſuſpicionibus indignis ſe, & illa abrenunciat gloriæ, quæ coram hominibus Virginitatem comitatur. Ita eſt, Maria Matrum omnium Beatiſſima, omniumque Virginum puriſſima, hodierna die venit in Templum oblatura JESUM Patri ſuo, & ſe ipſam purificatura, hoc eſt, ibi factura integrum magni cordis ſui Sacrificium. *Pater de la Colombiere Tomo ſecundo.*

Maria videri vult peccatrix.

Sublimis honoris apex, cujus Maria ſe zelotypam debebat oſtendere, erat proculdubio gloriæ ſuæ puritatis, qua ſupra ceteras eminebat creaturas, & quæ cum in Dei oculis perplacuiſſet, mortalium omnium admirationem merebatur. Tamen ut pareat legi a Deo inſtitutæ, gloriæ huic abrenunciare videtur; quoniam Virgo hæc ſemper pura ſeſe commiſcet cum aliis mulieribus hac cæremonia indigentibus. Quis crediſſet, Fideles, Maria, ut Deo tunc perplaceret, videri voluiſſe peccatricem? utque illi obtemperaret, quodammodo maculaſſe id quod in illa Deus plurimi faciebat? illum, qui perhorreſcit vel minimam labem, reſpicere potuiſſe in hoc ſtatu Matrem, quam ex omnibus creaturis elegerat, quia ceteris puritate præſtabat? & quæ Virginis titulum magnitudini divinæ Maternitati prætulerat, ſaltem in ſpeciem illi per hanc Purificationem abrenunciaſſe? Sed humili Virgini ſatis fuit ſcire id velle Deum, ut cæce ſequeretur omnes voluntates ejus; & quamvis homines ignorarent adhuc Mariam eſſe Matrem ſimul, & Virginem, atque illam nequaquam ſemet ſubjeciſſe niſi per ſupererogationem duntaxat legi Purificationis; nonne ſufficit hoc Mariam noviſſe, ut Deo acceptam referret tantam gloriam, quæ illam ſuper Virgines omnes attollebat? Obedit Maria Deo ea in lege, quæ hanc celabat prærogativam; & Deo paruit ſumptibus gloriæ ſuæ. *Auctor ſermonum in omnia Argumenta Tomo 2. Myſteriorum.*

Mariæ fides ſuperat fidem Abrahæ.

Nonne Maria ſuperavit fidem Abrahæ in Sacrificio, quod obtulit Deo Filii ſui, quemadmodum hic Patriarcha illi ſuum obtulit? Abraham enim hanc ſuſtinuit tentationem tribus duntaxat diebus, quos inſumpſit in itinere profecturus in montem Moria, ubi Sacrificium hoc faciendum erat, & poſt adeo breve temporis ſpatium liberatus fuit a certamine, quod experiebatur intra ſe filium ſibi ſuaviſſimum ſacrificaturus. Sed doloris gladius, qui hodie cor Mariæ transfigit, neque intra annorum triginta ſpatium eam torquere ceſſabit; ſemper enim obſervabitur ante ejus oculos Sacrificium, cui hodierna die præſtat aſſenſum. Dolor, quo afficiebatur Abraham ob præceptum adeo ſeverum Patri ardentiſſime amanti Unigenitum, imminutus erat incertitudine, in qua erat, utrum Deus brachium ſuum moraretur: vel utrum a morte excitaret hunc filium efficiens, ut ex cineribus ſuis renaſceretur, quamobrem Scriptura dicit, illum contra ſpem omnem ſperaſſe: *Qui contra ſpem in ſpem credidit.* Sed hic aliter accidit: Maria certa eſt, altare oblatæ victimæ cruore eſſe irrigandum; Sacrificium ita cruentum futurum eſſe, ut gladius doloris ſit cor illius penetraturus; Filium ſuum futurum ludibrium, & opprobrium Judæorum. Ingens exemplum, quod pudore peccatores ſuffundit! Virgo ſuperat Angelos puritate, & nihilominus ſe doloribus offert; vos autem peccatores, qui toties corda veſtra peccato polluiſtis, medicinam, quia amara eſt, perhorreſcitis? *Cauchemer in Tomo Myſteriorum.*

Ad Rom. 4.

Maria in hoc Sacrificio eſt exemplar noſtræ pœnitentiæ.

Diuturnus requiritur dolor, ut vos purificet; ne putetes enim, ubi diutius in peccato permanſeritis, licere vobis intra modicum tempus convaleſcere. Opus eſt ut pœnitentia aliquam habeat cum peccato proportionem non ſolum, quoad doloris gradum, verum etiam quoad ejus durationem. Peccator ſe purificans in pœnitentia ſua impatiens eſſe non debet; opus eſt ut ſicut Maria integre compleat dies ſuæ Purificationis: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ.* Quamvis illa pura eſſet, & innocens, quamvis a lege immunis, ne uno quidem die, immo ne momento quidem prævertit tempus Purificationis ſuæ. Quadraginta diebus abſtinuit aditu in Templum non auſa tangere Sanctum aliquid, quadam veluti anathematis ſpecie percuſſa. Quæ confuſio fidelium, qui poſtquam in ſcelere conſenuerunt dicere nequeant, ſe vel unam diem in pœnitentia traduxiſſe? Quæ condemnatio peccatorum, qui poſtquam abominationes ſuas evomuerunt in auribus Sacerdotis ægre ferunt ſe Menſæ Euchariſticæ non admitti, non ſolum ut tangant, ſed etiam ut comedant Sanctum Sanctorum. Denique ut perfecta ſit hæc purificatio, opus eſt, ut amor ſit principium illius, & gignat humilitatem, atque dolorem: etenim ſine amore tota humilitas, & dolor Mariæ Sacrificium hoc offerentis nullius meriti extitiſſet; ſine amore illa non ſubjeciſſet ſe legi Purificationis; & ſine amore aſſertum pœnitentis meritum evanuiſſet. *Idem.*

Luc. 2.

Mariæ docilitas indocilitati noſtræ oppoſita.

Vulgatiores infidelitates, in quas labimur in via ſalutis, ſitæ ſunt aut in vana Sapientia, nimis hærenti propriis luminibus, ac ſemper ingenioſa in obicibus opponendis conſiliis Dei, vel in inani gloria, quæ nimis præſidit viribus propriis, & ſibi uni præbet aures; vel in carnis mollitie malis deterrita, quæ perferenda ſunt, nimis conſulit ſeipſam, ſuam audit infirmitatem, & facit ut homo ſua præferat ſtudia officiis ſuis. Mariæ fidelitas his vitiis caret, docilis in iis, quæ ſibi præſcribuntur in lege, non ratiocinatur; humilis in ſenſibus ſuis, non intumeſcit; in adverſis generoſa, animum non deſpondet. Nonne poterat Maria, S. Bernardus ait, ut ſe a Judæorum lege diſpenſaret, graviſſimas rationes afferre deſumptas a puritate ſua, quæ purior erat poſt puerperium, deſumptas ex Filio ſuo, qui per ſubmiſſionem huic probroſæ legi, de gradu dejectus fuiſſe videbatur? Rationes illæ vim habent ad Mariam a lege diſpenſandam, ſed illis non objicit. In Nazareth didicerat ad hoc, ut fidelis eſſet Deo ſibi ratiocinandum non eſſe; obedientiam rationibus omnibus eſſe præferendam; Cæli mandata ſemper relinquere tenebras in executione, ad ſervandum ſemper meritum ſubmiſſionis, & in ſpiritu non deeſſe oculum ſcandali, qui ſemper repellendus eſt, & cujus electio non eſt ſequenda. Meminit, divina eſſe cum ſimplicitate quærenda, & cum his ſenſibus in cordis ſui ſecreto Dei veneratur conſilia, cujus vias ignorat fortaſſe. *Maſſilon Tomo 4.*

Mariæ ſimplicitas vias non communes horret.

Non ſemper Dominus actionum fulgentium nitore cupit glorificari: ſed ſimplicitate, qualem hodierna die præfefert Maria. Hæc aliud quoque nobis tribuit documentum; quippe ad altiſſimum gratiæ gradum evecta, quem creatura aſſequi valeat, non dedignatur ſeſe ad craſſam ſubjicere cæremoniam, qualis erat Purificatio pro mulieribus inſtituta: non adfectat, ut Deo fidelior videatur, vias magis ſpiritales, & perfectiores præ ceteris aſſumere Matribus, quarum ſordes nequaquam contraxit. Longe aliter accidit in eo, quo vivimus ſæculo. Simplex devotionis praxis ſimplici popello relinquitur. Sæpe qui virtute præſtat, inter ceteros rureſcere quærit: Si quis populi devotionem imitaretur, ſe dedecore, & contumelia affectum putaret; carni minus tribuens, credit ſe non poſſe ſatis tribuere ſpiritui, qui eſt utilis omnibus: Sibi perſuadet, viam puriorem, eſſe etiam præſtantiorem; & non iden tamen intelligit, quod quo magis aliquis per ſublimiores vias ſe attollit, eo minus progredi, quoniam paſſim tædio afficitur, & incidit in ariditatem, ex qua non adeo facile emergere licet. Tota fidelitatis regula Chriſtiani hominis erga Deum ſuum, fides eſt; praxis tota,

caritas eſt; conſolatio omnis eſt ſpes. Cum Chriſtianus ſequitur fidem; nihil quærit niſi ſimplicitatem; & quidquid confert ad rationis ſuæ laudem, & ſpiritus gloriam abhorret a fidei ſimplicitate. Praxes vulgariores videntur illi puriores, quam fulgidiora Seraphim lumina. *Idem.*

Maria ſilentio involvit inſignes titulos, & dona, quæ recepit a Deo. Maria humilis in ſenſibus ſuis non attollit ſe ſuper ceteras majorem fidelitatem teſtatura Domino, quis enim non crediderit in hac cæremonia illam nequaquam profeſſuram fuiſſe gloriam ſuam, quandoquidem in Zachariæ domo in divino, quod edidit Cantico authenticum illius prohibuerat teſtimonium? Tamen Maria nihil ſignificat eorum, quæ novit, nec dedignatur a Sancto ſene Simeone doceri; attentis auribus excipit, quid ſibi dicatur ab illo, quaſi omnia ignoraret, neque feſtinat viciſſim narrare magna illa, quæ Dominus operatus fuerat in illa, & quaſi Canticum Simeonis novum aliquid docuiſſet illam, illud admirari non ceſſat. Credit nihil ſibi dicendum, eumdemque cum Joſeph ſtuporem præſefert, quaſi nunquam audiviſſet verba fieri de JESU filio ſuo, de quo Simeon loquebatur: *Luc. 2.* *& erat Pater ejus, & Mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo.* Sed quam paucos imitatores habet Mariæ exemplum inter eos, qui ſe magis devotos eſſe profitentur? Pauci ſunt, qui per ſinceram humilitatem affectent ſe parum ſcire, cum multa ſciunt; Pauci, qui tegant dona, & talenta ſua, illa fratrum ſuorum prædicaturi. Immo quo plura ſcit aliquis, eo magis appetit doctior videri; nemo vult rudis haberi, quilibet ſeſe omnibus immiſcet, & ſine cognitione omnia vult moderari. *Idem.*

Mariæ in hoc cæremonia generoſitas. Maria in finem uſque generoſa in malis ſuis animum non deſpondet. Portenditur illi futurum, ut doloris gladius animam ejus confodiat; recens natum puerum plurimis quidem contradictionis ſcopum futurum, ceſſurumque in aliorum quidem utilitatem, aliorum vero perniciem: Objiciuntur oculis ejus triſtes tantum imagines, ac terribiles eorum, quæ ipſi, filio que ſuo eventura ſunt; paſſiones tantum, & ſupplicia illi intentantur; tamen adeo infauſtis hominibus offert firmam, vivamque fidem, conſtantem, & inconcuſſam caritatem. Digna Abrahæ filia illius fortitudinem imitatur: videt jam montem, ubi immolandus eſt ſuus ſuaviſſimus Iſaac; videt rogum præparatum ad victimam devorandam, Calvarium, Crucem, & carnificum brachia in JESUM ſublata: tamen non cadit animo: Ingreditur in hujus Prophetiæ ſpiritum: in anteceſſum hos dolores acceptat conſocians paſſiones ſuas cum illis Filii ſui; hac ipſa die offert ſe Æterno Patri cum JESU Salvatore ſuo, cumque hæc eſſe debeat eadem victima, ita eamdem efficit oblationem. Sed hic multo magis, quam in alia qualibet circumſtantia, Maria paucos habet imitatores. Nemo ferme invenitur, qui cum eadem generoſitate, qua Maria offerat quidquid eſt optimum. Si quando munera aliqua Domino offeruntur, ſemper quidquid cariſſimum eſt reſervatur: hoc tamen eſt, quod a nobis potiſſimum poſtulat Dominus. Si quis eſt in familia puer, qui aliis ingenio, & meritis præſtet, & aptior videatur ad honorem, & gloriam JESU CHRISTI ſuſtinendam, hic auferatur Deo, ac terrenis negotiis implicatur. *Idem.*

Quid ſit ſe ſacrare, ut facit Maria in hac cæremonia Diſcamus hodie ex hac incomparabili Virgine, quid ſit ſe Deo conſecrare: Chriſtianorum ævi hujus ſententia eſt in oculis mundi oſtentare inſignia quædam pietatis opera; eſt in oculis Principum non alere omnem luxum, pompam, & faſtum, quem dignitas eorum poſtulare videtur; eſt, non amare enormia illa, & odioſa crimina, quæ infamiam inurunt; eſt, ſe nequaquam tradere obſcœnis libidinibus, ganeis, & compotationibus; eſt perditam flagitioſiſſimorum licentiam non ſequi; eſt aliquando commodas, honorificaſque virtutes exercere; non erubeſcere pietatis opera, quia nominis celebritatem comparant; eſt commodum ſibi directorem eligere; per intervalla officiis divinis, quæ ſunt præcepti, intereſſe; non vivere in omnimoda Sacramentorum oblivione; hoc vocatur ſemet Deo devovere. Sed ex Mariæ ſententia eſt voluntatem ſuam ſacrificare, & aſſumere voluntatem Dei pro norma actionum ſuarum; in minimis etiam occaſionibus illi fidelem eſſe; ſervire Deo, ſive bona fruamur exiſtimatione, ſive laboremus mala; illi offerre in ſacrificium filium unigenitum, quantumvis perfectus eſſet tamquam Iſaac, & tamquam ille totius ſpei fundamentum; eſt abrenuntiare titulis omnibus præclariſſimis, ſeſe conſecrare Deo, imitari JESUM CHRISTUM, & Mariam, qui ſimul offerunt ſe, ut moriantur in Cruce, ibi enim doloris gladius matrem, & filium configere debet; & donec accedit hora hujus Sacrificii, non aliud habere objectum in mente, & per ſanctum impatientiam votis ſuis illud prævertere; *Et quomodo coarctor, Sermo Manuſcriptus.*

Quo magis Mariæ puritas eminebat, eo magis repugnare debebat legi purificationis. Judicate utrum naturaliter Maria repugnare deberet, ne ſe ſubjiceret legi, quæ non erat niſi pro illis, quæ purificatione indigebant. Quid enim purificandum erat in Virgine, quæ Angelis ipſis erat purior; nunquid cor, quod nonniſi puriſſimis amoris Dei ſui flammis fuerat incenſum; nunquid ſpiritus iſte repletus pulcherrimis luminibus Cæli? Nunquid oculi illi, qui clauſi erant terrenis objectis? nunquid corpus hoc Virginale, quod nunquam expertum fuerat appetituum rebellionem? Nihil horum, Auditores, nullam enim contraxit uſpiam maculam; ſed quo nitidior ejus erat puritas, eo magis repugnare debebat, ne in Templum ſeſe conferret purificanda. Hoc tamen facit, quin erubeſcat, quia hoc præcipit Deus; Nos vero Chriſtiani, cauſabimur modicum honorem, ut ab officiis maxime neceſſariis noſmet diſpenſemus? Dei Mater ea lege non tenebatur: ſed quamvis hoc gauderet privilegio, ſeſe in aliarum ordinem cogit, ut nos doceat eximiam eſſe virtutem nihil appetere, quod ſingularitatem ſapiat; & ſub communium legum obſervantia celare meritum non commune. Videmus enim illam ad unguem præſcriptum ſervare tempus, quin vel momento uno illum prævertat, aut differat; illam præſcripta per eamdem legem offerre munera, illam nulla in re deeſſe, & omnia officia replere. Nos vero quibus non utimur artibus, ut eludamus obligationes magis inevitabiles? Quibus ambagibus, & explicationibus utimur ad explicandas leges, quæ per ſe patent, cum eiſdem obtemperare detrectamus? *Auctor ſermonum in omnia argumenta.*

DE BEA-

DE BEATÆ VIRGINIS TRANSFIXIONE SEU DE DOLORIBUS MARIÆ.

MONITUM.

ARGUMENTUM hoc quod Feria Sexta poſt Dominicam Paſſionis pertractare conſuevere, vulgo Paſſio, vel potius Sanctæ Virginis compaſſio appellatur; cumque hæc ſit approbata devotio, & pia conſuetudo in omnibus fere civitatibus inſtituta ſermonem habere de doloribus Deiparæ juxta Crucem Filii, Myſterium hoc mihi prætermittendum non eſt, in quo plurima ſibi comparavit merita, præclara edidit eximiarum virtutum exempla, & plurimum contulit ad generis humani ſalutem.

Meum eſſe reor monere pietatem nonnullos impuliſſe, ut hyperbolice loquerentur, & qui Beatam Virginem exhibere debebant tamquam fortitudinis exemplar in doloribus acerbiſſimis, illam repræſentaſſe erumpentem in ſuſpiria, lacrymas, & queſtus, animi deliquium patientem, atque expirantem eo in corporis ſitu, qui quidem doloris exceſſum oſtendit, ſed minuit opinionem de illius conſtantia, & perfecta ſubmiſſione divinæ voluntati. Ceterum cum Evangelium pauca in id argumentum ſuppeditet, & Sanctus Joannes, qui unus de illa verba facit, dicat, Mariam Matrem JESU ſtetiſſe prope Crucem una cum mulieribus aliis, quæ ſubſecutæ, & concomitatæ fuerant Salvatorem uſque ad Calvarium, videndum eſt, ut quidquid ad ſermonem exornandum afferatur, innitatur Sanctorum Patrum auctoritati, Eccleſiaſticæ Traditioni, recto ſenſui, & morales conſiderationes, quæ inde haurientur, dividantur inter exempla, quæ nobis Mater ſuppeditat, & partem, quam cum illa nobis deſumenda eſt in paſſionibus Filii.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus argumenti Synopſis.

I. TRIA potiſſimum conferunt ad acerbum dolorem ciendum. 1. Eſt cauſa, vel hujus doloris objectum: docet enim experientia, nos acrius dolore confici ob jacturam amici, conſanguinei, hominis, quem amore complectimur, quam alieni, & incogniti, cum quo nulla nobis eſt ratio neceſſitudinis, aut affinitatis; vel magnum, & profundum vulnus, aptius eſſe ad dolorem inferendum, quam aliud levius, quod extremam cutem vix attingit. Alterum eſt applicatio cauſſæ vel objecti dolorem in nobis gignentis, liquet enim, eventum aliquem funeſtum, qui propior adeſt, & quem ob oculos habemus, nos aliter afficere, quam qui vel tempore, vel loco diſtat, & quem nonniſi per auditum accipimus. Tertium eſt idem ſubjectum, quod recipit, & experitur dolorem, quem ciet malum inevitabile; liquet enim, alios aliis magis, minuſve affici, non ſecus ac alia corpora alias majori doloris ſenſu pollent, & vehementius irritantur. Hæc tria ſunt, quæ Sanctæ Virgini graviſſimam inferunt acerbitatem.

1. Objectum eſt Filius ſuus Cruci confixus, qui patitur ſupplicium diriſſimum ſimul, ac turpiſſimum; Filium, quem magis amat, quam ſeipſam, & pro quo ſexcentas mortes pati vellet; Filius, quem tot ob cauſſas amare debet tamquam Sanctiſſimum, ſuaviſſimum, & quem diligere tenetur non ſolum tamquam filium, verum etiam tamquam Deum ſuum, qui elegit illam, & elegit inter omnia creata ſibi Matrem futuram &c.

2. Doloris hujus applicatio intima eſt omnibus facultatibus animæ ſuæ. Intellectus illius cognoſcit, & intelligit omnem magnitudinem pœnarum Filii ſui, auctores earum cauſſas, modicum fructum, quem percepturus eſt &c. Voluntas ejus earum fit particeps, & compaſſio efficit, ut illa in animo ſuſtineat dolores eoſdem, quos Filius in adorabili ſuo corpore ſuſtinet. Adde his, cum illa huic præſens adſit ſupplicio, omnes illius ſenſus triſti hoc affici objecto, nec pati, ut ipſi inde mentem avellat.

II. 3. Subjectum autem, in quo dolor iſte recipitur, eſt cor Sanctæ Virginis, molliſſimum &c. cor Matris &c.

Pro textu deſumi poſſunt hæc S. Joannis verba: *Stabat juxta Crucem JESU Mater ejus. Joann. 19.* quæ perfecte exprimunt diſpoſitiones cordis Mariæ compatientis doloribus filii ſui, & oſtendere

Primum magnitudinem dolorum Mariæ, cum proportionem habeat cum magnitudine amoris, dici poſſe quodammodo infinitam.

Secundo fortitudinem ſpiritus ſui, & cordis firmitudinem, quæ contra hunc torrentem dolorum obfirmabatur, illos auxiſſe.

Ad primum punctum amplificandum oſtendere poſſumus 1. Magnitudinem amoris ex parte amoris naturalis, quo Filium ſuum proſequebatur; 2. & magnitudinem amoris ſupernaturalis, quo illum amabat tamquam Deum ſuum. S. Auguſtinus probat omnes affectus non aliud eſſe, quam perſonatum amorem, qui principium eſt, & menſura doloris earum rerum, quas amittimus. Sed Maria Mater erat optimi inter omnes filios, & Mater erat unigeniti; ſola Matris qualitas nobis æquam adſtruere poteſt ideam violentiæ doloris ſui; conſtat enim Matrem eſſe ſymbolum amoris: Sancti etiam Patres aſſerunt Abraham mortuum fuiſſe toties, quot elapſa ſunt momenta inter acceptum imperium ſacrificandi Filium ſuum, & horam ſacrificii. Quamobrem iidem Patres pergunt, Deus elegit montem trium dierum itinere diſtantem, ut per hoc intervallum fides, & obedientia Abrahæ tentaretur. Maria Abrahæ filia cor habebat magis molle quam hic Patriarcha, & Filius ejus iis pollebat qualitatibus, quibus multo magis quam Iſaac commendabatur: Si addas, ipſum fuiſſe Mariæ unigenitum; Sanctam hanc Matrem cognoviſſe omnes illius perfectiones, & nihil tantam hanc jacturam ſuam reparare poſſe, ſe viſibili præſidio carituram, & nullum habituram ſolatium ex parte Filii, quo erat privanda, qualitas ejus Matris Dei multo magis augebat dolorem ejus; quia Mariæ cor non aliud erat, quam amor, ex quo S. Hieronymus arguit, illam magis, quam ceteras morte Filii doluiſſe, quia amor quo illum complectebatur longe major erat: *Quia plus omnibus dilexit, propterea & plus omnibus doluit;* ex hoc principio legitima elicitur concluſio, Mariam eſſe merito Reginam Martyrum, non ſolum per eminentiam privilegiorum, quæ illam ſupra Sanctos omnes extollunt, quatenus Cœli Reginam, & terræ Dominam; verum etiam, quia paſſa eſt magis quam omnes illi, cum amaverit magis quam illi omnes JESUM CHRISTUM; quod ſi adjicimus etiam beneficia, quæ receperat a JESU CHRISTO, novam inveniemus doloris cauſſam. Alii Filii omnia ad vitam neceſſaria recipiunt a Patribus, matribuſque ſuis; ſed Maria hic accepit omnia a JESU CHRISTO; illum igitur reſpiciebat tamquam Creatorem ſuum, a quo fuerat electa, ut eſſet veluti excellentiſſimum omnium operum ſuorum, & creaturarum omnium primogenita. Hæc ratio, quæ augebat amorem illius erga JESUM CHRISTUM, augebat quoque dolorem, videntis illum patientem: *Cogita ut Creatorem.* Reſpiciebat JESUM CHRISTUM tamquam Redemptorem ſuum, qui cum illam ab omni originalis peccati labe præſervaſſet, & ab omni actuali peccato, illam a ceteris hominibus diſtinxerat præclaro hoc privilegio; conſiderabat illum tamquam Auctorem omnium virtutum, quæ illam effecerat tamquam ſubjectum benedictionum omnium populorum, & hæc cogitatio illam graviſſimo dolore conficiebat: *Cogita ut Redemptorem, & per omnia dole.* Tract. de Paſſ.

D. Hieronymus ſerm. 2. de Aſſumptione, quæ alii Sophr. tribuunt.

Ad alterum vero Punctum exornandum, oſtendere poſſumus firmitatem, & conſtantiam Mariæ illius dolorem auxiſſe. 1. Quia voluit eſſe prope Crucem. 2. Quia erat prope Crucem, ut conſolaretur Filium ſuum, quamvis hoc facere non poſſet; quia ſtetit; & hic corporis ſitus ejus dolorem augebat; neque enim exiſtimandum eſt, Mariæ dolorem ſimilem fuiſſe dolori aliarum mulierum, ſibi capillos, ac veſtes evellentium, replentium aerem clamoribus, & ejulatibus. *Non ejulantem cernimus, non ungue vellentem comas.* Ita conſtantia fecit, ut ſequeretur Filium ſuum ſibi bajulantem Crucem; omni etiam adſtitit apparatui; vidit Crucifixionem, audit carnificum improperia teſtis eorum crudelitatis; habuitque cor eadem lancea, Officium Compaſſ. Mariæ.

iiſdemque clavis confixum: *Clavis iiſdem figitur, CHRISTUS Cruci, CHRISTO Parens*. Liquet quantum augere valeat dolorem objecti præſentia. Quo vulnere ſauciata fuit, cum audiit Filium conquerentem ſe a Patre ſuo derelictum? *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me*. Conſtantia, qua voluit omnibus ejus cruciatibus intereſſe, auxit dolorem ejus, tunc vero præſertim cum negatum ſibi vidit ullum filio ſolatium afferre; audiit illum aquam petentem, qua ſitim levaret ſuam, & hanc ſe illi afferre non poſſe: vidit illum animam efflantem, quin cum illo mori poſſet, & erupit in hæc verba, quæ rupes ipſas, ac lapides valent conterere: *Fili mi! quis dabit, ut moriar pro te? En moritur filius; cur tecum non moritur miſera Mater?* Adde, hominem mœrentem in lacrymis, & ſuſpiriis ſolatium quoddam nanciſci; e contra vero dolorem augeri, ubi in corde, non ſecus ac Mariæ accidit, dolos includitur, & coarctatur. Terra tota turbatur, Cælum, terra, rupes, omnia conſternuntur, Maria una ſtat ſibi conſtans, & fortis in doloribus ſuis. *Auctor ſermonum in omnia Evangelia Curſilio ... a gerenta.*

D. Bernard. de planctu Virginis.

III. Mariæ adſtanti in Paſſione Filii ſui hæc appingi poſſent S. Pauli verba illi perfecte congruentia: *CHRISTO confixus ſum Cruci*: quæ compaſſionis officium applicuit Mariæ. *Clavis iiſdem figitur, CHRISTUS Cruci, CHRISTO Parens*. Itaque oſtendi poteſt

Primo interiores Mariæ dolores, hi duos habebant fontes, 1. Juſtitiam rigoroſam Æterni Patris, qui derelinquebat filium ſuum inimicorum hominum crudelitati, utentis eorum miniſterio ad expetendas pœnas ſcelerum ab hominibus patratorum contra divinam Majeſtatem. 2. Odium inexplebile carnificum, qui furentium inſtar luporum in agnum irritati ſæviſſimis illum cruciatibus divexabant. Maria intus duobus hiſce objectis perculſa eaſdem interiores pœnas, quas Filius ſuus, preferebat.

Secundo exteriores Mariæ cruciatus; primo enim patiebatur cum filio ſuo dolores acutiſſimos in corpore ſuo; cognoſcens mollitiem corporis Filii ſui, noverat ad quem uſque gradum ipſe perferret: cognitio hæc producebat dolorem, qui ab animo ad corpus pertranſibat, quemadmodum Filius ejus in horto olivarum agonem ſuſtinuit ſola viſione ſuppliciorum, quæ erat paſſurus. 2. Paſſa eſt univerſales dolores in toto corpore; omnes illius ſenſus conflictati fuerunt, non ſecus ac ſenſus JESU CHRISTI; oculi quidem ſpectaculo paſſionis ejus; aures blaſphemiis, & injuriis, quæ contra Filium evomebantur; manus quibus non licebat aliquid afferre ſolatii; ita ut dici poſſit Mariam vere affixam fuiſſe Cruci JESU CHRISTI. *Sermo Manuſcriptus*.

IV. Oſtendi poteſt graviſſima Mariæ conflictatio in Sanctæ Virginis Martyrio prope Crucem ſequentibus conſiderationibus.

1. Filium hunc quem patientem intuetur, amat pluſquam amantiſſimæ matres diligunt ſuos. Nemo unus ignorat quantus ſit dolor videre patientem eum, quem unice diligimus, eo uſque ut amoris magnitudo, qua proſequitur perſonam dilectam, ſit modus doloris, quo afficimur illam conflictatam intuiti. Ex quo hauriri poteſt æqua hæc illatio, Mariam, quæ amabat plus filium ſuum, quam ſeipſam, magis paſſam fuiſſe, quam ſi omnia crudelitatis inſtrumenta, quæ lancinarunt adorabile corpus Filii, Deique ſui, fuiſſent corpori ejus applicita.

2. Nemo illa melius cognoſcebat meritum, ſanctitatem, ſupremam excellentiam perſonæ, quæ tanta indignitate afficiebatur; unde ſequitur, quo majori dignitate, meritoque refulget, & quo plures perfectiones, & eximias habet qualitates, & quo meliori ſuſtinet cauſa, eo majorem mereri ſuorum pœnarum miſericordiam; quid nobis ſentiendum eſt de illo dolore, quo Maria affecta fuit erga filium ſuum, & Deum, qui ab hominibus talia patiebatur, & tam dira ſubibat tormenta, ut illos ab æternis eriperet pœnis; quas juſtiſſime fuerant promeriti?

3. Ingreditur, ut ita dicam, in Filii ſui Dei ſimul, & hominis plagas, eaſque melius ſcrutatur, quam ceteri; melius enim novit mollem & delicatam corporis illius conſtitutionem, quæ efficiebat, ut eorum dolores magis eſſent ſenſibiles. Quapropter ſecum animo reputare contumelias, quibus apud Caipham fuerat conquinatus, & flagella, quæ in Atrio Pilati pertulerat, cruentam ſpinarum coronam, quam milites impoſuerunt capiti illius, clavos, qui manus, & pedes ejus terebraverant, & extenſionem omnium membrorum ejus in Cruce, ſatis exprimi non poteſt quanta ejus fuerit miſeratio propter tot crudelitates, ideoque Martyrium quod illa ſuſtinuit. Quamobrem S. Bernardus teſtatus eſt, illam ſenſiſſe in corde ſuo plagas, quas in corpore Filii ſui ſuppliciorum inſtrumenta efficiebant.

V. *Stabat juxta Crucem Mater ejus*. Mater eſt compatiens doloribus Filii, quem unice diligit. Mater eſt prope Filium ſuum, qui patitur, & moritur ob oculos illius, & cui nullum afferre ſolatium poteſt. Mater eſt firma, & inconcuſſa in exceſſu doloris ſui; Senſus, qui ex tribus hiſce principiis adoriri poſſunt, nobis locum præbent credendi extremam eſſe compaſſionem ejus, ejuſque Martyrium incomprehenſibile. Tria hæc aſſequi adnitamur.

1. Qualitas perſonæ mœrentis eſt Maria Virgo, & Mater Salvatoris, qui vult ipſam participem fieri Crucis, & paſſionum ſuarum.

2. Objectum doloris, qui illam affligit; Filius eſt Deus ſimul, & homo, quem videt morientem ob oculos ſuos morti infami ſimul, & crudeli, & cujus ſupplicio præſens eſt.

3. Firmitas amoris ſui in afflictione ſua; præſefert enim fortitudinem, & admirabilem conſtantiam, quamvis dolor ſummus millies illi mortem inferre poſſet, niſi Cæleſti fuiſſet auxilio ſuffulta.

Non ſolum dilectus Diſcipulus S. Joannes ille fuit, quem Salvator morti proximus in filium tradidit Sanctæ Genitrici ſuæ, ſed in dilecti hujus diſcipuli perſona tradidit omnes Chriſtianos Matri tamquam Filios, quos quodammodo peperit ad pedes Crucis. Ibi facta eſt omnium hominum Mater, conſonans interiorem paſſionem ſuam cum exteriore Filii ſui Paſſione; itaque conſiderare poſſumus VI.

1. Quid Maria paſſa fuit in Calvario Mater noſtra futura.

2. Quid ipſi pati debeamus futuri vere illius filii; quæ eſt hujus ſermonis partitio.

Sine ulla diviſione conſiderare poſſumus Martyrium B. Virginis 1. In cauſis, & principiis; 2. in aliquibus circumſtantiis, quæ graviores videntur; & pro fructu, & concluſione videbimus quomodo ad Sanctæ Virginis imitationem Calvarium aſcendere debeamus. Oſtendere etiam licet

Primum Mariam vere Martyrem fuiſſe; quo nomine S. Bernardus illam vocat: *Martyrium Virginis commendatur*. 1. Martyr fuit toto vitæ ſuæ tempore, quia hora Martyrii ſui ſemper adſlitit illi, tamquam hora mortis JESU CHRISTI ſemper depicta fuit in Spiritu Salvatoris: ita vidit ſemper apparatum earum rerum omnium, quæ illa cum filio ſuo erat paſſura. 2. Omnia inſtaurabant illi dolorem extremi Martyrii ſui: quia Circumciſio erat præludium duplicis Martyrii Matris videlicet, & Filii: Purificatio fuit apertior pignoris obligatio, & ejus, quod aliquando paſſurus erat Filius, qui futurus erat ſcopus, in quem multi contradicerent, & Matris, quam doloris gladius erat tranſverberaturus: diverſa opprobria, quibus JESUS CHRISTUS a Judæis afficiebatur, & varii ſermones, quos habebat Salvator de Paſſione ſua, quibus intererat Maria, & quæ conferebat in corde ſuo, ſemper illi præſens efficiebant noviſſimum Martyrium, ideoque ipſa eſt *Regina Martyrum*, quia ſemper eſt paſſa.

Secundo, Mariam vere fuiſſe Martyrem, & Reginam Martyrum. 1. Quia dignitas ejus Virginis, & Matris Dei tribuunt paſſionibus ejus pretium, quod illam ſupra Martyres omnes attollit. 2. Quia paſſa eſt dolores acerbiores; quia Mater erat, & Mater Unigeniti, & Mater Filii, qui erat Deus, & homo ſimul, & quia generoſius, & conſtantius paſſa eſt, quam Martyres omnes; ideoque jure Martyrum Reginam vocari. *Regina Martyrum. Ex Manuſcripto ſermone.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, unde hauriri copia poteſt ad propoſita ſermonum argumenta pertractanda, & Auctores, qui agunt de hac re.

SAnctus Ambroſius *lib. de inſtit. Virg. cap. 7.* repræſentat Sanctam Virginem ad pedes Crucis, & præſentem triſti ſpectaculo mortis Filii ſui.

Sancti Patres, aliique Doctores.

Sanctus Bernardus, vel qui prolixum edidit ſermonem *de lamentatione Beatæ Virginis*, qui inter hujus Patris opera invenitur.

Arnoldus Carnotenſis *in oratione de laudibus Beatæ Virginis*.

Sanctus Laurentius Juſtiniani *lib. de triumphali agone cap. 11.* refert ſenſus, quos JESUS CHRISTUS fovebat erga Matrem adſtantem ſupplicio ſuo, & ſenſus reciprocos, quos Sancta Virgo fovebat pro Filio ſuo in Cruce patiente.

Sanctus Thomas præter ea, quæ habet in ſumma, ſermonem habet de verbis ex Evangelio Sancti Lucæ; *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, ubi oſtendit magnitudinem paſſionum Matris Dei.

Sanctus Bonaventura *in ſtimulo divini amoris cap. de planctu Virginis*, plures habet hujus argumenti ſenſus.

Richardus de Sancto Victore *cap. 26. in cant.* comparat Martyrium Sanctæ Virginis cum tormentis, quæ Martyres paſſi ſunt.

Sanctus Bernardinus Senenſis Tom. 1. operum ſuorum ſermone 6. fuſius verba facit.

Sanctus Anſelmus *dialogo de Paſſione*, ſed plures eruditi credunt, Magnum hunc virum non eſſe auctorem libri hujus.

Amedæus Epiſcopus Lauſanenſis, *de Martyrio Virginis*,

Cardin.

Google

Aſcetici aliquæ.

Cardin. Bellarminus in Opuſculo de ſeptem verbis JESU CHRISTI in Cruce in verbum tertium, tibi oſtendit, Magnitudinem paſſionum Sanctæ Virginis deſumendam eſſe ex amoris ſui Magnitudine.

Pater a Ponte part. 4. Meditationum.

Granatenſis in meditationibus de vita Domini noſtri, meditatione in ſeptem verba de Cruce prolata. §. 1. Ubi patheticum habet hujus argumenti ſermonem.

Liber cui titulus. Paſſiones Domini Noſtri. *Paſſione 47.*

Pater Novet in Tomo 2. Meditationum: med. 86. quæ eſt de Beata Virgine prope Crucem.

Pater Haineuve part. 2. medit. pro feria tertia Majoris hebdomadæ.

Liber inſcriptus *Virginum ſolitudo* medit. 3. pro die 6.

Theologi, & Doctores.

S. Birgittæ l. 1. revel. c. 6. fuſius verba facit de doloribus S. Virginis, de ſenſibus, quos tunc habuit &c.

Suarez Tomo 2. Myſteriorum *quæſt. 51. art. 3.*

Caniſius lib. 4. *de Deipara.*

Salmeron *in tract. de Paſſione.*

Elictoveus *in fine ſermonum.*

Bernardinus de buſtis, ſerm. 1. de Compaſſione.

Reina in Quadrageſima; ſermo 36. longus, & pulcherrimus eſt hujus argumenti.

Concionatores.

Oſorius Tomo 5. qui *Sylva* inſcribitur *conc. 3. de ſeptem verbis Domini.*

Pater Texier duos habet ſermones hujus argumenti, alterum in Quadrageſima pro Feria 3. Majoris Hebdomadæ, alterum in Tomo Myſteriorum Beatæ Virginis.

Auctor ſermonum in omnia argumenta &c. in 5. Myſteriorum Tomo.

In ſpecimine ſermonum pro Quadrageſima Tom. 3. pro Sabbato Majoris Hebdomadæ.

Qui collectanea ediderunt.

Labatha! titulo *Maria.*

Diſcurſus prædicabiles ſuper Litanias Lauretanas, diſcurſu 384. *Tomo 2.*

Nomenclator Marianus Patris Miquet. lib. 4. cap. 1.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & Scripturarum applicationes huic argumento.

V*ide, Domine, quoniam tribulor, ſubverſum eſt cor meum in memetipſa, quoniam amaritudine plena ſum.* Thren. 1.

Audierunt quia ingemiſco ego, & non eſt qui conſoletur me. Ibidem.

Magna eſt velut mare contritio tua. Thren. 2.

Attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Thren. 1.

Cui comparabo te, Virgo filia Sion? Cui aſſimilabo te? Thren. 5.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte? Jerem. 9.

Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum. Jerem. 6.

Ne vocetis me Noemi, id eſt pulcram, ſed vocate me Mara, id eſt amaram: quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Ruth 1.

Fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te! 2. Reg. cap. 18.

Ibi dolores, ut parturientis. Pſalm. 47.

Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Luc. 2.

Stabat autem juxta Crucem JESU Mater ejus. Joann. 19.

Exempla, Figuræ Veteris Teſtamenti hujus argumenti.

Maria conſtantior fuit videns mori Filium ſuum, quam David audiens mortem Abſalonis.

UBI annuntiata fuit David mors Abſalonis filii ſui, paternus dolor ſpiritus ſui fortitudinem vicit. Regia domus clamoribus ejus perſonuit; & plorans hujus obitum filii oblitus eſt, tot lacrymas magni Regis qualitatem dedecere. Abſalom, fili mi, ubi es, Abſalom! Heu cur non vivis, aut cur tecum non obii? Quæ in Patre benevolentia! Sed quæ infirmitas in Rege, & Rege de Gigantibus, & de Philiſthæis victore? Maria videt Filium ſuum morientem, ſed nihil auditur ex illa. Natura univerſa turbatur, Sacer Textus ait, ad adſpectum JESU morientis; ſcinditur Templi velum, terra tremit, & ab ipſo uſque centro contremiſcit: Sol eclipſi laborat, mortuorum monumenta panduntur, & inter hunc ſtrepitum, Sanctæ hujus Matris conſtantia non labefactatur; ſuperior eſt doloris magnitudini; ſtat dum hoc cruentum ſævit ſpectaculum, extrema colligit ſuſpiria, audit illum emittentem validum clamorem, quo anima a corpore ſejuncta fuit, quin conqueratur, & aliquid committat indignum invicta virtute Deiparæ.

Maria nihil imprecata eſt contra Calvarium, neque contra auctores Mortis Filii ſui, ut fecit David audita morte Saul, & Jonathæ.

In Scripturis legimus mala, quæ Regius Propheta imprecatus eſt, ubi audiit Saul, & Jonathæ mortem: Montes Gelboe, nec pluvia, nec ros in æternum decidat ſuper vos, quoniam effuſus eſt ſuper vos Sanguis Fortium Iſrael. Mariæ ſenſus longe ab his fuere diſſimiles. Illa non maledixit Calvarium, qui irrigatus fuit Sanguine Filii ſui; non cupivit, ignem de Cælo dilabi ad mortem ejus ulciſcendam in ejuſdem auctores; immo e contra fovens ſenſus Æterni Patris, & imitata caritatem immenſam Salvatoris, qui pro toto Mundo moriebatur, offert mortem ejus pro illis, pro quibus Filius ſuus rogavit; mentis eorum cæcitatem cauſſata eſt, videre cupiit cor eorum factum molle ad intuitum rupium, quæ contritæ ſunt; obtulit dolores ſuos, & ſeipſam Morti.

Figura eorum, quæ in Calvario acciderunt inter JESUM & Mariam.

Libenter dicerem hic videri veritatem ejus rei, quæ in figura repræſentabatur in lege antiqua ubi præceperat Deus, ut prope tabernaculum ſuum duo ſtatuerentur aræ ſibi invicem appoſitæ, in quarum altera perſonabat ſtrepitus cultrorum, aliorumque id genus inſtrumentorum, quibus victimæ jugulabantur; in altera vero videbatur ignis, & flammæ, ut ibi thus adoleretur. Ecce fidelis imago rerum earum, quæ fiunt in Calvario. Ibi video duo hæc altaria ſibi invicem e regione poſita, alterum quidem eſt Crux Salvatoris, ubi hæc innocens victima immolatur; ibi inſtrumentorum auditur fragor, ferrum ibi adhibetur in clavis, & lancea; ſuper alio altari, quod eſt cor Matris hujus dolentis, & afflictæ, adeſt ignis, adſunt flammæ caritatis, quæ ſecundum faciunt Sacrificium. Quibus addo, ſicuti ſtrepitus qui fiebat in primo ex duobus altaribus exaudiebatur in altero propter loci propinquitatem; ſimiliter in corde hujus Matris efformari terribilem vocis imaginem reſpondentem omnibus, ſingulisque ictibus, qui exonerantur in Filium, omnium contumeliarum, quæ in ipſum ingeruntur, omnium calumniarum, quibus proſcinditur; ita ut omni indigeat conſtantia, ut ſit teſtis eorum omnium, quæ fiunt; quia nihil videt, quod illam non angat, & adſpectus tot funeſtorum objectorum tantam efficit impreſſionem in illa, ut niſi prorſus divina virtute fulciretur, millies in deliquium incidiſſet, vel præ dolore mortua cecidiſſet.

Deus minorem habuit rationem Matris Filii ſui, volens, ut ipſa illum offerret, quam Abrahæ.

Pater Æternus voluit, Mariam Salvatoris Matrem ſe cum Filio ſuo conjungere ad magnum hoc Sacrificium offerendum in Mundi ſalutem ceſſurum; præcepit enim illi, ut olim Abrahæ, ut Unigenitum hunc ſibi cariſſimum tolleret, eumque ipſa immolaret; quoniam illi toto Cælo magis amanti JESUM, quam Iſaac ab Abraham diligeretur, majori pretio hoc ſtatutum erat Sacrificium. Æternus Pater non eam habuit Mariæ rationem, quam Abrahæ; non acquievit illius voluntati, voluit, ut exequeretur, & conſummaret Sacrificium illud, quod inceperat ex eo momento, quo Simeon nuntiavit illi Filium ſuum eſſe moriturum. Hoc illi promeritum fuit nomen Corredemptricis hominum per eam felicitatem, quam habuit contribuendi per aſſenſum ſuum Sacrificio, quod Filius peregit, ut fieret Redemptor. Ita JESUS nobis vitam procurans morte ſua, factus eſt Pater Noſter; & Maria illi conſentiens facta eſt Mater noſtra. Ita Filius ſuus tunc dedit illam in Matrem Prædeſtinatis omnibus, eodem tempore, quo dedit illam in Matrem S. Joannis.

Generoſior fuit videns Filium ſuum morientem, quam Agar Mater Iſmaelis.

Maria prope Crucem vidit Filium ſuum patientem, quin illum aliquo poſſet recreare ſolatio. Dolorem hunc Agar Mater Iſmaelis ſuſtinere non valuit in deſerto non habens unde filium alere poſſet. Depoſuit illum ad radices arboris, eumque tenere poſtremum deoſculata deceſſit mœrore confecta, oculos in Cælum ſuſtollens, fundenſque lacrymas exclamavit: *Non videbo morientem puerum.* Maria fortior fuit, atque conſtantior, ſed illi caro ſtetit pretio hæc conſtantia. Quoniam dolore Mater laceſſita fuit videns filium in omnibus corporis ſui artubus vulneratum, cum minime poſſet plagas illius vittis obligare; videns pedes, & manus Cruci confixos, cum clavos, quibus affixi erant, non poſſet revellere! caput inclinatum, & illud non poſſet ſuſtinere; oculos ſuffuſos Sanguine, & eos non poſſet abſtergere! Salvator obrutus, & exhauſtus cruore ex venis ſuis defluente, emittit triſtem vocem illam *ſitio*; eique exhibetur fel, & acetum, neque afflictæ huic Matri licet aquæ guttam effundere ſuper linguam hujus filii morientis. O crudele ſpectaculum! Filius inter dolores videt Matrem ſtantem prope pedes ſuos; & videtur; auxilium petit, illa hoc dare vult; & ipſi negatur.

Exemplum Reſphæ, de qua in Scripturis eſt ſermo, oſtendit quid S. Virgo.

Legimus in capite 21. ſecundi Regum libri admirabile materni amoris exemplum in Reſpha Matre duorum filiorum, quos Gabaonitæ crucifixerunt in odium Saul patris eorum. Afflictæ huic parenti non ſatis fuit omnes conatus exerere, ut illos a morte liberaret; ſed poſtquam illos vidit efflantes animam plures dies permanſit apud cruces eorum, ut illos tueretur, & ne Cæli volucres vorarent illos, certa conſilii, ſe illic ad mortem uſque ſuam permanſuram, niſi vi divelleretur. Ita affecta erat Maria ad pedes Crucis Filii ſui; & credendi locus eſt, illam præ amoris ſui violentia perſeveraturam in eo ſtatu fuiſſe; niſi depoſitus fuiſſet JESUS de Cruce, ut inferretur in monumentum.

Applo.

Digitized by Google

Applicatio quorundam Scripturæ locorum huic Argumento.

Maria ſuſtinet in proportione amoris ſui erga Filium ſuum Deum, & hominem.

O *Vos omnes, qui tranſitis per viam attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Lam. Jerem. c. 1.* Eccleſia æque applicat hæc verba JESU CHRISTO in Cruce immolato, & Mariæ ſtanti, ac patienti apud Crucem eoſdem dolores, quos Filius. Æquiſſima datur proportio amorem inter, atque dolorem; ſine dolore amittitur, Sanctus Auguſtinus inquit, quod ſine amore poſſidebatur; ſed quo magis amatur, eo major eſt dolor. At quiſnam aſſequi poteſt, quo evaſerit amor JESU CHRISTI in Mariam? dicendum videtur, ipſam JESUM CHRISTUM amaviſſe, quantum erat amabilis, quantum ipſa amabatur, & cordis illius captum amore hoc fuiſſe occupatum; nullum amorem unquam extitiſſe ſimilem amori Mariæ; neque dolorem ullum dolorem illius exæquaſſe. Dolor ejus ita profundus, & immenſus erat, ut mare: *Velut mare contritio tua.* JESUS CHRISTUS ſuffixus Cruci per infinitam caritatem ſuam, magis quam per manus Judæorum, atque Gentilium, & Maria triſte hoc Miraculum contemplans, dicere poſſunt, ſuum par eſſe Myſterium: *Attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.*

Maria compatitur doloribus J. C. ſicut omnia membra capiti compatiuntur.

Hoc ſentite in vobis quod & in CHRISTO JESU. Ad Philipp. 2. S. Paulus vult membra ſequi affectiones Capitum ſuorum, ut in omnibus ſiant Homini Divino ſimilia. Per œconomiam corporis naturalis videmus partes omnes alias cum aliis pati, & multo magis cum capite: *Compatiuntur cetera membra.* Apoſtolus ergo nihil nimis petit in ordine gratiæ; quoniam ad naturalem ordinem ſe coarctat; ſed ubinam Fideles inveniemus, qui hoc munus repleant, & qui JESUM CHRISTUM intuiti clavis, ſpiniſque perforatum, flagellis percuſſum, Crucis ſuæ pondere obrutum, gemant cum illo, & ſentiant corda ſua iiſdem ſpinis laniata, & dolore tamquam clavis percuſſa? Maria ſola fidelis eſt, & illi compatitur. Mater eſt, hic unus titulus ſatis eſt ad oſtendendam doloris ejus Magnitudinem: Optima eſt matrum omnium; igitur vero patet Martyrio, ubi videt Filium morientem. Hic Optimus eſt filiorum omnium, qui patitur, quod illius auget ſupplicium. Ingrati enecant illum; ipſa vidit illos beneficiis Filii ſui cumulatos, morbis curatos; ille claudicantibus greſſum, paralyticis motum, vitam mortuis reſtituit, & illi huic, ut tot miraculis, quæ pro illorum ſalute operatus eſt, rependant gratiam, illi præparant Crucem, objecta hæc, quæ mentem illius percellunt, efficiunt, ut in corde ſuo eoſdem experiatur dolores, quos JESUS CHRISTUS in corpore ſuſtinet. *Hoc ſentite in vobis, quod & in CHRISTO JESU.*

Maria patitur cum J. C. & quantum J. C.

Cui comparabo te Virgo Filia Sion, cui aſſimilabo te? Thren. 2. Si quæratur quantus ſit Mariæ dolor, cum videt Filium ſuum in Cruce patientem, reſpondendum eſt, tantum eſſe, quantus eſt Filii Dolor, qui quidem fuit maximus, quia corpus habebat optime factum, molliſſimum, organis perfectiſſimis extructum, quia dolor erat univerſalis, & a vertice capitis ad plantam pedis, corpus ejus vulneribus ſaucium erat: *A planta pedis uſque ad verticem non erat in eo ſanitas.* Hæc eſt menſura dolorum, quos Maria paſſa eſt in corde ſuo. Filius ejus vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, propter nos vulneribus affectus eſt; & Maria vulnerum omnium ſenſit repercuſſionem. JESUS CHRISTUS victima immolata per juſtitiam Omnipotentis quæ fecit, ut ille ſolveret pretium pro redemptione generis humani, tradita furori Judæorum, atque gentilium irrigat aram Crucis Sanguine, quem affluenter effundit, uſque ad noviſſimam guttam, & Maria præſens huic Sacrificio immolat cor ſuum per idem Sacrificium. Amor ſuus Sacerdos eſt; & ipſa eſt Victima: *Dum ſpargit aram Sanguine JESUS ſalutis hoſtia, præſens doloris æmulum Maria pectus immolat.* Hæc non ſunt duo Sacrificia, nec Victimæ duæ: illas conjunxit amor, ut unam faceret ex JESU, & Maria. Dolor eſt idem; quia vulnera ſunt eadem. JESUS, & Maria iiſdem ſpinis coronantur, iiſdem clavis perforantur: *Caput cruentum Filii Matris coronat verticem, clavis iiſdem figitur CHRISTUS Cruci, CHRISTO Parens.* Maris profunditas levis eſt adumbratio ad exprimendam profunditatem dolorum Filii, & Matris.

Hymn. offic. compaſſionis Mariæ.

Ibidem.

Mariæ ad pedes Crucis conſtantia.

Stabat juxta crucem ejus. Poſſumus ne ſatis admirari generoſæ hujus Matris circumſtantiam, quæ ſuſtinens pondus graviſſimum dolorum omnium, ſtat nihilominus contra torrentem horum dolorum, quo videbatur abripienda. Populi turba illam prohibet ne propius ſequatur Filium bajulantem Crucem ſuam; hanc ſuperat, ad illum accedit, ſimulque veluti Sacerdos ſacrificat hunc filium Æterno Patri: Abraham nullum præſetulit dolorem, aut animi conflictationem, cum Iſaac dixit illi: Pater mi, ecce gladius, ecce ignis, ecce ligna ad victimam comburendam; ubi hæc igitur eſt? cui Patriarcha ſtatim conſtanter reſpondit: *Deus ſibi providebit, fili mi, hoſtiam Sacrificii.* Maria generoſior quam Abraham, non patitur ſe infirmitate ſuæ miſerationis ſuperari, ſed conſtans in anima ſua verum Iſaac realiter offert. Maria duplici torquetur adſpectu; hinc profunda illam urget triſtitia, quia ſuis oculis videt ignominias, quibus filius obruitur, audit opprobria, quibus opprimitur, teſtis eſt crudelitatis carnificum; inde vero ſpiritu ad Deum Patrem attollitur, ut illi Filium ſuum offerat, eique dicit: Ecce, Domine, filium quem dediſti mihi. Hoc eſt depoſitum, quod crediſti mihi, ut illud tibi offerrem; hodie tibi illud ſacrificare volo; aſſentior, ipſum immolari Juſtitiæ tuæ pro humani generis redemptione.

Præclara comparatio Dolorum Mariæ.

Fons parvus crevit in fluvium magnum. Eſther 10. Cogitare non poſſum, Sanctiſſima Virgo miſerum ſtatum, ad quem te redactam intueor, quin mihi ſtatim occurrant verba, quæ Scriptura Sancta protulit de Regina Eſther: *Fons parvus crevit in magnum fluvium.* Tu fuiſti fons parvus lacrymarum in Nativitate filii tui: vidiſti illum frigore contremiſcentem in ſtabulo, *Fons parvus:* Lacrymas effudiſti proculdubio, cum vidiſti Sanguinem ejus ſub Circumciſionis gladio manantem: fons parvus. Lacrymas fudiſti triduo, cum ſe in Templum recepit; ſed hodie parvus hic fons mutatus eſt in fluvium magnum, *& in aquas plurimas redundavit.* Et profecto jure hanc Dei Matrem ad pedes Crucis ſtantem Eccleſia Martyrum Reginam appellat; nam plagas eaſdem quas filius recepit in Corpore, Mater quoque in corde recepit per compaſſionem, vel potius quia Martyres alii tormenta paſſi ſunt a carnificibus per ignes, rotas, equuleos; ſed in Maria Filius quodammodo fuus fuit ſui inſtrumentum ſupplicii, & cauſſa dolorum illius; cumque Pater Æternus aptaſſet Filio corpus ad perferendum, ut pœnarum ſenſu magis excruciaretur. *Corpus autem aptaſti mihi,* Paulus Apoſtolus inquit; ſimiliter Matri dederat cordis ſenſum tenerrimum, aptiſſimumque ad ſentiendas pœnas, quas Filius perpetiebatur. Ita ſicuti JESUS CHRISTUS eſt primus Martyrum, quia plus quam ceteri homines doluit; Maria eſt Regina Martyrum, quia dolores ejus poſt illos JESU CHRISTI majores extiterunt, quam aliorum Martyrum. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta.*

Anſelm. lib. de excel. Virg. c. 5.

Ad Hebr. 10.

Maria a J. C. recepit plurimum; ideoque major eſt cauſſa doloris ejus.

Memento Creatoris tui, antequam venias tempus afflictionis. Eccleſ. 12. Sanctus Bernardus ad ciendum in frigidis, & languentibus miſerationem in morte, atque doloribus hominis Dei, credit peculiariter illis ob oculos proponendam eſſe Magnitudinem, & multitudinem beneficiorum ſuorum, quippe nil validius eſt ad excitandum cor ad grati animi ſenſum, & mox ad plorandam benefactoris jacturam, quam illi graviſſimas obligationes in memoriam revocare: *Cogita, ut Creatorem,* ait, *cogita, ut Conſervatorem, cogita ut Redemptorem, & per omnia dole.* Sed o Sancta Virgo, quantumvis parum conſiderentur privilegia, quæ poſſediſti, & recepiſti a Filio tuo, qui ſimul erat Deus tuus: dicendum eſt, *per omnia dole;* luge, lacrymas effunde, dolori tuo habenas laxa, & permitte cordi tuo facultatem erumpendi, & nobiles ſenſus tuos ſignificandi. Si enim generatim Creator eſt, ſingillatim Creator eſt, tuus, quandoquidem nonniſi propter illum facta es; præpoſuit te omnibus operibus ſuis, velut illam, quam ab æterno elegerat ſibi Matrem futuram. Sed Creator vitam, quam tibi dederat amittit: *Cogita, ut Creatorem, & per omnia dole.* Vere Salvator eſt, & omnium hominum Redemptor; quia totum tollit peccata per Sanguinem, quem eum vides effundere; ſed ubi cogitas ipſum applicare tibi fructum pretioſi hujus Sanguinis peculiari modo, & vetuit, ne labereris in crimen per redemptionem millies glorioſiorem; eximium hoc beneficium ingeminans amorem tuum, ſimul etiam duplo majorem facit dolorem tuum: *Cogita, ut Redemptorem, & per omnia dole.* Ubi cogitamus hunc Auctorem eſſe bonorum omnium gratiæ, & gloriæ, & homines illi æternum debitores fore, omnia corda præ dolore liqueſcere debent; Tu autem, Sancta Virgo, qui plus omnibus recipiſti, illum plorare debes præ ceteris. *Cogita ut Factorem, & per omnia dole. Idem.*

Evangelicum axioma: qui amat Filium magis quam Deum, non eſt Deo dignus.

Qui amat Filium, aut filiam pluſquam me, non eſt me dignus. Matth. 10. S. Virgo ſatis oſtendit, axioma hoc funditus inſculptum fuiſſe in corde ſuo. Dolor ejus indicium erat magni amoris illius, quo proſequebatur Filium ſuum in Cruce morientem, & ejus conſtantia effectus erat omnimodæ ſubmiſſionis voluntati Domini; acerrime ſentiebat pœnas, quibus torqueri videbat Cariſſimum Filium, cujus Sanctitatem exploratam habebat, omneſque perfectiſſimas qualitates; ſed quamvis ipſum inde potuiſſet eripere, non eripuiſſet; quoniam ipſi perſuaſum erat, illum non pati; niſi quod decreverat. Amor erat cauſſa, & menſura amoris ſui. Cruenta Mors Filii

adeo

adeo amabilis; & ardenter adeo dilecti, talem Matrem, neque dubitandum eſt, affligebat. Verum ſciebat quoque, amorem, quo parentes proſequi tenentur filios ſuos, ſubordinatum eſſe debere illi, quem habere debent Deo; ita ut cum agitur de gloria Dei, vel de illius voluntate perficienda, amor Patris, vel Matris cedere debeat amori Creatori. Deus olim tentavit Abraham hac iſi re, & in occaſione hac periculum facit Sanctæ Virginis; quandoquidem hæc adeo libenter offert illi Unigenitum Filium, quem ſemet cariorem habebat.

Perſonæ quæ propius accedunt ad Crucem Salvatoris, ſunt Deo cariores.

Stabant juxta Crucem JESU Mater ejus, & ſoror Matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalena. Joann. 19. Animadverti poteſt, perſonas, quæ Dei Filium magis diligebant, eas eſſe, quæ propius ad Crucem accedunt. Ita indicium certius amoris erga illum, eſt eumdem ſequi in Calvarium, compatiendo doloribus ejus, & illos in ſemet ſentiendo, qui enim propius adhæret Cruci, majorem teſtatur amorem illi, qui eidem confixus eſt, quemadmodum fecerunt illæ, quæ ab Evangeliſta memorantur; Pauci hanc veritatem intelligunt, quia de illa non judicant niſi ſecundum humanas rationes; unde fit, ut Crucem, quam extrinſecus venerantur, ut plurimum perhorreſcant; ſed fides efficere debet, ut illam intueamur tamquam noſtræ felicitatis objectum, non ſecus adorationum noſtrarum; ex quo Salvator noſter ex illa pependit; & nobis eſſe debet perſuaſum, Crucem locum eſſe, ubi Salvator invenitur; & hunc hominem-Deum nobis nunquam eſſe propiorem, quam cum proximi ſumus Cruci, videlicet quo magis ſumus paſſionum ejus participes. In Cruce Dei Filius invenitur; ibi quærendus eſt exemplo S. Virginis, plurumque Mulierum, quæ illum in Calvarium ſubſecutæ ſunt.

Maria magis, quam alii, Sanguinis Crucis particeps fuit. Calicis paſſionis Filii ſui. Ad Hebr. 10. 1. Petri 4.

Sumptum Sanguinem reſperſit in populum. Exod. 24. Exodo legimus Moyſem adſperſiſſe populum Sanguine victimarum; ſed hunc eumdem Sanguinem magna in copia ſuper aram effudiſſe: *reliquum Sanguinis fudit ſuper altare.* Ita omnes Prædeſtinati Salvatoris cruore irrigantur *in adſperſionem Sanguinis Chriſti*, Sanctus Paulus inquit. Omnes in partem accedunt paſſionum JESU CHRISTI in Cruce: *Communicantes CHRISTI paſſionibus.* Sed hic Sanguis qui guttatim incidit ſuper electos; hic Calix paſſionis, qui inter omnes diviſus eſt, hic Sanguis ubertim effuſus eſt in cor compatientis Mariæ, quod altare dignum eſt, ſuper quo hæc victima offertur; totuſque Calix cedit in partem illius.

Caritas, qua pro Maria vulnerata fuit, fecit, ut Maria in tota perſona pateretur.

Caritate vulnerata ſum. Cant. 6. Sanctus Bernardus explicans hæc verba Canticorum ad examen revocat vulneris Magnitudinem, quam Caritas in Mariæ corde produxit. *Magnum in tota ſe vulnus amoris accepit.* Significans omnia in Sancta hac Virgine amaviſſe: omnes corporis ſui, animæque facultates amori ſuo deſerviiſſe; intellectum, voluntatem, imaginationem, ſenſus. Hæc illa proprie eſt, quæ diligebat Filium ſuum ex tota mente, tota anima, omnibuſque viribus ſuis; ita videns Filium ſuum, & Deum pati in omnibus animæ ſuæ facultatibus, omnibuſque ſenſibus, dici poteſt vulneratam in tota perſona ſua fuiſſe, & ſicuti Caritas ejus majorem habebat ardorem, ac latitudinem, dolor quem percipiebat ex paſſionibus dilectiſſimi Filii, univerſe ſuper omnem illius perſonam extendebatur . . . . . Cui igitur interiori Martyrio non fuit expoſita, cum ad adſpectum Filii ſui tot vulneribus ſaucii, & tanto Sanguine manantis; hæc Caritas æque fortis, ac mors ipſa, efficiens ut ad vivum in corde omnem ſentiret crudelitatem, quam barbaræ, impiæque manus exercebant in Sacrum cariſſimi hujus Filii Corpus, & penetrans animam ejus tot jaculis, quot apetiebatur corpus illius, peperit in illa eaſdem tributur, doloriſque impreſſiones, quas ferrum, & tormentorum violentia faciebant in illo?

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

M*Artyres alii fuerunt moriendo pro CHRISTO, hæc, nempe Maria commoriens CHRISTO martyr fuit.* S. Hieronymus.

Quia plus omnibus dilexit, propterea & plus omnibus doluit, in tantum ut animam ejus totam pertranſiret vis doloris ad teſtimonium eximiæ dilectionis. Idem.

Stantem illam lego, (nempe Mariam) flentem non lego. Sanctus Ambroſius in Orat. Funebr. Valentis Imperat.

Omnino unum erat CHRISTI, & Mariæ holocauſtum: ambo pariter offerebant; hæc in Sanguine cordis, ille in Sanguine carnis: Arnoldus Carnotenſis de laud. Virginis.

Quod in carne CHRISTI agebant clavi, & lancea; hoc in Virginis mente agebat naturalis affectus, & materna anguſtia. Idem ibidem.

Vicit ſexum, paſſa eſt ultra humanitatem; torquebatur namque magis, quam ſi torqueretur ex ſe, quia ſupra ſe incomparabiliter diligebat id, unde dolebat. Idem ibidem.

Intuetur te CHRISTE, iſta benedicta inter Mulieres, & fixis in te oculis, vulnera tua pietate conſiderat materna; & licet non ignoret quod boni conferat Mundo mors tua, tamen parentis affecta commoritur, & pectus maternum immaniſſimo dolorum ardore uritur. Idem ibidem.

Dolores partus, quos effugit pariens, illos ſuſtinuit ex materna compaſſione viſcerum, laterum reparturiens. Joannes Damaſcenus.

Quidquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil comparatione tuæ paſſionis, o Beata Virgo. Sanctus Anſelmus de Aſſumptione Virginis.

Pluſquam Martyr fuit, quia in anima non minus amoris, quam mortis gladio vulnerata ſuit. Rupertus Abb. in Joann.

Spectabat Mater piis oculis Filii vulnera, per quæ ſciebat omnibus futuram redemptionem; ſtabat non degeneri Matre ſpectaculo, quæ non metueret peremptorem. Sanctus Ambroſius lib. de Inſtitut. Virginis cap. 7.

Pendebat in Cruce Filius; Mater ſe perſecutoribus offerebat, præſtolabatur ſi ſuo etiam morte ſua publico muneri aliquid adderetur, ſed CHRISTI paſſio adjutore non indiguit. Idem ibidem.

Ipſa fuit Martyr in anima, & gladius doloris, qui pertranſivit animam ejus, in unigeniti paſſione ei pro Martyrio computatur. Richardus lib. 3. de laudib. Virginis.

Plane juxta Crucem JESU ſtabat, cujus membra dolor Crucis ſimul crucifigebat. Guerricus Abbas in hæc Joannis verba: *ſtabat juxta Crucem &c.*

Tantus fuit dolor Virginis, quod ſi in omnes creaturas, quæ dolorem pati poſſunt, divideretur, omnes ſimul interirent. Sanctus Bernardinus Senenſis Tomo 1. ſerm. 6.

Clariſſimum Paſſionis CHRISTI ſpeculum erat cor Virginis: in corpore Filius; in mente crucifixa erat Mater. Sanctus Laurentius Juſtinianus ſermone de agone cap. 2.

O ſuaviſſimum cor amoris, cur converſum es in cor doloris! aſpicio cor tuum, & jam non eſt cor, ſed fel amarum, & abſynthium vitio. Sanctus Bonaventura.

Ut pluſquam martyrem merito prædicemus, quæ ſenſum corporeæ paſſionis exceſſit affectus compaſſione. S. Bernard. ſerm. 5. de verb. Apoſt.

Poſtquam emiſit Spiritum JESUS, ipſius plane nova attigit animam plaga crudelis lancea, quæ ipſius aperuit latus, tuam o beatiſſima Virgo animam pertranſivit. Idem ibidem ſerm. 5.

In aliis Martyribus magnitudo Amoris dolorem leniit paſſionis, ſed Beata Virgo quanto plus amavit, tanto plus doluit, tantoque ipſius Martyrium gravius fuit. Idem ibidem.

Juxta Magnitudinem amoris, erat vis doloris; gravius paſſa eſt mente, quam Martyres carne. Idem ibidem.

Alii pro CHRISTO paſſi ſunt in carne; ſed Beata Virgo in ea parte ſui paſſa eſt, quæ eſt immortalis. Idem vel alius Auctor de Lamentatione B. Virginis.

CHRISTI paſſio quaſi torrens implet Filium patientem, & in Matrem redundat Filio compatientem. Idem ibidem.

Videbam morientem quem diligit anima mea, & tota liqueſcebam præ doloris anguſtia. Idem ibidem.

Moritur filius meus, cur ſecum non moritur mœſtiſſima Mater ejus. Idem ibidem.

Terra tremuit, petræ ſciſſæ ſunt, & luminaria Cœli obſcurata ſunt; cogitare nunc libet, quantus dolor tunc influit Matri, cum ſic dolerent, quæ inſenſibilia erant. Idem ibidem.

Stabat Maria brachia levans in altum, vulnera contemplans, vix ſuſtinere ſe potuit. Idem ibid.

Quoties ipſam præ immenſitate doloris credis potuiſſe deficere. Ibidem.

Fili mi, quis mihi det, ut tecum, & propter te moriar! Idem ibidem.

Filine in corpore, o Virgo, tu in corde es paſſa; ſingula vulnera per ejus corpus ſparſa, in tuo corde ſunt unita. S. Bonaventura in ſtimulo divini amoris, cap. de planctu Virginis.

Vere tuam, o Beata Virgo, animam gladius pertranſivit, alioquin, nonniſi eam pertranſiens Carnem Filii tui penetraret. S. Bernardus loco citato.

PARA-

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu depromi poſſit hoc in Argumento,

De Magnitudine dolorum Mariæ juxta Crucem, judicium ferendum eſt ex Magnitudine amoris.

UT perfecte cognoſcamus Mariæ compaſſionem, Judicium ferendum eſt ex ejus amore, non ſolum quia *omnis dolor in amore fundatur*; ſed etiam quia amor Mariæ præſtantiſſimus erat, teneriſſimus, æquiſſimus omnium amorum qui in creaturis inveniuntur. Cum autem amor Virginis erga Filium ſuum maximus fuerit amorum, inferendum eſt 1. Dolorem quoque illius maximum extitiſſe. Hoc nos docet Eccleſia: *Nullus dolor amarior, quia nulla proles carior*. Amor igitur fuit prima cauſſa martyrii quod Sanctiſſima ſubiit Virgo. Si enim cor nequit videre, quod amat, pati, quin afficiatur dolore, & ſi doloris exceſſus reſpondet exceſſui amoris ſui; nullum cor paſſum eſt crudelius Martyrium, quam cor Virginis hujus innocuæ. 2. Cum Cor JESU, & Mariæ ex eodem Sanguine coaluerint, ad vivum illa ſenſit quidquid doloris paſſus eſt Filius, Flagella, clavi, ſpinæ, quæ lancinarunt Corpus JESU morientis, vulnerarunt cor Matris compatientis. 3. Dolores ejus tam acres, & univerſales fuerunt, ut appellata fuerit Martyr, Martyrum Regina, & pluſquam Martyr. Martyres non paſſi ſunt, niſi in carne infirma, & mortali, ſed anima Mariæ ſubjecta fuit impreſſionibus doloris. Dum Martyrum corpus torquebatur, cor eorum plenum erat conſolatione; ſed Mariæ cor replebatur triſtitia. Martyrum pœnæ diviſæ fuerunt, eorumque dolores alii aliis ſuccedebant; ſed anima Mariæ fuit abſorpta doloribus, & cor illius penetratum fuit amaritudine, non ſecus ac ſpongia in medio mari poſita.

Maria paſſa eſt dolorum omnium graviſſimum.

Notanda eſt inſignis S Auguſtini doctrina quatuor Martyrum genera diſtinguentis, quorum unum ab alio dignitate ſuperatur, quia invicem ſibimet præſtant dignitate. In primis ſuſpendit Deus elementorum actuoſitatem, ut olim ardorem ignis in Martyrio trium puerorum in Babylonis fornace, qui ardebat, & comburebat quidquid erat circa ſe, & in medio fornacis continebat auram lenem, quæ inſtar zephyri ſuavis tres pueros refrigerabat. Hi Martyres ſunt voluntate, non tamen effectu; nam quamvis eorum voluntas non defuerit Martyrio, Martyrium defuit ipſorum voluntati. In ſecundo ſinebat Deus crudelitatis inſtrumenta operari; ſed vetabat, ne Martyrum corpora doloris ſenſu afficerentur; carnifices oblectabantur ſuo furori ſatisfacere novorum ſuppliciorum excogitatione; Martyres vero majori afficiebantur voluptate recentibus ſuppliciis amori ſuo ſatisfacientes. In tertio Deus neque tormentorum activitatem, neque Martyrum ſenſum inhibebat; patiebantur, & in cruciatuum ſuorum violentia efflabant animam: ſed Deus in animas eorum tantam divinarum conſolationum effluentiam infundebat, ut voluptas, qua inebriabantur, adeo mulceret eorum dolorem ut in rotis, & equuleis tamquam in molli culcitra invenirentur, atque in prunis ardentibus tamquam in deliciis convivii verſarentur. Suis inſultabant tortoribus, & crudelitas vehementiori rabie inflammata ſatisfacere non poterat Martyrum cupiditati, majora pati quærentium. Tria hæc Martyrii genera Dei omnipotentiam oſtendebant, ſed non tantam in Martyribus probabant Virtutem; quoniam naturalis eorum infirmitas divinitus ſuſtinebatur. Sed viſum eſt quartum Martyrum genus, quos Deus deſeruiſſe videbatur furori, & ſævitiæ tyrannorum, quin voluerit vel tormentorum vim imminuere, vel corporum ſenſum auferre, vel pœnarum amaritudinem, temperans illam divinarum conſolationum deliciis. Perferebant dolores ita acerbos, ut nihil in illis eſſet niſi amarum, atque terribile, ita ut qui eos torqueri videbant, crederent, Cælum pro illis ferreum factum fuiſſe, & æneum. Naturalis eorum infirmitas millies victa ſuccubuiſſet, niſi puri amoris vi fuiſſet ſuffulta. Amor eorum infeſtiſſimus ipſorum erat tyrannus; & nihilominus ſolus erat, per quem triumphum reportabant. Neſcio utrum magnus fuerit eorum numerus; ſed ſcio, unum eſſe Regem Martyrum, & unam Martyrum Reginam, qui longe præſtantiores ſunt excellentia, & dignitate his, quam hi ceteris præſtent. Hic autem Rex eſt JESUS CHRISTUS in Cruce, & Regina illius Sanctiſſima eſt Mater ſub Cruce JESU.

Cur permiſerit Deus, ut Maria adeſſet crucifixioni Filii ſui.

Ubi quærere velimus rationem propter quam voluerit Deus Sanctiſſimam Virginem adeſſe morti Filii ſui, nullam, quæ ſatisfaciat invenire poſſumus præter perfectam conformitatem, quam habere debet Mater cum Filio, per omnimodam dolorum ſuorum communicationem. Videmus in Geneſi Deum mitius agere cum Agar, quam cum Maria; non cogit hanc Matrem videre morientem parvulum Iſmaelem. Ubi illa nato extremum fixit oſculum, ejulans exclamavit; *Non videbo morientem puerum*. Deus ipſe ſecundum Sancti Chryſoſtomi ſententiam; concluſit Noe

Geneſ. 21.

in Arca; *Incluſit eum Dominus deforis*; noluit Deus, hic Pater ait, Juſtum videre generale hoc hominum naufragium, & quamvis urgeret Abraham, ut filii ſui ſacrificio intereſſet, Matrem tamen adeſſe paſſus non eſt. Cur ergo non utitur Deus hac eadem indulgentia cum Maria? hoc fieri oportebat, quia amor integram poſcebat bonorum, malorumque communicationem inter duo corda JESU, & Mariæ. Sæpe nos docuit Apoſtolus paſſionum communionem eſſe prædeſtinatorum characterem; & ipſe quoque in eo gloriam ſuam conſtituit, quod cum JESU CHRISTO crucifixus eſt Cruci: *CHRISTO confixus ſum cruci*; & aſſerit interiorem curam ſuam eſſe, ut jugiter ſe JESU morienti conformet: *Configuratus morti ejus*. Quo potiori jure amor Mariæ illam urgebat, ut intime in hanc paſſionum ſocietatem ingrederetur?

Geneſ. 7.

Ad Galat. 2.

Ad Philipp. 3.

Ariſtoteles in Problematibus docet Matrum amorem vehementiorem eſſe, quam patrum. Rationem, quam affert prætereo, non enim ad rem pertinet: ſed dico, Deum exprimere cupientem affectionum ſuarum benevolentiam, in Iſaia ſe comparare cum Matre; & cum Jeremias a nobis ingentem exigit dolorem, exigit, ut ſimilis ſit dolori Matris Unigeniti ſui obitum plorantis: *Fac tibi planctum amarum luctum Unigeniti*. Sed JESUS CHRISTUS erat unicus, & naturalis Mariæ Filius, quem illa amabat amore magis puro, tenero, forti, quam omnes Mundi Matres unquam filios amaverint. Quatuor res oſtendunt amoris hujus Magnitudinem Beatiſſimæ Virginis erga filium: 1. Amor Matris perfectiſſimæ, juſtiſſimæ, prudentiſſimæ erga filium numeris omnibus abſolutiſſimum. 2. Quemadmodum Maria in temporali generatione JESU Mater erat ſine Patre, Filium materno ſimul, & paterno diligebat affectu. 3. Filii hujus Conceptio facta fuerat in Sanctiſſimæ Virginis utero per operationem Spiritus ſancti, qui eſt perſonalis Dei amor modo prorſus ſingulari. Ita Matris hujus amor erga Filium ſuum erat omnino ſingularis. Addite quarto, quandoquidem ſimpathia producit amorem, cum dignus hic Filius, & hæc digna Mater perfecte ſimiles eſſent corporia conſtitutione, habitu, moribus, atque virtutibus, admirabilem in illis fuiſſe ſimpathiam, quæ cauſſa erat amoris adeo perfecti, ut dici poſſit utrique unum duntaxat fuiſſe cor, ita ut qui cor alterius tranſverberaret, neceſſario cor etiam alterius transfigeret. Dicamus etiam Mariam non ſolum amaſſe filium ſuum JESUM CHRISTUM tamquam Unigenitum, & naturalem, ſed tamquam Deum ſuum; ita ut ſpiritus ejus illuſtratus altiſſimis cognitionibus, quæ oſtendebant illi, Filium ſuum dignum eſſe, qui infinito amore diligeretur, illum ſemper amaret tantum, quantum amabilis eſſet, & ipſa uteretur ad illum amandum tota gratiarum ſuarum plenitudine, & habitu fere infinito ſupernaturalis caritatis, quam Spiritus ſanctus in cor ejus infuderat. Igitur neceſſario dicendum eſt, ipſam paſſam fuiſſe quidquid ille patiebatur, & ſenſiſſe in anima ſua quidquid videbat a Filio ſuo ſuſtineri. Poterat illa perfectius dicere, quam S. Paulus, *CHRISTO confixus ſum cruci*; ſuum cor, ſuumque ſpiritum adhærere cruci, ita ut, S. Bernardus ait, hic amor compatiens faceret in Matris anima, quod Clavi, flagella, ſpinæ, crux efficiebat in adorabili Corpore Filii. Duplex deprehendere poſſumus diſcrimen præcipuum inter Sanctiſſimæ Virginis Martyrium, & illud aliorum Sanctorum ſecundum Sanctorum Patrum ſententiam: 1. Martyres alii paſſi ſunt in carne mortali; ſed Virgo Sancta paſſa eſt in anima, quæ erat immortalis. 2. Alii S. Martyres extitere patientes, & morientes propter JESUM CHRISTUM, ſed Virgo Sanctiſſima Martyr fuit moriens cum JESU CHRISTO; Martyres extrinſecus erant humano Sanguine purpurati: ſed Virgo Sanctiſſima intus divino erat imbuta Sanguine, videlicet adorabili Sanguine JESU CHRISTI.

Amor Matrum erga filios violentior eſt quam Patrum.

Maria ſtans tempore paſſionis Filii ſui obrigeſcebat contra vim dolorum.

Corporis ſitus, quo ſtabat Maria juxta Crucem JESU multum illius pœnas augebat. *Stabat*. Stabat obrigeſcens contra dolorem, quin ſe illo obrui permitteret; & colligens omnes animæ ſuæ vires, ut conſtanter reſpiceret triſte illud, & funeſtum objectum, quin imminueret pœnas ſuas, augebat illas, earumque impetum graviorem efficiebat. Et conſtat ratio; natura enim clamoribus, ejulatibuſque reficitur, per quos para doloris quodammodo ſolvitur in vapores; quippe cor, quod eo premitur, & coarctatur, aditum illi aperit per linguam, oculoſque, ſimulque ſemet exonerat: ſed ſi quis unquam in graviſſimo dolore conſtantiam, ac firmitatem prætulit, hæc ſane fuit Virgo Sanctiſſima, cujus dolor totus continebatur in corde. Ejus ſilentium, & pallor in ore, ſatis oſtendunt, dolorem hunc altius pervaſiſſe, ita ut nullis humanis conſiderationibus mulceri poſſet, ſed illam indigere, ut cælitus ope aliqua roboraretur. Itaque hæc conſtantia non tam eſt novus fons dolorum, quam obex, & vallum quod torrentem ſuſtinens, vetat ne dilabatur, & facit ut in ſingula momenta intumeſcat; eo

uſque

uſque ut S. Ambroſius neget illam ploraſſe, ne dolorem lacrymis pateſaceret; & hic idem Pater aſſerit illam ſtantem juxta Crucem minus conſideraſſe in hoc homine-Deo moriente, Filii ſui mortem, quam Mundi ſalutem, pro qua offerebat vitam hanc ſibi cariſſimam. Itaque ea in occaſione præcincta fuit omni virtute ſua, non ſecus ac omni Caritate Martyrum. Hoc ſignificat illud Evangelii Verbum, *Stabat* imperterrita, & inconcuſſa, nunquam majorem præſetulit fortitudinem, & generoſitatem.

Mariæ dolor juſtus.

Mariæ dolor concipiendus non eſt tamquam perturbatio quædam rationis, quæ obruit illam, ita ut modicus illius remaneat uſus; neque tamquam impatientia quædam contra providentiæ mandata. Non videtis illam effundere torrentem lacrymarum, non crines vellere, non veſtes ſcindere, neque ululatu Cælum replere: *Non ejulantem cernimus, nec ungue vellentem comas;* ſed dolor ſuus in corde concluſus violentus quidem, verum rationabilis eſt; virtus enim ſola, principium ejus, fortiorem hunc efficit dolorem, auctiorem, & magis permanentem, quam cum ſeſe extrinſecus effudit, & evaneſcit: *Silenſque plus novis pati, virtus dolore fortior.* Dolor hic ſubjectus eſt voluntatibus Dei, de vita noſtra, deque proximorum noſtrorum vita diſponentis. Mariæ dolor non præbet locum queſtubus, & obmurmurationibus, *Angeli pacis amare fleverunt.* Natura univerſa in luctu fuit, Sol laboravit Ecclypſi, terra tremuit, ſepulcra aperta ſunt, rupes ſciſſæ ſunt, earumque rerum dolor juſtus fuit; fuit enim effectus auctoris Naturæ, omnia ſapienter diſponentis. Dolor Mariæ fuit naturalis, ſanctus, divinus, immenſus, neque ab illa receſſit, niſi cum in Cælo iterum cum Filio conjuncta eſt, cujus amor unus, & abſentia mortem ejus pepererunt. Deus igitur non interdicit nobis lacrymas, nec gemitus, ſed vult religionem earum eſſe principium, & voluntatem ſuam, gloriam, conſiliorum ſuorum executionem illas in nobis cohibere, ne natura vincat officium. *Sermo Manuſcriptus.*

Hymnus Offici de compaſſione Mariæ.

Ibidem.

Iſaia 33.

Vincula diverſa quibus Maria J. C. adhærebat, ejus dolorem augebant.

Quis ſcrutari poteſt dolores Mariæ præſentis doloribus ſuis, antequam perfecte noverit dimenſiones amoris erga ſuum Redemptorem. Ex parte alia cor ſuum nonniſi caritas erat, ex quo Deus, qui eſt caritas ipſa, fecerit ex virginali utero ejus divinitatis Sanctuarium; ex alia vero contemplabatur JESUM CHRISTUM Filium ſuum mori tam pro ipſa, quam pro hominibus omnibus. Gratitudinis amore conjuncto cum amore benevolentiæ penetrante cordis illius penetralia, Maria non erat aliud, quam amor, & dolor. Hinc nobis viam facere debemus ad aſſequendam S. Bernardi mentem, aſſerentis, amorem, doloremque ſimul effeciſſe in corde Mariæ eoſdem effectus, quos lancea, clavi, ſpinæ in corpore Salvatoris. Perſuaſum eſſe debet Judæos Mariæ viſcera laniaſſe, cum cariſſimi Filii ejus Corpus diſcruciabant. Ita cum Eccleſia in precibus ſuis inquit, Mariam eſſe Martyrum Reginam, ſignificat, non ſolum ipſam habuiſſe gratiæ eminentiam ſuper Martyres, vel illam, cum conſtituta ſit Cæli, terræque Regina, dominari in illos, æque ac in omnes Sanctos, qui ſunt in Cælo; ſed innuit, ipſam vere Martyrum Reginam eſſe, quoniam paſſa eſt plus, quam illi omnes paſſi fuerint. *Regina Martyrum.* Supplicia, quæ illi pertulerunt, nihil fuiſſe in comparatione dolorum Mariæ; hanc illis præſtitiſſe tam ratione pœnæ, quam ratione meriti, quod pœnam debet coronare. Si inſignis quidam Sanctitate Vir excitare cupiens in cordibus noſtris vivum dolorem, colligit varios titulos, quibus JESU CHRISTO adhæremus, Maria quæ adhærebat illi tot titulis arctioribus, divinioribus, magis naturalibus, iiſque majori in numero, maximum igitur omnium cruciatuum experta eſt.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentibuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Argumentum dolorum S. Virginis, pars quam ſibi ſumebat in doloribus Filii ſui, ejuſque reſignatio voluntati Dei.

SAncta Virgo tantam habuit partem in noſtra ſalute, & paſſionibus Filii ſui, ut nullo pacto prætermittere poſſimus Sermonem de mortalibus afflictæ Matris hujus doloribus. Dolor ejus fuit videre Filium, quem vita ſua multo cariorem habebat, immerſum in pelago cruciatuum, & ignominiarum: & Salvator quoque afficiebatur ſummo dolore videns cor Matris ſuæ Sanctæ juxta Crucem ſuam transverberatum. Quemadmodum illa ſemper fuerat imitatrix dilecti hujus Filii, voluit etiam illum imitari in modo patiendi, ſed illi intus graviſſimum ſuſtinendum erat prælium; urgebatur enim, hinc quidem amore Unigeniti ſui, inde vero obedientia, quam præſtare debebat imperiis Dei, & deſiderio ſalutis hominum. Caritas ejus erga peccatores, quorum jam erat Advocata, poſcebat, ut illis pararetur medicina, cujus Virtute a malis omnibus convaleſcerent; & maternus erga Filium amor, cui remedium hoc tanto ſtatutum erat pretio, ad id non ſine horrore animum advertere poterat: Cor ejus ita laniatum nullum invenire ſolatium poterat niſi ſemet traderet voluntatibus Dei, quas tamquam agendi normam ſequebatur. Hinc facile eſt cognoſcere, illi nihil antiquius futurum fuiſſe, quam ſi crucifigi poſſet pro Filio; ſi hoc decuiſſet, & potius ipſam fuiſſe morituram, quam illum patientem videret. Sed quia Deus præceperat aliter; ſaltem offerebat Sacrificium cordis ſui, donec JESUS in Cruce ſuum corpus, vitamque immolabat. *Liber qui inſcribitur: Paſſiones Domini Noſtri.*

Quam fuerunt ſævius illius cum Pilatus oſtendit populo Salvatorem eo in ſtatu in quo erat, & audit, quæ in eum maledicta ſulcirentur.

Sancta Virgo vidit Filium ſuum, cum Pilatus illum populo oſtendit, viditque illum undique cruentum, vulneribus ſaucium, deformatum, in ludibrium alba indutum veſte, ſpineam coronam in capite, calamumque habentem in manu. Sciebat JESUS illam præſentem eſſe huic ſpectaculo; videbat latebras afflicti hujus cordis, ſentiebatque non minus Matris dolorem, quam ſpinarum aculeos. Ceterum dolens hæc Mater non ſolum torquebatur adſpectu objecti, quod illi Mortem poterat inferre, audiebat etiam falſa teſtimonia, quibus Filii ſui exiſtimatio proſcindebatur; maledicta, quibus impetebatur, clamores poſtulantium, ut Agno huic innocenti perferretur latro, & ſicarius, atque ut Auctor Vitæ crucifigeretur. Audiebat præconis vocem proferentis mortis ſententiam, quam Pilatus tulerat; & mox attolli conſpexit ingentem Crucem, quam Salvator bajulare debebat in ea crucifigendus, & ex quo ille procedere incepit, illum ſubſecuta eſt tot effundens lacrymas, quot ille Sanguinis guttas fundebat, interius oppreſſa Cruce doloris, quæ non minus gravis erat ea, quam videbat ſuper humeros Filii ſui. *Ibidem.*

Exceſſus Doloris Mariæ cum [illegible] Filium Crucem [illegible], & cum [illegible] in Calvarium &c.

Ubi vero pervenit in Montem Calvarium cum piis mulieribus, quæ Salvatorem ſecutæ fuerant, & prope vidit crudelis adeo ſupplicii apparatum, ſimulque adeo turpis, cum audiit ictus mallei quo perfodiebantur pedes, & manus Unigeniti ſui, cum ille in Crucem ſublatus apparuit, & conſideravit illum exceſſum dolorum, quos maternus amoris ſingillatim illi repræſentabat; ſicut illa jam infirmata erat triſti nocte, quæ anteceſſerat, & modico cibo, quem ſumpſerat, & lacrymis, quas fuderat, cum alioquin & Mulier eſſet, & Mater, ideoque non poſſet ſuperare naturæ ſenſum, nec pœnæ magnitudinem ſuſtinere, inter earum brachia corruit, quæ ipſam comitabantur; quod non ſemel accidit in non communibus doloribus iis etiam, qui robuſti ſunt, & ſtrenui. Tunc cum exaruiſſent lacrymæ, expalluit aliquantiſper, & contremuit, donec non humano aliquo ſubſidio, ſed ſecreta virtute, quam illi filius ſuus communicavit, ut poſſet adhuc graviora pati, in ſe reverſa, collectiſque viribus omnibus, aſſurrexit, & facta ſibi cum S. Joanne, ac mulieribus ſociis via, ad Crucem uſque penetravit; ibique ſtans oculoſque figens in Salvatorem perfuncta eſt munere Advocatæ noſtræ, offerens intrinſecus Æterno Patri dolores, & Sanguinem Filii ſui, utrique communis, non ſine ardenti deſiderio ſalutis omnium Mortalium. Metuebat illa eum morientem adſpicere, dolebatque videns illum in tormentis, quæ nonniſi cum Morte finem erant habitura. Optabat ſibi Patrem Æternum eſſe mitiorem, & nihilominus cupiebat, ut Cæli mandata ſecundum omnem latitudinem ſuam adimplerentur. *Idem.*

JESUS, & Maria mutuo augebant dolores ſuos per ſenſus quos ſibi invicem communicabant.

JESUS, & Maria ſeſe mutuo ſpectabant, & colloquebantur. Invicem alter alterius doloribus torquebantur, & dolores tales erant, ut dici poſſit, quo magis conſiderabantur, eo minus intelligi potuiſſe. Deo tantum Matris, Filiique corda concipere poſſunt, quod paſſa ſunt; cum enim menſura doloris eorum eadem ſit, ac amoris, ut intelligamus, quid illa paſſa fuerint, ſcire debemus, quantum amaverint; a qua cognitione longiſſime abſumus, quoniam ab eorum amore diſtamus. Adnitamur ergo potius aſſequi ſenſus illorum ſinguli ſecundum gradum ſui luminis, & caritatis, quam illos illic exprimere verbis. Sed quamvis nihil addi poſſe videatur deſolationi Sanctiſſimæ Virginis, cor ejus licet mœrens atque afflictum, novas identidem concuſſiones recipiebat per recentes circumſtantias paſſionis Filii ſui, veluti cum audiit illum peramanter querentem, *Pater mi, ut quid me dereliquiſti?* Cum vidit Judæos illi vinum cum aceto exhibentes ad relevandam ardentem ſitim, de qua conquerebatur; cum emiſit magnum illum clamorem cum quo animam efflavit: cum excepit illum mortuum, & de Cruce depoſitum in ſinu ſuo, cum illum tumulavit; denique cum privata fuit adſpectu dilectiſſimi Filii, cujus reſurrectionem tanto ardore expectabat, ut tres illi dies, ipſi tres anni viderentur. *Idem.*

Dolores, quos patiebatur Sancta Virgo videns Filium ſuum pati, superabant dolores Salvatoris.

Dubitandum non eſt, quominus Sanctiſſimæ Virginis dolores, quam Salvator ſtantem videbat juxta Crucem, illi eſſent ipſa Cruce graviores. Puriſſima enim Virgo dignior erat amore ſuo, quam ſimul omnes Angeli Cæli, homineſque terræ; ideoque

magis

Digitized by Google

magis amabatur, & nulla unquam Mater adeo tenere, & ardenter filium ſuum amaverat. Hæc fidelis fuerat ſocia laborum illius; ſancta erat, innocens, & merebatur nullam pati pœnam, & nihilo ſecius fuit afflictiſſima matrum omnium, quæ præceſſerunt illam, vel quæ illam ſubſecutæ ſunt. Nobiſmet fingamus ſi fieri poteſt, quænam hæc eſſet pœna tantæ Matri videre talem Filium expirantem tot inter cruciatus, atque opprobria. Crux adeo ſæva uni illi reſervata erat, quia una illa hanc poterat ſuſtinere. Verum eſt Salvatorem præ reverentia Matris ſuæ, non permiſiſſe, ut carnifices illam afficerent contumelia; ſed amor, quo Filium ſuum proſequebatur, multo illam torquebat magis, quam facere potuerunt omnes carnifices. *Idem.*

Viſio tormentorum Filii Dei graves dolores gignebat S. Mariæ ſuæ.

Vides, Sancta Virgo, Filium tuum, non amplius adoratum ab Angelis, & a Regibus, ſed expoſitum ludibrio populi tamquam tragicum Regem, onuſtum injuriis, impetitum maledictis, & denique damnatum Cruci. Hanc ſuis humeris geſtat, & illum in Calvarium ſubſequeris. Ibi vides ſupplicii illius apparatum, audis ictus mallei tundentis trabales clavos in pedes, & manus ejus, ſimulque Cor tuum perforantis. Vides illum ſublatum in Crucem, & hæc viſio ſcindit viſcera tua, & cruorem gelu adſtringit in venis tuis. Tu ſtas juxta Crucem, ibique crudelia tranſigis momenta expectans donec Filius tuus agat animam; Illum excipis inter ulnas de Cruce depoſitum; illum ſindone involvis, eaque poſt Mortem illi præſtas officia, quæ in Nativitate præſtitiſti; idque eadem cum caritate, ſed cum prorſus oppoſito ſenſu; tunc exultabas gaudio, nunc autem obrueris triſtitia. *Ibidem.*

Quid ſuſtinet Virginem tot inter anguſtias.

Tamen tua te ſuſtinet Virtus, fides tua, amor, obedientia divinis imperiis non deſerunt te hac in occaſione; omnia te torquent, ſed nulla re vinceris. Magna eſt ſicut Mare afflictio tua, & ſtas juxta Crucem. Ut intelligeremus, quid fiat in anima tua, o Sancta Virgo, intelligendum eſſet nobis, quomodo amas Filium tuum, & quid ille patiatur: tormenta enim ejus, & amor tuus ſunt menſura tuæ compaſſionis. *Idem.*

Paſſio Filii Dei fuit paſſio Sanctæ illius Genitricis.

Dicere poſſumus Paſſionem Filii fuiſſe paſſionem Matris, & uno excepto JESU CHRISTO neminem plura paſſum fuiſſe, quam Sanctam Virginem. Si fuit ille Vir dolorum, hæc dolorum fuit Mater; dolor ejus amorem erga Filium exæquavit. Filium diligebat, pluſquam omnes homines ſimul illum amaverint; hinc exceſſum doloris ejus cognoſcite. Quidquid Filius ſuus perferebat in corpore, Maria perferebat in corde; ideoque tanto magis acer erat dolor illius. Vulnera, quibus diſcerpebantur membra JESU, Mariæ cor perfodiebant; patiebatur multo magis videndo Filium ſuum patientem, quam ſi ipſamet paſſa fuiſſet omnia mala; quoniam infinite magis amabat Filium ſuum, quam ſe. Si illum malis omnibus liberare potuiſſet, in ſemet illa transferendo, oblectata fuiſſet; quandoquidem ſuave eſt pro iis pati, quos amamus. Si æque ac Maria afficeremini amore Filii ſui, acriter doloribus illius afficeremini, & cuperetis paſſionum ejus fieri participes. Si Maria Mater eſſet afflicta, non eſſet minus generoſa; dolor ejus non ſuperavit fortitudinem illius, & dolor nihil de ejus imminuit obedientia. Stabat illa juxta Crucem Filii, & ſicuti particeps erat paſſionum ejus, ita erat etiam particeps conſtantiæ. Filius ſuus erat patientiæ ſuæ ſimul cauſſa, & exemplum. *Pater Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus Tomo 2.*

Exemplum, & conſtantia generoſitatis in Maria juxta Crucem.

Maria in Calvarium aſcendens præſefert pulcherrimum conſtantiæ, & fortitudinis exemplum, quod uſpiam in mera creatura viſum fuerit. Stat juxta Crucem, ſed cum ea animi Magnitudine quæ Matre Dei digna erat. Conſiderate omnes heroicæ hujus actionis circumſtantias. Virgo erat modeſta, ſancto pudore plena, & imperterrita per medios incedit milites quin reformidet, & obſtupeſcat: Mater eſt, cujus cor amore pleniſſimum erat, locum eligit ſibi prope Crucem, ex qua pendebat Filius. Illum videt, & videtur ab illo, & adſtitit uſque ad finem triſtis, & cruenti hujus ſpectaculi, quin vel minimam præſeferat infirmitatem. Quæ conſtantia! quæ fortitudo! quæ generoſitas! Ubi auribus David accidit mors filii ſui, amor paternus vicit fortitudinem. Ædes Regiæ perſonuerunt clamoribus ejus, gemitibus aer repletus fuit, & plorans mortem filii ſui oblitus eſt, tantum lacrymarum nequaquam detere ſummi Viri dignitatem. Abſalom fili mi, ubi es Abſalom? Vivisne? vel cur non ego obii pro te! Quænam in Patre benevolentia! Sed quænam in Sancto Rege infirmitas, & in Rege Gigantum, & Philiſthinorum victore! Maria vidit morientem filium, ſed nihil tale præ ſe tulit. Natura univerſa turbata eſt, Sacer Textus inquit, ad intuitum JESU morientis: Velum Templi ſciſſum eſt, terra tremuit, luna ſanguine ſuffuſa viſa eſt, Sol incidit in Ecclypſim; mortuorum monumenta patefacta ſunt; inter terribilem hunc ſtrepitum Matris hujus conſtantia ſuperior fuit doloris Magnitudini; ſtetit in cruento illo ſpectaculo; excepit noviſſima Filii ſui verba; extrema illius collegit ſuſpiria; audiit illum emittentem clamorem magnum, qui in Cælum uſque aſcendit, & qui animam ejus ſeparavit a corpore, quin queſtum ederet, quin aliquid minus decorum efficeret, vel indignum invicta conſtantia Matris Dei. O quanta eſt animæ fortitudo, ubi illam Deus ſuſtinet! Quid cor pati nequit, cum per amorem tolerat! *Idem.*

Perfecta reſignatio mandatis Dei, quam Maria in Filii paſſione prætulit.

Perfecta ſubmiſſio Cæleſtibus mandatis, fuit Virtus, quam Maria in Calvario præ ſe tulit. Cordis ſui mollities, & innocentia Filii ſui erant illi juſtum querelæ argumentum. Cum Mater eſſet, jure ſuo conqueri poterat de duritia, cum qua Filius ſuus excipiebatur; cum eſſet ſancta, perhorreſcere debebat turpiſſimam mortem, quæ mortalium omnium integerrimo inferebatur; ſed ſubjecta voluntati Dei, neutrum peregit. Heu! nonne præſtitiſſet ſterilem fuiſſe, dicebat Mater Jacob, & Eſau moriens propter dolores partus! Maria in Calvario graviores pertulit dolores, quia Mater erat, quam illi fuiſſent, quibus immunis fuit, dum peperit in Bethlem, quia erat Virgo; Sed tantum abfuit, ut ulla ejus exaudiretur querela, ut ſumma cum ſubmiſſione acceptaverit amarum calicem paſſionis Filii ſui. Domine, cor meum ad omnia paratum eſt. Adjunge Matrem Filio; fac ut moriar, ut finem faciam dierum meorum; ſine me vivere, ut producam Martyrium meum. Nimis felix dummodo vivens, & moriens victima fiam obedientiæ. O Deus, quantæ fortitudinis argumentum eſt hæc reſignatio! quanti meriti eſt! quanta remuneratione digna! Sed in Mundo quam rara! *Idem.*

S. Virginis dolores eo graviores fuerunt, quod adfuit omnibus contumeliis, quibus affectus fuit Filius ejus.

Re adhuc integra in Mariæ Martyrio illud mihi videtur crudeliſſimum, quod adfuit omnibus crudeliſſimis cruciatibus Filii ſui. Illum trahi per vias conſpexit, innatantem in Sanguine ſuo; vidit illum vulneribus circumundique confoſſum; vidit illum Cruci confixum inter duos infames latrones, obrutum maledictis & blaſphemiis, quas plebs furens evomebat in illum. Providentia Dei mei, quam ſevera es! Nonne ſatis erat, Sanctam hanc Virginem perfecte ſcientem, quidquid paſſurus erat Filius ſuus, geſtaſſe annos tres & triginta horribilem imaginem tormentorum, quæ pati debebat, inſculptam in mente ſua, & multo magis in corde? Ah! quoties tunc etiam, cum reſpiciebat hunc puerum ſacris uberibus ſuis hærentem, ſuis illum rigavit lacrymis, conſiderans Virgineum lac, quod ex ſinu ſuo defluebat mutatum iri in Sanguinem in venis illius? O brachia! o ſacri pedes! dicebat illa ſuſpirans, non creſcitis niſi ut configamini Cruci, quæ vobis deſtinata eſt. Quoties videns cari Filii hujus latus præ dolore infremuiſſet videns jam lanceam crudelem, quæ illud erat percuſſura. Heu! nonne ſatis erat illam affligi per triſtes has, & adeo funeſtas imagines? Opus erat etiam, ut oculi viderent horum omnium malorum effectus? *Specimen Sermonum pro Quadrageſima 3. Tomo.*

Erat inconſolabilis quia illi opem ferre non poterat.

Inde Sancta Virgo nullum habere ſolatium poterat, quia non poterat opem, ac ſolatium ſuaviſſimo afferre Filio. In quo crudeli ſtatu cor tuum inventum fuit, o Matrum omnium amantiſſima, cum videnti Filium tuum exhauſtum cruore, viribuſque, non licebat vel minimum illi præſtare ſolatium? Heu, ſi potuiſſes plagas ejus obligare, & compeſcere torrentes Sanguinis inde manantes, ſi ſaltem licuiſſet tibi lacrymis tuis abſtergere; hæc tibi aliqua fuiſſet conſolatio: ſed quidquid facere poteras his carnificibus propulſata, & contumelioſe habita, erat intueri illum, & plorare. Cur eloquentia non habet ſatis validas loquendi rationes, ut repræſentet quo pacto maternum hoc cor contritum fuit, cum audiit cariſſimum Filium moribunda voce dicentem: *ſitio!* Quoties voluit illa turbam impiorum militum perrumpere? Sed toties in irritum abierunt conatus illius. O crudele ſpectaculum Matri, quæ dilectiſſimum Filium ſuum ob oculos habet clamantem ſe mortali ſiti languere, & illi ne guttam quidem aquæ procurare poſſe! *Ibidem.*

Amor S. Virginis quantum illam torqueret intrinſecus.

Non legimus S. Virginem paſſam aliquid fuiſſe a carnificibus, qui torquebant Filium ejus, ſed heu! internum habet tortorem, qui magis excruciabat illam unus, quam reliqui ſimul omnes illam affixiſſent. Intrinſecus iſte Carnifex non alius erat, quam amor, cordi materno eas pœnas infligens, quas illorum crudelitas ſacrato Salvatoris corpori inferebat. Non ita, carnifices, ne unum quidem ictum ſacro Filii corpori inflixiſtis, quem Maria in corde ſuo non reciperet. Cor iſtud omnibus perforatum fuit clavis vellris, penetratum ſpinis, & unum ſenſit ferrum crudele lanceæ, cum Cor JESU illud ſentire non poſſet: Martyrium adeo terribile, ut S. Bernardinus non dubitaverit affirmare, ſi omnes Mariæ dolores diviſi fuiſſent inter Creaturas ſenſus participes, ne unam quidem futuram fuiſſe, quæ ſtatim non occumberet.

Tantus

Tantus fuit dolor Virginis, quod ſi omnes creaturas, quæ dolorem pati poſſunt, divideretur, omnes ſimul interirent. Maria in Martyrio ſuo non aliam habuit conſolationem, quam Filii ſui; obtulit autem omnes paſſiones ſuas pro ſalute hominum, & addidit dolores interiores exterioribus Salvatoris, ut ſatisfaceret juſtitiæ Dei, & per hoc Sacrificium Filii ſui, ac ſuimet ipſius meruit fieri Mater hominum, ita ut filium amittens, alios plurimos adoptaverit. Hinc Filius Dei moriens declaravit S. Joanni, & in perſona ejus omnibus hominibus, ſe illi dare Mariam pro Matre, ac illum deinceps futurum ejus Filium: *Dixit diſcipulo: Ecce Mater tua.* Videamus ergo quod ſit munus noſtrum, ut veri ſimus filii Matris, quæ tot, tantaque ſubiit pro nobis. *Ibidem.*

Joann. 17.

Ut veri ſimus Mariæ Filii, illam imitari debemus participes effecti Crucis Domini, & conſtanter eam illa ſuſtinentes.

Non licet nobis melius oſtendere, nos eſſe vere Mariæ filios, quam Matrem noſtram imitando. Aſcendamus cum illa in Calvarium: conſtanter cum illa ſtemus juxta Crucem, participes cum illa efficiamur paſſionum JESU CHRISTI, & exprimamus in nobis imaginem adorabilis Crucifixi. Si S. Joannes non aſcendiſſet in Calvarium, Salvator non dediſſet illi in Matrem Mariam modo tam ſingulari; ne ſperemus igitur nos futuros Mariæ filios, niſi fuerimus ſimul cum illa in Calvario; illic nos adoptavit, illic nos agnoſcit filios ſuos. Falleris Apoſtole, cum in Thabor inquis, *Bonum eſt nobis hic eſſe. Neſciens quid diceret.* Neſciebas adhuc gloriam Thabor pro beata æternitate reſervari, & Calvarium unicam eſſe partem filiorum Dei ſuper terram. Juxta Crucem Maria nobis dicere poteſt: *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Si vultis eſſe filii mei, imitamini exemplum quod tribuo vobis; eſtote firmi, & conſtantes; & ſcitote, ſi inde diſceſſeritis, vos non poſſe, neque Dei Filios eſſe, nec meos. *Ibidem.*

Luc. 9.

Exod. 25.

Ad id non ſufficit miſereri J.C morientis, ſed imitatio ejus requiritur.

Si teneremur tantum compati JESU CHRISTO morienti, ſatis multi invenirentur Chriſtiani, quos tenerum ingenium facile ad pietatem impelleret. Sed non agitur de compaſſione; agitur de imitatione; quæritur ut cum JESU CHRISTO crucifigamur. Niſi Maria in vobis conſpexerit imaginem dilecti Filii ſui Crucifixi, non agnoſcet vos tamquam filios ſuos: *Quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui.* Si hoc verum eſt, nunquid credere poſſumus nos eſſe Mariæ Filios? Heu! Tantum abeſt non eſſe in Calvario, & juxta Crucem, ut ſimus potius ante aras Idolorum Mundi, quibus noſmet ſacrificamus; & quin geſtemus imaginem JESU CHRISTI crucifixi, dæmonia imaginem circumferimus! Ah Virgo Sancta, quandoquidem tot, tantaque pertuliſti, ut Mater eſſes noſtra, nobis obtine veras Filii tui gratias, quæ nos veros conſtituant filios tuos, & per omnipotentem interceſſionem tuam fac, ut poſtquam te concomitati fuerimus, & imitati in Calvario, æternum regnemus tecum in Cælo. *Ibidem.*

Ad Rom. 8.

Dolor quem Virgo paſſa eſt audiens blaſphemias, quæ evomebantur contra Filium ſuum.

Hæc conſiderantes omnia, ne obliviſcamur attendere extremo dolori, quem Virgo Sanctiſſima perpeſſa eſt audiens tot blaſphemias contra filium ſuum prolatas, & videns illum irriſum, ſibilis exceptum, & omni injuriarum genere affectum. Cum non vidiſſet illa turpiſſimas indignitates, quas paſſus fuerat apud Caipham, & in Pilati prætorio, voluit Providentia, ipſam juxta Crucem adeſſe, & auribus ſuis excipere has blaſphemias, quæ illi infinite duriores fuerunt, quam quidquid contumeliarum in perſona ſua pati potuit. Immo non abhorret a veritatis ſpecie, impios illos poſtquam contra JESUM blaſphemias evomuerunt, maledixiſſe Matri, quæ tantum Filium pepererat. Sed illa ſumma cum patientia ad Filii imitationem ſuſtinebat. O Virgo Sancta! quot dolorum gladii tunc afflictam animam tuam pertranſierunt! linguæ blaſphemantium erant velut acuti, & ancipites gladii, qui uno ictu Filium ſimul, & Matrem tranſverberabant! *Pater a Ponte Medit.* 44. *de Fide Tomo* 4.

Maria ſubiit Martyrium cordis millies acerbius, quam corporis.

Conſtans eſt, Mariam, cum ſola magis amaviſſet JESUM quam fecerint, aut facere potuerint ceteri, magis, quam alios participem fuiſſe paſſionis ejus, & mortis. Quæ ita vera ſunt; ut S. Bernardus exprimere volens hunc doloris exceſſum, quo in Calvario confecta fuit, eam vocet Martyrem, & Martyrem Cordis. Sicut autem cordis Martyrium toto Cælo acerbius ſit Martyrio corporis, S. Anſelmus non dubitavit aſſerere, neminem unquam tantum in corpore paſſum fuiſſe, quantum illa in anima perpeſſa eſt. Ita videmus, JESUM, ubi in horto hanc ſubiit Martyrii ſpeciem, conſiderans terribiles pœnas, quæ ſibi impendebant, ultro ſeſe mancipantem mœrori, ac triſtitiæ, adeo violenter commotum fuiſſe, ut ſudaverit Sanguine, quod non legitur illi accidiſſe deinceps inter acerbiſſimos paſſionis cruciatus. Maria ergo mirum paſſa eſt tormentum, cum doloris gladius pertranſivit animam ejus. Et nihilominus quaſi vita filii ſui nihil eſſet illi, ubi cum Dei honore compararetur; ſtabat illa Crucem tanta firmitate, & conſtantia, ut illum morientem videret, quin conquereretur. Non cecidit illa in terram exanimis, & ſemimortua, ut nonnulli comminiſcuntur, non clamores, aut femineos edidit ejulatus, quos paſſim edere ſolent mulieres, præſertim vero in id genus anguſtiis. E contra fortiter, ac viriliter ſuſtinuit Martyrium ſibi a Domino immiſſum; & quamvis naturaliter cuperet Filium ſuum non mori, tamen multo magis optabat divinæ ſatisfieri Juſtitiæ, & Mundum reparari, quæ duo Ipſe quoque Filius propriæ vitæ ſuæ præferenda cenſebat. *Bellarminus. Opuſculorum Tomo 4. de tertio JESU CHRISTI verbo in Cruce.*

Maria præſens omnibus paſſionibus Filii ſui ſuam teſtatur conſtantiam, & firmitatem.

Adeſt huic ſpectaculo Maria, neque illud eminus proſpicit, quod de aliis JESU CHRISTI amicis ſcriptum invenitur, ſed ſtans juxta Crucem illius. Neque ſolum erat prope Crucem, oculis ſuis contemplans Filii vulnera, ſed ſtabat. Quæ fortitudo in illa occaſione, quæ conſtantia! Mundi ordo inverſus erat, terra tremoribus ſuis commota, Cæli columnæ concuſſæ, & SS. Virgo in tanta rerum omnium perturbatione placata quieſcebat. Rupes ſcindebantur, & Mariæ cor non quatiebatur. Cor iſtud erat veluti medium in Mari amaritudinis, & hujus Maris fluctus ad Cælum uſque aſcendebant; ſed Maria tamquam nauta prudens ſedebat ad gubernaculum, & ducebat animam ſuam tanta cum prudentia, & fortitudine, ut terribilis hæc procella illam turbare non potuerit, neque eam a divina Voluntate deflectere. Hæc ſubmiſſio divinis decretis prohibere tamen non poterat, quo minus acerbiſſimis doloribus afficeretur videns filium ſuum pati adeo crudelia tormenta. Quamobrem S. Bernardus dixit; quodnam cor ita durum eſſe poſſet, o Mater dulciſſima, ut miſeratione minime flecteretur conſiderans lacrymas, quas prope Crucem fudiſti, cum vidiſti Filium tuum ea ſuſtinere mala, quæ perferebat? Quænam mens concipere poteſt dolores, gemituſque tuos, & quomodo cor tuum lancinatum fuerit, videnti-te fructum hunc puriſſimorum viſcerum tuorum tanta inhumanitate tractatum, quin tibi liceret illi opem ferre? Illum nudum vidiſti, nuditatem ejus tegere non valuiſti; vidiſti illum ardentiſſima ſiti laborantem; potum illi miniſtrare non licuit tibi; vidiſti illum injuriis, & conviciis obrutum, & illum tueri nequiviſti: illum vidiſti calumniis impetitum, neque datum fuit tibi pro illo verba facere: vidiſti os ejus ſputis fœdatum, & illud abſtergere permiſſum tibi non fuit; denique vidiſti oculos ejus in lacrymas ſolvi, & negatum tibi fuit illas tergere; labiis tuis noviſſima ejus ſuſpiria colligere, faciem tuam ſuæ conjugere, atque inter brachia illius ſpiritum efflare. Vere hac hora in te ſenſiſti Sancti Simeonis vaticinium expleri: tuam ipſius animam pertranſivit gladius, *Granatenſis Medit. de vita JESU CHRISTI.*

Quam impreſſionem fecerit in corde Virginis adeſſe omnibus tormentis, quæ illata fuerunt Salvatori.

Adſpectus, & cogitatio, quam habet S. Virgo tormentorum Filii ſui impreſſionem efficiunt in corda illius, vel potius perfectam expreſſionem JESU CHRISTI crucifixi, ita ut in anima ſua eaſdem pœnas ſentiat, quas Filius ſuus in corpore ſuſtinet. O quale ſpectaculum! o quale martyrium oculis ſuis uſurpare mortales Filii ſui languores, quin illi valeat opitulari! Audit illa injurias, quæ in ipſum evomuntur, idque vetare nequit; vellet levare ardentem ſitim, qua uritur, nec potum præbere poteſt: Vellet extremum illius ſuſpirium colligere, vel cum illo effundere, ne ipſum deſerat unquam vel in vita, vel in morte, & opus eſt illam a caro Filio ſuo ſeparari, & cum illo mori non poſſe. *Videt ſuum dulce Natum morientem, deſolatum, dum emiſit Spiritum. Pater Nouet Meditatione 86. de Paſſione Domini Noſtri.*

Unio, & ſimpathia Mariæ cum Filio auctores fuit dolorum ejus.

Dolorem vero Matris ingeminat unio, & ſimpathia, quam habet cum JESU, qui vere erat os de oſſibus ejus, caro de carne, & ſanguis de Sanguine illius. Hoc illos adeo ſibi conformes efficiebat, ut bonum, & malum unius ſtatim in alterum migraret, quemadmodum Solis Eclypſis lunæ atram offundit caliginem, & cum oculus gemit, alter ſimul lacrymas fundit. O tenera Mater! omnia vulnera, quæ carnificum crudelitas peperit in Filii tui Corpore, in corde tuo colliguntur. Compaſſio attraxit illa ſuper te. Quæro Dei Matrem in Calvario, & ſpinas duntaxat invenio: quæro Mariam, & invenio vulnera. *Idem ibidem.*

Deo ſatis non eſt Mariam aſſentiri morti Filii ſui, vult illam eſſe præſentem.

Quamvis Abrahæ imperet Deus, ut ſibi Filium ſacrificet Iſaac, diſpenſat Matrem, cor ejus mollius erat, nec huic interſit ſacrificio, ſatiſque putat, Sanctus Gregorius Nyſſenus inquit, illam aſſenſum præbere. Deus autem non utitur hac indulgentia erga Mariam. Non ita. Vult hanc intereſſe reali, cruentoque Sacrificio Unigeniti ſui millies carioris, & dilectioris, quam Iſaac. O Dei Providentia quam ſævior in hoc ſubjecto videris! Nonne ſatis erat, ut hæc S. Mater, quæ perfectiſſime noverat, quidquid eventurum erat Filio ſuo, ferret trium ac triginta annorum ſpatio impreſſam in animo funeſtam hanc imaginem cruentæ hiſtoriæ, quæ in Calvario erat peragenda! Ah! quoties, tunc etiam, cum oblectabatur

batur cariſſimum filium videns uberibus ſuis inhærentem illum ſuis rigavit lacrymis, conſiderans lac virginale, quod ex illius ſinu fluebat, mutandum eſſe in Sanguinem in venis JESU, aliquando ea ſacratis vaſculis hauriendum? Quoties videns brachia, & pedes JESU adoleſcere, ſuſpirans dixit! O brachia! o pedes cariſſimi Filii mei, quæ non adoleſcitis, niſi ut apremini menſuræ Crucis, quæ illi deſtinata eſt! Quoties puerum hunc induens, & latus ejus intuens præ dolore infremuit exclamans, o latus ſacrum, tu quoque laniandum es, ut cor tuum aperiatur? Non ita; ſatis non eſt tres, ac triginta annos vixiſſe adeo ſævis doloribus agitatam; oportuit etiam, ut oculi ſui teſtes eſſent omnium horum malorum. Non eſt, ex Spiritu ſancti ſententia, dolor ſimilis dolori Patris videntis filium ſuum ſacrificari, & jugulari coram ſe: *Quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui*. Hæc pars eſt Mariæ dolentis. Poſtquam aliquandiu a longe ſecuta eſt Filium ſuum legens veſtigia Sanguinis, opus tandem fuit, ut per confertam carnificum turbam, & inimicorum catervam viam ſibi faceret, ut ſtaret juxta Crucem. *Stabat juxta Crucem. Pater Texier in Sermonibus Quadrageſima.*

Eccli. 34.

Paſſio J. C. & Mariæ compaſſio non ſunt Myſteria æque gnariſſima.

Mirum non eſt, ſi Eccleſia antequam nobis repræſentet Dei Filium Cruci ſuffixum propter ſalutem hominum, hodierna die prævertat hoc triſte ſpectaculum nobis oſtendens Sanctam illius Matrem, Virginem glorioſam juxta hanc Crucem ſtantem. Si enim particeps fuit omnium Myſteriorum, quæ Filium ſuum reſpiciunt; in hoc ipſa Myſterium prorſus peculiare conſtituit, & quamdam veluti paſſionem alteram per verum amoris Martyrium, quod illi proprios effecit dolores ejus, quem ſemet ipſa cariorem habebat: ne alterum confundamus cum altero eadem die, operæ pretium eſt utrumque ſeparare in duos diverſos ſermones, & hodierna die Filium conſiderare tamquam objectum dolorum Matris, non ſecus ac poſt dies aliquot conſiderabimus Matrem tamquam unam ex circumſtantiis, quæ Filii paſſiones augebunt. Hoc modo ſejunguntur, & conjunguntur; & hæc ratio eſt enucleandi Myſteria duo, quæ ſimul habent talem rationem, ut dicere poſſim cum S. Bonaventura tunc viſum in earum perſonis fuiſſe, quod accidit in naturis; Cum Sol in Eclypſim incidiſſet, lunam conſequenter lumen ſuum amiſiſſe: videlicet, JESU vi ſuppliciorum moriente, Mariam fuiſſe præ dolore morituram, niſi Cælum illi vitam ſervaſſet. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta.*

Maria cognoſcit effectum prophetiæ Simeonis.

Acceſſit tandem hora tua Virgo Sanctiſſima, non ſecus ac hora Filii tui, qua cor tuum eodem transfigendum eſt doloris gladio; eademque morte moriendum, qua miſcendæ ſunt lacrymæ tuæ, quæ ſunt ſanguis cordis vulnerati tui, cum Sanguine Filii tui. Ecce tempus, quo adimplenda eſt venerabilis Simeonis prophetia; ſemper in te tuliſti gladium tuum; ſemper ob oculos habuiſti diem Sacrificii tui, & ſicut Filius tuus temet ſemper immolaſti in præparatione voluntatis; ſicut ille, dixiſti, cupio manducare Paſcha, & ſuſtineo donec victima juguletur: *& quomodo coarctor donec perficiatur*. Quænam fuit eo momento conſtantia tua? Dolore plena, verum eſt, non autem dolore victa, ſtabas ſitu hoc oſtendens firmitatem animæ tuæ, qua ultro, & generoſe aſſentiebaris ſacrificio Filii tui, ac tuo, præferens Voluntatem Patris Æterni tibi metipſi, ſalutemque generis humani vitæ tuæ, & vitæ Filii tui. Da mihi, ut eum eadem conſtantia ſubeam pœnas, quas deſtinat mihi providentia, ut reſpondeam non ſine audacia quadam, ſed cum aliqua confidentia conjuncta, poſſe me bibere calices omnes quos mihi obtulerit non ſecus ac filius Zebedæi, vel potius ſicut te Virgo Sancta, quin memet tradam lacrymis, & gemitibus, vel humanis conſolationibus immorer, & nonniſi oſculis Filii innitar, me beatum exiſtimans, ſi patiar ſecundum exemplum tuum; quandoquidem tu temet beatiorem cenſuiſti, quo magis particeps fuiſti paſſionum Filii tui. *Auctor recens.*

Luc. 12.

Duo amores pugnant in Mariæ corde; Amor erga Filium, & amor ſalutis hominum.

In Mariæ corde duo pugnant amores, uterque extremus, ſecum invicem confligentes. Amor vitæ JESU CHRISTI, & amor Redemptionis humanæ, ut in ea Dei Voluntas adimpleatur. Alter quidem eſt mollior, alter autem fortior; alter Martyrium conſtituit, alter Sacrificium; alter crudeliter agitat animam, alter illam confirmat; alter ciet hoc in oceano tempeſtatem, alter malaciam parit. Conſtantia nihil imminuit de dolore; dolor nullo modo conſtantiam labefactat. Amor JESU efficit ut omnes has ſubeat pœnas; amor divinæ Voluntatis facit, ut omnes acceptet. Inveſtigat motus omnes Filii ſui; omnia illius audit verba; videt ſe minime poſſe illi opem ferre; audit triſte illud *ſitio* ex ore morientis, & ne minimum quidem refrigerium illi conferre permiſſum eſt. Suſtinet quidquid patitur Filius ſuus; firma, & inconcuſſa manet; vellet mori cum Filio, & oportet, ut ſit illi ſuperſtes, *Stabat. Pater Texier in Sermonibus pro feſtivitatibus Mariæ Virginis.*

Jure Pictores noſtri ſingulis Martyribus appingunt proprium ſupplicii uniuſcujuſque inſtrumentum, Sancto Paulo gladium, Sancto Laurentio craticulam; cum vero agitur de hac Martyrum Regina, ponunt ſuper genua, vel inter ulnas Corpus mortuum Filii ſui, quaſi ad innuendum hoc illius tormentum eſſe, & proprium Martyrii ſui inſtrumentum. Cur hæc in re mihi deſunt pii Sancti Bonaventuræ ſenſus, ſicuti verba non deſunt! O ſuaviſſima Mater! hic Sanctus inquit, nonne ſatis erat Filium tuum immolari pro nobis? Cur voluiſti crucifigi cum illo? O Sacrum Mariæ cor ſedes amoris ſancti: cur mutatum eſt in abyſſum dolorum? O ſuaviſſimum cor amoris! Cur converſum es in *cor doloris*? O Virgo Sancta! quæro cor tuum in corde tuo, & non invenio, quoniam cordis loco quoddam invenio compoſitum ex felle, myrrha, & abſynthio: *Aſpicio cor tuum, & jam non eſt cor, ſed fel amarum, & myrrham, & abſynthium video*. Quæro Matrem Dei mei, & illam in Maria non amplius invenio; invenio ſolum ſpinas, clavos, lanceam, ſpongiam, fel, & acetum; nihil amplius agnoſco niſi ſputa opprobria, plagas, & Crucem. *Quia tota converſa es in iſta*. O Regina Virginum; o perfectiſſima filiarum Sion! ubi nam inveniam perſonas afflictas, quarum dolores ingentes cum tuis valeant comparari? *Cui comparabo te, Virgo Filia Sion, cui aſſimilabo te*. Sicut amor, quo proſequeris filium tuum, qui eſt Vir dolorum, parem non habet; ita dolor tuus nullum habuit unquam ſimilem. *Pater Texier in Quadrageſima.*

JESUS, ut ita dicam, fuit inſtrumentum Martyrii Sanctæ Matris ſuæ.

Thren. 2.

Circumſtantia, quæ hanc Sanctiſſimæ Virginis præſentiam magis torquebat, hæc fuit, quia videbat, ſe inutilem eſſe opem ferendo cariſſimo filio ſuo, O Mater Sancta, & caritate plena! quo in ſtatu reperitur cor tuum, cum videns Filium tuum viribus exhauſtum, & Sanguine cedere ſub immani Crucis pondere, non potuiſti illi ferre ſubſidium: vel cum conſiderans ſacratum illud Corpus, quod tanta cum reverentia attrectaveras, prorſus nudatum expoſitum oculis impudentiſſimæ plebis, & aeris incommoditatibus, ad illud accedere non poteras, ut tergeres illud. Quis fuit Mariæ dolor, eruditus inquit Interpres, videre Filium ſuum artubus omnibus laniatum, & non poſſe vulnera ejus vittis obligare, videre caput inclinatum, & illud ſuſtinere non poſſe? Videre illum plorantem, neque poſſe lacrymas abſtergere; videre animam efflantem, eumque non poſſe oſculari! *Vulnera non valebat alligare, nec pendulum caput ſuſtentare; nec flentem conſolari, nec Spiritum emittentem deoſculari. Idem.*

Doloris cumulus fuit in Virgine non poſſe opem ferre filio in ejus ſuppliciis.

Alia quoque notabilis circumſtantia eſt, dolores Sanctiſſimæ Virginis non deſiiſſe cum illis filii ſui, quia maternum cor illius adhuc perforatum fuit lancea crudeli, quæ poſt Mortem latus Salvatoris aperuit. Tunc, o Mater afflictiſſima, fuit, Sanctus Bernardus inquit, cum gladius ſecundum prophetiam, pertranſiit animam tuam. Cum lancea crudelis aperuit latus Filii tui mortui, anima ejus non erat amplius in corpore ejus, ſed in tuo. Quamobrem Ille non ſuſtinuit vulneris ejus dolorem, ſed tu, ut dicere poſſemus Martyrium compaſſionis tuæ diuturnius fuiſſe Martyrio paſſionis Filii tui: *Ut pluſquam Martyrem merito prædicemus, in qua ſenſum corporeæ paſſionis exceſſit affectus compaſſionis. Pater Texier in Quadrageſima.*

Maria recepit vulnus quod lancea inflixit lateri Salvatoris poſt Mortem ejus.

Quid non patitur Maria ad adſpectum Filii ſui morientis in Calvario? Videre illum affici morte crudeli pariter, ac turpi, magnus eſt doloris exceſſus; ſed videre illum patientem, atque morientem, quin ulla in re vel minimum illi ſolatium adferre valeat; e contra vero nihil facere, quam ingeminare dolores ejus præſentia ſua, & ab eo recedere non poſſe, hic abſolutiſſimus dolor eſt, cui nihil addi poteſt. Eſt etiam quoddam ſolatii genus Matri videnti Filium ſuum inter brachia ſua morientem, poſſe illi omne levamen afferre, quod maternus amor ſuggerere poteſt: ſed opus eſt, ut Matrum omnium amantiſſima, eadem ſit quoque omnium triſtiſſima, & ne leviſſimam quidem ſpeciem habeat conſolationis. Audit illa Filium de Cruce clamantem *Sitio*: Reminiſcitur ſe toties irrigaſſe labia ejus lacte virginalium uberum ſuorum; vellet convertere cor, animamque ſuam in liquorem, eique potum præbere, illum a crudeli hoc tormento liberatura: ſed ipſi non licet; & præterea dolorem habere debet videndi eum coram ſe felle, & aceto potatum. Quis cogitare poteſt, quantam hoc fel tribuerit cordi ejus amaritudinem! Videt Filium ſuum vulneribus ſaucium, & ne unum quidem poteſt alligare. Fluunt in terram torrentes pretioſi Sanguinis ſui, ubi profanatur pedibus carnificum, ipſa vero ne guttam quidem poteſt colligere. O Sanguis adorabilis! o pretioſe liquor! cujus minima pars pluris valet, quam centum Mundorum millia: itane conculcaris pedibus peccatorum! & Mater quæ juſtum illius pretium novit, has videt profanationes? Videt caput JESUS erga ſe incli-

Extremus doloris exceſſus fuit in Maria non poſſe conſolari Filium ſuum, & augere pœnas ejus ſua præſentia.

inclinatum, quaſi cum ipſa loqui vellet; oculi ejus lacrymis ſuffuſi mixtique Sanguine deſſuente ex fronte, lumine privantur; videt jam umbras mortis, jam labiis ejus inhærentes? Quam triſte eſt illud vale, quod illi dicit, in quo non gaudet conſolatione audiendi ſe Matrem vocari! S. Auguſtinus, qui dicit, amorem non reſpicere, quid facere poſſit, ſed ſibi perſuadere, ſe conſequi poſſe votorum ſummam; nobis deſcribit conatus, quos hæc incomparabilis, & deſolata Mater exeruit in exceſſu noviſſimo doloris ſui, deoſculatura Filium, quem extremum vitæ ſuæ ſpiritum emittere intuita eſt. Vellet illa ſaltem extrema ejus ſuſpiria recipere; ſua attollit brachia potius præ deſiderio, quam ſpe illum amplectendi; ſed hac fruſtatur conſolatione, & afflicta ejus brachia in ſe relabuntur. Amor impatiens efficit, ut iterum adnitatur; ſed o inanes fruſtrati amoris conatus! Quos dolores aſſertis cordi miſeræ Matris! *Volebat amplecti CHRISTUM in alto pendentem, ſed manus in ſe redibant.* O Mater ſuper omnes Matres deſolata! O Maria, immenſum amaritudinis Mare? Cur mihi non eſt aliquid ſaltem miſerationis tuæ, ut tecum ſaltem ſentiam partem aliquam extremorum dolorum tuorum? O cordis mei durities, quanta, & quam terribilis mihi videris! Quid, numquid durior ſum lapidibus? durior ipſis dæmonibus, qui præ metu, & horrore ad tanti ſpectaculi intuitum infremunt? Et cor meum eſt; & oculi mei illud intuendo exareſcunt. *Pater de Argentano Capucinus, in Theologicis Collationibus de Magnalibus SS. Virginis.*

Maria juxta Crucem imago eſt J. C. patientis.

Si ex S. Auguſtini ſententia glorioſa Virgo fuit imago perfecta Filii ſui, qui ſimul Deus erat; & homo, videtur mihi, addi poſſe, hanc nunquam melius illum repræſentaſſe, quam in ſtatu paſſionum ſuarum; quoniam ſecundum aliorum quorumdam Patrum ſententiam; Crux, & Calvarium, quod ſemper obverſatum eſt ob oculos ejus, fecerunt ipſam Crucem viventem, & animatum Calvarium, & hic doloris gladius qui aliquando tranſverberaturus erat cor, adhibitus fuit in paſſione dilecti hujus Filii, ut exprimeret in Matre viventem omnium dolorum ejus imaginem. Hoc profecto miraculum artis eſt, tali pacto cædere marmor, ut hominem repræſentet, & invictamarmoræ reluctantia in illo repræſentare omnia peculiaria lineamenta, ex quibus facile diſtinguatur, & agnoſcatur; ſed ad ſummum quæcumque ſit artis præſtantia, muta duntaxat efficit ſimulacra, & immota, quæ ſemper infinite diſtant a naturæ; ſed hic doloris gladius, quo Mariæ cor tranſverberatum eſt ſcalpro penetrabilior tranſiit uſque ad penitiorem partem animæ Matris hujus afflictæ, ut ex ea faceret perfectiſſimam imaginem paſſionum Filii ſui, ita ut cum audio Prophetam quærentem, utrum adſint dolores ſimiles illis, quos JESUS in Cruce ſuſtinet: *Attendite, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus:* libenter reſponderem me inveniſſe, quod quærit, dolorem ſimilem dolori JESU CHRISTI, quoniam quo magis Mariæ paſſiones accedunt ad illas Filii ſui, eo magis ſuperant paſſiones Martyrum omnium. *Auctor Sermonum in omnia Ethica argumenta.*

Thren. 1.

Fons doloris eſt amor, & de Mariæ dolore judicandum eſt ex amore, quo Filium ſuum complectebatur.

Prima paſſionum origo amor eſt. Hoc eſt primum earum principium; de hoc non licet ambigere; & Evangelium; ut nobis explicet Magnitudinem amoris Mariæ, teſtatur illam Matrem fuiſſe, & Filium ejus crucifixum fuiſſe: *Stabat juxta Crucem JESU Mater ejus.* Et profecto ſeu ſpectemus amorem ejus tamquam mere naturalem, qualis eſt ille, quo Matres omnes diligunt filios ſuos, ſeu cogitemus amorem hunc tamquam ſupernaturalem in Matre Dei ſui, ſive inſpiciamus in utroque ſtatu affectionem auctam ſexcentis favoribus, & beneficiis, quibus cor illius non affici minime poterat, ubique in Maria benevolentiam, & amorem nanciſcimur, ubique ego quoque triſtitiæ, & graviſſimi doloris argumentum reperio. Si enim hanc affectionem ex parte naturæ intueamur, memet continere non poſſum quo minus exclamem cum S. Ambroſio: *Matrem conſiderate, Matrem cogitate.* Vultis ne æquiſſimam vobis adſtruere ideam extremæ deſolationis perſonæ obrutæ pondere doloris ſui; vobis fingite Matrem jacturam filii facientem; & ſi plerumque dicitur, ſuave eſſe, & ſolatio plenum pati pro illo, qui amatur, dicendum eſt, Martyrium eſſe videre eum pati, qui diligitur unice. Quam ob rem S. Patres aſſerunt, Abraham toties mortuum fuiſſe, quot exceſſerunt momenta ab eo tempore, quo a Deo juſſus fuit ſacrificare filium ſuum uſque ad illud, quo Angelus brachium ejus coercuit; immo etiam illum totidem effeciſſe ſuimet ſacrificia, quot paſſus edidit, ut illum ad condictum locum adduceret. *Idem.*

Lib. 3. de Fide ad Gratian. c. 4.

Quam impreſſionem fecerit in corde Virginis propinquitas Crucis.

Sancta Virgo Filium ſuum ſubſecuta fuerat bajulantem Crucem ſuam per vias Jeruſalem, cumque ipſum aſſequi minime poſſet præ conferta populi turba qua ſepta erat, ingreſſa creditur diverticulum aliquod, ut deinde illum in Calvario expectaret. Re adhuc integra commota fuit miſero ſtatu Filii ſui, & ſenſus ſui ita confuſi ſunt, ut eos ſatis explicare non potuerit; & piæ Matronæ, quæ illam ſubſequebantur, videntes nullum ſibi locum eſſe conſolationi, conſilium inierunt lugendi. Concipi poteſt, quam impreſſionem in corde ejus pepererit hæc loci propinquitas; ſatis eſt ſibi Matrem fingere Filii ſui ſupplicio præſentem. Adſpectus hic illius auget dolorem, nec dubitandum eſt: in ceteris enim affectibus, ſi objectum ciet potentiam, doloris hoc ſingulare eſt, quod ad intuitum ejus rei, quæ dolorem infert, inceſſanter excitat miſerationem, cum nullus ſit ſenſus, qui adeo acrem efficiat in animo noſtro impreſſionem, quam oculi, nec qui formet nitidiores, & diſtinctiores objecti alicujus ideas. Hoc telum cordi eſt, quod ſemper altius ſe figit, quod inceſſanter refricat vulnus illatum, & quod illud in ſingula inſtaurat momenta, & prohibet ne convaleſcat. Verbo: Tantum differt dolor, quem nobis parit narratio mortis alicujus, quem diligimus, & illum, quo afficimur cum illum morientem intuemur; quantum telum eminus contortum, cujus apex obtuſus eſt, & aliud cominus vibratum, quod nos immediate fauciat. Mihi igitur fingo afflictam Matrem hanc juxta Crucem, quin avellere poſſim ſpiritum ejus ab violenta applicatione, quæ tenet omnes ſenſus illius attentos iis, quæ accidunt; ideoque omnes illius ſenſus torquentur propriis objectis: oculi quidem inauditis crudelitatibus, quæ exercentur in Filii ſui corpore: aures blaſphemiis, quas hæc ora ſacrilega evomunt contra illum: manus ejus attrectant, & complectuntur funeſtum lignum, cui ſuffixus eſt: circum illum non niſi carnifices videt; infra illum cruorem manantem: ſupra illum vulnera quorum ſingula vultus inferunt cordi ſuo. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Dolores Matris Dei refricantur quoties a nobis offenditur Filius ejus novis criminibus quibus iterum crucifigitur.

Quemadmodum JESU CHRISTI paſſio fuit magnum objectum dolorum Mariæ; nos quantum in nobis ſitum eſt inſtauramus dolores Sanctæ hujus Matris, cum peccamus contra leges Filii ſui, quoniam illum rurſus crucifigimus. Hæc igitur conſideratio vetat, ne augeamus pœnas ejus inſtaurantes illas Filii ſui recentibus noxiis, quæ eſſent illi acerbiores prioribus tormentis. Si quis ex carnificibus, qui Filium ſuum torquebant, acceſſiſſet oblaturus opellam ſuam Matri, & teſtatus fuiſſet dolorem ſuum, videns illam tam indigna pati, quibus oculis, veſtra quidem ſententia, creditis, hunc ab illa exceptandum fuiſſe? Hoc reſponderi poteſt illis, qui eidem placere adnituntur per aliquod devotionis exercitium, & obſequium, quod illi præſtant, niſi hæc devotio fulciatur ſanctitate morum, vel ſincero deſiderio vitæ genus mutandi. Si enim hæc prætexitur cauſſa, ut liberius æquo ducatur vita; vel ſi quis contendit in ſuis ſceleribus permanere, hic afficit injuria Matrem ſimul, & filium, & quomodo Apoſtolus aſſerit, hic innovat Crucem, & Mortem Filii Dei in ſemet ipſo; hoc eſt, aliquid confert paſſionibus Mariæ, ejuſque dolores inſtaurat, qui dimetiuntur ſecundum vim amoris ſui, & ſecundum conſtantiam, & firmitatem cordis; tantum abeſt ut illi ſolatium afferat, & conſolationem. *Idem.*

MYSTERIUM
ASSUMPTIONIS BEATÆ VIRGINIS.
MONITUM.

MYSTERIUM Aſſumptionis Beatæ Virginis, quæ modo celeberrima eſt omnium feſtivitatum, quas in ejus honorem colit Eccleſia, tria alia complectitur, quæ Concionator uno tantum Sermone comprehendere poteſt, vel in totidem diverſa partiri argumenta, quod efficere poſſunt, qui ſingulos in Octava dies Sermones lucubrantur. Hæ tres ejuſdem Myſterii partes, ſunt pretioſa mors Deiparæ, ejus in ſepulcro incorruptibilitas, cum celeri, & in anteceſſum maturata Reſurrectione, ac tandem triumphalis ingreſſus in Cælum, quæ proprie eſt ejus Aſſumptio. Hæc tria mihi propoſui colligens eam rerum copiam, quam hic publici juris facio, & quæ pluribus inſervire poteſt Sermonibus, admixtis ex morali diſciplina iis documentis, quæ utiles, & didaſcalicos poſſunt illos efficere.

Id unum moneo, ſicut tres hujus Myſterii partes ad eumdem ſcopum collimant, cenſuiſſe me nequaquam operæ pretium facturum inde tres diverſos titulos inſtituere; quod fortaſſe meliorem ordinem attuliſſet, ſed ex alia parte peperiſſet confuſionem, & negotium faceſſere potuiſſet quærentibus, quid in hac titulorum varietate proprium ſit argumenti de quo agitur. Quapropter ſatius eſſe duxi in tanta, ac tam uberi dicendi materia ſub ſingulis Paragraphis congerere, quidquid indiſcriminatim ad tres haſce partes pertinet, quaſi unum duntaxat conſtituerent argumentum, in commodum eorum, qui hujuſmodi collectaneis uti non dedignabuntur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus argumenti Synopſis.

I. QUANDOQUIDEM Eccleſia ſimul, eademque die celebrat Mortem, Reſurrectionem, ac triumphalem Aſſumptionem Deiparæ ne ſejungamus tria hæc Myſteria, quæ modicum temporis intervallum, quod illa ſecrevit in cauſa fuit, ut ſimul conjungerentur, & ſicuti tria hæc mea quidem ſententia, tria ſunt glorioſiſſima ſancti, divinique amoris effecta, æquo feretis animo, ea a me in unum Sermonis corpus conjungi, vobis oſtendendo 1. Ardentem Mariæ dilectionem erga Filium, Deumque ſuum ad tumulum eam redigiſſe per mortem, qua nulla fuit unquam ſanctior, aut religioſior, 2. Reciprocum amorem, quo hic idem Filius, & homo Matrem ſuam proſecutus eſt, illam ex tumulo eduxiſſe per Reſurrectionem præoccupatam, ut illam in gloriæ ſuæ partem vocaret. 3. Amorem, quo uterque homines dilexit, effeciſſe illam Patronam, Advocatam, & Mediatricem illorum in Cælo; quandoquidem in pompa triumphali Aſcenſionis ſuæ Filius ſuus illi communicat totam poteſtatem ſuam, qua jugiter utitur nobis opem latura. Hæc erit hujus Sermonis partitio, & in ſequentibus Paragraphis invenietur ſupellex ad eam exornandam.

II. De Morte Sanctæ Virginis, deſumptis pro Textu verbis illis *ex Pſalmo 115. Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*. Si morti Beatæ Virginis, turpis aliqua ineſſet macula, qualis eſt ceterorum hominum, quæ conſequens eſt, & pœna peccati: hodierna die eorum ſententiæ ſubſcriberem, qui Sanctam hanc creaturam non conſiderant, niſi in pompa Aſſumptionis ſuæ, & in honore triumphi: ſed cum Deiparæ ad ſublimem Empyrei verticem evectæ gloria deſumatur præcipue ex obitus ſui momento, quo ad altiſſimum ſuæ Sanctitatis faſtigium evaſit, fert animus vobis oſtendere quomodo mors ejus extiterit pretioſa coram Deo.

1. Per merita quæ illam præceſſerunt.

2. Per cauſſam mortis, & mirabilia, quæ illam concomitata ſunt.

3. Per gloriam, quæ illam excepit, & quæ incomprehenſibilis eſt.

III. Aſſumptis pro textu Canticorum verbis; *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens?* Videlicet: Quæ eſt iſta quæ de Mundo egreditur, ubi nihil eſt niſi miſeria, & afflictio Spiritus, quæ tamen inde conſolationibus, & deliciis affluens incedit? Sed quænam eſt iſta, quæ de hac Vita egrediens tanto cum gaudio, in Cælum tanta aſcendit cum pompa? quæ in corpore mortali naturæ ſuæ circumferens ſpiritum puriorem, quam perfectiſſimæ intelligentiæ gradum facit ab altiſſimo gratiæ ſtatu ad ſublimem gloriæ verticem, ita ut ſupra thronum ſuum non videat niſi ſolium dilecti ſui, ſuper quem nititur? *Innixa ſuper dilectum ſuum*. Ecce Chriſtiani quid hodierna die conſtituat admirationem Angelorum, & hominum; verum ſimul ac admirati fuerimus fulgentem hunc thronum, ſuper quem glorioſa hac die attollitur Maria, demittamus oculos in egenum hunc lectulum, ubi coram Apoſtolis divinitus congregatis, ut Matri divini Magiſtri ſui parentarent, expirat. 1. Ecce prototypus mortis ſanctiſſimæ, quem habemus in Mariæ morte, ut inde bene mori diſcamus.

2. Ecce prototypus incomparabilis gloriæ ad ciendum in nobis deſiderium in ejuſdem partem veniendi. Ita Maria moriens nobis perfectiſſimum præbebit exemplum ejus abalienationis, quæ nos morti præparare debet. Maria triumphans ſublimem nobis adſtruet ideam hujus gloriæ, quæ efficere debet, ut inceſſanter in Cælum anhelemus. *Ex Speciminibus orationum panegyricarum pro die Aſſumptionis, Synopſis prima.*

Maria optimam ſibi partem elegit, quæ non auferetur ab ea. IV. Myſterium Aſſumptionis antonomaſtice Myſterium eſt gloriæ Beatæ Virginis; ſed ſi illud nobis applicare noverimus, ac inde proficere, non minus eſt ſpei noſtræ Myſterium. Vulgo cum de Mariæ gloria agimus in duos errores incidimus; alter reſpicit media, per quæ ad illam pervenit; alter utilitatem, quæ inde nobis cedere debet. 1. Ut autem primum evitemus errorem, videamus quodnam ſit verum principium gloriæ, & beatitudinis Mariæ, hæc eſt prima pars. 2. Ut autem ab altero errore nos præſervemus, videamus quænam ſit menſura poteſtatis Mariæ, quæ pars eſt altera. Ecce unde ſimul ſpem noſtram excitare, ac regere poſſimus.

Quod pertinet ad partem primam; quodnam fuit verum principium Beatitudinis Mariæ; hoc eſt, cur Maria hodie in cælo glorificata fuit? Non ideo quia eſt Mater Dei; ſed 1. Quia fuit obediens, & fidelis Deo. 2. Quia humilis fuit coram Deo. Quia fuit obediens, & fidelis Deo; ita enim Mundi Salvator edixit, cum enim Mulier Evangelica dixiſſet illi: *Beatus venter, qui te portavit*; reſpondit illi, *quin immo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Luc. 11. Quibus verbis ſignificat, Sanctus Auguſtinus ait, obedientiam, & fidelitatem Mariæ conſtituiſſe beatitudinem illius, non autem divinam Maternitatem. Quod autem tunc Mariæ felicitatem, hoc mox illius in Cælo gloriam conſtituit. Fuiſſe Dei Matrem, hæc felicitas eſt, quam recepit Maria; ſed Deo fidelem fuiſſe, hoc meritum fuit, & Deus in Matre ſua non niſi meritum coronat.

Principium alterum eſt, quia humilis eſt: quo in ſenſu accipit Sanctus Ambroſius hæc Mariæ verba: Luc. 1. *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, ex hoc, immo propter hoc præſertim me Beatam vocabunt. Angeli, S. Bernardus ait, videntes Mariam in Cælum cum pompa aſcendentem, cum Sponſæ ſociis exclamarunt: *Quæ eſt iſta?* Sed illis reddi potuiſſet quod S. Paulus dicebat de Filio Dei: *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit?* ad Epheſ. 4. Sublata eſt,

quia

quia ſeſe exinanivit. Ita verum eſt proximam cauſſam beatitudinis Mariæ, non fuiſſe ipſam Dei Maternitatem, eamque partim fidelitati ejus, & partim humilitati debitam eſſe.

Quod ad alteram partem ſpectat; quænam eſt in Cælo poteſtas Mariæ, ut nobis opituletur? Certum eſt poſſe nos ſanctè, & utiliter Deiparam invocare: Si enim ad illam confugere licebat, cum erat in terra, & illius adhibebatur mediatio apud JESUM CHRISTUM ad obtinendas ab illo gratias; nunc cum in Cælo eſt, minus liceret? 1. Numquid nollet ipſa pro nobis intercedere? Sed in Cælo Caritas ejus eſt ardentior, quam antea. 2. An nobis opem ferre non poteſt? Sed in gloriæ ſuæ ſtatu minus potens erit, quam erat inter nos, & in loco exilii? 3. An non novit illa melius noſtras neceſſitates, & non audit amplius preces noſtras? Sed Angeli, quibus credidit Deus curam noſtrum, nos audiunt. 4. Numquid uſus invocandi illam lædit honorem Dei? Hic bipalmaris eſt error: illam enim invocamus non tamquam illam, cujus eſt gratiam impartiri, ſed tamquam eam, quæ pro nobis illam obtinere poteſt. Poſſumus ergo Mariam invocare, & hoc jus ad eam confugiendi firmiſſimum eſt ſpei noſtræ fundamentum. In hac Virgine habemus 1. Advocatam omnipotentem apud Filium ſuum Judicem noſtrum; & cum omnipotentem dicimus, non intelligimus, quaſi eſſet ſuper Filium ſuum; ſed illam a Filio ſuo omnia obtinere poſſe, tum per dignitatis ſuæ præeminentiam, tum per meritum perſonale. 2. Matrem Miſericordiæ pro peccatoribus; quia peccatoribus ipſis debet quodammodo omnem gloriam ſuam. Hæc noſtra quidem ſpes eſt; ſed quinam ſpei hujus abuſus? Quid nobis non audemus polliceri? 1. Gratias chimericas, & impoſſibiles. 2. Gratias poſſibiles quidem, ſed miraculoſas. 3. Bona quæ nos ſanctificare minime poſſunt, & multo facilius nos poſſunt prævertere. 4. Gratias ſecundum libidinem noſtram, & corrupta cordia noſtri deſideria. Speremus; ſed ſpes noſtra juſta ſit, & ordinata. *Hoc argumentum eſt, & ordo Sermonis Patris Bourdalove in hoc Myſterio.*

V. *JESUS intravit in quoddam caſtellum, & Mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Luc.* 10. Non ſine Myſterio Eccleſia litteralem horum verborum ſenſum mutat in Myſticum, ut illa applicet Sanctæ Virgini, cujus hodierna die Aſſumptionem colimus. Hæc mulier, quæ domi ſuæ JESUM CHRISTUM recipere digna habita eſt, non eſt alia niſi S. Virgo, quæ illi commodaverit caſtum uterum ſuum, tamquam digniſſimam manſionem, quam Deus invenire poſſet in terra; & quia Maria domi ſuæ JESUM CHRISTUM hodie recipit, hic ditat omnibus gloriæ prærogativis jam omnibus gratiæ muneribus decoratam. Has autem prærogativas ad tres præcipuas redigo.

Prima eſt corporis in ſepulcro incorruptibilitas.

Altera eſt beata reſurrectio ante tempus Reſurrectioni generali omnium hominum deſtinatum.

Tertia eſt triumphalis ejus in Cælum exaltatio ad dexteram Filii, ubi cumulata eſt omnibus theſauris & omnibus divitiis divinitatis. *Ex ſpeciminibus Orationum Panegyricarum.*

VI. Aſſumendo pro textu verba illa ex 3. Reg. lib. c. 2. *Poſitus eſt thronus Matri Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus.* Nonnulli qui majorem habent curioſitatem ſciendi gradum gloriæ, quem poſſident Sancti, quam ſollicitudinem ſequendi eorum exempla, ut gloriæ ipſorum participes fiant, quærunt cuinam debeantur prima in Cælo ſubſellia. Mater ambitioſa, de qua ſermo eſt in Evangelio, illa pro duobus filiis ſuis depopoſcit: *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Cui Dei Filius reſpondit, ſuum non eſſe illis gratificari; & ſedes adeo ſublimes reſervari a Cæleſti Patre illis, quibus eas deſtinaverat ab æterno. Non defuerunt tamen nonnulli adeo parum prudentes, qui prima cælorum ſubſellia ſecundum libidinem, & animi ſtudium aſſignarunt, alii quidem S. Joanni Baptiſtæ ea alii S. Patriarchis, & Prophetis legis antiquæ; alii Apoſtolis, & alii demum Martyribus, qui illa Sanguinis ſui pretio ſibi comparaverunt. Quamvis autem ad Cæleſtem Patrem attineat ſtatuere, quibus primi illi debeantur recubitus; dicere audeo, quin ordinem ſuum cuique negemus, ſeu Patriarchis, ſeu Prophetis, ſeu Apoſtolis, ſeu Martyribus, 1. Primam ſedem illam, primumque ſolium deberi glorioſæ Virgini propter dignitatem Matris Dei; & ipſam illius poſſeſſionem adiiſſe triumphali die ſuæ Aſſumptionis. 2. Cum illa ſuis meritis, hoc eſt fidelitate ſua, amoris magnitudine, & rebus præclare geſtis incomparabilem hanc dignitatem ſuſtinuerit, juſtitiæ titulo, juſtæque retributionis illam ſedere ad dexteram Filii ſui, atque in primo hoc throno, ubi recipit cultum, & venerationem totius aulæ Cæleſtis. *Hæc eſt partitio Auctoris Sermonum in omnia argumenta, in octava Aſſumptionis.*

Math. 20.

VII. Hominum ſalus ſemper Deo ita chara fuit, ut hic in operibus ſuis unam hanc quæſiviſſe videatur. Quam ob rem ſi hodierna die Mariam attollit in Cælum, hoc præſtat non ſolum ut ſuæ gloriæ conſulat, verum etiam & noſtræ. Noſtram ſuæ admiſcet utilitatem; & ſi Matrem locat in ſolio, ſi illam conſtituit ad dexteram ſuam, ſi illam facit Cæli, terræque dominam, ſi meliorem illi partem tribuit in gratia ſua, hoc fit, ut in urgentioribus neceſſitatibus noſtris illam effundat in nos, eo præſertim tempore, a quo noſtra pendet æternitas. Quoniam vero Deus in hoc Myſterio nequaquam ſejunxit hominum bona, a Mariæ gloria, ne ipſi quoque illa in hoc Sermone ſeparemus; & oſtendimus diei hujus celebritatem fœcundum eſſe gloriæ fontem pro Maria, pro hominibus vero gratiarum, ac beneficiorum.

1. Diei hujus celebritas pro Maria fons eſt gloriæ, ſeu ſpectetur in die obitus ſui tamquam morti obnoxia, ſeu tamquam victria de morte in ſua Reſurrectione, ſeu tamquam Regina in ſua Coronatione; quod in priori puncto oſtendendum eſt.

2. Diei hujus celebritas fons uberrimus eſt gratiarum, & bonorum pro hominibus; namque ad exemplum Filii ſui, qui in Aſcenſionis ſuæ triumpho *dona dedit hominibus*, ut aſſerit S. Paulus; Maria non utitur libentius facultate, quam recipit a Deo in glorioſa hac ſolemnitate, quam ut communicet iiſdem hominibus bona quibus a Deo cumulatur in glorioſa hac ſolemnitate. Ad hæc quemadmodum per Reſurrectionem ſuam præoccupatam, liberata eſt a vitæ hujus mortalis miſeriis, illa nobis procurat gratias, & neceſſaria ſubſidia ad evitanda pericula, quæ inceſſanter ſubimus in æternum pereundi. Denique cum obtinuerit illa gloriæ poſſeſſionem, mors nullam habet poteſtatem in illam, quemadmodum neque in Filium ejus: *Mors illi ultra non dominabitur.* Dignatur illas ſuas curas impendere nobis opem latura in articulo Mortis, ut nos contra inimicos noſtros tueatur, qui tunc omnes conatus exerunt, nos perditum &c.

Ut aliquam nobiſmet adſtruamus imaginem gloriæ, ad quam Maria ſublata fuit hac die ſuæ Aſſumptionis atque triumphi, Evangelium nos docet tres Veritates, quæ nobis normam præbere poſſunt, ut de elationis hujus faſtigio judicium feramus. VIII.

Prima eſt gratia Sanctificans, quæ eſt menſura gloriæ illi reſpondens, & ut inquiunt Theologi, eſt tamquam gloria incepta; ita ut ſicuti Intellectus nequit concipere gradum gratiæ, quem aſſecuta eſt in fine vitæ ſuæ, poſtquam jugem fecit progreſſum in ſingula momenta; hæc æquior eſt idea, quæ concipi valeat de illius gloria, dicere hanc eſſe incomprehenſibilem, & poſt gloriam filii, quæ infinita eſt, nullam eſſe, quæ cum ipſa valeat comparari.

Secunda regula eſt profunda ejus humilitas, quæ ſemper hanc gratiam ſubſecuta eſt, & hanc illi promeruit. Ipſe Dei Filius hanc nos docuit Veritatem: *Qui ſe humiliat, exaltabitur*, ex qua Doctores omnes arguunt: quo magis quiſque in terra ſe humiliat, eo magis in Cælum exaltari. Ita profunditas humilitatis Mariæ juſta eſt menſura elevationis ejus; & hæc haurienda concluſio eſt, ſicuti Maria deſcendit ad extremum uſque humiliationis gradum, conſiderans ſe tamquam ancillam Domini, modo colitur, & habetur tamquam Regina, & Domina univerſorum. Math. 23.

Tertia veritas, quæ nobis eſſe debet tamquam gradus, per quem aſcendamus ad cognitionem beatitudinis, & gloriæ Mariæ, eſt Magnitudo paſſionum illius; nihil enim in Scripturis eſt hoc axiomate certius; momentum pœnæ propter Deum ſublatæ excipi pondere, ac remuneratione gloriæ æternæ. Cogitate autem dolores, vel potius Martyrium, quod ſubiit per totum ferme vitæ ſuæ ſpatium, & arguite, ſicuti illa magis particeps fuit Crucis Domini, & paſſionum Filii ſui, ita illam magis gloriæ ejuſdem futuram participem.

Hodie quæ Vitam Mundo dedit, de Mundo per beatam Mortem egreſſa eſt. Hodie arca Dei Myſtica vivens ſedem accepit in auguſto Templo divinitatis; hodie Mater Dei ſedit ad dexteram Filii ſui: hodie Patris Æterni Filia poſſeſſionem adiit Regni Cælorum, & Spiritus Sancti Sponſa ingreſſa eſt in communicationem gloriæ, & bonorum omnium Sponſi ſui. Verbo, hodie incomparabilis Maria coronata eſt Regina Angelorum, & hominum, & poſita in throno, qui illi præparatus fuerat ſuper omnes Spiritus. Sed cum Angelorum tantum ſit loqui de S. Virginis triumpho, qui digni habiti ſunt illum videre, ejuſque partem conſtituere, mihi ſatis eſt, quin fuſius de eo ſermonem inſtituam, vel illius jucundam hypothipoſim exhibeam, in qua plus ſit imaginationis quam Veritatis; mihi, inquam, ſatis eſt dicere generatim, & in hoc ſermone vobis oſtendere, gloriam, cujus B. Virgo poſſeſſionem ingreditur congruam eſſe. IX.

1. Virtutibus, quæ conſtituerunt meritum incomparabilis hujus Deiparæ.

2. Amori, & potentiæ Filii ſui, qui hinc quidem plus dilexit Matrem ſuam, quam omnes ſimul creaturas, inde vero infinitam habet poteſtatem, & non alios conſtituit terminos ſuæ liberalitatis, quam illos ſui amo-

amoris; Hæc duplex eſt regula, quam ſequi poſſumus ad judicium ferendum de gloria Mariæ in hoc glorioſo die ſuæ Aſſumptionis.

X. Pro textu aſſumi poſſunt verba ex Evangelio hujus diei: *Maria optimam partem elegit*, & oſtendi tria incomparabilia bona, quæ optimam conſtituerunt partem Mariæ, & quæ illam beatiſſimam, & præ ceteris creaturis cumulatiſſimam effecerunt.

Primum ex his bonis eſt vitæ Sanctitas, qua poſt Filium ſuum nemo Sanctiorem duxit in terris, cum ille Deus ſimul eſſet, & homo.

Alterum eſt mors pretioſiſſima in oculis Dei, quæ illam diſtinxit a morte aliorum ſanctorum, ſeu propter cauſſam, ſeu propter circumſtantias.

Tertium eſt prima ſedes, ac ſublimior in Cælo, ubi ſedet ad dexteram Filii ſui; & in throno illi proximo, quod reddit gloriam ejus incomparabilem, & perſonam ejus dignam cultu, & veneratione Angelorum, & hominum. Ad fructum ex hoc ſermone percipiendum, ex priori puncto conſequitur, Sanctitatem Mariæ nobis eſſe debere exempli loco, ut efficiamur digni hujus dignæ Matris Filii; ex altero infertur, pretioſam illius mortem præter beatitudinem contuliſſe illi generalem veluti præfecturam ſuper omnium juſtorum Mortem, & ſingillatim ſuper illam fidelium Servorum ſuorum; quapropter omnes ſuas curas impendit; ut illis adſit, & opituletur in extremo hoc tranſitu, ubi de illorum agitur æternitate. Ex tertio tandem inferendum eſt eo io loco, quem tenet in Cælo, ubi ſedet ad dexteram Filii ſui, & prope illum, nequaquam oblivisci noſtrum, ſed ſuam nobis protectionem, & gratiam conferre, ut ad beatum terminum, quo tendimus, perveniamus; ita ut poſt Dei Filium, Mariæ æternam felicitatem noſtram debeamus.

XI. Oſtendere etiam poſſumus Mariam ſibi optimam partem elegiſſe. *Maria optimam partem elegit.*

Primum quidem in vita per Virtutum, & Sanctitatis plenitudinem. 1. Quærens quod unice neceſſarium eſt; reſpondens magnis Dei beneficiis per magnas retributiones; & utens Cæli benedictionibus tanta fidelitate, ut illæ perſeverantiæ dono fuerint coronatæ. 2. Adnectens virtutes, quas Maria, & Martha ſimul conſociare non valuerunt, donum contemplationis cum actione; nunquam diſſipata operibus caritatis; ſemper in actione, & in conſpectu Dei, a quo nunquam recedebat; ex ipſis officiis, quæ præſtabat proximo, rationem ſibi propriam hauriens ſeſe colligendi, ac ſemet in Dei ſinu ſervandi. Illa igitur optimam partem elegit.

Secundo: optimam poſſedit partem in Morte, veluti vitæ adeo Sanctæ remunerationem. 1. Quia cum ab omni crimine immunis fuerit ab initio ſuæ Conceptionis, ac toto vitæ ſuæ ſpatio, & locus non fuit metuendi de ſalute ſua; procul omnis receſſerat incertitudo, & in hujus locum certitudo ſucceſſerat, cum bona illius opera in ea confidentiam peperiſſent. *Et laudent eam in portis opera ejus.* 2. Non experta eſt animæ convulſiones, quæ ægre ſeparatur a corpore, cui intime adhæſerat; ſed mors ejus ſuavis extitit ſomnus tranſeuntis de requie in requiem majorem, de pace cordis, qua jam fruebatur ad æternam hanc pacem, quam homines nec dare poſſunt, nec auferre. *Qua etiam in re Maria optimam partem elegit.* Elogii hiſtorica Tom. 3. Proverb 31.

XII. In verba illa: *Poſitus eſt thronus Matri Regis: quæ ſedit a dextris ejus. 3. Reg. c. 2.* quæ quidem dicta ſunt de Bethſabea Matre Salomonis, & transferri poſſunt ad Mariam JESU CHRISTI Matrem probando in altera quidem parte, Thronum hunc debitum fuiſſe dignitati Matris Dei; In altera vero, Mariæ Virtutibus, & fidelitati.

In parte prima. Dico, jus, quod habet hac triumphi ſui die ad primum Cæli thronum obtinendum, potiſſimum inniti ſuper Deiparæ dignitatem; quæ nullam habet partem, & cui nihil comparari poteſt: cumque hic ſit altiſſimus honoris gradus, ad quem mera creatura poſſit attolli, & qui ſupra ſe Deum habet unum, nonne ſequitur, hodierna die illam conſiderandam eſſe tamquam ſedentem a dextris Filii ſui, qui Deus eſt ſimul & homo, & poſitam in altiſſimo Cæli faſtigio? quandoquidem hic locus eſt tantæ debitus dignitati: Ordo eſt a Deo conſtitutus, ut omnia collocentur ſecundum naturæ ſuæ præexcellentiam, vel eam dignitatem, ad quam illam Creator evexit. Hoc principio ſuffulti dicimus, nobiliores Intelligentias primos obtinere recubitus inter diverſos ordines Angelorum. Hinc oritur ſubordinatio, quam videmus in natura, ubi Deo placuit collocare Cælum ſuper terram, & videmus inter elementa & quæ ſubtiliora, & puriora ſunt, eſſe etiam elatiora. Hic de cauſſa tandem in Mundo politico, & civili ſingula tenent ordinem, & ſitum, quem illis tradit nativitas, qualitas, vel miniſterium, quod alia ſuper alia exercent. Ita dicere poſſumus glorioſa hac die Veritatem adimpleri ejus rei, quæ olim repræſentata fuit in figura; videlicet tunc cum Salomon ſedit in Solio, juſſiſſe alterum extrui Matri ſuæ, quam ſibi a dextris ſedere voluit, & cum illa gloriam ſuam, & poteſtatem partiretur: *Poſitus eſt thronus Matris Regis, quæ ſedit a dextris ejus.* Alia omitto jura, quæ felix hæc creatura obtinet ad ſublimem hunc honoris gradum; puta, arctum foedus quod cum divinitate contraxit in Verbi Incarnatione, auctoritatem, quam illi contulit qualitas Matris ſupra Filium ſuum Deum, & hominem, communitatem bonorum, & honorum quæ adeſt Matrem inter, & Filium: Officium urbanitatis, quod poſtulat, ut Filius Matrem vocet in ſocietatem gloriæ, & dignitatis; excellentiam gratiæ, quam Maria in terra poſſedit, & cui reſpondere debet par gloriæ gradus in Cælo; & conſequenter gradus diſtinctus. Hæc totidem jura ſunt ad primam ſedem illam, de qua verba facimus, & quæ fuſius ſunt explicanda. Quod vero inde ad noſtram eruditionem inferendum eſt, illud eſt, quod quamvis nemini liceat ad eum gloriæ gradum admitti, ad quem hodie aſcendit Maria, tamen non poſſe, & audeo dicere nos debere per ſanctam ambitionem contendere ad primos cæli recubitus; ſupereſſe adhuc ſedes vacuas, quæ ambitioſiſſimis deſideriis noſtris ſatisfacere poſſint; noſtrum eſſe illas promereri. Hoc eximium eſt diſciplinæ moralis argumentum, in lucem proferendum, atque amplificandum.

Pars altera. Cum viderimus qualitatem Deiparæ contuliſſe Beatiſſimæ Virgini jus certiſſimum ad primam Cæli ſedem, & ſublimem gradum, quem tenet in gloria præ omnibus Spiritibus, & iis omnibus quæ mere creata ſunt, ne hæc gloriæ diſtinctio meræ gratiæ tribuatur accepta: videamus ſi vobis lubet, quomodo per fidelitatem ſuam, per merita, & caritatem, & officia, quæ præſtitit Filio ſuo Deo & homini, nequaquam ſe indignam præbuerit ea, quam occupat, ſede; ſed e contra in remunerationem a Deo homine evectam fuiſſe ad ſupremum hunc apicem gloriæ. Profecto de dignitate Matris Dei, ut de aliarum matrum dignitate ſentiendum eſt, quæ in lucem aliquem hujus terræ principem ediderunt: In illis enim mera dignitas eſt, quæ illis reverentiam quidem conciliat, ſed quas non ideo efficit perfectiores. Non, inquam, pariter ſentiendum eſt de Verbi Incarnati Matre; hæc enim dignitas, quæ illam attollit ſuper homines, & Angelos, ſuffulta fuit congruis meritis, quæ illam effecere creaturarum omnium ſanctiſſimam perfectiſſimamque. Quam ob rem ſi hæc divina maternitas conſideraretur ſeparata a gratiis, & meritis quæ illam concomitantur; qualitas Filiorum Dei, quam gratia nobis impertit, eſſet illi præferenda: ſed cum Maria ſimul fuerit adoptiva Æterni Patris Filia modo præſtantiſſimo, & repleta fuerit hac gratia, quæ illam Sponſam fecit Spiritus Sancti, ac tandem habuerit merita huic dignitati congrua, ſequitur primam hanc in Cælo ſedem merito ejus deberi, quo facta eſt digna tanto gloriæ faſtigio, ſuper primum Cæli Solium evecta. XIII.

Quin latius verba faciam de incomprehenſibili gratiæ menſura, quam Maria in terris poſſedit, & quæ effecit, ut altum hunc honoris gradum mereretur, dico, meritum, quo hanc ſuſtinuit dignitatem præcipue tribus in rebus conſiſtere, 1. Quia omnia obiit ſollicitæ Matris officia per amorem tenerum erga Filium ſuum. 2. Per curas ſuſceptas, ut omnibus neceſſitatibus ejus non ita brevi temporis intervallo conſuleret. 3. Per auxilium quod præſtitit illi ad eum finem, quem ſibi propoſuit veniendi in terram; hoc eſt; de merito ejus judicium ferendum eſt ex amore, quo Deum ſuum eſt proſecuta, ex opera, quam illi præſtitit, & laboribus, quos cum illo partita eſt &c.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia poteſt ad propoſita Sermonum Synopſes exornandas. Et Auctores, qui de hoc agunt Myſterio.

SANCTUS AUGUSTINUS duas habet homilias in hujus diei Feſti Evangelium, ubi S. Virginis applicat, quod de duobus Sororibus Martha & Maria dictum eſt. Sancti Patres.

Idem in ſermone 83. *de diverſis*, ſcribit Elogium hujus ſolemnitatis in quo declarat ſententiam ſuam de veritate Reſurrectionis, & de S. Virginis Aſſumptionis.

S. Hieronymus *in Epiſt. ad Paulam, & Euſtochium*, teſtatur ævo ſuo oſtendi conſueviſſe ſepulcrum, in quo S. Virgo poſita fuit in valle Joſaphat; ſed ſepulcrum illud vacuum fuiſſe.

Idem Tomo 9. in Sermone, qui Sophronio tribuitur, præcipue loquitur de Reſurrectione, & Aſſumptione Mariæ in corpore, & anima.

Venerabilis Beda, *Tomo 7. variorum Sermonum*, unum habet de Aſſumptionis Myſterio.

S. Joannes Damaſcenus, duos habet Sermones, alterum de morte S. Virginis, ubi loquitur de Sanctitate, & meritis, quæ præceſſerunt, & mortem ejus pretioſam effecerunt; alterum de gloria Aſſumptionis, ubi hujus Myſterii veritatem probat.

San-

Sanctus Ildephonſus in Biblioth. veterum Patrum Tom. 9. ſeptem habet de hac feſtivitate Sermones.

Hugo de Sancto Victore Tomo 2. quatuor habet Sermones hujus argumenti.

Sanctus Bernardus *in ſerm. de temp.* habet Sermones 5. in Evangelium hujus diei, ſed in primo tantum ſermo eſt de Aſſumptione, ac triumpho Sanctæ Virginis.

Albertus Magnus Sermonem edidit in ea Evangelii verba: *Intravit JESUS in quoddam Caſtellum*.

Idem alium in hæc verba: *quæ eſt iſta quæ progreditur*, ubi loquitur de prærogativis Beatæ Virginis.

S. Bernardinus Senneſis Sermonem habet de ſolemnitate Aſſumptionis.

Idem alium habet Sermonem, ubi peculiariter agit de illius ſuper omnes creaturas elatione.

Cardinalis Petrus Damiani in hujus argumenti Sermone comparat Virginis Aſſumptionem, cum Aſcenſione Salvatoris.

S. Thomas Sermonem habet de hujus diei feſti ſolemnitate, præter ea, quæ habentur in Summa.

Guillelmus Pariſienſis duos habet ejuſdem argumenti Sermones.

Abbas Guerticus tres habet Sermones hujus argumenti.

Dionyſius Carthuſianus duos in idem Evangelium.

Papa Innocentius III. duos.

S. Laurentius Juſtinianus unum de pompa, & gloria Aſſumptionis S. Virginis.

S. Odilon Abbas unum de eodem Myſterio.

S. Thomas Villanovanus quatuor habet Sermones hujus argumenti.

Lanſpergius. *Tom. 2. Conc. 6.*

Leo Imperator in operibus ſuis eximiam habet homiliam de Aſſumptione.

D. Amedæus Lauſanenſis, *de Virginis obitu, & Aſſumptione in Cœlum.*

S. Anſelmus habet homiliam in hujus diei Evangelium.

Affectus aliique.

Pater Poire in triplici corona *tract. 1. cap. 21.* ubi oſtendit Sanctam Virginem eſſe gloriæ miraculum, fuſius tractavit de hoc Myſterio Aſſumptionis, ubi nihil prætermiſiſſe videtur, quod ad argumentum pertineret.

Granatenſis in Medit. de Vita Domini noſtri agit de Virginis Aſſumptione.

Pater a Ponte *in 5. parte Medit. de Fide, Medit. 35.* fuſe loquitur de hoc Myſterio, de elevatione Mariæ ſuper Angelos, de gloria ejus eſſentiali, & de illius Coronatione.

Idem in *Medit. ſuperiori, quæ eſt 34.* verba facit de beata Morte Virginis ejuſdem, cujus cauſſas, & miracula narrat.

Idem in *Medit. 36.* conſiderat Aſſumptionem Virginis ſecundum corpus, & locum quem habet in Cælo.

Idem in *Medit. 27.* oſtendit Mariam humilitate ſua meruiſſe ſuper Angelos elevari.

Pater de Argentano in Collationibus de Magnalibus Virginis. Collatio 26. eſt de Morte, & Reſurrectione Virginis.

Collatio 27. de Aſſumptione, & 28. de ſupremo dominio S. Virginis in Cælo.

Pater Novet in Tomo Medit. cui titulus. Vita JESU in Sanctis, plures habet Meditationes de Morte, & Aſſumptione Deiparæ.

Pater le Valois Tomo 4. operum aſceticorum, devotiſſimum habet alloquium de Aſſumptione.

P. Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus Tomo 3.

Quicumque ediderunt Meditationes de Myſteriis Domini, Dominæque noſtræ.

Concionatores recentes.

Suarez Tomo 2. de Myſteriis diſput. 21. de Morte, & Aſſumptione B. Virginis.

Pater Theophylus Renaut in Dipthic. Marianis Puncto 10.

P. Bourdalove in Tomo 2. Myſteriorum eximium habet Sermonem de Aſſumptione.

Biroat in Panegyricis B. Virginis duos habet.

Pater le Jeune Oratorii Presbyter unum habet de Morte, alterum de Reſurrectione, tertium de Aſſumptione.

Pater de la Colombiere in Tomo 2. Sermonum, unum habet de Aſſumptione.

Pater Texier in Tomo Myſteriorum B. Virginis.

P. Duneau duos habet Sermones hujus argumenti.

Abbas de Monmorel homiliam habet, & ſermonem hujus argumenti.

Lambert Tomo 7. Anni Evangelici habet Homiliam.

In hiſtoricis Sanctorum Elogiis Tomo 3. ſermo eſt de Aſſumptione Virginis.

In ſpeciminibus Sanctorum tres ſunt in Tomo 2.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. integram habet Octavam de Aſſumptione, cujus ſermo primus eſt de ingreſſu Virginis in Cælum, & de ejus triumpho; 2. de pretioſa illius Morte; 3. de illius incorruptibilitate in ſepulcro, & præoccupata reſurrectione; 4. de Magnitudine gloriæ, quæ innititur dignitati Matris Dei; 5. de menſura gloriæ, quæ innititur gratiæ, quam in terra poſſedit; 6. de menſura elevationis ejus in Cælo deſumpta ex profunditate ſuæ humilitatis; 7. de menſura gloriæ ſuæ deſumpta ex Magnitudine paſſionum ſuarum ſuper terram; 8. qui eſt in Tomo 2. Myſteriorum de protectione, quam Virgo in Cælum aſſumpta tribuit hominibus ſuper terram.

Qui collectanea ediderunt.

Labatha. *Titulo Maria.*

Polianthea Sacra. *Titulo Maria Virgo Deipara.*

Lohner. In *Hyperdulia Mariana Titulo Maria.*

Diſcurſus Prædicabiles ſuper Litanias Lauretanas: *Diſcurſu 342.*

Theophylus Renaudus. *Loco jam citato.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Scripturarum huic argumento.

P*retioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Pſalm. 115.

Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Pſalmus 15.

Erit ſepulcrum ejus glorioſum. Iſaiæ 11.

Poſitus eſt thronus Matri Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus. 3. Reg. c. 2.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Pſalmus 119.

Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam! Pſalmus 41.

Educ de cuſtodia animam meam. Pſalm. 142.

Sanctificavit Tabernaculum ſuum Altiſſimus. Pſalmus 45.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Cant. 8.

Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulcra ut luna, electa ut Sol? Cant. 6.

Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum CHRISTO; Ad Philipp. 1.

Apertum eſt Templum Dei in Cælo, & viſa eſt arca teſtamenti ejus in Templo ejus. Apocal. 12.

Signum magnum apparuit in Cælo, Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus. Apoc. 12.

Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix ſuper Choros Angelorum. In Officio B. Virginis.

Veni electa mea, & ponam in te thronum meum. Ibidem.

In omnibus requiem quæſivi, & in hæreditate Domini morabor; tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium & qui creavit me, requievit in Tabernaculo meo, & dixit mihi: in Jacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices. Eccli. 24.

Et ſic in Sion firmata ſum, & in civitate Sancta ſimiliter requievi, & in Jeruſalem poteſtas mea, & radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. Ibidem.

Intravit JESUS in quoddam Caſtellum; & Mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum ſuam, & huic erat Soror, nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Luc. 2.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. 10.

Aſtitit Regina a dextris tuis. Pſalm. 44.

Exempla, & Figuræ ex Veteri, & novo Teſtamento.

Maria efflavit animam in manu Dei, ſicut de Moyſe dictum eſt, mortua eſt in oſculo Domini.

SCRIPTURA perhibet teſtimonium gloriæ Moyſis, & familiarem Dei amicum animam exſpiraſſe non in doloroſo mortis agone, ſed in ſuaviſſimo oſculo Dei ſui. Credendum ne eſt, eximios favores, quos Deus aliquando largitus eſt paucis ex præcipuis famulis ſuis, negatos fuiſſe Matri ſuæ? Dicere igitur poſſumus Sanctiſſimam Virginem mortuam eſſe in oſculo Domini, videlicet per violentum conatum amoris Dei ſui, qui ſeparavit animam ejus a corpore. Profecto amor Dei fuit cauſſa hujus mortis glorioſæ; neque enim mortua eſt tamquam filia Adæ, neque propter originale peccatum; mori in ea non fuit neceſſitas, vel pœna, aut natura; hæc igitur eſſe non potuit niſi neceſſitas, & lex amoris divini, quæ illam morti ſubjecerit. Non debebat illa immunis eſſe a naturali lege, quæ ſubjicit fatali huic neceſſitati moriendi omnes homines; cum enim Filius ejus noluerit immunis eſſe ab eadem, quamvis peccare non poſſet, & ad hæc ſupremus eſſet arbiter vitæ, & mortis; non erat æquum, ut Mater ejus, quæ non erat niſi mera creatura, hac in re Creatori præſtaret. Quod vero Filius fecit, ut Matrem ſuam glorificaret in hac ipſa morte; hoc eſt, quod illam glorioſam reddidit per nobiliſſimum, & præſtantiſſimum genus mortis, quale eſt moriendi

non ſolum in caritate, quod Sanctis omnibus commune eſt, nec pro ipſa caritate, quod proprium eſt Martyrum; ſed per eamdem Caritatem, & puriſſimum amorem Dei, quod poteſt oſculum Domini appellari: qua in re Maria majus præ ipſo Moyſe privilegium obtinuit vulnerata jaculis divinæ hujus caritatis, de qua loquitur Sponſa Canticorum: *Caritate vulnerata ſum*. Vulnus quod accepit mortale fuit, ita ut poſtquam diutius elanguit, tandem ad tumulum adducta fuerit!

Ardens Virgi[illegible] deſiderium videndi Filium ſuum.

De ardenti deſiderio, quo glorioſa Virgo cupiebat videre Filium ſuum, quem tanto ſtudio dilexerat in tota vita ſua, judicium facere poſſumus ex S. Patriarchæ Jacob exemplo, qui vix audiit, Joſeph dilectum ſibi filium, quem jampridem fato conceſſiſſe putabat, non ſolum vivum eſſe, verum etiam gloria cumulatum, ſummo ferme cum Imperio in Ægypto univerſa; cum ſibi renaſci viſus eſt ad hoc nuntium, & tantum præſetulit illius videndi deſiderium, ut nec ætatis ſuæ caducitas, neque itineris longitudo, neque viarum incommoda illum deterrere potuerint: *Sufficit mihi, ſi adhuc filius meus vivit; vadam, & videbo illum, antequam moriar*. Non eſt quod poſt hoc concupiſcam, ajebat ille; dummodo illum intuear, voti compos dies meos claudam, quoniam deſideriorum meorum ſummam aſſecutus ero. Et ſi Abſalon tantum teſtatus eſt deſiderium videndi Patrem, & in illius aulam revertendi, ut poſt elapſum biennium diutius expectare non potuerit, ſed confugiens ad Joab, quem plurimum poſſe noverat apud David, dixit illi hæc verba, ex quibus innoteſcit, quam ardens eſſet hoc Abſalonis deſiderium.

2. Reg. c. 2.

Obſecro, ut videam faciem Regis: quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiet me. Nihil illi diſtare videtur inter mortem, & privationem adſpectus Patris ſui; hæc abſentia videtur illi ſupplicium, nullo temporis lapſu ſinendum. Cogitate igitur, quæſo, quænam fuerit vehementia deſiderii in Maria, Matre hac Sanctiſſima, videndi filium, quem amaverat ſupra quam dici poſſit, & pro quo unice vivebat; Filium hunc, quem ſciebat eſſe Cæli Dominum, cum illa adhuc in terris verſaretur, dieſque ſuos tranſigeret in lacrymis, & in dolore, eo quod ipſius jacturam feciſſet? Quæ ſuſpiria non ejaculata eſt in eum locum, ubi ſuum erat gaudium, atque theſaurus ſuus? quam non præſetulit feſtinationem videndi illum? quos non pertulit languores toto hoc temporis intervallo? Hos exprimere nobis non licet; licet tamen aliqui conjectura, ex dolore, quem experta eſt triduo, quo illum ſe amiſiſſe putabat, & ex ea ſollicitudine, quam præſetulit: *Ego, & Pater tuus &c.* Quantum igitur doluiſſe credendi eſt, videns ſe ab illo tanto temporis intervallo ſejunctam?

Lex lata contra homines in pulverem reverſuros ad Mariam non ſpectabat. Geneſ. 3.

Lex communis, quæ adduxit omnes Adæ filios morti, hæc eſt: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Sed quis crediderit hac tantum in re S. Virginem nullum habuiſſe privilegium? Numquid illa ſubjicienda erat ſeveritati legis contra filios hominis latæ, illa, inquam, quæ nulli fuit crimini obnoxia? Erat ne in eorum ſupplicio involvenda, quæ rebus in ceteris aſſecuta eſt tot privilegia, quæ illam eximebant a communibus naturæ legibus? Credendum ne eſt in hoc uno derelictam fuiſſe communi legi peccatorum omnium, quorum corpora computreſcunt, & in ſepulcris a vermibus exeduntur? Ubi nam eſt anima, cui aliquod Religionis principium inſit, vel ſenſus aliquis reverentiæ erga SS. Virginem, quæ hanc non perhorreſcat ſententiam, & potius cum S. Auguſtino non dicat: *Sentire non valeo, dicere perhorreſco?* Profecto ſi corpus SS. Virginis non fuiſſet poſt deceſſum illius incorruptibile, niſi reſurrexiſſet, niſi tranſlatum fuiſſet in Cælum, nonne confiteri deberemus, Dei Filium, qui legem tulit honorandi Patrem, & Matrem, & qui illam adeo perfecte obſervavit, eam parum obſervaſſe erga Matrem ſuam Sanctiſſimam, & minorem habuiſſe corporis ejuſdem rationem, quam habeat corporum ſervorum ſuorum? Nonne enim plurima nobis ſunt Sanctorum Corpora, quæ in terris habentur tamquam lypſana pretioſa, in noſtris altaribus poſita, auro, & margaritis ornata, ad quæ colenda catervatim populi confluunt? Nihil tale intuemur pro corpore SS. Virginis; etenim ubi illud aſſervatur? Quo confluunt homines illi obſequium præſtituri? Ubi eſt arca illa pretioſa, in qua continetur? Nullibi terrarum de hac re auditur mentio. Quid ergo hoc unum erit ex omnibus corporibus Sanctorum, quod ignotum lateat, & inglorium? Non ita. Sacrum SS. Virginis Corpus non eſt in terra; terra digna non eſt, quæ illud poſſideat; in Cælo eſt, quod unum dignum eſt gloriæ ſuæ Templum. Mortales non habent pretioſas illius reliquias ſuper terram, pares non ſunt deferendo æquos honores, qui ipſi debentur; Et Cælituum Angelorum duntaxat proprium eſt illam digne revereri.

Arca Fœderis ex incorruptibili Ligno conſtructa figura eſt Mariæ in Sepulcro.

Fœderis arca compoſita erat *de lignis cedrinis*. Arca *JESU CHRISTI* compoſita eſt ex corpore, quod nulli obnoxium eſt corruptioni; oportet enim ut Veritas figuram ſuperet; & SS. Virgo quæ ab Eccleſia *Fœderis arca* vocatur, eſſe debebat incorruptibilior ea re, qua repræſentabatur. Maria ergo hodie non moritur, niſi ut reſurgat, & ſeparatio a corpore ſuo, quæ ceteris hominibus tantum affert dolorem, illi gaudii eſt argumentum: Cum enim voluerit Deus, illam naturale hoc corpus non exuere, niſi ut alterum reciperet immortale, corruptionem non attingere Templum hoc Verbi Incarnati, carnem illius licet Sanctiſſimam, puriſſimamque adhuc recipere extremam perfectionem per Reſurrectionem, ut tota lumine coruſcans effecta nequeat eſſe impedimento viſioni beatificæ; fidenter SS. Virgo remittit in Domini manus corpus ſuum, ut hæc fiat admirabilis permutatio, & poſtquam illi fuit tamquam materia ampliſſimis gratiæ ſuæ operationibus, præſtantiſſimis illud gloriæ privilegiis exornet. Hodie igitur Maria vera vivens Arca, quæ in ſinu ſuo recepit JESUM CHRISTUM donec erat in terris, & cujus Arca Veteris Teſtamenti non erat niſi figura, recepit ſuperaffluenter ab amore Filii, Deique ſui monumenta caritatis nunquam ceſſaturæ, & cum omnibus, qui excogitari poſſunt honoribus, in ſede gloriæ Filii ſui requieſcit, ibi in omnia futura ſæculorum ſæcula colenda.

Judith poſt liberatam Bethuliam cumulata gloria figura eſt triumphi Mariæ in Cælo. Judith. 15.

Si de Veritate ex umbris, figuriſque illam repræſentantibus judicium ferendum eſt, reor glorioſam Dei Matrem hodierna die dicere poſſe, quod olim Mulier fortis, Sancta, & Victrix, quæ illius erat figura, dixit: *Magnificata eſt anima mea hodie præ omnibus diebus meis*. Hic dies eſt vitæ meæ glorioſiſſimus; dies pompæ, dies triumphi, quo gaudio cumulata ſum ſimul & gloria. Agnoſcitis procul dubio ex verbis iſtis incomparabilem Judith, quæ populum Dei liberavit a metu formidabilis hoſtis, & Bethuliæ oppidum a direptione, & interitu. Illuſtri hac victoria merita fuit, ut triumphans ab omni populo exciperetur; digna glorioſæ Matris Dei Figura; ſed hæc facta videtur, ut ejus duntaxat triumphum repræſentet. Satis enim eſt in Scriptura legere, quomodo poſt victoriam de Aſſyriorum exercitu relatam, & coercitas victorias illius, qui ſibi promiſerat ſe imperio ſuo terram ſubditurum, qua pompa, quibus acclamationibus, quo apparatu, quibus triumphalibus Epiniciis matrona illa recepta fuerit in civitatem ſuam tamquam liberatrix populi ſui, honor patriæ, & victrix de hoſte, qui terrorem quocumque intulerat. Sed vobis figura ſufficiat; Veritas quippe ſpectaculum eſt nobis reſervatum in Cælo, poſtquam eumdem hoſtem vicerimus, & illuc pedem intulerimus quatenus victores.

Quomodo Salomon receperit Matrem ſuam in throno prope thronum ſuum, figura eſt honoris quo Salvator excepit in Cælo Matrem ſuam. 3. Reg. 2.

Cum dignitas Mariæ Matris Dei ſeorſim claſſem diſtinctam efficiat, meretur collocari ad dexteram Filii ſui, & Cælum in veritate vidit id quod in figura tantum tranſierat, tunc cum Berſabea veniens, ut aliquid peteret a Salomone, Rex iſte conſurrexit de Solio, ut occurreret Matri ſuæ & juſſit, ut illi thronus alter pararetur prope ſuum, ut illa ad dexteram ſuam conſideret. Si Salomon honorem hunc præſtitit Matri; quo potiori jure Deus, qui jubet parentes noſtros a nobis coli, & obſervari, credendus eſt prope ſe Virginem Sanctiſſimam collocaſſe. Scripturæ verba digna ſunt, quæ referantur. *Surrexit Rex in occurſum ejus: adoravitque eam: & ſedit ſuper thronum ſuum; poſituſque eſt thronus Matris ejus, quæ ſedit ad dexteram ejus*: Cum autem ſediſſet, dixit ei: *Petitionem unam parvulam ego deprecor a te Fili mi*, cui ille: *Pete Mater mea, neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam*.

Maria in triumpho Aſſumptionis ſuæ dona dat hominibus, non ſecus ac Filius ejus aſcendens in Cælum.

Regum conſuetudo eſt, cum triumphantes ingrediuntur in Metropolim ſuam, large, effuſeque populo ſuo dona conferre; quod fecit Dei Filius die Aſcenſionis ſuæ, qua ut canit Propheta, oſtentavit Magnificentiam ſuam profuſione munerum, quæ hominibus largitus eſt: *Dona dedit hominibus*. S. Bernardum ſequor, cum dico SS. Dei Matrem ſimilibus largitatibus uſam fuiſſe die triumphalis Aſcenſionis ſuæ: *Aſcendens in altum B. Virgo, dedit ipſa quoque dona hominibus*. Nec deſunt cauſſæ, propter quas hoc facere debuit; cur enim hoc illa non faciat, addit hic Sanctus; quoniam neque facultas illi deeſt, neque voluntas. Illa Cæli Regina eſt, Mater eſt Miſericordiæ, ac eadem Dei Mater; qui totidem tituli ſunt, totidemque cauſſæ, quibus utitur hic Sanctus, ut nobis perſuadeat, illam paratam eſſe triumphi ſui die ad ſuperandum omnes terrarum victores liberalitate, quantum illos ſuperat poteſtate, ac ſtudio benefaciendi. Sed quænam hæc dona ſunt, quænam hæc munera? qua in re hæc ſita largitas eſt? S. Paulus verba faciens de illis, quæ Salvator fecit hominibus in Aſcenſione ſua, nequaquam illorum ſpecies enarrat, ſicuti neque Regius Propheta; ut ex eorum ſilentio intelligamus, vel potius emphatica hac loquendi forma, illum paratum eſſe ad omnia concedenda; nihil excipi, ipſum nihil ſibi reſervare; quandoquidem mittit ad nos etiam Spiritum ſanctum ſuum, qui donum eſt per eſſentiam, & donorum omnium Auctor. Idem accidit in triumphali SS. Virginis Aſſumptione. Hæc effundit in homines bona, & munera,

quæ

quæ recipit a Filio ſuo; hæc illis generatim largitur, & S. Bernardus ait, omnes gratias, quas Deus nobis confert, ipſum voluiſſe, ut per manus SS. Matris ſuæ in nos derivarent.

S. Virgo repræſentata per duas Sorores Martham & Mariam, quæ exceperunt Salvatorem domi ſuæ in Bethania.

Dei Filius Jeroſolyma rediens Bethania tranſiit, ubi hoſpitio exceptus eſt in caſtello quodam a muliere, cui nomen Martha. Hæc ſe beatam duxit eo quod domi ſuæ excepiſſet Divinum Verbum carnem factum; victum ei præbuiſſet, & cum Deo Caritatis, Caritatis opera exercuiſſet. Sed ſi tanta fuit Marthæ felicitas, obiter excepiſſe JESUM, eique manibus ſuis eſcam paraviſſe; nonne infinite major gloria fuit SS. Virgini illum novem menſes geſtaſſe in viſceribus ſuis, eumque propria aluiſſe ſubſtantia. Tale eſt igitur Deiparæ privilegium, talis ejus Magnitudo, & gloria, quia JESUS intravit, & permanſit in utero ejus. Ne miremur ergo ſi per ſingularem gratiam, quam nulli creaturæ conceſſit, Virgo Sanctiſſima hodierna die glorioſa egreditur de tumulo ſuo, collocanda in Cæleſti regno ſuper choros Angelorum: *Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad Cæleſtia regna*. Dicit enim S. Bernardus, majus eſſe miraculum, Filium Dei dignatum fuiſſe ſeſe infra Angelos ſubmittere, quam videre Sanctiſſimam Matrem ſuam ſuper illos evectam. Ita ſicuti Salvator recipi non poterat in loco digniore ſe, niſi in ſinu Virginum omnium puriſſimo; debuit etiam inexpectato die futuræ ſuæ Reſurrectionis, collocare Matrem ſuam in loco, qui illa digniſſimus eſſet. Ut autem bene judicemus de Mariæ gloria, idem S. Bernardus ait, conſiderandum eſt, hanc eamdem Virginem, quæ Mundi Salvatorem excepit caſtis viſceribus ſuis ipſa Incarnationis ſuæ die, ab illo receptam fuiſſe die glorioſæ ſuæ Aſſumptionis.

Eccleſia in Officio hujus diei.

Honor, quem Reges aliqui detulerunt Miniſtris ſuis, conferendus non eſt cum eo, quod Salvator contulit Matri in Aſſumptione.

Credidit Pharao ſe magnifice remuneratum fuiſſe Joſeph, cum illi ſe ſummum credidit imperium Ægypti; eumque conſtituit in gradu ſecundo ſolii ſui. Cenſuit Aſſuerus ſe inſignem deferre honorem Mardochæo, cum illi diem triumphi conceſſit. David arbitratus eſt, ſe optime mereri de Miphiboſet, cum illum menſæ ſuæ juſſit accumbere. Salomon ratus eſt ſe Matri ſuæ gratum animum melius teſtari non poſſe, quam cum obviam occurrit illi, juſſitque illi thronum conſtitui ad dexteram ſui. Sed infirmæ & impotentes creaturæ, ſi hac in re bona voluntas veſtra laudatur, non eſt tamen cur Magnificentiam veſtram admiremur. Illius tantum eſt, qui in peregrinatione vitæ hujus mortalis receptus fuit in utero Virginali ſinum, & ſolium eſſe illius, quam ſuæ felicitatis, ac poteſtatis ſociam elegit. Illius tantum eſt, qui infinite dives eſt, dare theſauros infinitos illi, quam diligit præ ceteris filiabus Adam, & quæ per inſignes Virtutes ſuas fideliter gratas omnibus reſpondit. Dei unius eſt, divine retribuere illi, quam ſibi elegit in Matrem, & quæ digniſſime obiit omnia munera divinæ Maternitati inhærentia. Quis enim aſſequi poteſt, quantum in Cælo ſit magnitudo, auctoritas, felicitas Virginis Sanctiſſimæ? Ut aliquam vobis proponatis imaginem, fingite vobis ſolum, quid omnium filiorum optimus efficere valeat in gratiam digniſſimæ Matrum omnium; quid omnium amicorum generoſiſſimus, ac fideliſſimus facere poteſt in gratiarum actionem officiorum, quæ illi amiciſſimus præſtitit; quid maximus, & potentiſſimus Regum omnium conferre poteſt ſubdito familiariſſimo; & quem præ ceteris gratioſum habet. Hæc omnia nihilum ſunt, ſi comparentur cum iis, quæ JESUS CHRISTUS in Matris ſuæ gratiam efficere dignatus eſt.

Applicatio quorumdam locorum Biblicorum huic Argumento.

Corpus S. Virginis eſſe non debebat putredini obnoxium in tumulo.

NON *dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. *Pſ.* 15. Corpus aggravat animam, eamque trahit in ſcelus, cumque illa ſit rebellis rationi, vetat, ne ratio pareat Deo. Æquum eſt, ut corpus hoc ubi eſt principium totius corruptionis, aliquo modo deſtruatur, ac deducatur ad nihilum, antequam fiat glorioſum. Sed Sacrum Mariæ corpus, adeo purum, & ſpiritui obediens; hoc, inquam, corpus quod cum anima conſentiebat, hoc inquam corpus, quod vitam dederat Auctori omnis puritatis, nonne aliquam peculiarem merebatur prærogativam? Corpora, quæ principium fuerunt criminum omnium, eſto putredini ſint obnoxia; oculi qui tot noxiis obtutibus ſe mancipaverunt, fiant pabulum vermium; manus, quæ ſeſe ad impia facta extenderunt, motu careant uſque ad finem ſæculorum; eſto. Corpora ſordibus coinquinata in pulverem, ac tabum redigenda ſunt, ut horrorem cieant illis omnibus qui eorum cultores extiterunt. Sed Maria? *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Proprium non eſt horum oculorum, quorum intuitus culpa vacarunt; neque harum manuum, quæ uni Deo famulatæ ſunt, neque hujus cordis, quod nonniſi Sancto, divinoque igne exarſit, neque hujus corporis, quod fuit templum Spiritus ſancti, & thronus Dei viventis; Proprium, inquam, non eſt videre corruptionem. Non ita, Deus meus, non patieris, computreſcere corpus adeo purum, & ſanctum Genitricis tuæ, non ſecus ac tuum poſt arctum ſanctumque fœdus, quod inter tuum, ac illius corpus interceſſit. *Auctor ſermonum in omnia argumenta Tomo* 4.

Humilitas profunda S. Virginis cauſſa eſt elevationis ejus in Cælum.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens? *Cant.* 8. Hoc mutuo ſibimet dixerunt Angeli non ſine quadam raptus ſpecie obſtupeſcentes, cum viderunt SS. Virginem in Cælum efferri tanta cum pompa, hujus illecti novitate ſpectaculi. Sed jure illis reſponderi potuiſſet quod S. Paulus in ſimili caſu reſpondebat loquens de Aſcenſione Filii Dei: *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia, & deſcendit primum.* (Ad Epheſ. 4.) Scire quæritis, quænam ſit, & cur illa aſcendat? Mementote hanc illam eſſe, quæ cum creaturarum omnium eſſet Sanctiſſima, & perfectiſſima, ſemper arbitrata eſt ſe noviſſimam inter ancillas Domini; & ſcitote illam exaltatam fuiſſe ſuper entia omnia, quia per profundam humilitatem ſuam deſcendit uſque in centrum nihili ſui. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit?* Neque aliam præter hanc rationem inquirite. Heroica humilitas iſta, quæ fuit prædominans Mariæ Virtus, hæc ſui ipſius abnegatio, in qua ſuæ Sanctitatis ædificium conſtituit; hæc abrenuntiatio omnibus ſæculi vanitatibus, quam a teneris fecit unguiculis, hæc vita abſcondita, in qua ſeſe novit continere; hic ſincerus horror laudum ſuarum, quæ ſibi veriſſime deferebantur; nec turba, qua correpta fuit, audiens ſeſe Dei nomine ab Angelo ſalutari; admirabilis hæc diſpoſitio, quam præſetulit in quærenda rebus in omnibus ſui metipſius abjectione, ita ut haberi vellet peccatrix, quamvis eſſet Sanctiſſima, & vivere in pœnitentiæ ſeveritate, quamvis ipſa puritas eſſet, & nunquam innocentiæ jacturam paſſa fuiſſet, atque purificari cum ceteris Matribus, & ſubjici legi, quamvis ſuper omnem legem eſſet poſita: Hic intuitus nihili ſui, quod in ſublimibus communicationibus, quas habebat cum Deo, erat tamquam libramentum favorum, quibus cælitus cumulabatur; hæc Deum glorificandi cura prout Dominus operabatur in illa maxima mirabilia; hæc tandem humilitas quæ nunquam in terris viſa fuerat, & cujus hæc S. Virgo unicum erat exemplum, videlicet hæc humilitas cum plenitudine gratiæ conjuncta, cum meritorum, honorumque plenitudine: hoc illud eſt quod Deus habuit in pretio, & quod illum impulit, ut SS. Virginem in ordinem adeo ſublimem referret: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc, beatam me dicent omnes generationes.* (Luc. 1.) *P. Bourdaloue ſermone de Aſſumptione Tomo* 2.

Quam bene fulta ſit fides Reſurrectionis S. Virginis. Rationes ex traditione duntaxat.

Surrexit non eſt hic, ecce locus, ubi poſuerant eum. *Matth.* 28. Dicere poſſumus de SS. Virgine id quod dixerant Angeli quærentibus Dei Filium in Sepulchro: *Surrexit*. Quæritis inter mortuos viventem; ſed diſcite non eſt hic; Doctrinam hanc accepimus a Traditione, quæ ſemper agnovit corporalem Aſſumptionem SS. Virginis in Cælo. S. Joannes Damaſcenus loquens de reſurrectione Deiparæ, ait illam ab univerſa Eccleſia probari. Juvenalis Patriarcha Jeroſolymitanus, ait, hanc eſſe vetuſtiſſimam & venerandam traditionem a Majoribus noſtris acceptam, animam SS. Virginis, ſeſe cum corpore ſuo conſociaſſe, quin generalem expectaret Reſurrectionem: *Ex antiqua & veneranda majorum traditione*. S. Epiphanius ſcribens contra quoſdam Hæreticos, qui SS. Virginis honorem impugnabant, comparat Aſſumptionem ſuam raptui miraculoſo Eliæ, & Enoch in Cælum. Ipſa etiam Eccleſia Græca, licet a noſtra divulſa, in hoc nobiſcum conſentit; peculiari enim cæremonia colit Virginis Aſſumptionem, cujus deceſſum nobis repræſentat tamquam ſuaviſſimum ſomnum, poſtquem anima a corpore ſuo ſeparata iterum ſe cum illo conjunxit, & cum illo in Cælum extulit; quod nobis aſſerit Imperator Leo in libro, quem edidit *De dormitione Deiparæ Virginis*. Ideo fideles omnes celebrarunt obitum Matris Dei ſub titulo Aſſumptionis, quæ ſignificat elevationem animæ illius, & corporis de terra in Cælum, & peculiaris feſtivitas, quam celebrat Eccleſia, oſtendit illam publice Veritatem hanc profeſſam fuiſſe. Hæc autem vetus Traditio, univerſalis iſte conſenſus, & approbatio uniformis impugnari nequeunt brevibus luminibus quorumdam Hæreticorum oppoſitæ ſententiæ, & inutile eſt quærere recentia argumenta ad id probandum, ad quod ſola veriſimilitudo, & bonus ſenſus nobis duces eſſe poſſunt. Et profecto cum Deus Auctor ſit Vitæ, debuit relinquere in Virginali ſinu, ubi naſci voluit, germen vitæ illi ſimile, quod ibi accepit: Si Virgo Sanctiſſima dedit vitam Deo, nimirum ne eſt illam ſibimet novam procuraſſe vitam? Si participatio Corporis, & Sanguinis Domini noſtri in Euchariſtia germen eſt Reſurrectionis futuræ in ſingulis fidelibus ſecundum illa Filii Dei Verba: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die:* (Joann. 6.) quid dicendum erit de arcta illa affinitate, quæ fuit inter Dominum noſtrum, & ſanctiſſimam ejus Matrem? cujus puriſſimæ guttæ ſanguinis ſui illum formarunt; cujus ipſa fuit Templum, altare, &

Sanctuarium; quænam eſt veritatis ſpecies hanc traditam fuiſſe in corruptionem? *Non dabit &c. E ſpeciminibus orationum Panegyricorum Tomo 2.*

Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum CHRISTO. Ad Philipp. 1. Nullus eſt ſtatus majori dignus invidia, quam ſtatus juſti, qui avulſus ab omnibus terræ hujus objectis, unice adhærens Deo poſuit vitam ſuam tamquam juge ſpecimen mortis, & eo in ſtatu reperitur, ubi cum S. Paulo dicere poſſit: *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum CHRISTO.* Tunc reſpicit mortem tamquam lucrum; & quin illam reformidet, eam concupiſcit; quin fremat, ubi accedentem intuetur, exultat præ gaudio. Ita moritur Mater JESU CHRISTI; ita nos quoque moriendi felicitate gaudebimus, ſi vitæ ipſius Sanctitatem ſecuti fuerimus. Sed nondum ſatis; aſcendit in Cælum, quia Sanctam mortem obiit, & nos non perveniemus ad gloriam, niſi Juſtorum mortem obierimus. Apoſtolus S. Paulus ait: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur;*

1. ad Cor. 15

Reſurgent alii futuri æternum glorioſi, alii vero futuri in æternum miſeri. Dei juſtitia ſuſcitabit peccatores ad pœnam; ſicuti bonitas ejus ſuſcitabit Juſtos ad præmium. Hæ autem diverſæ Reſurrectiones efficient varietatem ſtatuum, in quibus ſinguli obierint. Etenim quamcumque in partem *ceciderit arbor, ibi erit.* Noſtra felicitas, vel interitus noſter pendebit a momento mortis noſtræ, & ſententia, quæ tunc in nos prolata fuerit, irrevocabilis erit in omnem æternitatem. Si ergo hodierna die Sanctiſſima Virgo in Cælum aſcendit, inde fit quia mortua eſt in gratia Dei, & Reſurrectionis ſuæ gloria eſt præmium Sanctitatis mortis ſuæ.

Quo in ſenſu Maria optimam ſibi partem elegerit ſecundum verbum Salvatoris.

Maria optimam partem elegit. Luc. 10. Hodierna die applaudit Eccleſia verba hæc Sanctiſſimæ Virgini. Quænam vero hæc optima pars eſt, quam ipſa elegit? Dicere poſſemus ipſam elegiſſe ſibi ſublimiorem in Cælo partem, cum elegit ſibi cum Filio ſuo in terris humiliari, exinaniri, annihilari. Elegit collocari ad dexteram Filii ſui in Paradiſo, cum audacter elegit Calvarium aſcendere, & locum ſibi vindicare a dextris Filii ſui in Cruce morientis. Sed ut brevius noſmet expediamus, dicamus ipſam elegiſſe ſibi adimplere fideliter, & accurate omnia Dei conſilia cooperando fideliter, & inceſſanter cum gratia, ut ſeſe talem præſtaret in tempore, qualem Deus illam in æternis ideis efformaverit. Hæc illa eſt, quæ potiori jure, quam David dicere poteſt: *Tenuiſti manum meam, & in voluntate tua deduxiſti me;* ideo elevaſti me ſuper thronum, quem præparaſti mihi in gloria tua, & *in gloria ſuſcepiſti me.* Heu! Quotuſquiſque noſtrum illius exemplum ſecuti eligunt adimplere Dei de ſemet ipſis conſilia, & in tempore conantur ſe tales exhibere, quales Deus illos formavit, atque in æternis prædeſtinationibus ſuis concepit!

Pſalm. 72.

Sententia S. Auguſtini de incorruptibilitate Deiparæ in Sepulcro.

Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Pſ. 15. Patrum, & Eccleſiæ ſententia eſt, Sanctiſſimæ Virginis carnem in ſepulcro fuiſſe incorruptibilem. Audite S. Auguſtinum de hac re ita loquentem: *Deiparæ Virginis corpus vermibus traditum, non ſolum conſentire non volo; ſed perhorreſco.* Tantum abeſt quod credam Corpus Deiparæ computruiſſe, ut ſolam hanc cogitationem perhorreſcam. Et cauſa eſt, quia Sanctiſſima Virgo fuit vivens manſio JESU CHRISTI, ideoque præſervanda fuit ab eo, quod naturæ opprobrium eſt, & quo nihil turpius fingi poteſt in hominis conditione. Cum enim caro Mariæ quodammodo ſit caro JESU CHRISTI ſecundum eumdem S. Auguſtinum: *Caro CHRISTI, Caro Mariæ,* Privilegia carnis Filii in Mariæ Carnem erant extendenda. Si in Conceptione ſua immunis fuit a labe peccati, in morte non erit immunis a carnis corruptione? Et quandoquidem ad ſervandam corporis ejus integritatem Mundi Salvator inde prodiit modo prorſus miraculoſo: nonne credibile eſt, ipſum miraculum fuiſſe operatum, ut hoc ipſum corpus a corruptione ſervaret? *Quid hoc eſt! in vita CHRISTUS Matrem ſuam integram ſervavit & in morte illius corpus incorruptum non ſervaverit?* Alio ne opus eſt teſtimonio, quod cum hoc conſentiat, & apertius hanc Veritatem evincat? Audite Nicephorum, qui profert juvenalem Jeroſolymitanum antiſtitem dicentem, ſe hoc a veteri traditione accepiſſe: Eo triduo, quo SS. Virginis corpus requievit in tumulo, Apoſtolos ſemper prope illud manſiſſe concinentes hymnos, & audientes magna cum reverentia Cæleſtem Angelorum concentum, qui ſuper illo Sepulcro audiebatur; qui cum poſt triduum ceſſaſſet, judicarunt pretioſum illud depoſitum ablatum fuiſſe. Igitur monumentum aperuerunt, neque invenerunt amplius corpus, ſed tantum linteamina, quibus erat involutum, quemadmodum acciderat in Sepulcro Domini Noſtri; & præ gaudio gratias egerunt Deo, Cælo vota ſua nuncuparunt, & poſtea reverſi ſunt in loca miſſionum ſuarum nuntium hoc terris omnibus allaturi. Conſulite Sophronium in ſermone de Aſſumptione S. Virginis, ubi fuſius verba facit de illius Reſurrectione. Conſulite S. Joannem Damaſcenum, ſermone de Somno Virginis. Conſulite S. Athanaſium, cujus tanta eſt auctoritas in Eccleſia Univerſa. Audite omnes fere Patres, qui eodem modo locuti ſunt. Sed quid tot teſtibus opus ad veritatem probandam, quam univerſa Eccleſia tota fatetur?

Mater Dei in Cælo glorificata eſt pro iis paſſionibus, quas in terra ſuſtinuit.

Magnificata eſt anima mea hodie præ omnibus diebus vitæ meæ. Judith 13. Quandoquidem tota elevatio JESU CHRISTI quatenus hominis, ut S. Paulus Apoſtolus docet, ſita eſt in Cruce, & oportuit JESUM CHRISTUM pati, ut intraret in gloriam ſuam, quemadmodum ipſe etiam teſtatur, nonne æquum erat, ut quæ particeps fuerat dolorum, & opprobriorum paſſionis ſuæ, affluentius particeps fieret lætitiæ, quæ præmium eſt dolorum, & opprobriorum iſtorum? Fingite ergo vobis Mariæ triſtitiam juxta Crucem Salvatoris in Calvario, ſi vobiſmet exhibere vultis ejus lætitiam prope thronum JESU CHRISTI in Cælo. Conſiderate hunc oceanum dolorum, & amaritudinum, quibus anima ejus immerſa fuit funeſto illo momento; hæc eſt menſura oceani hujus gaudii, & conſolationis, in quo ſubmerſa fuit hac glorioſa die. Quemadmodum vulnera JESU CHRISTI morientis fuerunt vulnera Mariæ compatientis, gloria JESU CHRISTI reſurgentis eſt quodammodo gloria Matris triumphantis; & quomodo illa partita eſt omnia maledicta & improperia Judæorum, ita partitur etiam omnes laudes, & benedictiones aulæ Cæleſtis.

Quomodo Domina noſtra in Cælum ſublata eſt, qua Virtute, & quomodo ibi recepta fuerit.

Adſtitit Regina a dexteris tuis, &c. Pſ. 44. Maria in Cælum evecta fuit, non quidem manibus Angelorum, qui Lazarum in Abrahæ ſinum pertulerant, ſed per manus Filii ſui, qui hoc pacto remunerari voluit operam, quam illa ſibi præſtiterat, cum illum inter ulnas ſuas puerum deferebat. Hoc maximo ſtupore affecit Cæleſtes Spiritus. *Quæ eſt iſta,* dicebant, *quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum?* Quaſi dicerent; quæ eſt iſta quæ egreditur de Mundo tamquam ſterili deſerto, ubi nihil eſt niſi labor, & dolor, & quæ nihilominus eſt dives, beata, ſpiritualibus plena deliciis, innixa non ſuper ſe, neque ſuper aliquam creaturam, ſed ſuper Dominum, quem ſuper omnia dilexit. Hoc modo in Cælum aſcendit, inter Sanctorum plauſus excepta; & ſexcentis teſtificationibus gaudii non Angelorum ſolum, beatarumque animarum, verum etiam trium Perſonarum SS. Trinitatis. Lætabatur Pater Æternus, quod prope ſe haberet optatiſſimam filiam; Filius gaudebat, quod Matrem ſuam haberet, & Spiritus ſanctus Sponſam ſuam. O quot, quantiſque amoris ſignificationibus illam receperunt? Hæc omnia noſtras ſuperant cogitationes, eaque ſatis eſt a nobis obſequio ſilentii celebrari. Fructus præcipuus, qui inde percipiendus eſt, eſt ſequi ſpiritu SS. Virginem, & ex hoc ipſo temporis momento primos movere greſſus ad mundum relinquendum, eumque inſpiciendum tamquam horrentem deſertum, nuntium mittendo voluptatibus carnis, ut ſimus pares recipiendis deliciis Spiritus, & ſemper admitendo, ut in dies ſingulos aſcendamus de Virtute in Virtutem, quin nobiſmet ipſis innitamur, & omne gaudium noſtrum collocando in Dei famulatu. Hoc pacto merebimur gratiis cumulari, & nulla nobis deerit Virtus uſque ad optatiſſimum diem, quo viſuri ſumus JESUM CHRISTUM in gloria.

Cant. 8.

Loci Biblici applicati ad Reſurrectionem S. Virginis, ejuſque Elevationem in Cælum.

Surge, Domine, in requiem tuam, tu, & arca Sanctificationis tuæ. Pſ. 131. Quid ſibi vult Propheta in Pſ. 131. ubi Deus his verbis alloquitur. *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca Sanctificationis tuæ?* Quis dubitare poteſt ipſum non alloqui JESUM CHRISTUM poſitum in Sepulcro, mortuum poſt prælia atque paſſionis ſuæ labores? Manebis ne, Domine, ita proſtratus, fractuſque pondere terribilium cruciatuum tuorum? Surge, temetipſum ſuſcita, & ingredere in requiem tuam: *Surge Domine in requiem tuam.* Ecce palam JESUM CHRISTUM alloquitur: ſed quid ſignificant verba ſequentia, *tu, & arca Sanctificationis tuæ?* Quænam eſt hæc arca, pro qua Propheta quærit etiam Reſurrectionem, niſi hæc ſit Virgo Sanctiſſima? Nonne hæc vera eſt arca, quæ continuit Cæli manna, & Tabulas divinæ legis in Perſona Unigeniti, cum geſſit illum in caſtis viſceribus ſuis? Quemadmodum vero Manna, Tabulæque legis erant JESU CHRISTI figura, ita Veteris Teſtamenti arca continens illas erat figura SS. Virginis. Sed cur ille præceperat explicite, ut illa fieret ex lignis incorruptibilibus, niſi ut ſignificaret incorruptibilitatem Corporis Sanctiſſimæ Virginis? De hac igitur verba facit Scriptura ſancta in Textu allato, qui continet etiam duas Reſurrectiones, alteram quidem JESU CHRISTI, & alteram Matris ejuſdem; *tu, & arca Sanctificationis tuæ.* Ita locum hunc explicat S. Joannes Damaſcenus, aliique complures, qui hoc Scripturarum teſtimonium protulerunt Virginis Sanctiſſimæ Reſurrectionem probaturi. Quid item innuere vult Scriptura, cum Deum orat his verbis: *Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum?* Deum orat, ut cuſtodire dignetur introitum ſuum in mundum, ſuumque e mundo exitum: hi quippe ſunt greſſus maxime periculoſi, laquei duo nobis parati, & quos non ſatis evitare poſſemus. In introitu quidem noſtro in

Pſalm. 120.

mun-

Digitized by Google

mundum nos manet originale peccatum in exitu vero mors. Peccatum efficit, ut pereant animæ noſtræ; mors vero efficit, ut pereant corpora. Hæc eſt fors infelix omnium filiorum Adam. Eorum principium, & finis, introitus in mundum, & exitus de mundo ſunt lamentabiles. Sed Deipara Virgo privilegium habet ſingulare, & admirabile. Quamquam illa ſit vera filia Adam, nihil funeſtum habuit ejus vel in mundum introitus, vel exitus de mundo. In introitu quidem originale peccatum non ſauciavit animam ejus; in exitu vero mors non deſtruxit corpus illius. Ipſa ſemper innocens, & Sancta fuit in ſua Conceptione, & Nativitate, ſemper integra, & incorruptibilis in morte, & in tumulo. Ita duo vitæ ſuæ termini, initium, & finis habent ſinguli ſua privilegia, eaque inſeparabilia. Quo peccatum ſemel habuit introitum, trahit poſt ſe mortem, & corruptionem; ſed quo illud nunquam aditum ſibi fecit, mors quoque illi nocere non potuit. Cum vero certi ſimus, Sanctiſſimam Virginem nulla peccati originalis labe inquinatam fuiſſe, nonne certi ſumus etiam, Virginale corpus illius nequaquam morte corruptum fuiſſe? Cur credere deberemus Deum illi primum conceſſiſſe privilegium, quod maximum eſt, quin concederet alterum, quod multo minus eſt, & primum conſequitur? Cur introitum cuſtodiit, exitum vero non item? Quandoquidem Deus Sanctæ Virgini primum conceſſit, proculdubio conceſſit & alterum: *Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum.*

Relatio hodierni Evangelii cum B. Virginis Aſſumptione.

Intravit JESUS in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine excepit eum in domum ſuam, huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Luc. 10. Non ita facile eſt invenire rationem, quam hoc habet Evangelium cum Aſſumptionis Feſtivitate. Interpretes tamen plures inveniunt congruentias, quarum præcipuam hic habes. Martha, & Maria erant Sorores, non natura ſolum, Sanctus Auguſtinus ait, ſed etiam pietate, utraque Filio Dei adhærens, utraque illi ex corde deſerviens. Martha recepit illum eo modo, quo hoſpites recipi ſolent; ſed ſemper reſpiciens ſe tamquam ancillam, quæ recipit Dominum ſuum; tamquam ægrotantem, quæ recipit Medicum, a quo ſperat ſe ſalutem conſecuturam; tamquam creaturam, quæ profunda cum reverentia recipit Deum, & Creatorem ſuum. Recepit illum, quem nutritura erat ſecundum carnem, ab eo ſecundum ſpiritum nutrienda. Maria vero ſoror illius e contra elegit a JESU CHRISTO ſaginari, & illum maluit audire. Altera quidem extrinſecus laborabat & erat ſollicita; altera autem intrinſecus alebatur exquiſitiſſimis dapibus Veritatis; altera quidem multa parabat, altera autem unum quærebat. Duæ iſtæ Sorores, Patres inquiunt, prototypi ſunt vitæ activæ, & vitæ contemplativæ, quarum altera occupatur neceſſitatibus proximi, ut caritatis obeat officia; altera vero occupatur Deo per Veritatis amorem. Nos autem pro certo affirmare poſſumus, quod in Martha, & in Maria ſejunctum erat, perfecte in Sancta Virgine conjunctum inveniri. Quærimus argumenta? Ne quæramus illa extra Evangelium, & percurramus quidquid nobis dicat de Matre Dei. Adhuc adoleſcentula nupſit viro, qui labore manuum ſuarum victum ſibi comparare debebat. Ventre JESUM ferens Montes Judææ traduxit, opem latura Eliſabeth Cognatæ ſuæ, quæ Sanctum Joannem Baptiſtam ſuis geſtabat viſceribus. Ut pareret edicto Cæſaris de Nazareth in Bethleem profecta eſt. ut ibi cenſeretur, ibique in ſtabulo peperit mundi Salvatorem, quem ut ſurriperet perſequenti Tyranno tranſtulit de Judæa in Ægyptum, & revexit in Galilæam. Hunc Jeroſolymæ amiſſum, & triduo quæſitum ſecuta eſt in illius paſſione, cum Cruci ſuffixum vidit. Nonne hoc eſt perfecte omnia vitæ activæ officia repleviſſe? Pro vita contemplativa Evangelium, unico verbo, quod inquit de Sanctiſſima Virgine, & quod bis repetit duabus variis in occaſionibus, nonne ſatis oſtendit hanc præcipuam illius occupationem fuiſſe; ſemper enim illam nobis exhibet attentam meditando Myſterium Hominis Dei, audiendo verba illius, illa ſecum recogitando, & diligenter ſervando in corde ſuo: *Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Si Maria Magdalena audit Salvatorem ſibi dicentem, ipſam optimam ſibi elegiſſe partem ab ipſa non auferendam, videlicet magnum amorem, quo ipſum proſequebatur; nulla ne alia creatura fuit, cui Evangelii verba æquiori titulo conveniant, quam Sanctiſſimæ Virgini? Quæ enim ardentius JESUM CHRISTUM amavit? Quænam illi ſollicitius ſervivit? Quænam verba ejus attentius audit? Sed Sanctiſſima Virgo dum viveret optimam partem elegit; ergo illa in Cælo optima parte fruitur. Filius ejus coronas, & remunerationes diſtribuit. Quid prætermiſit, quoniam Matri dilectiſſimæ conferret? Virgo Sanctiſſima fuit etiam creaturarum omnium puriſſima, & perfectiſſima; ejus remuneratio fuit illius Virtutibus congrua. Proculdubio regnat in cælo, & ſuper beatos omnes exaltata eſt.

Luc. 2.

Deſiderat Maria mortem ut ſe cum J. C. conjungat.

Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum CHRISTO. Ad Philipp. 1. Quiſnam in cælum ardentius anhelat, quam Maria! Hoc judicandum eſt ex amoris ſui Magnitudine. Sanctus Bernardus teſtis eſt neminem impenſius dilexiſſe Deum ſuum hac puriſſima Virgine, & nullam creaturam vehementius ab eo dilectam fuiſſe. Mutuus hic amor ineffabilis eſt, quia eſt incomprehenſibilis; igitur explicari, & cogitari non poteſt quonam ardore Maria petebat diſſolutionem animæ ſuæ a corpore, & quanam vi proferebat ore, & ſæpe dicebat in corde: cupio conjungi cum JESU CHRISTO objecto amoris mei. *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum CHRISTO.* Cervus deſiderans fontes aquarum levis eſt adumbratio, & imperfecta imago ſitis hujus, qua Dei Mater ardebat. Lacrymæ quas Iſraelitæ Babylone exules ſecus flumina infidelis illius civitatis fundebant, leviſſima eſt imago Lacrymarum, quas fundebat Maria in expectatione beati illius momenti, quod illam cum Filio ſuo iterum erat conjuncturum. Virgo Sanctiſſima, quam doloris gladius pertranſivit, dum viveres, quia nonniſi in ænigmate, & tamquam in ſpeculo vides æternas veritates, obtine a Filio tuo, apud quem es Omnipotens, ut tuo proficiamus exemplo, & mundum hunc intueamur tamquam exilium, & vallem lacrymarum. Gemitus Sanctæ Matris tuæ, Domine, nobis exemplo ſint, & inceſſanter in ore noſtro verſentur hæc verba, quæ illa habuit in corde ſuo inſculpta: *Cupio diſſolvi &c.*

Aulæ cæleſtis admiratio ad Mariæ intuitum.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit quaſi aurora conſurgens? Cant. 6. Beati Spiritus, qui admiramini prodigia triumphalis Aſſumptionis Mariæ, ne quæratis amplius quænam illa ſit, quam aſcendentem videtis tamquam auroram, nitentem Lunæ inſtar, ac Solis inſtar renidentem, & terribilem perinde ac ordinatam aciem caſtrorum. Quænam poſſidere poteſt tot privilegia, niſi Dei Mater? Spiritus cæleſtes, incomparabilis hæc Virgo nonne in oculis veſtris videtur Auroræ ſimilis, quoniam amicta eſt gloria omni Solis Juſtitiæ, & ſignum magnum eſt, cui par in cælo viſum non eſt, *Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta Sole, & luna ſub pedibus ejus.* Nonne fulget ſicut luna? Nonne omnem habet lunæ decorem, ac ſpeciem ſine maculis ejus? Omnia Lunæ incrementa ſine defectibus illius? *Pulchra ut Luna.* Nonne ſolis inſtar refulget? Solis habet altitudinem in throni ſublimitate; habet ſolis ardores in flammis caritatis, quibus incenditur, Solis habet fœcunditatem in affluentia gratiarum, quæ tranſeunt per illam: *Electa ut Sol.* Nonne tandem videtur vobis ſimilis exercitui in aciem diſpoſito? Hæc omnem fugat infernum, hæc omnes terrarum hæreſes exterminat; hæc conſolatur, & omnem munit in prælis ſuis Eccleſiam. *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Jure ergo admiramini clamantes. *Quæ eſt iſta?*

Apocal. 12.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum in hoc argumento.

SI omnium Sanctorum mors pretioſa, Maria certe eſt pretioſiſſima, quam tanta comitata eſt gratia, ut Mater Dei diceretur, & ſit. Sanctus Auguſtinus ſerm. de Aſſumptione.

Angelicam tranſiens dignitatem, uſque ad ſummi Regis thronum ſublimata eſt. Idem ibidem.

Non enim fas eſt alibi te eſſe, quam ubi eſt, quod a te genitum eſt. Idem ibidem.

Quid hoc eſt? in vita CHRISTUS Matrem integram ſervavit: & in morte, illius corpus incorruptum non ſervaverit? Idem.

Illud Sacratiſſimum Corpus, in quo CHRISTUS carnem aſſumpſit, eſcam vermibus traditum, quia ſentire non valeo, dicere pertimeſco. Idem ſerm. 9. de Aſſumpt.

Hodie glorioſa Virgo Maria cælos aſcendit: gaudete, quia ineffabiliter ſublevata, regnat in æternum. Sanctus Hieronymus in Epiſt. ad Paulam, & Euſtochium de Aſſumptione Beatæ Virginis.

Credendum eſt hodierna die militiam cælorum cum ſuis agminibus feſtine obviam veniſſe Genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulſiſſe, & uſque ad thronum perduxiſſe. Idem ibidem.

Hodie collocatur Maria a dextris Dei, ut canitur in Pſalmo: aſtitit Regina a dextris tuis. Sanctus Athanaſius.

Sublimis illa dies eſt, in qua Virgo Regalis ad thronum Dei Patris evehitur, & in ipſius Trinitatis ſede repoſita, naturam Angelicam ſollicitat ad videndum. Petrus Damiani in quodam ſermone de Aſſumptione.

Sicut eſt ineſtimabile quod geſſit, ita & incomprehenſibile præmium gloriæ quod obtinuit. Sanctus Ildephonſus.

Nullus ardorem Beatæ Virginis ſufficit explicare, quanto deſideriorum cremabatur incendio, quam crebris ſuſpiriis angebatur. Sanctus Laurentius Juſtinianus ſerm. de Aſſumptione.

CHRI-

CHRISTI generationem, & Mariæ Aſſumptionem quis enarrabit? Sanctus Bernard. ſerm. 2. de Aſſumptione.

Quantum gratiæ in terris adepta eſt præ ceteris, tantum & in cælis obtinet gloriæ ſingularis. Idem ibidem.

Quem in caſtellum mundi hujus intrantem, prius Maria ſuſceperat, ab eo ſuſcipitur Sanctam ingrediens civitatem. Idem ibidem.

Felix ſane Maria ſive cum ſuſcipit Salvatorem, ſive cum a Salvatore ſuſcipitur. Idem ibidem.

Quis cogitare ſufficiat, quam glorioſa hujus mundi Regina proceſſerit, & quanto devotionis affectu tota in ejus occurſu cæleſtium regionum prodierit multitudo? Idem ibidem.

Quod ſi oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ preparavit Deus diligentibus ſe, quid preparavit giguenti ſe, & quod omnibus eſt certum diligentibus ſe præ omnibus. Idem ibidem.

Aſcendens in altum Virgo Beata, dabit ipſa quoque dona hominibus. Idem ibidem.

Nec in terris locus dignior uteri Virginalis templo, in quo Filium Dei Maria ſuſcepit: nec in cælis regali ſolio, in quo Mariam hodie Mariæ Filius ſublimavit. Idem ibidem.

PARAGRAPPUS V.

Quid ex Theologia depromi poſſit ad hoc pertinens argumentum.

Quid intelligat Eccleſia propriè nomine Aſſumptionis B. Virginis & nomina diverſa quibus feſtus hic dies appellatur.

INTER omnes Feſtivitates, quas celebrat Eccleſia in honorem Sanctæ Virginis, ejus Aſſumptio proprie feſtivitas illius nominari poteſt: quandoquidem ſub hoc titulo Eccleſia univerſalis celebrat hunc diem, & felix hoc momentum, quo Deipara exaltata eſt, & coronata in cælo, nec non triumphum, quem reportavit de peccato, de dæmone, de mundo, & de morte. Verum eſt diverſis nominibus hanc feſtivitatem fuiſſe nuncupatam. Primum enim ſomnus, & requies Virginis dicta fuit; videlicet, mors ejus ſancta, & beata; mox dicta fuit feſtivitas Glorioſæ Virginis ſine addito, utpote illa, quæ erat conſummatio omnium magnalium illius; ſed demum illi permanſit nomen Aſſumptionis tamquam illi glorioſiſſimum, factumque eſt, adeo celebre in Eccleſia tota, ut creditum fuerit, ſatis diſtingui hanc ſolemnitatem ſi antonomaſtice *Feſtum Sanctæ Virginis* appellaretur. Quo titulo ſatis diu Annuntiationis feſtivitas fuit appellata. Hoc tamen non vetat, quo minus eadem die celebretur ab Eccleſia ſancta mora ejus, & glorioſa Reſurrectio cum triumpho ſuæ Aſſumptionis propter modicum intervallum quod tria hæc ſeparavit Myſteria, quæ ſimul conjuncta efficiunt hujus diei ſolemnitatem auguſtiorem, & venerabiliorem.

Rationes propter quas Dei Filius noluit Sanctam Matrem ſuam immunem a morte quamvis immunis fuerit a peccato.

Quamvis Deus præſervaverit Sanctam Matrem ſuam ab originali peccato, illam tamen noluit liberare a morte corporis, quæ eſt pœna peccati: voluit e contra illam ſubire hanc, non ſecus ac homines ceteros, ut oſtenderet mortis ſententiam, quam tulerat contra filios Adæ, irrevocabilem eſſe. Ceterum ratio flagitabat, ut illa moreretur: quandoquidem Filius ejus voluerat mortem ſubire pro nobis; & præterea hoc erat magnum meriti argumentum ſuperare eam, quæ nobis natura inſita eſt, vitæ relinquendæ repugnantia. Denique oportebat, ut in obitu nobis relinqueret rara Virtutum exempla, quæ toto vitæ ſuæ ſpatio exercuerat. Verum eſt Sanctum Epiphanium Doctorem celeberrimum eo ſæculo, quod ex prioribus quatuor Sapientiſſimum habitum eſt, eo inclinaſſe, ut crederet Virginem nequaquam mortuam fuiſſe; primum quod hinc quidem hiſtoria nihil de illius morte aſſerebat, quod quidem non prætereundum eſſe videbatur, inde vero quod Sancti hujus vaſis, (quod illam nomine appellat) excellentia veriſimile reddebat, Deum non permiſiſſe ut ulli obnoxium eſſet corruptioni, qualis mors eſt.

Opinio non credentium Beatæ Virginis reſurrectionem eſt temeraria, & hæreſi proxima.

Eccleſia ſecuta non eſt Patris hujus ſententiam, de morte Virginis; ſed ita illam amplexata eſt de gloria corporis ejus, ut graviſſimi Doctores ſententiam oppoſitam cenſura dignam exiſtiment. Ego vero autumo Sanctæ Virginis Reſurrectionem ante generale judicium non eſſe ex numero earum Veritatum, quas proponit Eccleſia tamquam articulum fidei; Nil enim Scriptura docet, & Deus nihil illi revelavit in hoc argumento; tamen celebriores Theologi temeritatis, & erroris arguant eos, qui audaci criterio, quod ne probatiſſimis quidem factis pepercit, in quæſtionem ac dubium revocant, Matrem Dei viventis de tumulo prodiiſſe, & corpore ſimul, & anima in cælum aſcendiſſe. Illud vero admirabilius eſt, poſtquam hæretici, qui audaciſſime cultum Deiparæ impugnaverunt, tamen reveriti ſunt traditionem præoccupatæ Reſurrectionis; hodierna die Catholicos infirmis rationibus actos, & levibus argumentis, quibus reſpondere faciliimum eſt, illam & verbis, & ſcriptis impugnare.

Teſtimonium S. Auguſtini de Veritate Reſurrectionis B. Virginis.

Poſt Eccleſiæ univerſalis Sententiam, & conſtantem primorum ſæculorum traditionem de incorruptibilitate corporis Sanctæ Virginis in ſepulchro, neceſſe nequaquam arbitror referre teſtimonium pluriumrum Patrum, aliorumque Auctorum ad confirmandam veritatem, de qua nemo Catholicorum dubitare debet. Mihi ſatis erit teſtimonium præcipui inter Eccleſiæ Doctores, Magni Sancti Auguſtini, qui in libro, quem edidit hujus argumenti, ait nobis credendum eſſe, JESUM CHRISTUM, qui dum viveret, excepit Sanctæ matris ſuæ corpus tanto cum honore, ut partem ex illius carne voluerit accipere, ut ſibimet ipſi corpus aptaret; nequaquam dereliquiſſe Virginale corpus hoc noviſſimo opprobrio humanæ naturæ, putredini videlicet, & corruptioni; & cum ex illius ſinu hauſerit humanam vitam, nequaquam paſſum fuiſſe, ut illud cederet in pabulum vermium. Potuit quidem, ut ille ait, æque ſervare corpus illius a mortis tabo, quemadmodum ſervavit animam ejus a peccati labe: utrumque potuit, quia erat omnipotens. Si autem dubitare non poſſumus, illum non potuiſſe, nunquid, utrum voluerit, dubitandum eſt? quandoquidem infinite bonus eſt, & unam illam magis diligit, quam reliquas creaturas ſuas? Sed æque certum eſt ipſum & potuiſſe, & voluiſſe: quæ igitur ſupereſt dubitatio, utrum re ipſa fecerit? Sanctus hic Doctor addit verbis iſtis pietate ipſius digniſſimis acervum exemplorum, quibus ſuam confirmat ſententiam. Illud trium puerorum in Babylonis fornace, quorum non corpora ſolum, verum etiam veſtimenta præſervavit ab igne, & alia nonnulla ejuſdem naturæ. Quis non fatebitur ergo, pretioſum hoc corpus, quod induit Deum ſuum humana ſubſtantia, & quod illi tot præſtitit officia, meritum fuiſſe, ut non cederet in pabulum vermium? Opus erit, ut mortales exuvias cum glorioſa immortalitate commutaret: qui enim cogitare poterat, corpus hoc Virginale adeo dignum, quod ab Angelis coleretur, relictum fuiſſe in terra, & derelictum in ſepulcro computreſcendum, & a vermibus devorandum? Sanctus Auguſtinus fatetur, ſe indignitatem hanc perhorreſcere: ita enim Sanctus hic Doctor ſumma cum reverentia de Virginis Corpore loquitur. Nonne hæc eſt mira pertinacia, & phrœneſi Hæreticorum ſimillima, qui ut eludant apertiſſimos Scripturæ vel Patrum locos, cum illis nequeant tribuere ſenſum, qui ſuis valeat favere præjudiciis, non habent quod reſpondeant, niſi negantes talem Scripturæ librum non eſſe canonicum; & librum, qui hujus, vel alterius Patris, vel Auctoris eſſe dicitur, cujus ſententia magni ponderis eſſet, non eſſe illius, cui tribuitur? Indignum artificium! quod quin adſtruat opinionem prudentis critici, vocat in ſuſpicionem eorum fidem, & Religionem. Improbæ hujus criticæ effectus fuit in dubium revocare Scripta Sancti Dionyſii Areopagitæ, potiſſimum vero teſtimonium, quod prohibuit earum rerum, quæ acciderunt in tranſitu Sanctiſſimæ Virginis, cum ſe dicit cum Apoſtolis interfuiſſe; idque eſt in libro de divinis nominibus, quem Sanctus Thomas ubique citat in Summa, tamquam Auctorem integerrimum, & locupletiſſimum; quaſi non eſſet quædam ſpecies impietatis velle credere Auctorem habentem admirabiles ſenſus de Deo, & de Religionis noſtræ Myſteriis, pejerare, & imponere, quam recipere teſtimonium, quod perhibet Reſurrectioni Matris Dei, quod cum plauſu repletum eſt a Doctoribus aliis, cum quibus mihi Religioni verterem conferre hujuſmodi cenſores, qui ſibi ſapere videntur.

Reſurrectio Sanctæ Virginis ante Reſurrectionem ſingularis eſt prærogativa.

Veritas Reſurrectionis Mariæ cum innoteſcat, hæc non eſt minima inter has Deiparæ prærogativas, ſed potius privilegium eſt, quo a reliquis Sanctis diſtinguitur, & quod illam in ordine ſuperiori conſtituit, cum prima ſit inter meras creaturas, immo etiam unica, quæ ad gloriam, & immortalitatem reſurrexerit, prima quæ reſurrexerit non ſecus ac Filius, non amplius moritura, & ſuper quam non magis quam in JESUM CHRISTUM mors ultra nullum eſt imperium habitura: ita dici poteſt de Reſurrectione Sanctæ hujus Virginis, & de magna illa die, qua de Sepulcro egreſſa eſt, hanc eſſe diem gloriæ Mariæ, & exclamare licet, ut facit Eccleſia in Reſurrectione Domini: *Hæc dies quam fecit Dominus.* Pro ratione afferri

In glorioſo hoc Myſterio, nihil lætitiam perturbat.

poteſt reliquis diebus quibus celebramus memoriam Myſteriorum, quæ colimus, neminem eſſe cui dolor permixtus non ſit cum gaudio & conſolatione juxta eam, quæ fieri poteſt animadverſionem; ſed hac die, & ea, quam celebramus, feſtivitate, cum hæc ſit cæleſtis potius quam terrena feſtivitas, omnia jucunda ſunt, omnia glorioſa; dolores præterierunt. Nonniſi lætitiæ plauſus, & Epichia exaudiuntur: honorea, & triumphi ſuccedunt abjectionibus, & humiliationibus, & laborea finiti excipiuntur ea tranquillitate, quæ ſatis explicari non poteſt. Illa, quæ viſa fuerat juxta Crucem mulierum omnium mœſtiſſima, modo ſublata eſt in cælum ſuper choros Angelorum: Verbo, hæc eſt ſecunda Mariæ Nativitas: ita enim vocare poſſum vitam, quam recipit in Sepulcro, quæ non minorem adfert lætitiam cælo, ac terræ, quam prima; & die hac dicere poſſimus: *Nativitas tua, o Beatiſſima Virgo, gaudium attulit univerſo mundo.*

In officio Nativitatis B. Virg. Hæc diſtinctio, & prærogativa debita erat Deiparæ.

Integritas Corporis Sanctiſſimæ Virginis, quod triduo permanſit in Sepulcro prima eſt prærogativa quæ fue-

fuerit illi poſt mortem conceſſa. Prærogativa hæc debebatur Sacro illius corpori plures ob cauſſas. 1. Non decebat Deum Corpus Matris ſuæ prorſus Sanctæ, quod fuerat vivens Templum ejus in terra computreſcere in Sepulcro. 2. Corpus ejus erat terra illa Virgo, quæ cum nunquam polluta fuiſſet per Adæ peccatum, particeps futura non erat maledictionis latæ a Deo ab ipſo terrarum exordio contra primum hominem; *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. 3. Cum una eſſet Caro JESU, & Mariæ, intererat gloriæ Filii, ut Corpus Matris præſervaretur a vermibus, & corruptione; 4. Miracula, quæ Deus jam operatus fuerat ad præſervandam integritatem pretioſi hujus corporis, dum viveret, quædam erat pignoris ſpecies, quo aliud etiam poſt ejus mortem miraculum ſe facturum pollicebatur, ut prohiberet, ne Sanctum Templum ſuum dedecore afficeretur. Cur enim per prodigium, cui nunquam ſimile viſum eſt, & cui fortaſſe non videbitur ſimile, conſociaſſet in Sancta Virgine Virginitatem cum fœcunditate? Cur Dei Filius egreſſus fuiſſet de caſtæ hujus Virginis ſinu modo puriori, quam illo, quo radius manat a Sole? Cur tot operatus eſſet miracula ad ſervandam puritatem innocui, virginiſque Corporis hujus, ſi poſt mortem in pulverem erat redigendum? Si Opobalſamum præſervat corpus mortuum a putredine, num minor erat Filio Dei Virtus, ut Matris ſuæ corpus præſervaret? O quam glorioſum eſt Mariæ Sepulcrum! Hujus Virginis anima in utero Sanctæ Annæ præſervata fuit a peccati macula, & caro ejus immunis fuit a corruptione in Sepulcro. Sacrum corpus ejus recepit vitam obſcuram, & mortalem in utero Sanctæ Annæ, & in Sepulcro recipit vitam glorioſam, & æternam.

Si gloria in cælo datur ſecundum menſuram gratiæ quam quis obtinuit in terra, quæ-nam eſſe debet Mariæ gloria, quæ in ſingula momenta crevit in gratia?

Aſſumptio Sanctiſſimæ Virginis Mariæ eſt ſanctitatis ejuſdem conſummatio: Angelus vocavit illam gratia plenam ex ipſo tempore Myſterii Annuntiationis; quæ igitur eſſe debuit hæc gratiæ plenitudo in ipſo mortis momento? Ex primo Conceptionis ejus articulo elatior erat in gratia, ardentior in caritate, quam Seraphin; quæ fuit gratia, quæ caritas in noviſſimo momento vitæ ſuæ? Deus unus, qui illam tot gratiis cumulabat, earum menſuram noverat. Profecto quænam fuerunt hujus gratiæ incrementa per vitam ejus non minorem annis duobus & ſeptuaginta? Ad quem caritatis cumulum evaſit in morte illa, quæ ſumma cum fidelitate, cujus mera creatura capax eſt, gratiæ reſpondebat? ita ut in ſingula momenta non ſolum gratia creſceret, verum etiam duplo major fieret? Dicere poſſumus Sanctæ Virginis caritatem adeo perfectam in morte fuiſſe, ut ſuperaverit caritatem omnium Angelorum, & Sanctorum ſimul collectorum, & ipſa minus obierit per naturæ defectum, quam per amoris vehementiam. Sanctus uſus, in quem Virgo Sanctiſſima effundit gratiam, atque naturalia talenta, quæ ipſa recepit a Deo, fuit principium gloriæ, qua in cælo gaviſa eſt. Merito hæc gloria tribuitur, non carni, aut ſanguini, neque ipſi etiam Deiparæ dignitati. Hoc Salvator ipſe profeſſus eſt, redarguens ambitionem filiorum Zebedæi, qui per Matrem ab eo petierant primos recubitus in regno illius. Sanctiſſima Virgo felix eſt, quia concepit Filium Dei in ſinu ſuo; ſed longe beatior eſt, ſecundum Salvatoris ejuſdem oraculum, quia in ſingula vitæ ſuæ momenta nova merita ſibi comparavit. Beatior eſt, quia ſanctiſſime uſa eſt omnibus exterioribus gratiis, & ſuaviſſimis qualitatibus, quas cæ-litus acceperat, ut ſemet ſanctificans, intuentibus ſe virtutibus inſpiraret. Quid modeſtiæ, quid puritatis, quid virtutis in hac Sanctiſſima Virgine!

Mors Sanctæ Virginis fuit pretioſa coram Deo propter merita, quæ præceſſerant illam.

Tria ſunt neceſſaria, Sacroſancta Tridentina Synodus, inquit, ad cælum promerendum: Gratia juſti, Opus juſti, Mors juſti. Gratia ſanctificans eſt neceſſaria, quia hæc nos facit Dei Filios; ſed ſine meritis non ſufficit. Non ſatis eſt vacare culpa, ut merearis; bona opera facienda ſunt, quia gloria non eſt ſolum hæreditas, ſed eſt corona juſtitiæ, quæ nonniſi merenti tribuitur. Merita ſine perſeverantia non ſufficiunt, neque enim ſatis eſt bene incipere, oportet melius finem facere: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit uſque in finem*; uſque ad mortem. Mors igitur in manibus noſtris ponit omnes cæli divitias; ideoque dicendum eſt, mortem eſſe infinite pretioſam; quia efficit nos beatos; ſimulque raram eſſe; nam licet beatitudo propoſita ſit omnibus hominibus, pauciſſimi ſunt, qui illam mereantur: *Multi vocati; pauci electi*. Hinc arguo, ut innoteſcat, quam pretioſa ſit mors Sanctæ Virginis, propriæ cognoſcendam eſſe gloriam, ad quam Dei Filius illam evexit die Triumphalis aſcenſionis ſuæ. Sed quis hoc aſſerere poteſt niſi ipſe ſolus? Nemo agnoſcit unquam pulcritudinem animæ ſuæ, neque theſauros gratiæ, quos Deus in corde ejus abſconderit. Mirum non eſt; illius enim gloria non eſt ſimilis gloriæ aliorum: Particularem ordinem conſtituit; locum tenet toto cælo elatiorem loco ipſorum Angelorum, & ut recte judicium feramus, gloria, quam poſſidet, non ſolum gloria eſt ſimilis gloriæ Verbi Incarnati, ſed quodammodo eſt eadem:

Matth. 10. & 14.

Gloriam cum Matre non tam communem judico, quam eamdem, Sanctus Petrus Damianus ait.

Deus laudatur, ob tantum gloriæ gradum Mariæ collatum.

O Rex gloriæ! Videtur quidem magnitudo, & magnificentia opus eſſe domus Sanctæ tuæ. Hac de re inſigma præbuiſti argumenta die Aſſumptionis Sanctiſſimæ Matris tuæ. Hæc erat Sanctuarium gratiarum, & ex ea facis thronum gloriæ; ita illam exaltaviſti, ut unus illam ſupergrediaris; Eam coronaſti Reginam univerſorum; Rex ſolus illam præcedit: ipſa ita glorioſa eſt, ut Dei ipſius gloria dici poſſit, vel Deus illi totam gloriam ſuam communicaſſe. Apud te autem adeo potens eſt, ut ne ipſa quidem poteſtatis ſuæ extenſionem comprehendere valeat.

Menſura gloriæ Mariæ deſumenda eſt ex gratia ſanctificante quam in hac vita poſſedit.

Regula qua uti poſſumus ad dimetiendam altitudinem throni Sanctiſſimæ Virginis, deſumitur ex magnitudine gratiæ infuſæ, & Sanctificationis, quæ, inquiunt Theologi, eſt menſura gloriæ, vel ut melius dicam, gloria nihil eſt aliud, quam gratia conſummata. Hæc autem gratia ſanctificans illi data fuit in priori ſanctificatione pro ratione auguſtæ dignitatis Deiparæ, & omnium officiorum illius, mediatricis hominum, Reparatricis Univerſorum, aliorumque titulorum, quos illi Filius ſuus communicavit. Hanc illa gratiam commendavit plena, atque integra cooperatione, cui perenne incrementum acceſſit; quapropter Theologi ſeſe Patrum ſermoni accommodantes tribuunt gratiæ Sanctiſſimæ Virginis ſpeciem quamdam infinitatis. Gratia hæc, Sanctus Joannes Damaſcenus inquit, abyſſus eſt ſine fundo; immenſa eſt, Sanctus Bernardus inquit: Oceanus eſt ſine finibus, Dionyſius Chartuſianus ait. Sanctus Thomas illam gratiam conſummatam appellat, quia confirmabat illam invariabili modo in poſſeſſione, & boni exercitatione: *Conſummata fuit gratia, confirmans eam in bonum*. Plenitudo gratiæ excellentis, quam recepit toto vitæ ſuæ curriculo, ut omnes actiones ejus fierent meritoriæ, & virtutes ſingulares, atque incomparabiles. Doctores aliter explicant hujus gratiæ excellentiam, dicunt, illam ſuperare non ſolum gratiam aliorum Sanctorum multitudine graduum, ſed per eſſentialem differentiam, eamque eſſe in ordine quodam incomparabiliter ſuperiore, ita ut ſecundum hanc ſententiam, minor gratiæ gradus Sanctiſſimæ Virginis cum ſit gratia ordinis ſuperioris, pluris ſit, quam omnes gradus gratiæ excogitabiles hominum, & Angelorum in infinitum multiplicati; quoniam ſecundum Philoſophorum principia, infinitum fere intercedit ſpatium inter ſpeciei ſuperioris, & inferioris individua. Jure igitur conſideratis his omnibus gratiarum plenitudinibus cum Sancto Ildephonſo inferemus, ſicut quidquid Sanctiſſima Virgo in hac vita recepit eſt incomparabile, & quomodo ejus comparatio ad gratiam eſt inæſtimabilis; opus eſſe etiam gloriam tuam, quæ non aliud eſt, niſi gratia hæc conſummata, & coronata, incomprehenſibilem, & inenarrabilem eſſe. *Sicut eſt ineſtimabile quod accepit, ineffabile quod geſſit: ita eſt incomprehenſibile præmium gloriæ, quod obtinuit*.

Rationes propter quas Deus non glorificat corpora Sanctorum ſtatim poſt mortem.

Non poſtrema ratio propter quam Deus non glorificat corpora Sanctorum ſtatim poſt obitum, hæc eſt, quia in eorum vita quædam momenta fuerunt, non vacua crimine, & vult per hanc gloriæ dilationem aliquem juſtitiæ ſuæ characterem oſtendere: Differt illos penitus remunerari, quia & ipſi aliquandiu ſervire diſtulerunt. Fuerunt aliquot momentis ſine illius gratia; non deerunt momenta quædam, quibus carebunt magnitudine gloriæ, quam præſtolantur. Hoc autem dicendum non eſt de Sanctiſſima Virgine; quæ repræſentatur per illam Apocalypſios mulierem amictam ſole ad oſtendendum ipſam, quacumque ex parte inſpiciatur, ab omni peccati labe vacuam eſſe. Non igitur opus eſt, ut in dilatione glorificationis ſuæ minimam patiatur umbram pœnæ, quam Deus infert illis, qui aliquando peccaverunt. Ne momentum quidem diſtulit ſervire Deo; æquum non eſt ut Deus vel uno differat momento illius remunerationem.

Bona Juſtorum opera non patiunt fructus, & remunerationem ſuam niſi poſt generalem Reſurrectionem; ſed opera Mariæ ſtatim poſt mortem produxerunt fructus ſuos per præcocem Reſurrectionem.

Deus elevavit in gloriam in corpore ſimul, & anima Sanctiſſimam Virginem, ut remuneraretur actiones ejus eo modo, qui magnitudini meritorum ejus congrueret. Sanctus Bernardus bona Chriſtianorum opera vocat, *ſemina æternitatis*. Sed notandum eſt non deeſſe fœcunda quædam, & activa ſemina, fructus ſuos producentia ſimulac jacta fuerunt in terram, cum alia, quæ tantam non habent fœcunditatem diutius in illis producendis immorentur. Opera bona aliorum Sanctorum ſunt quidem ſemina æternitatis, quæ jaciunt in manus JESU CHRISTI tamquam in terram fertilem. Germinant illa quidem ſtatim poſt mortem fructum animarum, ſed corporum gloriam differunt in diem judicii. Sed non idem dicendum eſt de bonis operibus Sanctiſſimæ Virginis: Cum peculiarem habeant relationem cum operibus JESU CHRISTI ſimul utrumque fructum producunt; gloriam corporis ſimul, & animæ.

Tria, per quæ Deus metitur gloriam Sanctorum, & per quæ judicium ferendum eſt de Virginis gloria.

Supponendum eſt gloriam æternam (quæ par non eſt in Sanctis omnibus) tribus ex rebus dimetiri ſecundum communem Theologorum doctrinam, ex gratia, ex meritis, ex amore Dei. Hanc illi rationem tribuunt.

buunt. Dicunt gloriam hanc dari velut hæreditatem filiorum Dei; vel tamquam mercedem ſervorum Dei, vel tamquam noviſſimum finem amicorum Dei. Tamquam hæreditas metitur ex gratia, per quam adoptamur Filii Dei: tamquam merces metitur ex meritis, quæ nos hac gloria dignos efficiunt; tamquam noviſſimus finis metitur ex amore, quod centrum eſt noſtræ quietis. Apprehendite tres haſce menſuras, gratiam, merita, amorem, & videte, utrum per has pervenire nobis licebit ad cognoſcendam magnitudinem gloriæ Sanctiſſimæ Virginis.

Maria ſuperat Sanctos gloria, quia illos ſuperavit amore Dei.

Sanctiſſima Virgo ſuperat omnes Sanctos gloria, quia Deum amavit, pluſquam Sancti omnes ſimul. Hic maternus eſt amor omnium tenerrimus, & amor Patris, qui validiſſimus eſt, & efficientiſſimus. Ceterum ſi amor naſcitur, & fovetur mutuis donis, proculdubio Sanctiſſima Virgo plus contulit Filio ſuo, quam Sancti omnes, & plus ab eodem accepit: etenim hinc quidem illi dedit vitam, & inde recepit eam modo prorſus ſingulari, quia nonniſi propter illum, & per illum eſt, ita ut non ſolum debeat Incarnato Verbo gratiam, & gloriam, verum etiam ipſam naturam. Si ergo ex me quæſieritis quiſnam præ omnibus Sanctis JESUM CHRISTUM amaverit, nonne potiori jure, quam Phariſæus reſpondere debeo. *Æſtimo, quia is, cui plus donavit. Et quid mirum*, Sanctus inquit Bonaventura, *ſi præ omnibus diligit, quæ præ omnibus eſt dilecta.*

Unde ſumatur pretium, & valor actionum noſtrarum quarum merces eſt gloria?

Ut etiam judicium feramus de gloria, quæ reſpondit menſuræ gratiæ, quam Sancta receperat Virgo, ſupponendum eſt, Virtutem, ac meritum actionum noſtrarum deſumi ex tribus rebus, quæ non magna indigent mentis attentione, quia hæc principia ſunt, quæ in dubium nullo modo poſſunt revocari. Prima eſt habituum ſupernaturalium, & infuſorum, qui ſunt velut cauſſæ illos producentes. Exempli loco ad exercendum actum fidei, aut perfectæ caritatis in Deum: Cum actus hic ſuperet omnes naturæ vires, opus eſt, ut Deus nobis conferat poteſtatem per habitum ſupernaturalem, qui nos attollat; ſed quia hic habitus iners permaneret, requiritur præterea gratia actualis, quæ nos præveniat, & excitet, hoc eſt, quæ nos ad agendum impellat. Et demum opus eſt, ut noſtra cooperetur voluntas præventa a gratia, ita ut ſi unum ex tribus deficiat, nequeamus facere ullam virtutis actionem, quæ æternam mereatur felicitatem; ſed ubi hæc tria conſentiant; hinc quidem habitus ſint validi, inde vero excitentur, & impellantur validis gratiis actualibus, ceterumque voluntas feratur ad virtutis actiones præ omnium virium ſuarum magnitudine, tunc gratiam quam dicimus ſanctificantem, qua Deo accepti efficimur, & quæ proprie menſuram gloriæ noſtræ in cælo conſtituit; tunc inquam hæc gratia noſtra creſcere poteſt, & in infinitum augeri. Sed quæſo, quiſnam per validiores, ſanctioreſque habitus in toto vitæ ſuæ ſpatio operatus eſt, quam Virgo Sanctiſſima, quis fidelius reſpondit actualibus gratiis, & motibus Spiritus Sancti? Quis denique, quis uberiorem fructum percepit ex immenſo gratiarum fundo, quæ illi tamquam in partem conceſſæ fuerunt, quin in omnibus operibus ejus quidquam otioſum, iners, & inutile extiterit?

De Mariæ gloria judicium ferendum eſt ex admirabilibus incrementis quæ fecit in gratia.

Cum gratia ſit gloriæ menſura, conjicite quanta eſſe debeat hæc gloria ex admirabilibus incrementis, quæ Sanctiſſima Virgo ſub vitæ exitum accumulavit; cum enim duæ vitæ illius horæ nunquam fuerint conformes, ſubſequens illam ſanctiorem, perfectioremque, & Deo acceptiorem efficiebat, quam prior. Sed quod gloriæ pondus, ut Sancti Pauli verbis utar, perennia hæc incrementa operata non ſunt? Vos feretis judicium ex iis conſiderationibus, quas per vos mihi licebit facere ex hoc gratiarum incremento, ex fundo, ex quo hic progreſſus duxit initium, & qui ſemper eadem ratione proceſſit, ac tandem ex conſummatione, & perfectione hujus gratiæ, cujus corona, juſtumque pretium eſt gloria. Neſcio utrum ſatis unquam aſſecuti ſitis naturam caritatis, & gratiæ, quæ ſunt vel unum, vel duo ita inſeparabilia, quæ invicem alterum ex altero dimetiuntur, & creſcunt, prout majori, vel minori fervore operamur. Poſito igitur quod Virgo Sanctiſſima inceperit agere cum uno tantum gratiæ gradu, qui ſi ſeſe multiplicaſſet in ſingulas horas diei, numerus deſiiſſet intra ſpatium horarum quatuor, & viginti. Quid eſſet ſi a vobis ratio haberetur omnium momentorum, quæ in ſingulas horas poſſent inveniri? Quamvis Virgo Sanctiſſima uno duntaxat anno in terris manſiſſet, nulla mens eſt, quæ comprehendere valeat ad quem gratiæ, meritique gradum pervenerit, cum aſſecuta fuerit terminum annorum trium ſupra ſexaginta.

Si meriti magnitudo dimetitur ex magnitudine perſonæ, quæ illud ex præſtantia actionis ejus, quod eſſe debet Virginis meritum, & quæ ejus remuneratio?

Ad remunerationis magnitudinem intelligendam, cognoſcenda eſt meriti magnitudo; ſi enim tribuitur juxta juſtitiæ leges, meritum debet exæquare. Ad meriti autem magnitudinem aſſequendam Sanctus Thomas hanc regulam tradit; *Quantitas meriti ex duobus poteſt penſari, uno modo ex radice caritatis, alio modo ex claritate operis*. Spectari igitur poteſt & dignitas agentis, & operis præſtantia. Si hinc reſpicitis agentis dignitatem agens eſt Mater Dei. Quid autem dicere cogitatis, cum Dei Matrem dicitis? Noſtiſne meritum ejus? Hæc eſt perſona poſt tres divinas, omnium digniſſima. Noſtis, quodnam ſit meritum JESU CHRISTI? Tantum eſt, ut omnes Catholici Doctores conſentiant, dicantque ipſum in omnibus vitæ ſuæ actionibus, etiam minimis, infinite meruiſſe, ita ut unicum ex illius verbis, unica mentis illius cogitatio, oculi nictus, afflatus, greſſus eſſet valoris, meritique infiniti; & ratio, quam aſſerunt, eſt infinita perſonæ dignitas; erat enim perſona meriti infiniti. Si poſt primam hanc perſonam ſequitur immediate perſona Virginis Sanctiſſimæ; illa quidem tam digna non eſt, ideo neque tantum eſt meritum ejus; ſed Filium imitatur, & ad illum tam prope recedit, ut nemini propius liceat. Dicendum eſt igitur, ipſam maximo repleviſſe merito omnes, licet minimas actiones vitæ ſuæ, quoniam factæ erant a perſona poſt JESUM CHRISTUM digniſſima, maximique meriti. Sed ut melius innoteſcat valor, & excellentia meritorum ejus, animadvertite, Sanctum Thomam explicite dicere hanc petendam eſſe *ex radice caritatis*. Radicem hanc quærite in corde ejus, & videte quantus erat amor, quo flagrabat in Deum, quam fecundus erat, generoſus, ac ſtrenuus. Videte gratiarum ejus copiam, quæ ſuperabat gratias omnium Sanctorum, & Angelorum: cumque amor ſit fortiſſima, & efficaciſſima inter omnes cordis affectiones, cor ejus nunquam vacabat, ſemperque erat operibus maximi meriti intenta.

De magnitudine meritorum Mariæ judicium ferri poteſt etiam ex præſtantia virtutum quas exercuit.

De magnitudine gloriæ Sanctiſſimæ Virginis judicium quoque ferri poteſt ex collectione virtutum omnium, quæ ita eminebant, ut arduum ſit affirmare quænam eſſet præferenda; quoniam in ſummo excellentiæ gradu poſſidebat illas, eaſque exercebat modo præſtantiſſimo, & heroico ſine obice, & quin defectus aliquis admiſceretur. Virtutes inquiunt Theologi, in Angelis ſunt quidem immutabiles, ſed merito carent. Meritum habent in hominibus, ſed non ſunt immutabiles; una Virgo duplici hoc privilegio gaviſa eſt. Virtutes ejus erant immutabiles, & meritoriæ ſimul, & quin amitteret meritum viatorum, jam eorum erat prærogativam adepta, qui jam ad beatum terminum pervenerunt. Humilitas ejus erat ſine fundo, puritas ſine labe, patientia ſine termino, obedientia ſine exceptione, ſapientia ſine modo, fortitudo, & virtus in omnibus. Si ergo virtutes ſingulæ coronam merentur in cælo, quænam eſſe debet glorioſiſſimæ Virginis corona, quoniam ornata eſſe debet fulgore virtutum omnium, quæ in Sanctis aliis eluxerunt, & eas poſſedit eo in gradu, qui nullam patitur comparationem.

Sancta Virgo in cælum erecta eſt, prout in terris humilitatem exercuit.

Si veritas ipſa teſtatur, eum, qui ſe humiliat, exaltatum iri, falli ne hodierna die poſſum accipiens pro regula elevationis gloriæ, quam Sanctiſſima Virgo poſſidet in cælo, profunditatem humilitatis ſuæ ſuper terram? Hæc regula ſatis juſta, ac tuta eſt, nec errare poteſt; & hæc veritas ſatis conſtans eſt, nec lapſus timeri poteſt. Sanctus Paulus profecto cenſuit hoc fundamentum ita ſolidum, ut illud par cenſuerit ſuſtinendæ elevationi gloriæ ipſius Filii Dei. Cum enim hæc illi debeatur gloria ex omnibus titulis, qui poſſunt excogitari, audacter affirmat, illum uſque ad ſupremum honoris gradum aſcendiſſe in triumphali Aſcenſione ſua, eo quod deſcenderet uſque ad profundiſſimas abjectiones; quaſi unum ex altero certiſſime conſequeretur; & hoc eſſet principium extra omnem dubitationem poſitum, nos eo majores, elatiores, glorioſiores coram Deo futuros, quo minores in oculis noſtris, hominumque fuerimus. Hoc igitur ipſum dici poteſt hodie in Aſſumptione Sanctiſſimæ Genitricis ejuſdem Hominis-Dei; ipſam evectam fuiſſe uſque ad altiſſimum Empyrei verticem, quia ad extremas uſque humiliationes deſcendit; & ſi quærere videtur Eccleſia, quænam illa ſit quæ aſcendit, & ſublimis in cælum progreditur, nonne reddi poteſt, hanc eſſe illam ipſam, quæ deſcendit adeo infra, & quæ adeo ſeſe humiliavit in terra. *Quæ eſt iſta quæ progreditur.* Ita ut ſi vobis metiri liceat ſuæ humilitatis profunditatem, ego pollicear, me vobis aſſignaturum menſuram gloriæ & elevationis illius; ſed utrumque menti humanæ invium eſt.

Ejuſdem argumenti.

Si tota Mariæ vita traducta fuit in humiliatione, quis aſſerere poteſt quantum poſt mortem fuerit exaltata, & quot coronis in cælo ejus humilitas fuerit decoranda? Judicium ex eo ferri poteſt, quod fecit Deus, & quod quotidie facit in terra ad Deiparæ gloriam. Nemo unus ignorat quot altaria, quot Templa fuerint extructa, quot inſtituti dies feſti in nomine ejus, & qua populi affluentia, & pompa celebrentur. Liquet quot Reges gloriæ ſibi vertant illi famulari, & regna ſua eidem vectigalia ſubjicere. Audeo dicere ad honorem Sanctæ huic Virgini deferendum, ad roborandam fiduciam, quam habent fi-

deles

deſes omnes poſt Deum in illius protectione, Deum non pauciora, quam pro Eccleſiæ ſuæ inſtitutione operatum fuiſſe miracula.

Sancta Virgo mortua eſt ob violentum conatum amoris Dei.

Doctorum omnium conſenſu Virgo Sanctiſſima vi divini amoris exceſſit, & elata eſt. Neque mirum videri debet illam præ amore mortuam fuiſſe; inſtar portenti erit illam diutius vitam producere inter flammas ardentis hujus caritatis. Illam conſervabat Deus per effectum miraculoſæ poteſtatis ſuæ, tamquam Moyſis rubum inter flammas incombuſtum, & tamquam tres pueros in Babylonis fornace. Vim tribuebat inauditam menti illius, fulciebat ejus imaginationem, efficiebat, ut omnes ſpirituales illius facultates inter has amoris flammas ſubſiſterent; quapropter permiſit, ut hujus amoris violentia operaretur, ad præclaram hanc animam a corpore divellendam, ejuſque vincula omnia cumburenda.

Beatorum animæ cupiunt conjungi cum corporibus ſuis: Beata Virgo gaudet hac felicitate, quam alii expectant.

Certum eſt Beatorum animam in cælo teneri deſiderio ſeſe iterum conjungendi cum corpore, quod ſibi fuit habitaculum in terra; & hominis partem alterius parte indigere, ut ejus felicitas, & conſolatio perficiatur. Hinc illa Sancta cum impatientia beatam hanc diem præſtolatur, qua cum ſui ipſius dimidio eſt conjungenda. Hanc felicitatem ſuis votis prævertit, & in anteceſſum fruitur gaudio, quod aliquando habitura eſt informandi corpus, quod ſuam gloriam perficiet. Sed Virgo Sanctiſſima in cælo in anteceſſum gaudet eo, quod ſperare Beatis ſatis eſt. Et ſane deferendum illi fuit in cælum ſenſibile ſignum divinæ Maternitatis; videlicet corpus ſuum, per quod & in quo concepit Deum per maximum omnium miraculorum. Illuc inferre debuit ſinum, qui tulerat Ipſum, & quod illum lactaverat, ut haberetur pro Dei Matre, & ut mox a Beatis reciperet obſequia, & honores, quos tanta magnitudo poſtulat. Utique, Salvator, Mater tua habere debuit in cælo corpus, quod tuo materiam ſuppeditavit.

Quidam crediderunt in Aſſumptione Virginis Deum creaviſſe novam in cælo gloriam.

Nonnullorum etiam Sanctorum ſententia eſt, die Aſſumptionis a Deo novam creatam fuiſſe gloriam, quia conſtituerat Matrem ſuam in ordine novo, & in peculiari honoris claſſe. Innuere fortaſſe cupiunt per hæc Deum recentem illi ornatum dediſſe, & novum gloriæ nitorem cæleſti Jeruſalem per Sanctæ Virginis præſentiam; quamobrem Sanctus Bernardus ait, Paradiſum ſplendidiorem factum; ubi illic novum ſydus refulſit, quod illum ſua luce replevit, & Sanctus Anſelmus ad illam converſus dicit illi: *omnia quæ in cælo ſunt, per glorificationem tuam decorantur inæſtimabiliter*. Quidquid in cælo eſt, ex fulgore Aſſumptionis tuæ inæſtimabiles gloriæ, & decoris incrementum acquirit.

Theologi nonnulli crediderunt Mariam plus dilexiſſe Deum in terra, quam Beati in cælo.

Aſſeruerunt quidam Theologi amorem Sanctiſſimæ Virginis, quo Deum in terris dilexit eo majorem eſſe, quo in cælo Beati diligunt illum, quamvis cogitatio, quam illa tunc habebat, eſſet imperfectior viſione beatifica, quam Sancti habent in gloria. Sed quodcumque ſit de hac prælatione, quæ tamen probari poſſet multitudine, & vi rationum, quas habuit amandi JESUM CHRISTUM, & fidelitate cordis qua reſpondit earum extenſioni, aſſeri poteſt neminem unquam tantum amaſſe Deum in terra.

Maria non erat morti obnoxia quatenus filia Adæ, ſed mori debebat quatenus filia JESU a quo nobiliorem vitam receperat.

Virgo Sanctiſſima non tenebatur proprie mori quatenus Adæ filia, quia ab illo neque peccati corruptionem, neque peccatum hæreditario jure acceperat, ſed mori debebat quatenus filia JESU CHRISTI. Ab illo receperat vitam gratiæ, gratiam eminentem, & abundantem; receperat illam per merita Crucis ejus, quapropter a Sancto Bernardino Primogenita Redemptoris vocatur. Inſita fuerat, & incorporata in morte illius, erat igitur Filia Dei morientis, igitur contraxerat neceſſitatem moriendi, & poſtea recipere debebat a JESU CHRISTO gratiam conſummatam, videlicet gloriam. Vita, quam ab Adam recepit, erat vita admodum languida; ſed vita, quam a JESU CHRISTO erat receptura, vita erat excellens, nobilis, & pretioſa; Priori igitur exuenda erat, ut altera indueretur. Si tranſlata fuiſſet de terra ad cælum, quin per mortem tranſiret, & ſine mutatione, quam Reſurrectio parit in corporibus prædeſtinatorum, in carne ſua non habuiſſet niſi vitam imperfectam, quam habuerat in terra.

Cum Maria ſeſe abjecerit eo uſque ut ab omnibus penderet, in cælo recipit ſupremam auctoritatem in omnia.

Ad revelandam magnam Deiparæ abjectionem in terra, magnum recipit gloriæ gradum in cælo: ſi enim ita ſemper abjecit ſe, ut ab omnibus penderet, in cælum aſcendit receptura ibi poteſtatem, & auctoritatem, quam exercere noluit in terra. Aſcendit conſtituenda tamquam rivulus gratiarum omnium, Advocata peccatorum, Eccleſiæ præſidium, Reſurrectio civitatum, ac regnorum, cæli, terræque Regina. Utique, Mariæ potentia non alios habet fines, quam amoris, quo a JESU CHRISTO diligitur. Hic vult, ut ad eam confugiamus obtenturi ab ipſo gratias, quibus indigemus; & nihil magis abhorret a ſpiritu fidei, quam honorare velle Filium, quin accedamus ad Matrem petituri per hanc gratias, quas cupimus.

Maria in Aſſumptione ſua eſſe debet fiducia noſtra.

Sanctiſſimæ Virginis Aſſumptio eſt fiduciæ noſtræ conſummatio. Profecto ſi hodierna die in cælum aſcendit, ſi ſedet ad dexteram Filii ſui, ideo ſedet ut fungatur munera Advocatæ hominum. Metuis, Sanctus Bernardus ait, adire Patrem? Dedit tibi Filium ſuum Mediatorem; ſed fortaſſe Filii Majeſtas, Deus eſt enim, te terret; ideoque dedit Matrem ſuam mediatricem apud Filium ſuum. Fidenter igitur accede ad hunc gratiæ thronum, & miſericordiæ. Facilius aliquando exaudieris ad Matrem confugiens, quam Filium rogans, non ex eo quod in illa plus ſit poteſtatis, aut miſericordiæ; ipſa enim quidquid utriuſque habet, habet ab illo, ſed quia Filius ſi miſericors eſt, ſimul etiam eſt juſtus, & ſi noſter Salvator eſt, eſt quoque judex; quorum alterum ſi in nobis ciet ſenſus confidentiæ, alterum imprimit ſenſus formidinis. In Maria vero nihil eſt niſi miſericordia, & *pura humanitas*, ideoque quantumvis miſer ſis, & peccator, ad Mariam convertere, non ſolum abſque metu, ſed etiam cum omni fiducia, certus te non paſſurum repulſam. Gratulare illi tantam gloriam, & poteſtatem, ſed tibimetipſi gaude, quia ejus gloria, & poteſtas cauſſa eſt tuæ confidentiæ.

Maria peculiare jus habebat ad Reſurrectionem propter arctam affinitatem cum Filio ſuo J. C.

Si homines ſecundum plurium Doctorum ſententiam, jus habent ad Reſurrectionem propter fœdus, quod eorum corpora habent cum corpore Salvatoris in Euchariſtia ubi cum illo contrahunt peculiarem, arctam, intimamque affinitatem, propter quam Sancti quidam Patres nos vocant *Concorporeos, & Conſanguineos CHRISTI*, quid nobis dicendum eſt de fœdere, quod Mater Dei ipſius contraxit cum Filio ſuo? Nonne peculiariter applicari poteſt puræ, & virginali carni ejus id, quod Tertullianus dixit de carne omnium mortalium? Quoniam ea pertinet ob tot titulos huic Homini-Deo, quomodo diutius differre poterit Reſurrectionem? Originem duxit de ſinu illius, Corpus ſuum factum eſt ex parte corporis ejus; Sanguinis ejus fluit in venis illius; ex ejus ſubſtantia hic Homo-Deus compactus eſt, & ex ejus lacte aliquandiu nutritus: *Hæccine non reſurget toties Dei?*

Magnum eſt divini amoris teſtimonium erga homines dediſſe illis Matrem ſuam Advocatam in cælo.

Magnum eſt Divini amoris erga nos teſtimonium, dediſſe nobis Sanctiſſimam Matrem Advocatam, ac Patronam glorioſa hac die. Nam poſt mortem, quam pro nobis ſubiit, ad promerendam gloriam, quam amiſeramus, poſtquam nobis dedit Spiritum ſanctum ſuum, ut nos ſanctificaret; poſtquam nobis reliquit merita Sanguinis ſui in Sacramentis, ut nos mundaret a ſceleribus noſtris; verbo, poſtquam ſe totum impendit pro ſalute noſtra, ſuum Salvatoris officium abſolutum quodammodo, perfectumque videtur; & poſtquam aſcendit in cælum, Judicis tantum munus obire videtur, quemadmodum ipſe miſit, qui hoc Apoſtolis ſignificarent. *Hic JESUS qui aſſumptus eſt a vobis, quemadmodum vidiſtis eum, ita veniet.* Act. 1.
Hoc reliquum eſt illi faciendum cum hominibus; & quamvis miſericordia illius habeat adhuc regnum ſuum in mundo, tamen opus eſt, ut juſtitiæ ſuæ jura tueatur. Sed quid agit Deus iſte amoris, & bonitatis? Dedit nobis Sanctam Matrem ſuam Advocatam, & Patronam in cælo, ut nos quodammodo protegat contra ejus juſtitiam, ut iram flectat, & nobis tutum adſit perfugium; qua in re Salvator ſeſe geſſit tamquam Patrem irritatum in rebelles filios, qui ut occaſionem nancilceretur illis parcendi, Matri mandaret, ut intercederet, & ſuam operam, atque auctoritatem impenderet, ut eos in Patris gratiam reconciliaret. Ita felicitas Sanctiſſimæ Virginis noſtram hodierna die conſtituit; ejus poteſtas nos protegit; ejuſque elevatio ſit ampliſſimum ſpei noſtræ argumentum.

Puritas Mariæ, quæ Filium Dei pertraxit de cælo ipſam in Dei ſui ſinum elevavit.

Si incomparabilis Mariæ puritas tantas habuit illecebras, ut de cælo Verbum Æternum pertraheret, cogeretque inire fœdus adeo arctum cum illa, credendum eſt, non minus illi fuiſſe, ut ipſum impelleret, ut eam de tumulo erueret, & in cælum extolleret. Hic profecto propius eſt hujus virtutis effectus, ait quidam Pater, omnia de cælo trahere: *Virginitas, quæ de cælo omnia trahit*. Videlicet omnes attrahit gratias, favores, & benedictiones, & tantum poteſtatis obtinuit ut illum ipſum attraheret, qui eſt Auctor omnium bonorum. Sed nonne eodem jure dicere poſſumus, eamdem omnia in cælum attollere, qui eſſe videtur locus naturalis ipſius, quo quidquid purum eſt, ultro aſcendit? Hoc igitur Sanctiſſimæ Virginis Corpus purius ſyderibus, & empyreo permanſurum ne erat in terra, cum deſtinatum eſſet feliciſſimum cælorum omnium ornamentum?

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentibuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Argumentum admirationis Angelorum in hoc Myſterio.

QUÆ *eſt iſta, quæ progreditur, &c.* Altiſſimi cælorum Spiritus hodierna die, Chriſtiani Auditores, ſumma correpti admiratione ſciſcitantur hoc, conſiderantes Beatam Virginem evectam ad altiſſimum cælorum faſtigium, non quod illius meritum ignorent, vel ejus Deiparæ dignitatem, vel titulum, quo adit poſſeſſionem gloriæ ſibi paratam: ſed quia tanta luce perſtricti obſtupeſcunt videntes meram creaturam ſuper celſiſſima Seraphin ſublatam, quemadmodum illa meritis ſuperat, & ſanctitate: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur?* &c. Sed homines mihi videntur eadem cum admiratione percontari poſſe, Quænam eſt, quæ moritur modo ita ſingulari, & cujus ſepulcrum ſit fons vitæ, reddens corpus vivum, & pretioſum, quin computreſcat, & corrumpatur? Et ſane quid magis admirandum eſt, funebris ne illius pompa, an pompa triumphi? thronus, an tumulus? Maria in terræ ſinu, an Maria in cæli vertice? Utrumque pro modulo ſuo mirum eſt; quia moritur ſine morbo, & per violentum conatum puriſſimæ in Deum caritatis. Vitam nanciſcitur in mortis ſede, & jactura, quam terra patitur glorioſi hujus pignoris, ſit argumentum ſuæ felicitatis, quia glorioſa hæc Dei Mater non aſcendit in cælum, niſi ut inde ſua nobis protectione opituletur. Ecce Chriſtiani, quid efficere debeat noſtræ admirationis non ſecus ac Angelicæ argumentum. *Auctor recens.*

Quam pretioſa ſit coram Deo mors Sanctorum, præſertim vero Beatæ Virginis. Ad Philip. 1.

Ne timeamus ſermonem de morte Beatæ Virginis perturbare poſſe triumphi ejuſdem celebritatem, & gaudium. Pretioſa eſt mors Sanctorum coram Domino, & ſicuti vita illorum eſt juge martyrium, dicere licet, obitum eorum merum eſſe triumphum. Vitam ſuſtinent cum patientia; ſed mortem quærunt cum ardore, quam cum invenerint, tanta exultent lætitia, quanta ſi theſaurum nacti fuiſſent. Ita illam conſiderabat Apoſtolus, cum anhelabat ad Deum ſuum, & cupidius flagrabat illius videndi, hæc ex eo amoris pleniſſima verba eliciebat: *Mihi vivere CHRISTUS eſt, & mori lucrum. JESUS CHRISTUS* eſt vita mea, & mors theſaurus meus. Profecto inæſtimabile bonum eſt, Sanctus Ambroſius ait, repente evadere poſſe ex corruptione, ignorantia, infirmitate, quæ peccati effecta ſunt, & a ſtatu adeo triſti, ac deplorabili, qualis eſt vitæ hujus mortalis, tranſire ad beatam Prædeſtinatorum conditionem. Quod ſi pretioſa eſt coram Deo mors Sanctorum, longe pretioſior eſt mors Sanctæ Virginis. In hoc optimam illa ſibi partem elegit, & obitus ſui gloria æque rara, & ſingularis eſt ac illa ſuæ maternitatis omnem creatam excedit magnitudinem. *Si omnium Sanctorum mors pretioſa, Maria certe pretioſiſſima, quam tanta comitata eſt gratia, ut Mater Dei diceretur.* Pater Novet Vita JESU in Sanctis ſuis.

S. Auguſtinus ſerm. de Aſſumptione.

Quid reddat mortem pretioſam.

Mors Sanctorum pretioſa eſt per meritum vitæ ipſorum, unde incomparabilem haurit fulgorem. Mortis bonum non in eo ſitum eſt, ut in nitentis fortunæ pompa moriamur, ſed in gratia Dei; non in honore, & dignitatibus, ſed in ſtatu gratiæ, quæ nos immarceſcibilis coronæ facit hæredes; non in affluentia bonorum terreſtrium, ſed in ſanctitate virtutum, qui ſunt theſauri cæleſtes; non in magna amicorum turba, quæ nos efferat in tumulum, ſed in patrocinio Angelorum, qui nos in æternas ſedes inducant. Mori feliciter eſt, animam reddere in manu JESU CHRISTI, & eum illo aſcendere triumphali more in cælum, poſtquam terram victoriis ejuſdem repleverimus. Honorabilem obire mortem eſt egredi e mundo onuſtum meritis, infinitis operibus bonis circumdatum tamquam Principem qui nunquam pedem effert ex ædibus ſuis niſi magna civium, & aulicorum corona ſtipatus. Denique pretioſam obire mortem eſt, ſemet ſepelire cum nitidis gratiæ luminibus, & fulgentibus claritatibus gloriæ. Vita bona dat merita; mors autem præmium: illa virtutes acquirit, mors obtinet coronam: illa magna operatur, & mors fidele perhibet teſtimonium. *Mors vitæ teſtimonium*, Sanctus Ambroſius inquit. Quænam igitur pretioſior mors, quam Sanctiſſimæ Virginis, quæ finem fecit vitæ pulcherrimæ, præclariſſimæ, pretioſiſſimæ? *Idem.*

Patientia Sanctæ Virginis in expectatione mortis ſuæ.

Quod primum occurrit in morte Mariæ, eamque infinite pretioſam reddidit coram Deo, & quod illam mihi ſecernere videtur a morte aliorum Sanctorum, eſt patientia in expectanda ſeparatione animæ a corpore ſuo. Profecto quidquid quæri poteſt in hominibus vulgo, eſt mortis acceſſionem non formidare: nuntium ejus non ægre audire, & in manu Creatoris ſui vitam dimittere, quam ab illo commodatam accepimus, poſt breve ſpatium reſtituendam. Sancti, & ſublimiores animæ ulterius procedunt; vitam enim exilium putant, vel ſupplicium; mortem vero tamquam beatum terminum curſus ſui, & tamquam portum deſiderant in quo tuti eſſe debent a tempeſtatibus, vitæque hujus periculis. Vitam patienter ſuſtinent, & ardenter mortem deſiderant, ut nonnulli ex ipſis dixerunt. Itaque cum propius beatum hunc terminum attingunt, exultant præ gaudio; ſed quod alii cum ſubmiſſione recipiunt, & alii cum gaudio, hoc Maria tanta cum feſtinatione, quanta non poteſt ſignificari, peroptabat. *Sermones in omnia Ethica Chriſtiana argumenta.*

Quo ardore Virgo Sancta videre cuperet Filium ſuum.

Sanctiſſima Virgo Filium ſuum ardentiſſime intueri cupiebat. Non injuria vetus quidam Auctor ait, bonas Matres poſtquam in lucem ediderunt Filios ſuos, eorum imaginem in corde ſervare, quam ſemper conſiderant tamquam ſanguine ſuo pictam, & quam non temporis diuturnitas, non locorum diſtantia, non omnes vitæ hujus adverſitates delere poſſunt. Sed hoc potiori jure dici poteſt de Sanctiſſima Virgine, quæ cum amiſiſſet Filium ſuum, omnium, qui eſſe unquam potuerunt perfectiſſimum, ſuaviſſimumque, illius conſervabat imaginem, tamquam impreſſionem ſanguinis ſui. Ab eo neque oculos, neque cogitationes avertere poterat, ideoque nec deſiderium videndi ejus, quod in ſingula momenta inflammabatur dilatione ſuæ felicitatis. *Idem.*

Maria obiit meritis plena, cum jam ad perfectionis cumulum perveniſſet.

Sanctæ huic Virgini nequaquam accidit, quod pleriſque mortalibus, qui ſemper nimis cito moriuntur; quia nihil, vel parum fecerunt, ut Sanctam mortem oppeterent; & nihil fere propter æternitatem adepti ſunt; & ita diu quidem in terris permanſerunt ſed vixerunt parum; quoniam coram Deo numerus annorum, dierumque noſtrorum recenſetur ex numero virtutum, meritorum, bonarumque actionum noſtrarum. Hinc fit, ut pauciſſimi eo ſint in ſtatu, in quo eſſe deberent in momento mortis ſuæ, quia pauci plenos faciunt dies ſuos, ut loquitur Spiritus ſanctus. Sed Virgo Sanctiſſima diu vixit, quia ſancte vixit, cumque vita ejus tota traducta fuerit in exercitatione ſublimiorum virtutum, quin vel momenti unius fecerit jacturam; Mors excepit eam in ſtatu, quo non alter utilior eſſe poterat; & ſicuti alias dictum fuit de inſigni quodam terrarum domitore, mortem expectaſſe, donec ille ad cumulum gloriæ perveniret; nos vere dicere poſſimus de Matre Dei, eam a Filio ſuo in terris relictam fuiſſe, donec perveniret ad cumulum meritorum ſuorum, & ad altiſſimum ſuæ ſanctitatis faſtigium; ideoque pretioſa hac morte coronatos fuiſſe omnes labores ejus, tamquam glorioſo curſus ſui termino, & extremo calami ductu, qui tabulam vitæ adeo præclare perfecit. *Idem.*

Idem ſequitur argumentum.

Hinc igitur argumentemur, ſi mors noſtra pretioſa eſt, prout vita noſtra ſancta eſt, & meritis plena, quo in pretio eſſe debeat coram Deo mors Sanctiſſimæ hujus creaturæ, quæ adeo inſignes fecerat progreſſus in ſanctitate? quandoquidem nulla effluxerat dies, hora, momentum, quo non congereret virtutes virtutibus, & meritis merita? Ceterum ſi in divinæ hujus Majeſtatis oculis nihil eſt pretioſius gratia, cujus vel minimus gradus præferendus eſt iis omnibus, quæ ſunt in natura, ſi hæc eſt noſtræ perfectionis menſura, & mox etiam beatitudinis noſtræ; ſi denique eſt, quod pretium conſtituit, & nitorem mortis noſtræ; quodnam eſſe debet pretium, gloria, meritum vitæ, cujus ſingula momenta proceſſerunt per nova gratiarum incrementa, & cujus actiones ſingulæ aliæ aliis præiverunt? *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Mors aliorum Sanctorum pretioſa eſt, ubi conjuncta cum Dei gratia invenitur; quid igitur de illa ſentiendum, quæ ſuperavit ceteris perfectione hujus gratiæ? *Orationum Panegyricarum Specimina.*

Vita noſtra inſtituenda eſt ſecundum normam Sanctæ Virginis, ſi volumus mortem noſtram ſuæ ſimilem eſſe.

Verum ſi cupimus mortem noſtram huic prototypo conformari, neceſſe opus eſt, ut vitam noſtram componamus ad exemplum ſuæ, & altius in mente noſtra hanc veritatem imprimamus, nos in morte non inventuros, niſi bona, quæ fecerimus in vita, & bonum hoc futurum unice meritum noſtrum; ita ut ſi eo tempore nihil congeſſerimus, tunc inveniemur manus habentes vacuas, quin deinceps quidquam acquirere valeamus, vel augere noſtram beatitudinem in omnem æternitatem. Adjicietur ſignum libro vitæ noſtræ; nihil ultra addi, vel abradi, delerique poterit. Heu! Quis dolor tunc erit, adeo parum feciſſe cum tot gratiis, tot ſubſidiis, tot ſanctis inſpirationibus, & motibus Spiritus ſancti, & tot occaſionibus acquirendi infinita merita, & tot ſanctas virtutes exercendi? Verum cum inutilis ſit iſte dolor, noſtrum eſt, ſi voluerimus beatam efficere, & pretioſam coram Deo mortem noſtram, impendere omnia vitæ noſtræ momenta in referendis fructibus gratiæ, & acquirendis virtutibus, quod unice coram Deo pretioſum eſt. *Ibidem.*

Ardens Sanctæ Virginis deſiderium videndi Filium, quem tantopere diligebat.

Cogitare quæſo quænam fuit vis deſiderii, quo flagrabat Mater hæc amantiſſima videndi Filium, quem ſe ipſa magis amabat, & pro quo unice vivebat? Hunc Filium, quem ſciebat Regem cæli eſſe, donec

ipſa

ipſa morabatur adhuc in terra, & traducebat vitam ſuam in lacrymis, & in dolore eo quod ipſum amiſerat. Quot in cælum ſuſpiria ejaculata eſt verſus locum, ubi erat gaudium ſuum, atque theſaurus? Quam feſtinationem teſtata non eſt, prolixo hoc temporis intervallo? Hoc verbis non licet exprimere; ſed aliquid conjicere poſſumus ex dolore, quo confecta fuit, cum triduo tantum amiſiſſet eum, cum ſeſe in Templum receperat ex ſollicitudine, quam præſetulit, & querela, quam teſtata eſt: *Ego, & pater tuus dolentes quærebamus te*. Heu! Quid non paſſa erit annos triginta, quibus illius caruit adſpectu? *Pater Nouet.*

Quod ſi modo amorem hunc conſideremus, non qualis eſt in corde Matris erga Filium ſuum, ſed tamquam ſupernaturalem, qualis erat in Sanctiſſima Virgine erga Deum ſuum, dicere poſſumus, ſicuti nunquam alia pura creatura magis dilexit Deum ſuum, quam Virgo Sancta; quia deſiderium ejus reſpondebat cognitioni, quam habebat illius, quæ proculdubio erat perfectiſſima præ ceteris creaturis in hac vita, quandoquidem majoribus pollebat luminibus. Igitur cognoſcere quantum bonum ſit gloria, cujus Auctorem utero geſtaverat ſuo, & tandiu eadem carere; videre dilatum ſibi annos triginta votorum ſuorum effectum; hoc idem eſt præter propter, ac ſi primum mobile in curſu ſuo retineres. Vel potius dicamus, ſicuti magnum animæ in altera vita ſupplicium eſt Dei privatio; cum hæc anima ſeſe jaculatur, ut illum aſſequatur conatibus incomprehenſibilibus, & ſentit illa ſe retrahi, vel propulſari in ipſa raptus ſui vehementia; hoc quodammodo illud eſt, quod patitur Virgo Sanctiſſima in ſuæ beatitudinis dilatione. *Sermones in Ethica Chriſtiana argumentea tomo* 4.

Maria ſeſe guatio in ſuæ beatitudinis perfruitione.

Canticorum ſponſæ non ſufficit dicere, caritatem fortem eſſe mortis inſtar: *Fortis, ut mors, dilectio*, addit enim, hoc illi cum inferno commune eſſe, juge nempe violentiam, quam Dei privatio infert animæ ab illo ſeparatæ, *& dura ſicut infernus, æmulatio*. Quænam igitur fuerit ſubmiſſio, quæ impulit Matrem Dei ad perferendum vitæ hujus mortalis exilium, quo ſeparabatur a loco, ubi ſuæ erant deliciæ, & quo omnia vota ſua tendebant, in cognitione felicitatis, quæ illam manebat, & ad quam tot annos crebro anhelitu ferebatur? Nonne dici poteſt, mortis moram illi graviorem fuiſſe, quam mors ipſa illis ſit, qui vitam ipſam efflictim diligunt; & ſingula momenta, quibus differebatur, illi fuiſſe inſtar mortis ſæviſſimæ, atque acerbiſſimæ. *Idem.*

Aliorum conſtantia elucet in morte cum ſubmiſſione recipiendo; ſed Mariæ ſubmiſſio fulget in ſuſtinenda mortis ſuæ venientis mora.

Ita ſi aliorum fulget conſtantia in recipienda morte cum ſecuritate, Sanctæ Virginis conſtantia non magis enituit, quam in tanta mortis cunctatione ſuſtinenda. Submiſſio, quæ in homine Chriſtiano requiritur, cum illam adventare cognoſcit, eſt, ut illam ex animo accipiat; ſed Sanctæ Virginis ſubmiſſio fuit illam lento gradu venientem videre, ac ſemet Providentiæ decretis ſubjicere, quæ voluit illam diu in terris permanere ad regimen, & ſolatium Eccleſiæ adhuc illius ope indigentis. Si Mortem Sanctiſſimæ Virginis ex hoc tantum loco ſpectaremus, quæ proculdubio coram Deo eſſet pretioſa, cui nihil acceptius eſt anima penitus a mundo avulſa, quæ unum quærit Deum, & non aliud expectat, niſi felix illud momentum, quo ſeſe in æternum cum eo conjungere valeat. Adnitamur, Chriſtiani, illam hac in re imitari, & pro certo habeamus, nos nunquam ad mortem recipiendam paratiores fore, quam cum diutius illam expectaverimus, & concupierimus; numque noſmet adduceemus in ſtatum, in quo eſſe oportet, ut illam ſimilem faciamus morti Deiparæ, quæ non ſolum eam talem effecit ſubmiſſione ſua decretis Providentiæ, ut de hac vita egrederetur, ſed etiam ſecundo loco, ex Sancti Bernardi ſententia, quia obiit diem ſuum in ſtatu conſummatæ virtutis, & poſtquam repleviſſet menſuram Sanctitatis, quam ab illa expectabat Deus, ut ad deſtinatam ipſi gloriam vocaret. *Ibidem.*

Miraculum fuit perenne Beatam Virginem non mori in ſingula momenta propter vim amoris ſui.

Spiritus ſanctus accenderat in corde Beatiſſimæ Virginis flammam ita vehementem, ut vere juge miraculum fuerit, illa citra mortem ſuſtinere ingentem impetum ignis hujus cæleſtis, qui in ſingula momenta debebat pectus ejus diſrumpere. Si enim Sanctus Ephrem clamabat per deſerta loca manu ſuperpoſita cordi ſuo, quod ſcindi jamjam videbatur: ſi Sanctus Franciſcus Aſſiſinas prope fuit, ut præ gaudio langueret audiens Angelum cythara canentem: ſi Sanctus Franciſcus Xaverius dilatans ſinum ſuum, ut paullo reſpiraret, & cælum inflammato vultu reſpiciens divinam exorabat bonitatem, ut ſuis favoribus parceret, & reminiſceretur, cor humanum par eſſe non poſſe recipiendæ tantæ luminum, & conſolationum ubertati: quid faciendum erat Sanctiſſimæ Virgini, quæ ſola plus, quam omnes ſimul Sancti percipiebat? Quomodonam in ſingula ſuſpiria non expirabat? Quomodo in ſingula momenta flammis æſtuantibus amoris ſui non abſumebatur, præſertim vero poſtquam Dei Filius, qui eadem eſt caritas, voluerit novem menſes in Virginali utero illius habitare? Nonne cum Sancto Bernardo aſſumere poſſumus caſta ejus viſcera in amorem fuiſſe converſa; & illi nullum amplius fuiſſe cor, aut vitam, ſi ita loqui fas eſt, ſed caritatem fuiſſe cor ejus; & vivere, ac amare Deum, in illa unum & idem fuiſſe? Vita Seraphim eſt videre Deum, illum inceſſanter amare, & inæſtimabilibus deliciis ejus perfrui. Quocumque geſtant paradiſum ſuum, & ut Sanctus Gregorius ait, quocumque ſe conferant, nunquam egrediuntur ex Deo; volant in ſinu immenſitatis ſuæ, vivunt in corde ejus, exercent miniſteria ſua in Sanctuario Divinitatis. Hæc, ut vera dicam, vita erat Sanctiſſimæ Virginis, quæ magis Beatorum conditionem, quam mortalium in terra viventium ſequebatur. Cor ejus ſemper erat in Deo, Deus ſemper erat in corde ſuo. Somnus ejus non erat niſi perennis vigilia caritatis, & dicere poterat cum Sponſa; *Ego dormio, & cor meum vigilat. Pater Nouet in Vita JESU in Sanctis ſuis.* Cant. 5.

Mors Virginis miraculum eſt, & myſterium non ſatis cognitum.

Proculdubio inſigne miraculum eſt mors Beatæ Virginis; eſt enim effectus, cujus cauſſa inveniri non poteſt; Eſtne peccatum? Nequaquam. Ipſa enim eſt eadem innocentia. Conceptio ejus eſt ſine macula, nativitas ſine ſorde, vita ſine probro, cumque nunquam peccato ſervierit, morti vectigal pendere non debet. Nunquam ægrotavit, cumque juſtiſſima fuerit corporis ejus temperies, immunis erat ab omnibus naturæ viciſſitudinibus. Numquid violentia? Ne ita quidem. Mors illi nimis videbatur amabilis ita ut violenta dici non poſſet. Eſt ne divini amoris telum? Sed amor cum ſit vitæ principium, quomodo illi mortem infligeret? Num Crux Filii ſui? Sed ſi per Crucem erat moritura, dicite mihi, cur mortua non eſt in Calvario? Certum eſt, nullam Matrem tantum amaſſe Filium ſuum, quantum Sanctiſſima Virgo; nulla enim Mater filium habuit, qui ad Matrem unice pertineret, nulla Mater Filium habuit adeo amabilem, atque perfectum; nulla Mater habuit cor adeo nobile, & tam igni divini amoris ſuccenſum; & nihilominus plures Matres mortuæ ſunt vel præ dolore videntes mori filios ſuos, vel præ timore videntes ſolum mortis eorum periculum. Quorſum igitur Virgo Sanctiſſima mortua non eſt in morte cariſſimi Filii quem tantopere diligebat, & quem videbat tantum pati ſupplicium? Inquietis cum Sancto Bernardino, vivere illi majus fuiſſe martyrium ſine illo, quam mori cum illo; quia illi commoriens ſemel tantum Martyr fuiſſet, ſed cum illi ſuperſtes eſſet, ſingula vitæ momenta totidem erant martyria. Quod igitur mirabilius prodigium eſt, quam dicere vitam illi eſſe mortis ſpeciem, & mortem, natura mutata illi fieri ſpeciem vitæ? *Idem.*

Fides, & ſpes Sanctæ Virginis in morte, & circumſtantiæ, quæ mortem hanc fecerunt glorioſam, & ſanctam.

Si in generali illa conſternatione, quam peperit tragicus ille Salvatoris exitus in omnibus diſcipulis ejus, Virgo Sancta ſemper tranquilla permanſit in malacia, & ſilentio expectans effectum promiſſionum Filii ſui; quæ firmitas comitari debuit ejus fidem, & ſpem in hora mortis, cum poſt tot gratias receptas, exercitaſque virtutes, poſt tot pignora ineffabilia felicitatis, quam illi deſtinabat Deus, poſt tot argumenta certitudinis verborum ſuorum, non licebat ei amplius dubitare; cumque tot lumina abſtuliſſent fidei ſuæ obſcuritatem, quæ illam ſubſequitur, reliquerant illi ſolum ſubmiſſionem, & humilitatem, quæ ſunt virtutis hujus fundamenta? Vobiſmet fingite glorioſam hanc Virginem omnibus ornatam virtutibus, gratiis omnibus locupletatam expirantem in extaſi, & in raptu potius quam in agone, & convertentem extremos cordis ſui motus in impetus conſummatæ caritatis. Reor vos hujus myſterii magnitudine percitos conſiderare homines, Angeloſque apud Sanctiſſimam Virginem congregatos ad extrema illius colligenda ſuſpiria. Gemitus illorum communis parentis ſuæ jacturam plorantium, & horum ſuavia modulamina Reginæ ſuæ coronas properantium, mortis circumſtantias permixtas cum triumphali apparatu, & tributum, quod naturæ perſolvit, commendatas obſequiis eorum omnium, quæ in cælo, & in terra maxime nitent. Nullus dubito, quominus mortis hujus adeo ſanctæ, ſuavis, atque tranquillæ imago aliquam efficiat in mentibus veſtris impreſſionem, & in ſenſibus pietatis, quos vobis inſpirat, in imo corde veſtro dicatis: fac, Domine, ut moriar morte juſtorum, atque inter turbas, & dolores, qui ab extremo hoc momento ſeparari non poſſunt, aliquid experiar ex hac beata tranquillitate, quæ comitata eſt mortem Sanctiſſimæ Virginis. Sed ad gratiam hanc obtinendam incipite voſmet a mundo divellere. Quemadmodum quodvis temporis momentum ſecum aufert vitæ veſtræ particulam; facite, ut ſimul auferat partem inordinati hujus amoris,

qui

qui vos agglutinat terræ; facite, ut cupiditatis veſtræ fundus exhauriatur, ut ita dicam, prout curſus annorum veſtrorum abſumetur; feliciter voſmet invenietis amore creaturarum rerum vacuos, cum amor hic non prodeſſet, niſi ad ejus deſiderium ciendum. Veſtra cupiditas cum viribus veſtris conſeneſcat; vobiſcum ſenſim, & ſine ſenſu affectiones intercidant veſtræ, ut ſicut arbor, ad quam convellendam cura adhibita fuit, ex ſe corruit, & ſine vi, animæ veſtræ a terrenis effectibus expeditæ, quibus tamquam radicibus adhærent mundo, haud ægre ſeparentur, & ex ſemet concidant in Dei manus, qui ſeſe offert ad eas noviſſimo illo momento recipiendas. *Ex Speciminibus Orationum Panegyricarum, tom. 2.*

Deſiderium quod Virgo habebat moriendi oriebatur ex ardenti amore erga Deum.

Conſiderare poſſumus ardens Beatæ Virginis deſiderium adeundi Deum, & ſeſe cum Filio ſuo conjungendi. Deſiderium hoc quod augebatur, prout propius ad mortem accedebat, non oriebatur ex vitæ faſtidio, neque paſſionum metu, ſed ex puro amore, cui cum nihil ſatisfacere poſſet in terris, jugiter ferebatur in Deum, qui futurus erat ejus in cælo felicitas. Cum legiſſet illa ſacra Biblia, inde eliciebat ſenſus conformes ſenſibus cordis ſui. Modo ſecum dicebat cum David: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt: habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea:* modo converſa ad Deum dicebat illi: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Educ de cuſtodia*, & carcere corporis hujus *animam meam ad confitendum nomini tuo. Me expectant juſti, donec retribuas mihi* coronam juſtitiam, quam merita ſum. Credibile eſt nonnunquam in corde ſuo, non ſecus ac Apoſtoli corde, fieri conſueviſſe certamen inter Dei amorem, & proximi. Hinc quidem amor Dei oſtendebat quantum profuiſſet illi mori, ut eſſet cum CHRISTO? inde vero amor proximi illam urgebat, ut permaneret in terra pro Eccleſiæ naſcentis utilitate. Cum ergo illi non alia voluntas eſſet, niſi Dei, omnimoda cum ſubmiſſione dicebat illi; ſi adhuc ſum populo tuo neceſſaria, non recuſo laborem: Fiat voluntas tua. Incomparabilis Virgo, non labor, nec mors te unquam deterruerunt: nec mori timuiſti, neque vivere detrectaſti: quia ſemper Dei voluntatem facere cupiviſti. Utinam mihi eſſet ſimul, & ſubmiſſio tua, & Sancta tua deſideria, ut & vitam patienter ſuſtinerem, & mortem obirem alacriter. *Pater a Ponte, in meditationibus de fide Tom. 3.*

Pſalm. 119. 5.

Pſalm. 41. 2.

Pſalm. 141. 9.

Phil. 1, 23.

Sanctæ Virginis dum viveret, ob oculos ſemper obſervabantur mors, & tormenta Filii ſui, ex quo vidit illum coram ſe expirantem.

Qui vidiſſet cor Sanctiſſimæ Virginis poſt obitum JESU CHRISTI, quid vidiſſet in hoc Sanctuario, niſi Crucis imaginem, clavorum, & ſpinarum, quam amor altius impreſſerat? Communis vita illius jugis erat meditatio mortis Filii ſui. Singulis diebus in anima ſua repræſentabat cruentam amariſſimæ Paſſionis ejus Tragœdiam; quotidie, quod probabile eſt, aſcendebat in Calvarium, ut Sacrum locum hunc lacrymis ſuis irrigaret, & millies deoſcularetur terram, quam videbat adhuc notatam veſtigiis Salvatoris mundi. Hoc maxime ſerium erat munus illius; hoc ſuaviſſimum ejus ſolatium; hæc ſtatio, & uſitata peregrinatio, donec in cælum proficiſceretur, ubi ſeſe conjungere debebat cum ſupremo ſuo bono, & in æternum frui ejus adſpectu! Denique ſi mors eſt ardenter cupienda, & patienter expectanda, quis dicere poteſt quo affectu anhelaret ad centrum ſuum, & quam vim ſuo corde inferret, ut diutius contineret horum motuum impetum ſubjectum voluntatibus Dei? Non magna in nobis eſt virtus vitæ reſignatos eſſe; ignoramus mortis bona, & gloriam, quam ſecum adfert: ſed ſi ad unius horæ quadrantem locuti fuiſſemus cum anima beata de ſtatu vitæ alterius, cor noſtrum arderet deſiderio. Sancta Virgo, quæ totam cæli gloriam ſinu geſtaverat ſuo, & quæ ideo adeo perſpicuam habebat cognitionem, cum debuerit duos, ac triginta annos vivere ſeparata ab hoc gloria, & Filio ſuo, quam ardentiſſimo amore complectebatur, audeo dicere, illam per hanc reſignationem plus meruiſſe, quam omnes ſimul martyres amplectentes mortem crudelem, horribilem, intolerabilem. *Pater Nouet, in vita JESU in Sanctis ſuis.*

Quæ fuerit occupatio Matris Dei ab Aſcenſione Filii ad diem obitus ſui

Quid cogitatis Virginem Sanctiſſimam feciſſe voto eo tempore quod effluxit a glorioſa Salvatoris Aſcenſione uſque ad illud, cujus hodierna die memoriam colimus? Quænam inquam, occupatio fuit hujus Sanctiſſimæ Matris, niſi inceſſanter anhelare, & cupere felicem hanc diem, quæ illam in æternum conjunctura erat cum dilectiſſimo Filio? Si viſæ ſunt, Sanctus Chryſoſtomus inquit, perſonæ mundum perdite amantes, ab eo ſecedere penitus poſt inſignem aliquam jacturam, ne amplius niſi de cælo eſſent ſollicitæ; quod terrenarum rerum faſtidium parere potuit mors Filii adeo perfecti, cujuſmodi JESUS erat, in corde Matris adeo teneræ qualis erat incomparabilis Virgo? Quoties in fervore orationum ſuarum exclamavit! *Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Quis mihi dabit alas, ut volem ad te, Deus meus; & æterna fruar requie poſt tumultus, & agitationes, quas mors tua excivit in anima mea? Donec vixiſti, cor meum diviſum erat inter cælum, & terram, & ſine timore ſequebar motus benevolentiæ, quibus adhærebam tibi, quoniam inveniebam Deum meum in filio meo; ſed modo tu mihi abſtuliſti omnes voluptates meas, & reliquiſti me in exilio, quod ſuſtinere non valeo: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt!* in his ferme ſenſibus glorioſa Virgo mundum reliquit. *Specimina Panegyricorum tomo 2.*

Pſalm. 54.

Pſalm. 119.

Certum argumentum amoris noſtri erga Deum eſt deſiderium videndi illum.

Dicunt, & vere dicunt maximum, & profundiſſimum omnium vulnerum, quæ caritas infert cordi Deum amanti, eſſe deſiderium videndi, & poſſidendi illum, & ſeſe cum illo tamquam ſummo bono conjungendi: *Spes, quæ differtur affligit animam*, Sacer Textus ait. Ex eodem ſigno tamquam certiſſimo, & de quo dubitare non licet, cognoſci poteſt magnitudo amoris, quo proſequimur Deum, videlicet ex magnitudine deſiderii videndi illius, ita ut anima, quæ illum vere amat, foveat ſenſus Sancti Pauli mori cupientis, ut viveret cum JESU CHRISTO: *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum CHRISTO.* Hic amor in eo ſanctam gignebat impatientiam, non ſecus ac in Rege Propheta: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt!* Ei languorem infert, efficitque ut per ardens, ac juge deſiderium exareſcat, ut Sanctus Auguſtinus qui in hac ſpe nonnunquam exclamabat: *Moriar, ut videam; videam, ut moriar!* O Deus meus ſi moriendum eſt, ut te videam, & ſi quicumque vidit te, tanta pulcritudine illectus nil aliud videre poteſt in hoc mundo, moriar ut fruar felicitate videndi te! vel videam te, ut moriar! Sed ubi mecum reputo frigus votorum noſtrorum erga ſummum hoc bonum, ubi video hanc incuriam, quæ ſæpe migrat in oblivionem; ah! dico, non frigide nimis diligimus Deum, quia adeo languidum eſt illius poſſidendi deſiderium. Longe aliter ſentiendum eſt de Matre Dei, quæ toto votorum ſuorum ardore cupiebat illum videre. *Sermones in omnia Ethica Chriſtiana argumenta parte Tertia.*

Mirum eſſe non debet ſi amor Dei inferre potuit mortem Sanctiſſimæ Virgini.

Mirum non eſt, amorem potuiſſe adeo violentum producere effectum in corde Sanctæ Virginis; quoniam omnium affectuum proprium eſt valetudini officere, cum juſtum excedunt temperamentum, & nonnunquam mortem ipſam præoccupant cum modum excedunt. Viſi ſunt nonnulli præ gaudio, alii præ dolore mori; & quotidie videmus alios quidem præ triſtitia, & mœrore, alios denique præ iracundiæ impetu contabeſcere. Quod igitur miraculum eſt, amorem affectuum omnium vehementiſſimum, & cujus impreſſiones ſunt acerrimæ, effectum hunc parere potuiſſe in corde molliſſimo? Sienim non defuerunt animæ ſanctæ quas unica ſacri hujus ignis ſcintilla adduxit ad mortis propinquitatem, quæ ſine ſingulari miraculo accidiſſet, puta in Sancta Thereſia, cujus cor Seraphim ignito jaculo tranſverberavit, ut aditum aperiret ſanctis ardoribus, quibus conficiebatur: puta in Sancto Philippo Nerio, cujus coſta confracta eſt, ut locum faceret divino huic igni: puta in Sancto Xaverio, qui ſinum ſuum ſibi aperiebat, ad evaporandas eaſdem flammas, quibus intrinſecus utebatur: quid nobis cogitandum eſt de Sancta iſta creatura, cujus cor non prius motum recepit, quam amorem Dei, & in quo hic amor fecerat juge incrementum a primo vitæ ſuæ momento? Nonne fuit opus jugi miraculo ad prohibendum, ne ſacer hic ignis abſumeret ſubjectum ſuum? & quid aliud expectandum erat, niſi quod cor glorioſæ Virginis, quod tanto ardore cupiebat ſe cum hoc objecto conjungere, quod ipſum adeo validis trahebat illecebris, in ſexcentas partes frangeretur, vel ſancto languore contabeſceret? Dicamus ergo, ſi gloria, & felicitas mortis pendet a cauſa, propter quam patitur, nunquam fuiſſe mortem pretioſiorem coram Deo morte Virginis incomparabilis, poſt mortem Filii ſui; quoniam non ſolum habere non poterat mortem nobiliorem caritate; ſed etiam omnes amores ardentiſſimi, non fuerunt niſi ignis ſcintilla ſi conferatur cum incendio cordis ſui, quod fecit ut expiraret in caritate pro caritate, & per ipſam caritatem, quod eſt glorioſiſſimum omnium martyrium. Hoc vere eſt ſingulare privilegium Matris Dei. Nos vero ſaltem optemus mori in caritate, ut mors noſtra pretioſa ſit coram Deo. *Ex Specimine ſermonum tomo 4.*

Prælium factum eſt obedientiæ, & charitatis in corde Virginis, ut præberet aſſenſum permanendi ſuper terram.

Nunquam ne tibi finxiſti hoc prælium caritatis, & perfectæ obedientiæ in corde Sanctiſſimæ Virginis? Donec impetus ardentiſſimæ caritatis illam in cælum attollebant, opus erat, ut obedientia omnem vim retardaret, efficeretque, ut præberet aſſenſum in terra permanendi; ut ſubmiſſio voluntati Dei ſuccederet in cor ſuum ardenti deſiderio videndi Deum, & idem amor jugulans motus, quos ciebat, efficeret, ut impatienter cuperet videre faciem Filii ſui, & privationem ſine murmure ſuſtineret; ut cum doci-

litate

litate expectaret, donec manus Dei importunum hunc ſui corporis carcerem frangeret, quem in ſingula momenta frangere premebatur per violentiam amoris, ita offerens Æterno Patri puriſſimum Sacrificium, quod unquam receperit a mera creatura, eo uſque obediens, ut viveret quandiu placeret Deo, quemadmodum filius factus fuerat obediens uſque ad mortem, quemadmodum ille cupierat. *Specimina orationum Panegyricarum, tomo 2.*

Cur Dei Filius noluerit illam eximere a lege communi, qua omnes homines morte damnati ſunt.

Mirum eſt videre mortem, quæ primus eſt, & generalis effectus peccati quod illam produxit in mundum, quemadmodum teſtatur Apoſtolus; mortem inquam exercere ſuam poteſtatem & imperium in innocentiſſimam omnium creaturarum; illam quæ una vacua fuit ab omni genere criminum, videri pœnam ſubire, & illam, quæ dedit vitam mundo, ſubjectam eſſe morti. Creſcit autem admiratio, ubi conſidero glorioſam hanc Virginem in ceteris rebus ſingularem fuiſſe, & immunem a legibus, quæ ſunt omnibus hominibus communes, quoniam eduxit originem ſuam ab Adam, quin fieret particeps peccati ejus, quod ipſa fuerit Virgo ſimul & Mater, quod ſine dolore peperit, & tot aliis privilegia, quæ illam incomparabilem ſtatuunt, & nihilominus quin illa hodie coronet omnia triumphans de morte, potius omnibus exuitur, quaſi in oraculi ejus confirmationem, morte videlicet omnes homines ſimiles fieri; & quacumque generis, fortunæ, immo etiam gratiarum, & meritorum prærogativa alii aliis præſtiterint, in ſepulcro omnes exæquari. Scio equidem non deeſſe validas rationes auctoribus ad probandum hoc Dei erga Matrem ſuam conſilium, quamvis hæc una illis eſſet, quod cum Filius ipſe a morte non fuerit immunis, quamvis eſſet Homo Deus, peccato minime obnoxius, & præterea ſupremus arbiter mortis, & vitæ; non decebat, ut mera creatura illud aſſequeretur privilegium, quod neque Creator Ipſe ſibi vindicare voluiſſet, tamquam oppoſitum rationi, propter quam ſe fecerat Hominem, videlicet ut propter ſalutem noſtram mortem obiret. *Auctor recens.*

Æquum erat, ut S. Virginis corpus non conſumeretur a verminibus, & in pulverem redigeretur.

Corpus Deiparæ, quamvis morti obnoxium, non ſubiit tamen ſententiam in alios latam, ut ſubjiceret fœdæ corruptioni, quæ illud a vermibus depaſtum, abſumptumque in pulverem redigeret. Æquum erat, ut Dei Filius non ita ſe gereret cum Matre ſua in conſiderationem puritatis animæ, & corporis ejus, quorum altera innocentia vocatur, & ſita eſt in immunitate ab omni genere peccati, altera vero dicitur Virginitas, quæ præſervat corpus a ſordibus carnis, & efficit ut victoriam referat de infelici proclivitate, quæ nos ad ſenſuum voluptates impellit. Sicut autem duplici hoc puritatis genere Sanctiſſima Virgo inter omnes meras creaturas effulſit dum viveret, æquum erat, ut Deus illi hanc diſtinctionis notam concederet poſt mortem. Quis enim ignorat, cum mors ſit pœna, & ut loquitur Apoſtolus, ſtipendium peccati, corruptio, & putredo, quæ ſequuntur mortem, & deſtructionem corporum redactorum in pulverem, eſſe conſequens effectum ejuſdem peccati? Et Deus per juſtitiæ ſuæ edictum, nos huic humiliationi ſubjecit, quæ oſtendit nihilum, ex quo ſumus educti, & in quod reverſuri ſumus poſt mortem: ita ut nonniſi in ſæculorum fine, cum homines alii egredientur ex hoc ſtatu humiliationis, cum Filius Dei reparabit eorum humiliata corpora, deſtructa, & quaſi ad nihilum redacta: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ*, ut idem Apoſtolus loquitur. Sed cum Virgo Sanctiſſima immunis fuerit ab omni peccati genere, nequaquam obnoxia fuit huic maledicto lato contra ceteros homines propter peccatum. *Idem.*

Ad Philipp. 3.

Virginis puritas eſt inter præcipuas cauſas quæ coegerunt Deum, ut Beatiſſimam Virginem ſuſcitaret, & corpus ejus in cælum transferret.

Inter rationes numero carentes, quibus Dei Filius tenebatur prævertere in Matris Sanctiſſimæ gratiam tempus deſtinatum generali reſurrectioni, principem locum tenet puritas ejus, quæ cum ſatis illecebrarum habuerit, ut de Patris ſinu in ſuum pertraheret illum, ſatis quoque fuit, ut ipſa quoque de tumulo uſque in Dei tumulum pertraheretur. Hæc virtus, Ennodius ait, vim habet omnia trahendi de cælo: *Virginitas, quæ de cælo omnia trahit*; & innuit, ipſam de cælo trahere omnes gratias, omneſque favores, quoniam poteſtatem habuit illum etiam trahendi, qui ejus eſt auctor. Sed nonne dicere poſſem ratione ſimili, ipſam omnis in cælum attollere, ac trahere, qui naturalis ejuſdem locus eſſe videtur; quo nihil inquinatum introire poteſt, & quo quidquid purum eſt ſuo fertur ingenio? Igitur Sanctiſſimæ Virginis Corpus, purius ſyderibus, & Empyreo in aera manſurum erat, ex qua formatum fuerat, ut cæli eſſet ornamentum; & obnoxium futurum erat putredini, & corruptioni? Hoc, ex Sanctorum Patrum ſententiis, Virginum privilegium eſt, in hac vita repræſentare imaginem ſtatus reſurrectionis; ſed ſi quis unquam hoc oſtendit, hoc Sanctiſſimæ Virgini contigit, quæ in mundum ipſam edidit puritatem. Illa perfecte hunc ſtatum expreſſit: illa ergo frui debuit hoc poſt mortem ſuam privilegio; quoniam puritas ejus non erat ſolum virtus, ſed etiam donum prorſus cæleſte, quod cum illam elevaſſet ſuper Angelos etiam, ut Sanctus Bernardus ait, ipſa illos ſaltem hac in re debet imitari. Si enim in natura non deſunt corpora incorruptibilia, cujuſmodi ſunt cæli, quorum forma adeo nobilis, ac fortis eſt, ut nullis ſit impreſſionibus obnoxia, quas violentiſſima agentia poſſunt efficere; Ah! Quid melius meretur jus iſtud, quam Sanctiſſimum Mariæ corpus, quod cæleſte potius erat, quam terrenum, & quod ne minimam quidem ſenſuum rebellionem expertum eſt. Si originalis gratia ſecum deferebat principium incorruptibilitatis in homine primo, ut mox illam in ceteros traduceret; cum Virgo Sancta, quæ hanc habuit gratiam, neque illam amiſit unquam, jure eodem non perfruetur? Verum eſt illam morti obnoxiam fuiſſe; ſed, uti diximus, ut eſſet ſimilis Filio ſuo, qui mori non tenebatur; ita ut dici poteſt non propter primum Adam, ipſam perſolviſſe hoc naturæ tributum, ut reliquos homines: ſed propter ſecundum, qui eſt Filius ejus, qui cum noluerit ſecum diſpenſare ab hac lege, æquum non erat, ut Mater diſpenſaretur; ſed propter probrum, quod mortem ſubſequitur, videlicet putredinem, decebat, ut neutrum huic obnoxium eſſet, & de utroque dici poſſunt Prophetæ verba: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Idem.

Gratitudinis ſenſus exigebat, ut Salvator Matrem e ſepulcro excitaret ante generalem reſurrectionem.

Ratio eſt, quæ impulit Salvatorem ut in anteceſſum per præcocem reſurrectionem illam educeret e monumento, eſt amor gratitudinis, quæ innititur tot caritatis officiis, quot ab illa recepit, & quorum remunerationem differre nequaquam diu poſt mortem debebat; ſed illam corpori ſimul, & animæ præſtare. Ratio eſt, quoniam ab illius corpore præcipua receperat adjumenta. Per corpus ſuum illi vitam dedit. Mens quidem contulerat per aſſenſum ſuum: ſed ſubſtantia, ex qua humanitas ejus coaluit, a corpore ejus deſumpta fuit. Per corpus illum aluit, lactavit, illum allocuta eſt &c. Et quamvis actiones, quæ ad animam tantummodo pertinent, nobiliores videantur, ut caritas ejus, altiſſima ejus contemplatio, humilitas profunda; tamen habita ratione finis pro quo illam elegeret Deus, dici poteſt, Corpus ſuum in hoc præſtitiſſe animæ, quod in illo maxima adimpleta fuere Myſteria, quoniam in ſinu ſuo Salvator accepit nativitatem, quod corpus ejus formatum fuit ex parte corporis ſui, quod Sanguis ejus fluxit in venis illius; verbo, quod Filius Dei debet illi corpus hoc, cujus adſpectus conſtituit accidentalem gloriam Beatorum. Quomodo illam negaret Matri, per quam alii eadem frui potuerunt? Si ergo reſervat Deus corporibus juſtorum mercedem ſuam poſt generalem reſurrectionem, eo quod inſtrumenta fuerunt, & organa, quæ ſervierunt ipſi in obeundis muneribus ſuis, & ſi in eorum gratiam brevius efficit tempus, ut juſta adimpleantur Sanctorum amicorum deſideria, qui ſemper inſitam ſibi tuentur ſeſe cum corporibus ſuis propenſionem, gratitudo quam habebat pro glorioſa Matre ſua, nonne juſte poſtulabat, ut etiam in gratiam ejus breviaret tempus, & minime expectaret terminum communem omnium hominum reſurrectioni deſtinatum, ſed aliqua diſtinctione uteretur erga illam, quæ ipſi tanti momenti, & eſſentialia officia præſtiterat? Poterat ille videre ſe in poſſeſſione gloriæ corporis ſui, quin in partem vocaret illam a quo illud receperat? Pati poterat, ut corpus hoc, quod illi dederat vitam, tandiu mortis pabulum fieret? Nequaquam. Filius hic ſatis gratus eſt erga tantam Matrem: in illius ſinu vitam recepit, eamque illi in ſepulcro reſtituet. Illa ejus Mater eſt, ille quodammodo Pater erit ipſius, vicitiſſim vitam illi reddens; & quoniam in cælo animæ a corporibus ſeparatæ tuentur ſemper ſecretam ſeſe cum illis conjungendi proclivitatem, & ante illud tempus earum felicitas integre perfecta futura non eſt; Maria cum ſemper fideliſſime Dei voluntatem compleverit, adimplebit ſuam, concedens illi, quod non poteſt non concupiſcere, licet ſit Beatiſſima; & hoc deſiderium longe diſtat a deſiderio Sancti Pauli. Non quærit a corpore ſuo ſeparari, quod ejus viventis erat votum; modo cupit cum eodem conjungi. Hæc Fœderis arca non poterat permanere in terra aliena; opus erat, ut collocaretur in cælo. *Idem.*

Mors cui quoque ille ſeſe ſubjecit Salvator, non eſt amplius turpis; ſed Maria eſſe debuit immunis ab effectibus mortis.

Verum eſt Virginem ſanctiſſimam ſubjectam fuiſſe legi communi moriendi, quæ non eſt amplius turpis, poſtquam hominum omnium Salvator ſemet illi ſubjecit, & ſæpe modus, & cauſſa illam ſubeundi efficit glorioſam: ſed a putredine, & corruptione, quæ mortem conſequuntur, & quæ horrorem cient, Virgo Sanctiſſima præſervanda fuit, & dici poſſunt de illa in hac occaſione verba, quæ dicta fuerunt in alia, de inſigni quadam Regina, quæ ejuſdem erat figura: *Hæc lex pro omnibus eſt conſtituta; ſed non pro te.* Quemadmodum ſanctitas Filii tui per gratiam tibi fuit communicata, ſimulac eſſe cœpiſti per inſigne privilegium; nequaquam obnoxia fuiſti corruptioni, quæ mera eſt peccati pœna; quandoquidem

Eſther 15.

aliloquin de terra migraviſſemus in cælum, & de hac vita in alteram ſine hoc medio turpi, quod extremam humiliationem noſtram conſtituit. Sed cum Dei Mater ſemper extiterit Sancta, ſemper pura, & nunquam hanc amiſerit innocentiam, quam habuit a primo vitæ ſuæ primordio, illa non debuit luere pœnam omnibus peccatoribus debitam. *Idem.*

Mariæ puritas contulit illi jus ad corporis incorruptibilitatem in ſepulcro.

Cum puritas Corporis Sanctiſſimæ Virginis, non minus quam animæ contulerit ad attrahendum in uterum ejus Æternum Verbum, quod eſt puritas eadem; inferendum eſt, hanc non minus illi jus contuliſſe ad generoſam in tumulo incorruptibilitatem. Deus profecto ad tempus aliquod quibuſdam Sanctis hoc privilegium communicavit propter hanc virtutem, quæ corpora noſtra ad Angelorum conditionem attollit; ſed ſi quis unquam frui debuit hoc favore, hæc fuit Virginum omnium puriſſima; ſi enim in natura quædam ſunt corpora incorruptibilia, cujuſmodi cæli ſunt, & ſydera in quæ violentiſſimæ quævis agentia impreſſionem efficere nequeunt; ah! quid melius hoc meretur privilegium, quam Sanctæ Virginis corpus, cujus puritas cæleſtis erat potius, quam terrena; cum aliorum hominum corpus ſit origo cupiditatum, & appetituum irregularium, & cauſa vulgatior omnium flagitiorum; ibi enim regnat lex illis adeo repugnans ſpiritui, de qua verba facit Apoſtolus: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Idem.*

Ad Rom. v.

Aliud jus incorruptibilitatis corporis Sanctæ Virginis deſumitur ex affinitate, quam habuit cum illo, qui eadem Sanctitas, & puritas eſt; quippe lex eadem, qua Dei Filius tenebatur, ne pateretur proprium corpus ſuum cum divinitate conjunctum in cineres redigi, cogebat illum, ut præſervaret corpus Matris a dedecore, quod quodammodo reſiliiſſet in ipſum, eo quod ex alterius carne facta fuerit caro illius; & ſicuti ſanctus Joannes Damaſcenus eidem innixus principio ratiocinatur dicens, quomodonam illa, quæ tulerat in utero ſuo eſſentialem ſanctitatem, poteratne corruptioni eſſe ſubjecta? & quomodo id conciliari potuiſſet cum gloria, quæ illi cedebat ex partu Hominis Dei? Quomodonam vas, quod glorioſum hoc unguentum ceperat, illius odorem non retinuiſſet; neque primum ſenſiſſet effectum? Si Arca Fœderis, quæ non aliud erat, niſi Deiparæ figura, confecta erat ex materia, quæ illam præſervare poterat ab injuria temporum, & vermium pabulo; fuiſſet ne Sapientiæ Dei majorem curam ſuſcipere figuræ, quam rei? operæ pretium fuiſſet, ut Arca, quæ nonniſi parum manna complectebatur, illud haberet privilegium, quod negatum eſſet Arcæ viventi, & animatæ quæ geſtavit Deum cæli, & mundi Salvatorem? Nonne hoc eſſet palam neglexiſſe officia magis naturalia talis Filii erga talem Matrem? *Idem.*

Immunitas a peccato contulit illi hoc idem jus.
Ad Rom 6.

Quemadmodum ſanctus Paulus appellat omnium hominum corpora, *corpus peccati*; mirum non eſt, ſi corpora aliquam ſuſtineant imaginem pœnæ in dilatione beatitudinis iiſdem debitæ, & ſi ad aliquod tempus in tabum, & cineres rediguntur. Sed aliis conditionibus Corpus Sanctiſſimæ Virginis anhelare poteſt ad propriam felicitatem; Quamvis deſcenderit ex Adami progenie, criminis ejuſdem fuit exſors, neque illud vocari poterit corpus peccati, ſed corpus ſanctitatis, & gratiæ, quia excellenter fuit particeps ſanctificationis animæ ſuæ, cujus ſplendor reſiliit; & quodammodo ſe ſe effudit in omnes facultates illius. Verum etiam ſenſibilis iſta Virginis pars per ſemet recepit privilegia ſanctitatis, quæ illam ſanctiorem effecerunt præ omnibus aris, ac Templis, ſemper enim Spiritus ſanctus vacavit, vel ut redderet corpus illius dignum, quod JESUM CHRISTUM reciperet, vel dignum gloria, quod illum recepiſſet. Quod ſi gratiæ plenitudo ita ſe effudit in ſanctificationem Corporis ſui, nihil ergo eſt in illa quod retardare vel minimum valeat complementum felicitatis, quæ illi propria eſt; nihil quod mereatur triumphum Aſſumptionis ſuæ; & illi ſingulariter, & cum privilegio applicare poſſumus id, quod de omnibus Chriſtianis dicit Tertullianus. Pater hic ad excitandam in mentibus eorum ſpem reſurrectionis, poſtquam rationes magnifice protulit, quas hominum caro, multoque magis Chriſtianorum habet cum Deo: ita argumentatur; *Haccine non reſurget toties Dei?* Poſt hæc credibile ne eſt, carnem quæ pertinet ad Deum tot rationibus, non aliquando reſurrecturam? Dicamus hoc ipſum potiori jure de Sanctiſſima Virgine; *Haccine non reſurget toties Dei?* Quomodo fieri poſſet, ut caro adeo ſancta, & divina, quæ pertinebat ad Deum tot, & tam arctis vinculis, quæ habebat in ſe tam uberem ſanctificationem, & tot privilegiis ornatam, quæ adeo perfecte recipiebat emanationes, & effuſiones gratiæ animæ ſuæ, quæ adeo eminenter particeps erat Societatis JESU CHRISTI, tamdiu privaretur reſurrectione, aliiſque gloriæ prærogativis, quæ jure propter tot titulos illi debebantur? Non ita, Salvator mi. Opus eſt, ut juſtitia tua properet educere illam de ſepulcro, integramque in cælum attollere; coronatura per plenitudinem gratiæ, quam in terris obtinuit, & tandem ſatisfactura ſtudiis caritatis ſuæ, quæ cor illius inflammarunt. *Birous ſermone de Aſſumptione.*

Tertull. l. de Reſurr. c. 11. cap. 9.

Deus exaudivit ſecreta Mariæ deſideria reſuſcitans corpus illius ante cetera.

Videte qua celeritate Deus exaudiverit, & adimpleverit cetera Sanctiſſimæ Virginis deſideria. Cupivit Myſterium Incarnationis Verbi; obtinuit, ut Deus præverteret tempus hoc faciendi; petiit ab eo miracula, & illico obtinuit. Ah! Salvator mi, illa nihil optavit impenſius, quam ſubſequi te in cælum, & ſe totam ſequi te: cur diutius cunctaberis illam donare votis, quæ mors ejus, cujus ſunt cauſſa, tibi adhuc efficere debent pretioſiora? Non ne opus eſt in corpore ſimul, & anima illam eleves ad te, ut te perfruatur; & ut te impenſius diligere valeat? Hic enim ſecundus eſt motus caritatis Sanctorum, gloriæ deſiderium. Statim hunc concupiſcunt, ut ament perfectius Deum, & amore ardentiori, atque integriori, quam quo illum dilexerunt in terra. Sed ut agnoſcamus quouſque ſe extendat hoc deſiderium cordis Sanctiſſimæ Virginis, animadvertendum eſt, ipſam cum adhuc in mundo verſaretur, amaſſe Filium ſuum duplici amore diverſo, quorum uterque ab eadem gratia animabatur; ſcilicet amore mere ſpirituali, & qui formabatur in voluntate, & amore quodammodo ſenſibili, qui in corde illius formabatur, & in quo partem aliquam corpus habebat. Duplici hoc amore tenere complectebatur Filium ſuum, donec illum poſſidebat in terra, eumque oculis ſuis uſurpabat. Sed ex quo in cælum aſcendit, eum ſequi cupit, ut duplici hac varia dilectione illum amare perſeveret, & ut augeat, atque utrumque perficiat in gloriæ ſtatu, in quo infinite videtur amabilis. Poſt hæc ex vobis quæro, quomodo JESUS CHRISTUS poſſit perfecte ſatisfacere ſtudiis caritatis Mariæ, niſi illam in anima ſimul & corpore attollat in cælum, & niſi adducat illam in ſtatum, ubi valeat perſeverare in amore ſpirituali animæ ſuæ, & in amore ſenſibili cordis ſui? Nequaquam ſatis non eſt, ut ſtatim poſt mortem anima elevetur in cælum; ſatis non fieret illius caritati per dimidium frui; opus eſt ergo, ut habeat in gloria cor illud, & corpus, ut utrumque repleat amore. *Idem.*

Mariæ Filius ab amore ſuo urgetur, ut Matrem reſuſcitet, eique ſuam gloriam communicet.

Satis non eſt Deiparæ corpus immune fuiſſe a corruptione, opus eſt etiam, ut fruatur omni felicitate, cui par eſt: antequam hic homo Deus perfunctus fuerit hoc munere, videtur illi dici poſſe in gratiam Matris ſuæ, quod Martha, & Magdalena dixerunt illi, ut eum impellerent ad reſuſcitandum Lazarum fratrem ſuum, qui ante dies quatuor obierat. *Veni, & vide:* Veni hominum Salvator, & reſpice in hoc tumulo; vide cor illud, quod tantopere dilexit te, hæc brachia, quæ te portaverunt, & auxiliatæ ſunt tibi, & totum hoc Corpus, quod tibi vitam dedit; patieris ne ipſum diutius te privari? Opus eſt, ut in hac occaſione eadem utaris voce, quæ toties evocavit mortuos de monumentis, & quæ ſuprema cum auctoritate morti imperavit. Gratus hic Filius, qui tot alios ſuſcitaverat ad amicorum preces, vel ſolum, ut ſuam oſtenderet poteſtatem, ſollicitandus non fuit, ut eamdem exerceret poteſtatem in Matris gratiam. Adimpletum fuit Prophetæ oraculum: *Surge tu, & Arca ſanctificationis tuæ.* Egredere, o Deus! de ſepulcro, quo propter amorem noſtrum deſcendere voluiſti; ſed ne diutius deſere ſanctam hanc arcam, cum qua fœdus arctum adeo iniiſti, & per quod cum ceteris hominibus fœdus facere voluiſti. *Auctor Sermonum in omnia argumenta tom. 4. Myſteriorum.*

Joann. 11.
Pſalm. 131.

Quamvis reſurrectio noſtra dilata ſit uſque ad finem ſæculorum, nobis pro viribus adlaborandum eſt, ut illam efficiamus glorioſiorem.
Ad Rom. 6.

Præoccupata hæc reſurrectio ſingulare privilegium eſt, & gratia, quam ſoli uni conceſſit Genitrici ſuæ; ſed quamvis noſtra dilata ſit uſque in finem ſæculorum, nihil nobis negligendum eſt ad eam perfectiorem, utilioremque efficiendam curæ, quam gerere debemus conſervandi puritatem corporum noſtrorum ad exemplum Sanctiſſimæ Virginis, & exhibendi *membra noſtra ſervire juſtitiæ.* Profecto nihil melius noſtram nobis oſtendit infirmitatem, abjectionem, & nihilum quam tumuli aſpectus, quo ſerius ocyus redigendi ſumus. Fruſtra ſuperba attolluntur mauſolæa, fruſtra magnifice inſcribuntur Epitaphia; quocumque modo ibi ſimus, ſemper videmur victi, & coram tanta hac funeris pompa, legimus, nos non niſi pulverem, & cinerem eſſe. Ecce humiliationem, quam nobis meretur peccatum, nos faciens reos mortis. Illud vero nos excitare debet, ut in hac vita ex corporibus noſtris tot efficiamus inſtrumenta ſanctitatis, quod cum facta fuerint membra Salvatoris, qui caput noſtrum eſt per affinitatem quam nobiſcum contrahere voluit, imprimat in eorum cineribus virtutem vivificantem, quæ illos aliquando de eorum ſepulcretis excitabit. In hoc ſita eſt ſpes fidelium, hoc illos conſolatur, hoc facit, ut patienter omnes vitæ hujus ærumnas ſuſtineant. *Hæc ſpes repoſita eſt in ſinu meo,* ut ſanctus Job exclamabit. Verum quemadmodum reſurrectio hæc non erit ſimilis in omnibus corporibus,

Job 19.

& alia

& alia emergent ex tenebris ſepulcrorum ſuorum luminibus nitentia, glorioſa, & immortalia, & alia de putredine ad ſupplicia migrabunt, & de cineribus ad flammas inferni; noſtrum eſt videre quænam corpora daturi ſimus terræ, ut ſciamus quo in ſtatu erunt a nobis recipienda. Si enim ſordibus coinquinata fuerint, & terrenis corrupta voluptatibus; ſi anima occupata fuerit, ut eorum commodis, ac deliciis inſerviret, quid aliud ea manet, niſi miſera æternitas? Sed ſi illa in vita hic mortificaverimus; ſi illa a peccati labe præſervaverimus ad Sanctiſſimæ Virginis exemplum: ſi anima illis uſa fuerit tamquam inſtrumentis ad virtutem exercendam, quænam luce fulgentia prodibunt ex cumulo, & quam mercedem a puritatis auctore conſequentur? *Idem.*

Sanctæ Virginis in cælo gloria eſt incomprehenſibilis.

Fieri nequit, ut aliquis enarret exceſſum gloriæ & ſublimitatem throni Virginis Sanctæ. Neque mirum; quippe gloria ejus, ut inquit Arnoldus Carnotenſis, non eſt ſimilis aliorum gloriæ, ſed peculiarem ordinem conſtituit. Locum tenet incomparabiliter elatiorem, quam Angeli, & ut æquum judicium ſeramus, gloria quam poſſidet non ſolum gloria eſt ſimilis, ſed eadem quodammodo ac gloria Verbi Incarnati: *Gloriam cum Matre non tam communem judico, quam eamdem.* O Rex gloriæ! liquet ſane magnitudinem & magnificentiam eſſe propriam domus Sanctæ tuæ, hoc luculenter oſtendiſti in Aſſumptione Sanctæ Matris tuæ. Hæc erit gratiæ Sanctuarium, tu vero feciſti gloriæ thronum; tu illam ita exaltaviſti, ut te unum videat ſupra ſe. Illam coronaſti Reginam univerſorum; Rex duntaxat præcedit eam. Adeo glorioſa eſt, ut hanc diceres eſſe Deo ipſius gloriam, vel Deum illi omnem gloriam ſuam communicaſſe: tanta eſt, & adeo potens apud te, ut ne ipſa quidem valeat ſuæ potentiæ magnitudinem intelligere. *Pater Nouet in Vita JESU in Sanctis ſuis.*

In idem argumentum de magnitudine beatitudinis ejus, & gloriæ.

Remuneratio vitæ glorioſæ Sanctiſſimæ Virginis gloria eſt, qua fruitur in cælo, quæ quodammodo infinita eſt. Si enim nec oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis aſcendit magnitudo remunerationis, quam præparat Deus diligentibus illum, quis comprehendere poterit exceſſum gloriæ, quo Deus in cælo cumulavit illam, quæ eum concepit, & peperit? Sancta Virgo recepit tria, quorum Deus unus pretium, & magnitudinem poteſt comprehendere. Filium, cujus Mater extitit; gratiam, qua ornata fuit; remunerationem, quam in cælo recepit. Cum enim gloria, qua gavisa eſt, congrua fuerit magnitudini gratiæ, quæ illius germen eſt, & menſura, & cum gratia quam recepit congrua fuerit dignitati Deiparæ, quæ eſt infinita; gloria, qua fruitur tantum ſuperat gloriam, qua homines, Angelique fruuntur, quantum qualitas Deiparæ ſuperat qualitatem creaturæ. Superat gloriam Virginum, quia prima fuit, & Regina Virginum, quæ cæteris præſtat puritate. Superat gloriam Doctorum, quia pulcra eſt Stella matutina, quæ fulgoribus ſuis mundum univerſum illuſtravit. Superat gloriam Martyrum, Apoſtolorum, & Angelorum, quia præſtitit illis conſtantia, zelo, & amore. Conſtituta in ſublimiori parte regni Filii ſui, quibus plauſibus declarata eſt Regina? Sed cum poteſtas, quam ibi habet, congrua ſit ordini, quem tenet, quæ nobis eſt ſpei ratio, & lætitiæ; quoniam poteſtas quam ibi recepit certos nos facit protectionis ſuæ, & gloria, cujus adiit poſſeſſionem, nobis tutum eſt pignus illius, quæ nobis promiſſa eſt? O ſuavem conſolationem homini, qui in vita ſua expreſſit virtutes Reginæ Virginum! *Pater Gentilis in ſolitudine Virginum.*

Senſus lætitiæ, & gratulationis de felicitate B. Virginis in Aſſumptione.

Illuxit tandem aliquando illa dies, quam tantopere concupiiſti Sanctiſſima Dei mei Genitrix, dies hæc, qua adimplenda ſunt vota tua. Satis in terris vixiſti, ſatis in hac lacrymarum valle ploraſti, & in hoc exilio. Mors tandem huic finem facit, & ſcinditur cælum, ut celebret hunc triumphum tuum. Sanctus Amor, propter quem tandiu elanguiſti, hodierna die tibi mortem adfert; ſed ſi tibi fluxam, obſcuramque eripit vitam, aliam tibi confert glorioſam atque æternam, & ſi effert corpus tuum in monumentum, traducit animam tuam beatam, atque triumphantem inter cæleſtis Sponſi brachia, & in ſinum Dei ipſius. Quid dico? Animæ tuæ gloria quam primum reſilit in corpus tuum. Deus, qui recipit te in regnum ſuum, & qui coronat te, nil vult deeſſe tuæ felicitati; neque vult, corpus hoc adeo innocens, & purum, unde humanam carnem ſuſcepit, obnoxium permanere corruptioni, nec ut cetera, vermium pabulum fieri. Vix ſepultum fuit in umbra ſepulcri, cum præoccupata reſurrectio inde illud excivit, & divina virtus ad cælorum faſtigium evexit. Quantum temet in terra humiliaſti, tantum in cælo eras glorificanda. Quantum profeciſti ex gratiæ donis, tantum gloriæ donis eras cumulanda. Quantam geſſiſti curam hujus adorabilis Filii, cui vitam mortalem dediſti, tantam, erat æquum, ut ille gereret curam tui poſt obitum, reddens tibi vitæ immortalitatem. Cum tali Domino nulla unquam fit jactura, & quocumque ſtet nobis pretio illi ſervitutem impendere, ſemper uberrima inde redit remuneratio. *Pater la Valois de Myſterio Aſſumptionis.*

Elevatio, & gloria S. Virginis in cælo congrua ejus humilitati in terra.

De Sanctiſſima Virgine id dicere poſſumus, quod Sanctus Paulus dixit de Filio ejus; humilitatem videlicet illius eſſe principium, atque menſuram elevationis ejus in gloria. Illa non aſcendit, niſi quia & deſcendit. Nulla creatura altius evecta fuit, quia nulla inferius ſe ſe abjecerat. Singuli gradus humilitatis illi gloriæ ſingulos gradus promeruerunt. Omnipotens non fecit illi magna, niſi quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Illa induta fuit gloria, quæ decebat Deiparæ dignitatem, quia qualitatem ancillæ ſuſceperat. Thronus illi poſitus fuit in ſublimiori cælorum parte prope thronum Filii ſui, quia ſe ſe cum illo in Bethleemitico ſpecu contumulaverat. Exaltata eſt ſuper omnes Choros Angelorum, quia ſe ſe infra omnes homines demiſerat. Sanctiſſima Virgo per humilitatem ſuam detraxerat Dei Filium de ſinu Patris in ſuum; ſed Deus ut ejus humilitatem remuneraretur, attraxit illam in cælum, eamque prope Filium collocavit. Quam magnus es Deus! ſed quantum tibi placet humilitas! Per hanc enim de terra in cælum aſcenditur, & de centro humiliationum ad gloriam migratur. Hoc dico; verum hac de re mihi ne perſuaſum eſt? per humilitatem Sancta Virgo meruit exaltari, ſed numquid per hanc eamdem virtutem exaltari meretur? *Pater Gentilis in ſolitudine Virginum.*

Mariæ gloria, & exaltatio congrua eſt officio, quæ præſtitit Filio Dei ſuper terram.

Opera etiam, quam Sancta Virgo præſtitit Filio Dei principium eſt elevationis ejus in gloria. Si enim frigidus calix egeno in Domini nomine datus ſuam in cælo mercedem meretur, & ſi Deus rationem habiturus eſt eleemoſynæ propter amorem illius miſero erogatæ perinde ac ſibi collata fuiſſet, ad quem gloriæ gradum Virgo Sanctiſſima debuit elevari, quoniam omnis opera ejus præſtita fuit Filio Dei ipſius, cujus eſt vera Mater? Illa Filio Dei corpus formavit ex puriſſimis guttis Sanguinis ſui, illum geſtavit utero ſuo, illum ſuis lactavit uberibus. Quid illa non meruit curis, laboribus, vigiliis ſuis, quibus illum in pueritia enutrivit? Ecce o Virgo principium exaltationis tuæ; ut Filio tuo miniſtrares, feciſti, quidquid amor, & benevolentia ſuadere poteſt Matri, & ille, ut tibi honorem adhiberet nihil eorum prætermiſit, quod amor, & gratitudo dilectiſſimo Filio ſuadent. Induiſti Deum fortitudine noſtrarum infirmitatum; & hic Deus indutus infirmitatibus noſtris induit te fortitudine Dei. Illum tu noſtra carne induiſti; ille te gloria ſua. Tu Solem nube obvolviſti: tu æternam Sapientiam infantiæ integumento celaſti: ſed tu puriſſimis amicta fuiſti luminibus æternæ Sapientiæ. O quantam præparat Deus mercedem animæ, quæ ſibi fidelem præſtitit ſervitutem! *Idem ibidem.*

Quomodo Filius Dei erga Matrem ſe geſſerit in illius intronizatione.

Videtur Dei Filius ſe ſe geſſiſſe erga Genitricem ſuam inſtar magni Regis, qui Reginam omni recipit honore die illa, qua eamdem decorat corona. Præcedit illam, concomitatur, ad dexteram ſuam collocat, jubet a ſubditis omnibus illi deferri obſequia, ſuam illi poteſtatem impertit; verbo, illam regnare facit. Ita Rex Regum ſe gerit cum Regina cælorum die triumphalis Aſſumptionis ejuſdem. Poſuit in capite ejus coronam, & ſceptrum in manu, eamque ſecum regnare voluit. Audax ſane verbum, ſed verum; Regnum JESU non latius patet quam Mariæ. Ubicumque ille imperat, vult Matri Sanctiſſimæ cultum adhiberi, in cælo, in terra, & in inferno. Omne genu flecti debet audito Mariæ nomine, & lingua omnis debet confiteri, ipſam eſſe in gloria Filii ſui, quemadmodum Filius eſt in gloria Patris. Impetrat peccatoribus pœnitentiam, & veniam, & juſtis perſeverantiam. Ad interceſſionem illius gratiæ conceduntur, ac diſpenſantur; Verbo, omnipotens eſt apud Filium ſuum. *Aſtitit regina a dextris tuis. Pater Dupeno, in Aſſumptione.*

In Aſſumptionis Myſterio non gloriam, & elevationem Virginis Sanctæ, quantum illius erga Deum fidelitatem, & humilitatem, quæ illam meruit, admirari debemus.

In Aſſumptione Sanctiſſimæ Virginis conſiderate Reginam coronatam, Virginem triumphantem, creaturam ſuper omnes beatorum Spirituum Ordines collocatam, verbo Matrem Dei ab ipſo Deo beatificatam, quem concepit, & quem caſtis viſceribus ſuis geſtare merita eſt. Fateor, hoc magnum aliquid eſt, aliquid quod ſuperat quamlibet expreſſionem, & propter quod exclamare liceret: *O altitudo divitiarum!* O Abyſſus theſaurorum Dei! Hoc nobis primum proponere videtur Eccleſia in hac ſolemnitate, & in hoc noſtræ de hoc Myſterio conſiderationes fortaſſe uſque ad hanc diem conquieverunt. Verum ſi hoc verum eſt, & ſi non ultra progreſſi ſumus, quamvis auguſtiſſimum nobis viſum fuerit hoc Myſterium, audeo dicere nec vos, nec me illud ſatis eſſe aſſecutos. Nam verum eſt, hoc illud eſſe quod in Sanctiſſimæ Virginis Aſſumptione magnificum eſt, & eniteſcit: ſed Spiritus fidei, qui, ut Sanctus Paulus ait, penetrat penitiſſima ſecreta, & ut Apoſtoli verbo utar, *Etiam profunda Dei*, alias nobis aperit cauſſas admirationis. Ecce unam, quæ vobis ſtuporem injiciet, ſed quæ vos ædificabit, & ex mentibus veſtris errorem excutiens, excitabit in cordibus veſtris ſenſus acerrimos ſpei Juſtorum. Quid ergo concipio, vel quid mihi concipiendum eſt in eo, quod

celebramus Myſterio? Matrem Dei glorificatam, non abſolute, ac proprie quia fuit Dei Mater, ſed quia fuit Deo fidelis, & obediens; ſed quia fuit humilis coram Deo, ſed quia propter duplicem hanc qualitatem fuit ſingulariter, & per excellentiam ancilla Dei. Ecce quid in Aſſumptione ejus conſiderem, tamquam eſſentiale, & præcipuum, quod nobis ſit conſiderandum. *Pater Bourdaloue Sermone de Aſcetic̄is.*

Maria in gloria exaltata eſt ſuper Angelos, & Sanctos.

Tunc facta fuit Sanctiſſimæ Virgini acceſſio gloriæ ſuper gloriam, quemadmodum in terris gratiam acceperat ſuper gratiam. Angeli Domini, Animæ Beatæ, Sancti, qui Deo fruimini in cælis, fulgetis quidem Solis inſtar: *Fulgebunt juſti ſicut Sol*; verumtamen non niſi ſervi Dei eſtis & *omnes adminiſtratores Spiritus.* Sed quamvis in hac domo patris familias plures ſint manſiones, harum ampliſſimam occupare vobis non licet; hæc reſervata eſt Matri veſtri Redemptoris cui ipſa etiam futura eſt loco throni. *Ponam in te thronum meum.* Verba admirabilia, quemadmodum quidam Pater exclamat! Hoc enim perinde eſt, ac ſi JESUS CHRISTUS dixiſſet Sanctiſſimæ Virgini; non ſatis eſt thronum tuum meo proximum eſſe, opus eſt, ut tu ipſa mihi ſedes, ac thronus ſis. *Parum eſt, ut judicanti conſideas: niſi & ipſa ſedes ſias. Sermo Manuſcriptus.*

Quam admirabilis fuerit pompa, & triumphus S. Virginis in ejus Aſſumptione.

Sicuti meritum, & virtutes Deiparæ noſtras locutiones, & cogitationes omnes excedunt, mirum non eſt, ſi pompa, & triumphus, quæ illius in cælo remuneratio eſt, excedat quidquid valet excogitari. Quapropter non audeo vobis ob oculos exhibere apparatum & magnificentiam ſpectaculi, quod enarrari non poteſt, & cujus illud etiam modicum quod concipio, idem mihi negotium faceſſit, quod olim antiquorum Imperatorum triumphi ſpectatoribus ſuis. Eorum quippe animus diſtinebatur tot objectis, quæ catervatim in eorum oculos incurrebant, ut neſcirent vix compotes ſui quid narrare deberent ex eis, quæ viderant; adeo jucunda rerum admirabilium confuſio illos perſtrinxerat. Relinquamus igitur Angelis, beatiſque Spiritibus hujus pompæ curam, epinicia, triumphales concentus, & admirationes, per quas inceſſanter invicem clamant: *Quæ eſt iſta quæ progreditur?* (Cant. 6.) Malo vobis oſtendere quæ inde vobis cedat utilitas: Quem enim grati animi ſenſum præ nobis ferre debemus ad intuitum, vel ſaltem cogitationem triumphi glorioſæ Dei Matris? quandoquidem fruimus fructu victoriarum, quarum ſpem excitat in nobis triumphus illius, quæ evertit etiam exercitus Principis hujus mundi, quemadmodum illum Dei Filius appellat; quæ illius conſilia, & machinamenta diſterminat, & quæ tandem ita hunc hominum oſorem infirmat, ut ne ſuſtinere quidem valeat ipſum Mariæ nomen, a quo victus eſt.

Fructus quem haurire debemus ex triumpho Virginis die Aſſumptionis ejuſdem.

Profecto præcipuus fructus, quem percipere debemus ex victoriis, ac triumpho Deiparæ, eſt, ut olim in victoriarum triumphis aperiebantur carcerum januæ, captivorum compedes confringebantur, rei in libertatem vindicabantur, quod conſuevit adhuc cum Supremi Principes adeunt poſſeſſionem imperii ſui, iiſque diebus, qui publicæ alicui dicantur feſtivitati; ut per hoc omnes fiant lætitiæ, & publicæ libertatis conſortes; hoc ipſum hodie dicere poſſumus de glorioſa Virgine in pompa triumphi ſui, quod dixit Apoſtolus de Filio Dei loquens de triumphali ejus Aſcenſione: *Captivam duxit captivitatem.* (Ad Epheſ. 4.) Vos igitur qui jam pridem lugetis ſub tyrannide cupiditatum veſtrarum, ſi vultis egredi ex turpi hac ſervitute, quandoquidem ille qui catenas veſtras perfregit, præſto eſt, ut in honorem triumphi Genitricis ſuæ conferat vobis felicem Filiorum Dei libertatem. Vos qui ſontes eſtis, & ad conſcientiæ veſtræ tribunal damnati; vos, quos divina juſtitia perſequitur, & prope eſt, ut ad terribile ejus tribunal prodeatis, nunquam ſe ſe vobis obtulit tempus, aut occaſio favorabilis ad obtinendam gratiam veſtram, quam dies triumphi Deiparæ; quoniam per illam Salvator eripuit omnes homines de ſervitute dæmonis, & peccati, in qua naſcimur omnes. Ah! ſi miſeri in eamdem relapſi ſumus per nova ſcelera, ſi novis revincti ſumus catenis, ſi in viis noſtris nobis occurrunt difficultates, quæ nobis inſuperabiles videantur, confugiamus ad Sanctiſſimam Virginem. Per interceſſionem illius ea, quæ nobis circumſtant pericula evitabimus, inviſibiles ſuperabimus hoſtes, tota eorum potentia in nihilum redigetur, & tranquille fruemur beata libertate, quam Filius hominis incomparabilis iſtius Dominæ nobis promeruit. *Auctor Sermonum de diverſis &c.*

Filius Dei recipit Matrem, & eam in honorificentiſſimo Cælorum loco collocat; ſicut Maria illum recepit, eumque collocavit in loco digniſſimo cum deſcendit in terram.

Ut rectum de Mariæ gloria feramus judicium, Sanctus Bernardus ait, conſiderandum eſt, hanc ipſam Virginem, quæ caſtis viſceribus ſuis recepit mundi Salvatorem ipſa Incarnationis die, viciſſim ab eodem recipi Filio in Myſterio ſuæ Aſſumptionis: *Quem intrantem in mundum prius ſuſceperat, ab eo ſuſcipitur ſanctam ingrediens civitatem.* Maria felix eſt, idem ſequitur Pater: *Felix plane Maria ſive cum ſuſcipit Salvatorem, ſive cum ſuſcipitur a Salvatore.* Maria magis debebat Deo, qui illam ſibi in Matrem elegerat, quam Deus Mariæ, quæ illi ſinum ſuum commodaverat, ut ad divinam Maternitatem attolleretur. Verumtamen cum Deus in nobis ipſa ſua beneficia remuneretur, non ceſſat referre gratiam operæ ſibi a Maria præſtitæ, quaſi illi deberet, ideoque ipſam vocat in gloriæ ſocietatem per Aſſumptionis Myſterium. S. Bernardus ait, æquum fuiſſe, ut JESUS CHRISTUS Matri ſuæ in cælo tribueret locum honorificentiſſimum, quoniam in terris illi dederat digniſſimum locorum omnium, videlicet uterum ſuum. *Nec in terris locus dignior, ſicut Virginis ſinus, in quo Filius Dei ſuſciperetur; quemadmodum nec in cælis locus dignior illo, in quo hodie Maria ſuſcipitur.* Ita ut ſicuti Pater æternus Filium in die ſuæ Aſcenſionis ad dexteram ſuam collocavit: *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis*, (Pſalm. 109.) idem Dei Filius Matrem ſuam a dextris ſuis in die Aſſumptionis collocaverit: *Aſtitit regina a dextris tuis.* (Pſalm. 44.) Et eodem modo quo in magnam ceſſit gloriam Sanctæ humanitati JESU CHRISTI ad dexteram Patris ſui collocari, ita ceſſit in maximam Virginis Sanctæ gloriam prope Filium ſuum conſtitui. Nam, ut Sanctus Auguſtinus ait, quo in loco melius locari poterat Dei Mater, ut ſatis amplam ſedem teneret, quam prope Filium ſuum? Mihi videntur hac potius, quam alia qualibet die de illa prædicari poſſe verba, quæ olim mulier Evangelica, dixit: *beatus venter, qui te portavit! & ubera, quæ ſuxiſti!* (Luc. 11.) *Ex Specimine Orationum Panegyricarum, tomo 2.*

Honor qui Virgini defertur, & triumphi pompa, confeſſio eſt meritorum ejus.

Cum gloria non ſit aliud, quam virtutis fulgor, & ſita ſit in cognitione meriti alicujus, & honore, qui adhibetur illi; neceſſe eſt, ut hic vere glorioſus fiat, duo hæc ſimul concurrere; videlicet meritum inſigne, cui jure laudes tribuuntur; alioquin honor mera vanitas eſt, & ambitio irridenda; ſed requiritur præterea, ut meritum innoteſcat per aliquod inſigne teſtimonium, quod indigitet quo habeatur in pretio. Hinc antiqui illi terrarum domitores ſe non arbitrabantur glorioſiores, niſi de juſti ſui, magnificique triumphi: quia hæc duo, quæ veram conſtituunt gloriam, & quæ non ſemper ſimul occurrunt, feliciter ibi conjuncta inveniebantur: Meritum non vulgare, & pompa, & fulgor, qui illius ſit publica confeſſio. Hoc mihi ſupponendum eſſe reor, ut intelligatis, ſi glorioſa Virgo hodierna die in cælum ingreditur cum pompa magnifici triumphi, honorem hunc illi adhiberi propter illuſtres victorias, quas retulit de Principe mundi, & ad illam remunerandam per inſignem hanc gloriam, quam nemo æquiori titulo promeritus eſt, quam Sanctiſſima Virgo. *Auctor Sermonum de diverſis &c. tom. 4. Myſteriorum.*

Gloria reſpondens admirabilibus progreſſibus, quos S. Virgo fecit in amore Dei ſuper terram.

Admirabilis progreſſus, quem Sancta Virgo efficiebat in amore Dei ſui eſt procul dubio maximum miraculum, quod gratia operata fuerit in pura creatura, & quod melius oſtendit, quantum pretioſa erat coram Deo Sanctiſſimæ hujus Virginis vita: Etenim ſi hoc verum eſt, primam gratiam, quam in Conceptionis articulo ipſa recepit, majorem, & ſublimiorem fuiſſe maxima, quam Sancti omnes acceperunt, & aliunde optime utens omnibus Dei gratiis & inceſſanter dies noctesque reſpondens motibus Spiritus ſancti, & pro virili parte ſecundum omnem poteſtatis ſuæ latitudinem, omneſque gratiæ vires operata, in ſingulis actionibus germinabat pretium, ac valorem ſuperiorum. Fatendum eſt, Deum unum metiri poſſe inacceſſibilem ſublimitatem meritorum illius, & unam duntaxat actionem ex adeo præexcellenti principio profectam præſtare ſexcentis millibus, eaſque infinitis ſpatiis ſuperare. Quæ ſi vera ſunt, quonam procedere debet admirabilis magnitudinis exceſſus? Si minima gratiarum, quas poſſidet, præſtat maximæ omnium Sanctorum, quem ad cumulum aſcendere debet illa, quæ eſt omnium excellentiſſima? Si primus gradus, quem facit in mundo, illam ſuper ardentiſſima Seraphim evehit, ubi thronum conſtituet ſuum, cum ad curſus ſui terminum pervenerit? *Si gratia minima eſt major maxima, maxima quanta erit? Pater Nouet.*

Faſtigium gloriæ, quæ reſpondit caritati, quam S. Virgo habebat ſub vitæ finem.

Conſiderandum eſt etiam Sanctiſſimæ Virginis caritatem in principio ſuo eſſe incomparabilem, non ſecus ac in progreſſu, ac termino. Sanctus enim Spiritus ex primo ipſo Conceptionis momento ingreſſus in cordis ejuſdem poſſeſſionem, ibi adeo vividam amoris flammam ſuccendit, ut ex Patrum, atque Theologorum ſententia in ipſo actu primo, primoque vitæ ſuæ momento ſuperaverit præſtantiſſimum quemque Sanctorum omnium & nobiliſſimos cæli Spiritus in celſiſſimo perfectionis eorum faſtigio. Quod ſi hoc principium fuit admirabile, quid cogitandum eſt de progreſſu? Mirum ne eſſe debet, ſi Patres aſſerant, per ſolum conſenſum, quem præſtitit Angelo ipſa die incomprehenſibilis Conceptionis Verbi, ipſam plus meruiſſe, quam omnes Martyres ſimul in paſſionum ſuarum acerbitate, & demum plus quam quidquid Sanctorum eſt in cælo, & in terra per jugem virtutum, quas excolunt, exercitationem?

Quid

Quid igitur dicemus de progreſſu, quem fecit deinceps deferens in utero ſuo menſibus novem Salvatorem mundi in ſinu ſuo, nutriens illum in infantia, concomitans illum in itineribus, audiens verbum illius, & communicans paſſionibus ejus? Quænam facta fuit amoris ejus acceſſio poſt Aſcenſionem per actus juges, quos exercebat in frequentibus colloquiis Filii ſui, beatorumque Spirituum in extaſibus ſublimium contemplationum, in crebris Sanctorum locorum viſitationibus, in doctrinis, quibus erudiebat Apoſtolos, in ope, quam naſcenti ferebat Eccleſiæ, & in praxi pulcherrimarum actionum, quibus par eſſe poteſt mera creatura, operata ſemper ſecundum omnem gratiæ ſuæ extenſionem, & cum omni amoris ſui ardore, qui omnium actionum illius pretium, & meritum conſtituebat; cum nihil illam vetare poſſet, non tentatio, non res inopinata, non motus perturbatus, non vitioſus habitus, non impetus, non reluctantia naturæ peccato originali corruptæ, quo erat vacua? Quæ lingua exprimere poſſet quouſque tandem evaſerit ſuæ caritatis exceſſus, qui creſcebat inceſſanter, ut ad centrum ſuum perveniret? Quinam ſpiritus concipere poſſet vim gratiarum, quæ in ſingula momenta accedebant diſpoſitionibus, quas in anima illius inveniebant? Talis altitudo fallit oculos intuentium, & ipſi etiam Angeli eam ſequi non poſſunt. Satis nobis ſit illam admirari, ſimulque reminiſci gratiæ, quam contulit nobis, nos exemplis ſuis excitando ad cultum, & amorem Filii ſui. *Idem.*

Hypothiposis triumphi Beatæ Virginis, qualem concipere poſſumus.

Quamvis Evangelium nobis non ſignificaverit, quid acciderit corpori Sanctiſſimæ Virginis poſtquam egreſſum eſt de ſepulcro, Patrum omnium ſententia eſt, ablatum fuiſſe una cum anima in cælum. Quam pulcrum erat videre hanc cæli, terræque Reginam luccidiorem Sole lucenti in curru ſurſum attolli, devicta morte, peccato debellato, exhauſto monumento, Apoſtolis in extaſim raptis, Angelorum caterva circumſepta; qui in varios diſpertiti choros, & aerem ſuaviſſimis mulcentes concentibus, celebrantes virtutes ejus, narrantes mirabilia, illius concinunt laudes, certamina, victorias, atque triumphos! Dicam ne hujus Aſſumptionem majori eum apparatu peractam fuiſſe, quam ipſas JESU CHRISTI Aſcenſionem? Cur autem non dicam hoc poſt Cardinalem Petrum Damiani? *Salva Filii Majeſtate audacter dicam Virginis Aſſumptionem longe digniorem fuiſſe CHRISTI Aſcenſione.* Quia, Scriptura teſte, aſcendit innixa ſuper dilectum ſuum, qui occurrit obviam illi, & qui honorans præſentia ſua Matris triumphum, hunc ſuo quodammodo efficit celebriorem. *Sermo Manuſcriptus.*

Elevatur Sanctæ Virginis thronus ad Filii dexteram.

Dum loquor, Maria in cælum ingreſſa, *Angelicam tranſiens dignitatem uſque ad ſummi Regis thronum ſublimata eſt.* Sanctus inquit Auguſtinus. Æquum enim erat, addit ille, ut Filius Matrem ſuam collocaret in prima honoris ſede, in qua collocaverat quod a Maria receperat, ſuam videlicet ſanctam humanitatem. Pater æternus juſſit Filium ſuum ſibi a dextris accumbere, & Filius ſibi ad dexteram collocavit Matrem in die Aſſumptionis illius. O Deus! Quam ſublimis eſt thronus Sanctiſſimæ Virginis, quandoquidem poſitus eſt a dextris ipſius Filii Dei? Quomodo illum ſuſcipere licet, ut elevationem ejus metiamur! Meminerimus ſolum quæ nos docet Theologia, gloriam ſecundum meriti magnitudinem tribui; meritum vero in caritate fundari, caritatem in gratiæ fidelitate conſtitui, & gratiam inniti ei, quod de anima Deus habet, conſilio. Meminerimus gratiam ſanctificantem datam fuiſſe Sanctæ Virgini in prima ejus ſanctificatione pro auguſtiſſima illius Deiparæ dignitate, & omnium magnorum officiorum ejus, Mediatricis hominum, Reparatricis Univerſorum, & infinitorum aliorum titulorum, quos illi Filius ſuus communicavit. Meminerimus ipſam præclare uſam fuiſſe hac gratia per plenam, integramque cooperationem a primo ſuæ Conceptionis articulo ad extremum uſque vitæ ſuæ ſpiritum non ſine jugi incremento, quin ne ſomnus quidem illam interpellaverit. Poſt hæc dicite mihi quem tandem invenietis acervum divitiarum, gratiarum, theſaurorum, quorum alii ſuper alios erunt congeſti, & conſequenter quænam eſt illius in cælis elevatio? Hæc incomprehenſibilis eſt; ideoque cum ſancto Bernardo vobis dicere teneor, quod licet vos alloqui de illius gloria concupiſcam, me perſtringi adſpectu throni ita elevati, ut mihimet ſilentium indicam, ſatis eſſe arbitratus hanc pompam admirari, & Deum benedicere, eo quod illam adeo ſupra omnes cogitationes noſtras elevaverit. *Sermo Manuſcriptus.*

Maria in tanto elevationis ſuæ gradu non obliviſcitur noſtri, reſpicit nos, & miſeretur ærumnarum noſtrarum.

Cælum te poſſidet, Virgo Sancta, ſed ipſi non ideo te amittimus. Inter tantam hanc gloriam tuam non obliviſceris noſtrum; & de throno in quo ſedes non dedignaberis nos intueri. Fallacium mundi Principum eſt ſua luce perſtringi, & parvulorum ærumnis non affici. Quæcumque ſit gloria tua, accepta erunt tibi obſequia noſtra; voti dignos facies, & quo propior es fonti gratiarum, magis, magiſque in nos eas deſcendere facies. Hac freti ſpe noſmet ad tuos pedes proſternimus, tibique humillima obſequia, ferventiſſimaſque preces offerimus. Te tamquam Reginam noſtram ſalutamus, ſimulque invocamus te tamquam miſericordiæ Matrem; quia Regina es, pro nobis omnia potes, & quia Mater es miſericordiæ, pro nobis vis, quidquid vales. Quin igitur nos tua arceat magnitudo, hoc immo nos allicit magis, & quin nos deterreat, potius animos facit, & confirmat. Quid nobis expectandum non eſt a miſericordia omnipotente, vel a potentia miſericordi? *Pater Valois in Aſceticis.*

Ut moriamur, & reſurgamus quemadmodum Sancta Virgo, ſequi debemus ejus exempla, & virtutes imitari.

Cum Sancta Virgo ſit exemplum ſanctæ mortis, uti jam a nobis dictum eſt, ad ſimilem gratiam obtinendam, & ſortem ſorti illius parem aſſequendam, videlicet ad hoc, ut ſancte ſicut illa moriamur, & glorioſe cum illa reſurgamus, illam imitari debemus in vita, & quin noſtram traducamus in impedimentis plurimarum rerum, quæ plerumque in ſe ipſi malæ ſunt, & quæ nonnumquam licet malæ non ſint, non ita facile cum Chriſtiani ſtatu conciliantur, cum illa ſequamur illud unum, quod *neceſſarium eſt*, & quod non eſt aliud niſi opus ſalutis noſtræ. Conemur *optimam partem eligere*, quæ non auferatur a nobis: ſcilicet procurare nobis æterna bona, & non præferre bona corporis perituri bonis animæ non morituræ. *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, anima vero ſuæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Heu! Quænam eſt cæcitas noſtra? Vitam in anguſtia, & labore traducimus opes cumulaturi, & noſmet ad dignitates promoturi, quin cogitemus, omnia nobis relinquenda eſſe in morte; & negligimus congerere opera bona, quamvis hæc una reliqua futura ſint nobis, & nobiſcum aſportanda. *De Monmorel. Homiliæ in Evangelia.*

Math. 26.

Sancta Virgo poſt Aſcenſionem Filii, non alias habuit cogitationes, & vota niſi de cælo.

Poſtquam JESUS CHRISTUS terram reliquit aſcenſurus ad dexteram Patris, omnia deſideria cordis Sanctiſſimæ Virginis illum proſecuta ſunt uſque in ſinum æternitatis. Ex eo temporis articulo terram tamquam triſte exilium reſpexit; omnes illius obtutus, omnes cogitationes, deſideria, affectus ſecuti ſunt JESUM CHRISTUM in cælum. Ita in terris abſcondita, mundo ignota, & uni nota Deo, non vivebat amplius niſi in ſilentio, in oratione, in altiſſimæ contemplationis exceſſu; inceſſanter dicebat Filio cariſſimo: quando apparebo ante faciem Domini? A ceteris rebus divulſa, ut proficiſceretur ſe ſe conjunctura cum objecto, quod amabat, moriebatur quotidie præ dolore, & ardor votorum ſuorum efficiebat vim omnem amaritudinis cordis ſui. Ignoramus quouſque evaſurus ſit jacturæ noſtræ exceſſus; nos, qui adhuc hærentes terræ immoramur in iis, quæ nobis circumſtant, qui mundo alligati ſumus, amicis, exiſtimationi noſtræ, fortunæ, corpori, cupiditatibus, nobiſmet ipſis. Non ſentimus impetus animæ non niſi propter Deum ſuum viventis, nos qui ſemper vivere volumus in hoc exilio, ſed infelici omnigenarum tentationum ſemper obnoxii periculo amittendi Deum, qui unicum eſt votorum noſtrorum objectum, nunquam certi, utrum illum ſimus poſſeſſuri. Sed beata Virgo, quæ minime patebat ſenſuum illuſioni, longe alias fovebat cogitationes, aliaque deſideria; quippe unice Deo occupata, non niſi illius poſſidendi cupiditate flagrabat. *Auctor recens.*

Novus ſtatus ad quem Virgo eſt evecta, illam reddit ſollicitiorem neceſſitatibus noſtris, ejuſque amorem efficit ardentiorem.

Credendum non eſt novam ſedem, ad quam evecta eſt Virgo Sanctiſſima, obſtare, quo minus in nos demittat oculos ſuos; e contra enim hic gloriæ ſtatus efficit noſtris neceſſitatibus indulgentiorem, noſtriſque petitionibus promptiorem. Ceterum ſi unquam proclivis fuit ut hominibus ſupremæ ſuæ poteſtatis monumenta præberet, hodie eſt paratiſſima, cum illius adeat poſſeſſionem. Quibus addo, ſi divini amoris conatus, atque violentia ſeparavit animam ejus a corpore, ut ad beatam ſedem avolaret, amorem, quo proſequitur homines, novum fuiſſe pondus quod illam impulit, ut illis eſſet Matris, & Patronæ loco, eorumque fieret maxima ſpes apud Deum. Sed quid inde argumentamur? Matrem habemus ita potentem, & ita nos diligentem, nos vero in miſeria, & in indigentia permanebimus? Omnibus tentationibus agitati, & fortaſſe vitiis omnibus victi, illius tamen opem non deprecamur? Neſcimus illius uti gratia, & affectu: *Accedamus cum fiducia ad thronum gloriæ ejus*, exclamat quidam ex familiaribus ejus, qui applicat illi hæc Apoſtoli verba de Salvatore: audacter accedamus ad hunc thronum gratiarum, ubi miſericordia perorat pro nobis, & noſtras ſuſcipit partes. Hic thronus non eſt, unde contra peccatores ſua Deus tela contorqueat; ſed thronus e quo miſericordias largitur; non juſtitiæ thronus, unde proferat mortis ſententias; ſed thronus gratiæ, ubi non loquitur niſi de abolitione pœnarum. In terris Maria fuit thronus, in quo libentius Deus, quam uſpiam alibi manſit, & nunc in cælo thronus eſt deſtinatus, ut ſit peccatorum aſylus. Ergo peccatores non conformident accedere, dummodo accedant animo relinquendi ſcelera ſua, quia illius miſericordia adhuc major eſt eorum nequitia. *Auctor recens.*

Ad Hebr. 4.

[illegible]

Hodierna die in Maria repetimus potentem Advocatam apud Judicem noſtrum, & Matrem miſericordiæ pro peccatoribus. Per vos mihi liceat ad ædificationem veſtram non ſecus ac ad conſolationem mentem meam aperire. Ita eſt, Chriſtiani, S. Bernardus dicebat; habemus Sanctiſſimam Virginem advocatam apud Filium, quemadmodum habemus JESUM CHRISTUM Advocatum apud Patrem. Et quis dubitat, quominus Maria cum ſit Mater illius, qui quatenus Judex prolaturus eſt ſententiam vitæ, ac mortis, Mater, inquam dilecta, Mater Sancta, Mater coronata gloria, hæc benigne non exaudiatur? Quis dubitat, illam perorantem pro hominibus præ Maternitatis ſuæ reverentia non exaudiri? Non ſequitur inde eam a nobis elevari ſupra Filium ſuum; perinde ac ſua maternitas illi conferret jus exigendi ab illo, ut nobis criminum noſtrorum veniam concedat. Abſit, nos id ita intelligere. Licet per exceſſum confidentiæ, nobis elaberentur quidam termini minus juſti, & diceremus, quod proferre non auden, JESUM CHRISTUM exaudiendo Mariæ preces complacere ſibi in cælo etiam quamdam exhibere ſpeciem obedientiæ, reſpiciendo ſemet tamquam Filium ejus, eamdemque veluti parentem colendo; licet, inquam, hoc pacto loqueremur, hæreſis fautores non magis ſcandali cauſam inde ſumere deberent, quam ex aliis locutionibus prorſus ſimilibus, quibus Scriptura, cum ait, Deum cohibentem Solis curſum, obedire voluiſſe voci hominis: *Obediente Domino voci hominis*; & cum addit Deum, licet Deus ſit, ſpopondiſſe, ſe facturum voluntatem timentium ipſum: *Voluntatem timentium ſe faciet*. Sed hac defenſione non indigemus: termini quippe quibus utimur, loquentes de poteſtate Sanctiſſimæ Virginis per ſe probantur, & nulla cenſoria nota poſſunt labefactari. Dicimus enim, illam orare JESUM CHRISTUM, non dicimus illam imperare JESU CHRISTO. Ceterum addimus, JESUM CHRISTUM poſtquam olim Sanctiſſimæ Matri ſuæ obedit, nunc quoque faciles illi aures præbere cum omni honore, & obſervantia, quam in æternum illi præſtiturus eſt, propter perſonæ dignitatem, & meritum. *Pater Bourdaloue.*

DE DEVOTIONE,

ET CONFRATERNITATE ROSARII.

MONITUM.

HActenus collegimus rerum ſupellectilem diſpoſitam ſecundum communia Sanctiſſimæ Virginis Myſteria, in quibus Auctores de illis agentes nobis uberem rerum copiam ſuppeditarunt, ex qua plures Sermones confici poſſent: ſed non deſunt alia plures feſtivitates inſtituta in Beatæ Virginis honorem, quæ licet non ſint ex numero Myſteriorum, quæ paſſim ſolemniter ab Eccleſia celebrantur, aut recoluntur, probantur tamen, utpote quæ magno ſunt adjumento ad fidelium pietatem fovendam, devotionis Spiritum excitandum, qui ſenſim, & ſine ſenſu alioquin tepeſcit, & ſine quo Dei cultus, Religionis ſenſus, pietas fidelium inſigne reciperet detrimentum.

Inter hos feſtos dies, quorum ingens eſt numerus, & quæ integra volumina flagitarent, illos tantum eligimus, in quibus plerumque Sermones fiunt in gratiam quarumdam Sodalitatum, vel Cœtuum ſub titulo, quo a fidelibus vulgo diſtinguuntur, & paſſim vocantur Confraternitates, quibus qui nomen dant, ſe ſe quibuſdam officiis obſtringunt, variiſque praxibus devotionis erga Deiparam, ut ſuam teſtentur erga ipſam devotionem, & cultum. Initium facio ex Confraternitate Roſarii a Sancto Dominico inſtituta, & Filiorum ejus zelo, laboribuſque, qua late patet Chriſtiana Religio effuſa. Verum cum labor hic meus in Prædicatorum gratiam inſtitutus ſit, nihil in hac collectanea referre meum eſt niſi quæ ad ſuggeſtum pertinent, quin deſcendam ad tradendam methodum recitandi Roſarium, quam nemo nunc ignorat. De illius inſtitutione tantum verba faciemus, de inæſtimabili fructu, qui ab Eccleſia percipitur, de officiis, quibus ſe ſe adſtringunt Confratres, & de ſenſu pietatis quo hæc Oratio eſt recitanda.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Synopſis Sermonum hujus argumenti.

I. *SAlutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. Ad Rom. 16.* Hæc verba ſunt S. Pauli Apoſtoli in Epiſtola, quam ſcribit Eccleſiæ, quæ coaleſcere incipiebat Romæ totius orbis Metropoli. Inter cetera Chriſtianis etiam commendat, ut in nomine ſuo ſalutem dicant Matronæ Nobili, cui Nomen Mariæ, quæ omnes curas, ſuaque bona impenderat in naſcentis hujus Eccleſiæ progreſſum. Sed per vos liceat mihi hodierna die uti iiſdem verbis Apoſtoli, ut commendem vobis et ſalutem dicere non quidem meræ urbanitatis cauſſa, ſed pietatis ſenſu, & animi grati officio Mariam aliam, quæ toto cælo majoris eſt meriti, & cui nos multo plura debemus, quia longe alia ratione ſaluti noſtræ, patri, & omnium hominum felicitati proſpexit. Hæc Maria eſt, Dei Mater, Mediatrix hominum apud Filium ſuum, Regina Cæli, Magnificentia Dei, ſpes peccatorum, cui juſti debent poſt Filium ejus omnia bona, quæ ſunt habituri. Hanc Mariam ut ſalutetis ſæpe vos obſecro, & obteſtor cum omni ſenſu reverentiæ, obſervantiæ, fiduciæ, quam meretur ejus dignitas, & beneficentia, & ad quam noſtra nos cogit utilitas. *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis.* Salutatio, quam illi dicere vos oro, non eſt effictum aliquod urbanitatis, quale præſtare ſolent illi, qui principibus viris obſequuntur: hæc illi nuntiata fuit partim ab Angelo cælitus dilapſo, partim a Sancta Eliſabeth divino repleta ſpiritu, partim ab Eccleſia eodem afflata Spiritu, quæ illi manum extremam admovit, perfecit, & tamquam vulgatiſſimam Orationem omnibus recitandam propoſuit.

Hæc igitur Oratio in honorem Beatæ Virginis conſecrata, quæ toties in Roſarii recitatione repetitur, nos adducit, ut pro textu hæc eligamus S. Pauli verba, *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis*, & oſtendamus 1. Roſarii orationem, & cultum, qui Mariæ adhibetur in hac Confraternitate, cultum eſſe, & orationem Mariæ accepriſſimam. 2. Quo ſenſu, & qua intentione recitare debeamus hanc orationem, & cultum hunc præbere, ut ſit Mariæ acceptus, atque jucundus.

Ad primum punctum replendum oſtendere poſſumus cultum hunc, quem præſtamus Mariæ illi eſſe cariſſimum. 1. Quia pietas eorum, qui recitant Roſarium, recolit glorioſiſſimos illius titulos. 2. Quia magnam illius potentiam fatentur. 3. Quia celebrant illius Sanctitatem, & laudes. Hoc pacto Confratres texunt Coronam Mariæ, quæ illi eſt glorioſiſſima, & fiunt imitatores S. Gregorii Nazianzeni, qui honoraturus eminentia dona incomparabilis hujus Virginis texuerat orationem compoſitam ex ſublimioribus Mariæ Privilegiis. Qualitas ejus Genitricis Dei, ceteris præſtat: qui enim dicit Matrem Dei, dicit quidquid ſublimius ſibi repræſentari valeat ſpiritus hominis, & illam cumulat gloria, ad quam Deus illam potuit elevare. Ad confitendum ſublimem hunc gradum, & hanc dignitatem, oratio hæc inſtituta eſt per eadem verba, per quæ maternitas hæc illi fuit nuntiata. Singularis hujus gratiæ in illa memoriam excitamus: quis autem dubitare poteſt publicam hanc confeſſionem, quæ fit auguſtæ hujus dignitatis Deiparæ, qua Maria decorata fuit, illi acceptiorem non eſſe præ alio quocumque gloriæ titulo, quo illam honorare vellemus? Num timendum eſt, ne hæc oratio toties repetita illi faſtidium creet? Quin immo e contra dicendum non eſt, ſicuti Seraphim non ceſſant beatorum

Digitized by Google

torum ſedem replete eodem cantico, quod cæli omnes repetunt, æternumque repetent cum illis, hymnum hunc cæleſtem eorum conſtituere felicitatem, cum ſit divinæ gloriæ compendium? Ita etiam Roſarii Sodales inceſſanter novo zelo, recentique pietate inſtaurant orationem, in qua glorioſa divinæ Maternitatis qualitas continetur, quam Maria ſemper eodem cum grati, humiliſque animi ſenſu excipit. Ita ex hac dignitate magna ejus oritur poteſtas, cui comparanda non eſt poteſtas Sanctorum; cum quidquid eſt infra poteſtatem Dei, Mariæ poteſtati ſubjaceat, quandoquidem coronata eſt tamquam cæli, terræque Regina. Roſarii devotio excitat in Maria memoriam dignitatis Deiparæ, ſuæque poteſtatis, ſimulque illius ſanctitatis, aliarumque virtutum, quibus glorioſa hæc privilegia promeruit: hæc enim catena eſt magnitudinis, cujus tamen primus annulus eſt humilitas, & puritas Mariæ, quod Roſarii Confratres prædicant; ideoque per orationem, quæ conſtituit eſſentiam Societatis eorum, commendant qualitatem Matris Dei, poteſtatem ejus, omneſque virtutes illius.

Pro puncto altero oſtendere poſſumus ſenſus, quibus offerenda eſt Oratio Roſarii Reginæ cæli, ad tria redigi capita. 1. Ad ſublimem æſtimationem perſonæ ad quam hac Oratione confugimus, & hæc idea eſt, quam nobis magna illius adſtruit potentia. 2. Ad tenerum affectum erga illam, quam noſtram Matrem eſſe gloriamur. 3. Tandem ad firmam confidentiam id impetrandi, quod ab illa petierimus. Tales ſunt ſenſus, quos fovere debent Sodales Roſarium recitantes. Profecto qui ſe ſe offert Principi eum allocuturus, non ne præ ſe ferre debet magnam illius æſtimationem? Sed cuinam ſe offerunt, & coram quo ſiſtunt ſe Confratres? Nonne coram cæli, terræque Domina? Deus nonne in manus ejus omnes gratias collocavit? Illa non ne rivulus eſt, per quem gratiæ manare debent? JESUS CHRISTUS illas largitur; hic caput eſt, a quo omnes manant influxus: ſed hi tranſeunt per Mariam, quæ in Myſtico JESU CHRISTI Corpore habetur veluti Colum, per quod Divinus Filius gratias omnes vult pertranſire. Si ut a JESU CHRISTO audiamur, credere debemus, inquit Apoſtolus, ipſum infinite magnum eſſe, & omnipotentem, opus eſt etiam, ut confugiens ad Mariam illam deprecaturus habeat ſublimem ideam potentiæ ejus, & tenerum illius amorem adjiciat: hæc eſt ſententia illa digni fideli ſervo Mariæ, quam nobis inſpirat qualitas Matris Dei. Illa nos amat, recipit enim Chriſtianos omnes tamquam filios, & Roſarii Sodales tamquam dilectos ſuos. Illa nos omnes recepit in numero Filiorum ſuorum, cum JESUS
Joan. 19. CHRISTUS loquens illi de S. Joanne dixit: *Mulier, ecce Filius tuus:* ſed præſertim eos diligit, qui ſe ſe devoverunt illius miniſterio peculiari modo. Ab illis amorem pro amorem expectat; non ne Eccleſia in ore
Prov. 8. ejus ponit in diei hujus officio: *Ego diligentes me diligo?* Si eorum Mater ſum per amorem, quo illos complector, non ne illi erga me ſe gerere debent tamquam Filii, non ſolum per opera exteriora, & labiis ſuis recitantes quaſdam precum formulas, ſed per amorem cordis, quæ ſit emanatio amoris Dei; quidquid enim facit pro Sodalibus Roſarii, illis confidentiam, non ſecus ac amorem inſpirat. Profecto non ne ſalutem noſtram concluſit tribuens conſenſum ſuum verbo Angeli, qui Dei nomine ſalutavit illam, & quoties Confratres hanc recitant orationem, inſtaurant memoriam magni hujus beneficii, quod in il-
Serm. 2. de Nativ. Virg. lis amorem, & confidentiam debet excitare. Itaque *totis præcordiorum affectibus Mariam veneremur*, S. Bernardus ait, *quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Amor, & confidentia Sodalium non poteſt melius fundari, quam devote recitando orationem, quæ illis ob oculos ponit ingentem Mariæ æſtimationem apud Filium, ejuſque ſtudium ad implorandum ejus auxilium in omnibus neceſſitatibus noſtris. Tot annorum experientia non ne ſatis probavit, Mariam nunquam deeſſe fidelibus ſervis ſuis; & frequentia miracula, quæ in eorum gratiam operatur, ſunt totidem monumenta probantia ipſam poſſe, & velle illis ferre opem in omnibus occaſionibus. *Auctor Sermonum in omnia Ethicæ diſciplinæ argumenta, tom. 2. Myſteriorum.*

II. In Roſarii devotione tria deprehendo, quæ magnam adſtruere debent ideam felicitatis eorum, qui Sanctæ huic Confraternitati nomen dedere. 1. Arcanum bene orandi. 2. Modum bene vivendi. 3. Utilitatem bene moriendi. At ſocietas in hos fines inſtituta, & Confraternitas, cujus cultus adeo purus eſt, munus adeo Chriſtianum, tanta, & adeo præclara privilegia; nonne approbanda eſt, ſicut approbata fuit ab Eccleſia? Talis Roſarii Confraternitas, cujus qui ſequitur, & obſervat Spiritum inſtitutionis, diſcit bene orare, tenetur bene vivere, & ſe ſe ad bene moriendi diſponit. Profecto ne quid dicam niſi ad ædificationem, doctrinamque veſtram, aſſero in ea conſideratione, quam a nobis fieri jubet Eccleſia in Myſteria JESU, & Mariæ, a nobis inveniri 1. ſecretum bene orandi. 2. In exemplis, quæ nobis proponit, medium bene vivendi. 3. In Indulgentiis, quas nobis concedit, conſolationem bene moriendi. Hoc argumentum eſt, ac partitio Sermonum. *Deſumptum ex Elogiis Hiſtoricis Sanctorum, ac Myſteriorum.*

Ex omnibus obſequiis, quæ fideles in Eccleſia præſtant glorioſæ Virgini, oſtendi poteſt III.

1. Illam præ ceteris honorari per Roſarii devotionem. Ratio eſt, quia hoc eſt revocare memoriam honoris, quem illi Deus ipſe detulit, Angelum deputans, qui nuntiaret illi, ipſam delectam fuiſſe futuram Matrem Salvatoris mundi: ita ut quoties hæc ſalutatio repetitur, ſingulis vicibus idem illi deferatur honor, qui tunc illi delatus fuit. Hinc ſequitur, quod ſubeuntes in locum Angeli, qui gloriæ ſibi vertit legationem ſuam erga hanc Angelorum Reginam, eodem perfungimur munere, eademque legatione, ideoque hæc devotio nobis in honorem cedit. Ita Reges, & Principes ſibi honorificum eſſe cenſuerunt, ſi admitterentur in hoc precum commercio cum Ordine, qui profitetur Sanctiſſimam Virginem colere hac Sancta praxi.

2. Devotionem hanc præbere tuta, & facilia ſalutis adminicula iis, qui in Sancto hoc Sodalitio adſcribuntur. Hæc autem adminicula ſunt, fideliter fungi inhærentibus illi officiis, quæ complectuntur ea, quæ magis neceſſaria ſunt ad vitam Chriſtiano homine dignam ducendam, & quæ cæleſtia promerentur ſubſidia, quæ promittuntur illis, qui fideliter eadem officia præſtiterint.

Pro Sermonis hujus argumento deſumi poteſt, Inſtitutionem, & devotionem Roſarii inſtauraſſe primum Chriſtianæ Religionis fervorem, & oſtendere in Eccleſia imaginem vitæ primorum fidelium. S. Lucas in actis Apoſtolorum paucis verbis deviſionem ſuppeditat, quibus deſcribit vitam eorum, quibus erant primitiæ Spiritus. Ait enim 1. illos ita fuiſſe caritatis vinculis conjunctos, ut omnibus ineſſe videretur *cor unum & anima una.* 2. Narrat illos fuiſſe *perſeverantes in oratione.* 3. Illos ædificaſſe mundum univerſum Sanctitate vitæ ſuæ, ita ut numerus eorum, qui convertebantur illecti exemplo pietatis eorum atque virtutis, magis, magiſque in ſingulos dies augeretur: *Habentes gratiam ad omnem plebem: Dominus autem augebat, qui ſalvi fierent quotidie.* Neſcio utrum magis naturalis fieri poſſet hypotipoſis morum, qui floruerunt in Eccleſia, ſtatim ac Roſarii devotio prædicata, recepta, & inſtituta fuit. IV. Act. 5. Ibidem.

Primum. Facta fuit ſtatim ſocietas perſonarum cujuslibet ætatis, ſexus, conditionis quæ ſimul per caritatem arctiſſimis conjuncti vinculis unanimi conſenſu in eumdem finem conſpiraverunt, non quidem coronandi ſe roſis, uti loquitur Scriptura de cœtu impiorum; ſed offerendi Deiparæ coronam millies gratiorem, & pretioſiorem quam ſi ornata eſſet omnibus mundi margaritis. Corona hæc Roſarium dicitur, compoſitum, uti diximus, ex duabus præſtantiſſimis orationibus ad revocanda in mentem populorum præcipua Myſteria vitæ Salvatoris, & Mariæ. Societas hæc tunc primum Confraternitatis nomine fuit nuncupata ad innuendum conſenſum eorum, qui illi adſcriberentur, ſimilem conſenſui primorum Fidelium &c. V.

2. Societas iſta perſeveravit ſemper in ſuis religionis obſervantiis, in cura, & aſſiduitate earumdem precum, quæ tunc conſtitutæ fuerunt, & diſpoſitæ in eum ordinem, quem nemo ignorat, ubi procul dubio præſidet ſpiritus Dei, & oſtendit hoc inventum fuiſſe Eccleſiæ procuratum ad tuendam, ſervandamque Religionem, pietatem, & mores bonos: *Digitus Dei eſt hic.* Deus manum injecit contra cenſuram, & omnes Hæreticorum conatus ad devotionem hanc abolendam, quæ eſt tamquam cautio ex parte Salvatoris, & Sanctiſſimæ Matris ejus, illam eſſe permanſuram, donec Religio, & Eccleſia florebit; & ſi unquam interierit, pietatem quoque, & Dei cultum eumdem exitum ſubiturum.

3. Præcipua ſimilitudo, quæ deprehendi poteſt inter confratres in unum collectos, primoſque fideles, eſt vitæ eorum exemplum, quod talem habuit effectum, ut viſum ſit renovare omnem Eccleſiæ faciem vitæ mutatione quam fecerunt per hanc devotionem conjunctam cum publica ædificatione, quam dederunt fidelibus omnibus. Converſiones in dies ſingulos fiebant: nobiles viri ſimul & mulieres catervatim nomina dabant huic Confraternitati; nationes omnes, ad quas hæc ſe extendit devotio, eamdem pietatem, eumdemque fervorem in obeundis Religionis officiis teſtatæ ſunt, ita ut qui comparationem inſtituerit inter ſtatum, ad quem Chriſtianitas redacta fuit antequam ibi Roſarii devotio reciperetur, cum ſtatu, in quo viſa eſt fere ſtatim poſtquam recepta fuit, non dubitet aſſerere, Roſarium renovaſſe ſpiritum, primumque fervorem primorum Fidelium in omnibus Civitatibus, & Regnis, ad quæ hæc ſe ſe extendit devotio.

Eximius inſtitui poteſt ſermo de iis ſenſibus, cum quibus Roſarium recitandum eſt; videlicet cum eo-

dem ſpiritu eum quo inſtitutum fuit. Neque enim ore tenus recitandum eſt; cor loquatur oportet, & tota Confratris vita ſit imago Sanctiſſimæ Virginis exemplum repræſentans. Primum, ſicuti cum illa ingreditur in ſocietatem Myſteriorum gaudii, ſtrenue abdicare ſe debet omnibus mundi voluptatibus. 2. Sicuti ingreditur in ſocietatem Myſteriorum doloris, ſuſtinere debet cum ſubmiſſione omnes vitæ dolores. 3. Sicuti ingreditur cum illa in ſocietatem Myſteriorum gloriæ, cum zelo, & perſeverantia adniti debet ad cæli gloriam aſſequendam. Hi tres ſunt articuli Contractus Societatis initæ inter Sanctam Virginem, & Roſarii confratres, & tres neceſſariæ conditiones ad illud rite recitandum.

Applicari peculiariter poteſt devotioni Roſarii idea, & conditiones, quas Patres, ac Theologi tribuunt devotioni generaliter ſumptæ. 1. Devotio generatim ſecundum vim, & nominis ſignificationem eſt devotio cordis ſervitio Dei, quæ aſſumitur per publicam, apertamque profeſſionem, quapropter ſit actus Religionis, ad Dei cultum pertinens. 2. Finis devotionis, eſt divinam colere Majeſtatem per actus exteriores, quibus præ oculis ferimus interiores animi noſtri ſenſus, quos habemus de illius magnitudine, & excellentia. 3. Devotionis hujus effectus eſt in nobis fervorem, alacritatem, & fidelitatem ciere, ut regulariter obeamus omnia Religionis, noſtrique ſtatus officia.

VI. Quis autem ex his lineamentis devotionis generatim ſumptæ non intelligit peculiares characteres devotionis Roſarii? 1. In inſtitutionem, quæ eſt devovendi ſe Dei, Sanctæque Matris ejuſdem famulatui per publicam, & manifeſtam profeſſionem? In fine, qui eſt utrumque honorandi, omneſque fideles excitandi per cultum maxime ſolidum probatum, ideoque magis acceptum divinæ Majeſtati, quandoquidem hoc fit per frequentem recitationem orationis Dominicæ, & Angelicæ Salutationis, quarum virtus, & meritum ſatis innoteſcit. 3. In effectibus qui ſunt excitare in recitantibus utramque orationem fervorem, regularitatem, & perſeverantiam ut cum ædificatione Religionis, ac ſtatus ſui obeant officia.

VII. Conſiderare poſſumus 1. Neceſſitatem Aſſociationis Roſarii ex fructu, quem tulit in Eccleſia per excidium Hæreſeos Albigenſium, per pietatem, quæ per illam floruit, & multitudinem converſionum, quas procuravit.

2. Utilitatem, quam procurat illis, qui huic Societati adſcribuntur, & qui obeunt officia, quæ illa præſcribit, videlicet 1. Solidam orandi rationem. 2. Bonorum operum praxim. 3. Sanctæ Virginis ſubſidium.

VIII. Æquum etiam eſſe poteſt Sermonis argumentum, oſtendere Roſarii Confraternitatem eſſe,

Primo unam ex ſolidiſſimis devotionibus, quæ poſſint inſtitui in honorem Sanctæ Virginis, ſive conſideretur, 1. ejus inſtitutio, quæ non aliud objectum habet, niſi honorandi Filium in magnis privilegiis, quæ contulit Matri ſuæ, & honorandi Matrem, quæ tanta cum dignitate ſuſtinuit ſingulares favores, quos illa recepit a Filio. Sive conſiderentur 2. fructus inſtitutionis Roſarii, qui fuerunt victoria relata adverſus hæreticos Albigenſes perniciosiſſimos Eccleſiæ inimicos, contra impios, & in omnem licentiam effuſos, & contra dæmones.

2. Oſtendere Confraternitatem Roſarii unam eſſe ex ſolidioribus devotionibus, quæ valeant inſtitui in honorem Sanctiſſimæ Virginis, ſive conſideretur, 1. Confraternitatem hanc eſſe ferme univerſalem, & extenſam in omnes regiones, ubi JESUS CHRISTUS adoratur, ne ſeparentur adorationes Filio debitæ ab obſequiis, quæ debentur Matri. 2. Confraternitatem hanc amplecti omnes fere ætates, omnes conditiones, loca omnia; ita ut ne una quidem fere adſit familia, quæ non ſit in Sanctæ Virginis ſub hoc titulo clientela. 3. In hac Confraternitate adnexas eſſe Indulgentias, quæ conferunt tam ad bene vivendum, quam ad bene moriendum; ita ut in extrema obitus hora, cum bene confeſſi, & rite contriti ſimus, & Indulgentiæ nobis rite applicentur, fidelis ab omnibus peccati ſordibus ablutus, alterius Baptiſmatis ſpeciem conſequatur. *Sermo Manuſcriptus.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, & libri unde hauriri poteſt Copia ad propoſitas partitiones exornandas.

Auctores veteres, qui de Roſario locuti ſunt.

BEatus Alanus *de la Roche* ex Dominicana familia maxime contulit ad inſtituendam, & propagandam Roſarii Confraternitatem, Librum edidit: De dignitate Pſalterii Beatæ Mariæ Virginis, ubi agit de præſtantia, fructibus, & extenſione hujus Confraternitatis.

Vincentius Bandellus Generalis Ordinis Sancti Dominici authenticum reddit teſtimonium de extenſione hujus devotionis, & multitudine inſignium Virorum hujus Confraternitatis, teſtimonium inſertum in Conſtitutionibus Ordinis diſtinct. 1. c. 15.

Joannes de Monte, & Thomas de Templo duo diſcipuli, & individui Socii ſancti Dominici, quorum alter edidit librum cui titulus *Mariale*, alter vero *de Miraculis Pſalterii Beatæ Virginis.*

Humbertus quintus Generalis hujus Ordinis *l. 2. Sermonum de Fraternitate ſerm. 59.* habet hujus Confraternitatis Elogium, & illius fructus, ac exercitationes recenſet.

Juſtinus Michovienſis, Ordinis Prædicatorum *l. 3. diſcurſuum Prædicabilium ſuper Litanias Lauretanas* fuſius perſequitur, quidquid ad hoc pertinet argumentum, ita ut hic unus Auctor ſatis ſit ad oſtendendum excellentiam, utilitatem, miracula, & praxim Roſarii, & fructus admirabiles hujus depoſitionis in Eccleſia.

Thomas Cantipratenſis l. 2. c. 29. p. 6. & 8. narrat miracula per Roſarium facta.

Doctor Navarra ſcriptis reliquit piam rationem Roſarii recitandi.

Granatenſis ſub finem Meditationum in vitam Domini loquitur de devotione, & Myſteriis Roſarii.

Alanus de Rupe l. 4. de quo ſupra.

Albertus de Caſtro, Ambroſius Salinerus, Andreas Ginellus, Joannes Rebelli, Jodocus Lovichius *in theſauro novæ Theologiæ.* S. Bernardinus *tom. 1. ſerm. 53.* Fridericus Nauſea *in Catechiſmo.* Clitovæi ſermones. S. Thomas *Opuſc.* 8. Franciſci Coſteri *Explicatio Salutationis Angelicæ. H. Gratiani* Expoſitio. *Savonarolæ* Expoſitio. Stanislai Oſii Expoſitio. Joannis Gropperi declaratio. Hortus Paſtorum *tract.* 4. fuſius tractant de Salutatione Angelica, & de utilitatibus, quam hæc oratio affert illam devote recitantibus. P. Poirè in triplici corona, tract. 4. c. 9. §. 3. Interpretes in S. Lucæ Evangelium; & quicumque Meditationes ſcripſerunt in Myſteria Annuntiationis, quos memoravimus, cum de hoc Myſterio loqueremur. Qui ſcripſerunt de Angelica ſalutatione circa Roſarium.

Pater Poirè in triplici corona tract. 4. cap. 9. poſtquam locutus eſt de Angelica Salutatione, loquitur de Roſario, ejus inſtitutione, & fructu. Aſcetici.

Pater Suffren in tomo 1. Anni Chriſtiani, ubi agit de devotione erga Beatam Virginem, tradit praxim recitandi Roſarium, vel coronam deprecatoriam in illius honorem.

Pater Craſſet in parte ſecunda devotionis ergæ Sanctam Virginem tractatu 6. tradit praxim hujus devotionis.

Sanctus Franciſcus Saleſius ſub finem Introductionis ad Vitam devotam caput unum habet de Roſario.

Rodriguez tractatum habet de corona deprecatoria additum operibus Auctoris; qui tamen illius non eſt, & proinde in recenti verſione non invenitur; ſed tantum in veteri.

Infiniti propemodum ſunt libelli, catechiſmi, & rudimenta hujus argumenti, quæ recenſere moroſum eſt. Concionatores.

Pater le Jeune Oratorii Sacerdos tom. 4. Sermonum, unum habet de Roſario.

Pater Nicolaus Divionenſis Capuccinus unum habet hujus argumenti in Myſteriis Beatæ Virginis.

In Elogiis Hiſtoricis tomo 3. ſermo eſt de Confraternitate Roſarii.

Pater Texier inter Myſteria Virginis unum habet, ubi pauca ſunt ad argumentum ſpectantia. Qui collectanea ediderunt.

Auctor Sermonum in omnia Ethices Chriſtianæ argumenta ſecundo Myſteriorum tomo, non præteriit hoc argumentum.

Pater Theophilus in diptycis Marianis.

Auctor Sermonum in Litanias Lauretanas, diſcurſu in illud, *Roſa Myſtica*,

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Scripturæ huic argumento.

D*Omine doce nos orare.* Luc. 11.

Multum valet Oratio juſti aſſidua. Epiſt. Jacobi 5.

Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quacumque petierint, fiet illis a Patre meo. Matth. 18.

In medio Eccleſiæ laudabo te. Pſal. 21.

Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus. 1. ad Corinth. 1.

Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. 2. Petri 1.

Melius eſt eſſe duos, quam unum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Eccleſ. 4.

Societas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio ejus JESU CHRISTO. 1. Joann. 1.

Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. 1. Joann. 1.

Videte vocationem veſtram. 1. ad Corinth. 1.

Frater, qui adjuvatur a fratre, quaſi civitas firma. Proverb. 18.

Oremus ſimul, & pro nobis, ut Deus nobis aperiat

oſtium

oſtium Sermonis ad loquendum Myſterium CHRISTI. Ad Coloſſenſ. 4.

Benedicta es tu Domino Deo Excelſo, & præ omnibus ſuper terram: quia Nomen tuum ita magnificatum eſt, ut non recedat laus tua de ore hominum. Judith. c. 13.

Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſum ſe contradictionem. Ad Hebræos 12.

Sentite in vobis quod & in CHRISTO JESU. Ad Philipp. 2.

Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo Mundo. In Officio Beatæ Virginis.

Figura, & exempla hujus argumenti.

Abraham gaviſus eſt videns adimpleta Myſteria gaudii ad ſalvationem pertinentia.

NON miror videns S. Virginem, quæ fuit inſtrumentum, & ſpectatrix omnium Myſteriorum Filii Dei, tanta conſolatione fuiſſe repletam, cum vidit illa in ſe, & ſub oculis ſuis adimpleta: illud autem admiror, Abraham ipſum lætatum fuiſſe, cum vidit illa in ſpiritu ſolum, & in figura adumbrata. Hoc JESUS CHRISTUS olim declaravit Judæis, ut illorum confunderet incredulitatem: *Abraham Pater veſter*, dixit illis, *exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt*. Quinam eſt hic dies Filii Dei, quem vidit Patriarcha, & qui tantam illi attulit lætitiam tot ſæculis ante ejus adventum? In diverſa abeunt Patres, atque Interpretes id explicantes: ſed illos conciliaturus reſpondeo, hunc eſſe diem, quo ſingula gaudii ejus Myſteria adimpleta ſunt. Vidit in figura ea die, qua Filius ſuus Iſaac conceptus fuit in utero Matris ſuæ, jam effœtæ, ac ſterilis, diem, quo Dei Filius in utero Virginis Genetricis ſuæ incarnatus eſt: Vidit umbram hujus diei, & gaviſus eſt. Si Abraham vidit in Spiritu Incarnationem Verbi, die illa, qua conceptus fuit Iſaac, non vidit minori cum gaudio ea die qua ille natus eſt, diem, qua iſte naſciturus erat; & dicere poſſum, gaudium, quo exultavit Sara die ſui puerperii figuram fuiſſe gaudii illius, quo S. Virgo affecta fuit die partus ſui. Sara tunc dixit, dedit mihi Dominus magnam lætitiæ cauſſam, & quicumque illam auditurus eſt, gratulabitur mecum, & addidit illis, vix creditum iri eam ſenio confectam, & ſterilem, concipere potuiſſe filium, eumque lacte ſuo nutrire. Figura ſenſibilis gaudii, quo exaltatum fuit cor SS. Virginis, cum ſine detrimento puritatis Virginalis; peperit Filium Dei, cumque ſuo lacte nutrivit. Abraham vidit etiam diem Circumciſionis JESU CHRISTI ea die, & in cæremonia, qua Filius ſuus fuit circumciſus: *vidit & gaviſus eſt*. Vidit etiam in ſpiritu Myſterium adorationis Regum Magorum, cum videns tres Angelos ſub humana ſpecie, ſe proſtravit: *tres vidit, & unum adoravit*, ut deſignaret Myſterium Dei unius, & Trinitatis perſonarum; Cognovit ille hoc Myſterium, & gaviſus eſt. Denique Abraham vidit diem & Myſterium præſentationis Filii Dei in Templo, figuratum in incruento Iſaac Sacrificio, cum obtulit Deo cum alacri voluntate, ardenti corde, & mente ſubmiſſa, eumque redemit immolans arietem, quemadmodum S. Virgo redemit JESUM CHRISTUM offerens pro illo duos pullos columbarum. Ecce quomodo Abraham vidit in ſpiritu quinque hæc JESU CHRISTI Myſteria, quæ fuerunt fontes puriſſimorum gaudiorum ejus in ſtadio peregrinationum illius: *Vidit, & gaviſus eſt*. Vidit in figura, re autem vera gaviſus eſt.

Joann. 8.

S. Dominicus Roſarii Inſtitutor, cum Moyſe & Nehemia comparatus.

Temporibus abominationum, quibus Princeps tenebrarum excæcaverat mentes Fidelium, quibus Sacerdos cum Populo confuſus in ignorantia locum præbebat Albigenſibus effundendi inſanos errores, Deus ex penitiori ſolitudine ſuſcitavit novum Moyſem, qui diceret turbis Fidelibus, quas colligebat: Si quis veſtrum Domini eſt, ſe mihi addat; novum Nehemiam, qui cum inveniſſet ignem caritatis, & devotionis Chriſtianæ involutum in limo, & ferme converſum in lutum, divino afflatus numine illum Solis radiis expoſuit, ut accenderetur. Sub horum inſignium Virorum nomine vobiſmet repræſentate Dominicum, qui plenus Spiritu eorum per explicitam Dei revelationem inſtituit Devotionem Roſarii, ut quot contumeliis afficiebantur JESUS, & Maria per ora ſacrilega, tot laudibus cumularentur zelo, & pietate verorum fidelium.

Applicatio nonnullorum Scripturæ locorum huic argumento.

Recitando Roſarium diſcitur bene orare.

DOmine doce nos orare. *Luc.* 11. Sapientes, & illuminati diſcipuli, agnoſcebatis neceſſitatem, & utilitatem Orationis, cum petebatis a JESU CHRISTO bene orandi ſcientiam: *Domine doce nos orare*; ſcientiam magni momenti, ſed ſcientiam humanæ menti abſconditam, cum ſua ſequitur lumina; ſcientiam ſine cujus uſu ſumus extra ſalutis viam; ſed ſcientiam, cujus nunquam plenam cognitionem eſſemus aſſecuti, niſi Deus idem, qui nobis præcipit orationis praxim, aperuiſſet nobis methodum, articulos, & præcipua capita illius, quam ſibi a nobis vult nuncupari: *Sic ergo orabitis*: Magna igitur eſt Confratrum Roſarii utilitas, uti in precibus ſuis illa, quam JESUS CHRISTUS eos docuit, eoſdem adhibere terminis, ut petant a Patre Cæleſti ea, quæ a ſe peti deſiderat, invenire in hac Oratione, quam Tertullianus appellat *Evangelii Compendium*, puriſſimum objectum deſideriorum ſuorum, regulam tutiſſimam officiorum ſuorum, legitimum ſpei ſuæ fundamentum; & quamvis hæc utilitas communis ſit illis cum ceteris fidelibus, reſpondet uni ex præcipuis finibus, propter quos Roſarium fuit inſtitutum, qualis eſt, Hæreticos Albigenſes expugnare; Ita Roſarii Sodales pugnant etiam precibus ſuis contra Hæreticos, & impios.

Luc. 11.

Confratres Roſarii ſimul congregantur ut Deo benedicat & S. Virgini.

In medio Eccleſiæ laudabo te. *Pſalm.* 21. Talis erat zelus David, qui ad inflammandos fratres ſuos igne, quo ipſe flagrabat, laudabat Dominum in medio eorum. Talem, fratres, arbitror eſſe intentionem veſtram, cum congregamini ad orandum: tamquam David cuperetis, ut omnes creaturæ in tot voces converterentur ad celebrandas laudes Omnipotentis, & agendas illi gratias pro omnibus beneficiis ſuis; ſed cum hoc ſit impoſſibile, ipſi ſubditis onus gratitudinis earum voſmet adſcribendi Societati, quæ per ſtatum ſuum reddit illa pia officia, & cujus præcipuus finis eſt illum orare per JESUM CHRISTUM, & hunc per Mariam. Si impii cogunt Sanctum illius Nomen blaſphematuri, vos convenitis, ut illud benedicatis. Si ora ſacrilega hiſcunt, ut JESUM, & Mariam dedecore afficiant; vos aliud initis conſilium, aliaſque partes, ut illos ab injuria vindicetis per unionem ſpirituum, & cordium, quæ regnat in his Societatibus. Vobiſmet congeritis theſaurum ſeriarum conſiderationum in Myſteria Domini Noſtri, & Sanctæ Virginis, quoniam vobis perſuaſum eſt, quod orare ſine meditatione, idem ſit ac tacere; & multa proferre verba, idem ac imitari Sacrificulos Baalam qui petentes ut ignis de Cælo dilaberetur ſuper victimas ſuas, ne ſcintillam quidem recipiebant, quamvis altiſſima voce clamarent; & idem eſſet, ac imitari rudem, cæcumque populum, quem JESUS CHRISTUS exprobrabat, quod in cœtibus ſuis labiis tantum ipſum honorarent, quin laudes ejus prædicarent.

Recitantes Roſarium ſemper recogitare debemus dolores Filii Dei.

Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem. *Ad Hebr.* 12. Myſteria doloris JESU CHRISTI infinitas elicuere lacrymas ex oculis SS. Virginis, & ſecundum Simeonis prophetiam animam ejus doloris gladio transverberarunt. Verum ſi hæc Myſteria adimpleta fuerunt die una, & nocte una, adeo profunde impreſſa ſunt in corde afflictæ hujus Matris, ut eorum imago ſemper præſens extiterit ſpiritui ejus, quia hoc fuit argumentum communium Meditationum illius toto vitæ ipſius ſpatio. Quamvis autem omnes Chriſtiani teneantur ſæpe recolere Paſſionem Filii Dei, & divinus hic Salvator multo primum illos invitaverit, dicens illis per os Prophetæ: *Recordare paupertatis, & transgreſſionis meæ, abſynthii, & fellis*' Memento paupertatis, & paſſionis meæ, fellis, & aceti, & omnium transgreſſionum legis Patris mei, quas ipſe ſubivi, ut fierem victima expiationis eorum. Quamvis, inquam, omnes generatim fideles teneantur ſæpe recolere Myſteria dolorum JESU CHRISTI, Roſarii Confratres id arctiori neceſſitate coacti præſtare debent, quia cum S. Virgine ingreſſi ſunt in ſocietatem Myſteriorum doloris. Oportet ergo cum Matrum omnium mœſtiſſima ingredi in Societatem Myſteriorum Paſſionis Filii ſui, videlicet, comitari debemus JESUM CHRISTUM in omnes ſtationes, quas fecit modo in Horto Olivarum, ubi oravit, & tradidit ſe Voluntati Patris ſui acceptans calicem Paſſionis ſuæ; modo in Pilati prætorio, ubi inaudita cum crudelitate flagellis cæſus fuit, & cum inhumanitate ſine exemplo ſpinis fuit coronatus: modo per vias Jeruſalem, qua tranſiit bajulans ſibi Crucem, ac tandem in Calvario, ubi crucifixus eſt, & ubi reddidit Spiritum Patri opprobriis affectus, & mille doloribus ſaucius. Ita eſt, Fratres, opus eſt ut vobis Roſarium veſtrum recitantibus mens veſtra vacet contemplationi horum Myſteriorum, & cor veſtrum ingrediatur cum corde Sanctæ Virginis in ſocietatem omnium dolorum ſuorum. Hoc S. Paulus prædicavit primis Chriſtianis, cum dixit illis; *Sentite in vobis quod & in CHRISTO JESU*. Induite JESU CHRISTI ſenſus, accedite in partem pœnarum, & paſſionum ejus per intimam cordis veſtri compaſſionem. Hoc ipſum dicit Judæis recens converſis ad fidem: *Recogitate*. Repetite ſæpe, & mente veſtra recolite illius cogitationem, qui tantas paſſus eſt a peccatoribus contradictiones, qui in illum inſurrexerunt, qui illius innocentiam labefactare conati ſunt, qui maledicta pro benedictionibus rependerunt; qui omnia excogitabilia tormenta illi inflixerunt: qui tandem illi Vitam abſtulerunt. Sed quem fructum pollicetur recepturos eſſe primos fideles ex jugi Meditatione dolorum JESU CHRISTI in paſſione illius? Ecce: *ne non fatigemini animis veſtris deficientes*; ne deficiatis animo, & ne ſpem abjiciatis.

Thren. 1.

ad Philipp. 2.

ad Hebr. 12.

Hæc

Hæc autem promiſſio, & adhortatio peculiariter ad Roſarii confratres refertur. Quemadmodum honorare debent Sanctam Virginem jugi memoria Myſteriorum doloris, quæ non alia fuere, niſi illa Filii ſui; ingrediuntur ſimul cum illa in ſocietatem non ſolum dolorum, quos illa ſuſtinuit, verum etiam patientiæ, & ſubmiſſionis Voluntati Dei, cum qua illos ſuſtinuit.

Confratres Roſarii hoc recitantes ingredi debent cum S. Virgine in communicationem Myſteriorum gloriæ.

Vidimus JESUM per paſſionem, gloria, & honore coronatum. Ad Hebr. 20. Quemadmodum S. Virgo nacta eſt in Filio ſuo fontem puriſſimorum gaudiorum, & ſæviſſimorum dolorum, quibus afflicta fuit, in illo uno invenit quoque maximum gloriæ pondus, quod recepit. Profecto quemadmodum ingreſſa erat cum JESU CHRISTO in Societatem omnium Myſteriorum vitæ ſuæ, quænam fuit Sanctiſſimæ hujus Matris gloria, ubi vidit Filium ſuum reſurrexiſſe, glorioſum eſſe, impaſſibilem, & immortalem, victorem de morte, deque omnibus Mundi, & inferorum poteſtatibus? Quæ fuit illius gloria, ubi vidit illum propria Virtute aſcendentem in Cælum, decies centenis millibus Angelorum circumſeptum, cum toto triumphi apparatu? Quæ illius gloria, cum vidit Apoſtolos die Pentecoſtes Spiritu ſancto repletos ordiri prædicationem ſuam Jeroſolymæ admirabili eventu, & Nomen, & divinitatem Filii ſui celebrare? Quæ illius gloria, ubi, cum naturæ tributum perſolviſſet, vidit ſe in anima, & corpore attolli divina prorſus Virtute per Angelorum legiones uſque ad thronum ſibi in Cælo præparatum? Demum quæ gloriæ conſummatio, ubi vidit tres divinas perſonas, a quibus coronata fuit tamquam Cæli, terræque Regina? Ecce glorioſa Myſteria, quæ unam ex tribus Roſarii partibus conſtituunt, & debent eſſe argumentum meditationis veſtræ, cum illud recitatis. Opus eſt, ut devotus Sodalis ſemet in ſpiritu, ſupra ſe ipſum attollat, & ſuper omnia creata. Sibi perſuadere debet ſe non eſſe amplius in terris, neque ſibi amplius quærendum eſſe JESUM CHRISTUM in Matris ſinu, neque in domo Zachariæ, neque in Templo Jeruſalem, quæ ſacra ſunt loca, ubi peracta ſunt gaudii Myſteria. Immo neque tenetur illum quærere in Horto Olivarum, in Pilati Prætorio, neque in Calvario, quæ cruenta fuere theatra, ubi doloris Myſteria adimpleta ſunt. Immo neque in ſepulcro quærendus eſt, unde eſt egreſſus, neque in Monte Olivarum, inde enim aſcendit in Cælum, neque in Cœnaculo Jeruſalem, quo Spiritus ſanctus deſcendit in Apoſtolos. Neque debet quærere S. Virginem in ſepulcro, ex quo Dei potentia illam eduxit gloria immortali coronandam ante generalem mortuorum reſurrectionem. Sed opus eſt, ut Sodalis recitaturus hanc Roſarii ſui partem per Fidei Spiritum de hoc Mundo egrediatur, quia inde JESUS, & Maria ſunt egreſſi, & ad vitam novam tranſierunt; & neceſſe eſt, ut in Cælum cum Angelis ingrediatur ibi glorioſa contemplaturus Myſteria. Ita ſane, neceſſe, inquam, eſt ut in Cælum, ſicut Angeli, ingrediatur; & in hac propoſitione nullum eſt paradoxum; quoniam Roſarii Confratres ingreſſi ſunt in ſocietatem gratiæ cum beatis iſtiſce Spiritibus, ſimul ac ingreſſi ſunt in vitæ ſocietatem cum eorum Regina.

PARAGRAPHUS IV.

Loci Sanctorum Patrum, quibus hoc in argumento licet uti.

Q*UI recte novit orare, recte novit vivere.* S. Auguſtinus in Pſalm. 118.

Impoſſibile eſt preces multorum non exandiri. S. Ambroſius in Epiſt. ad Rom.

Orationis inſtantia exauditur. S. Hieronymus ad Damaſum.

Oratio fervidam mentem requirit. S. Chryſoſtomus ad popul. Antioch. homil. 39.

Oratio ſit brevis, & crebra. Idem de fide Annæ.

Orare commune opus Angelorum, & Hominum. Idem Homil. de orando Deo.

Oratio, & meditatio ſibi invicem copulantur, & per orationem illuminatur meditatio. S. Bernardus Homil. de duobus Diſcipulis.

Oratio cordis eſt, non labiorum. Idem ad Sororem.

Oratio ſit communis, & publica. S. Cyprianus de Lapſis.

Preces juſtorum plus valent, quam arma. Chryſoſtomus de orando Deo.

Orans, & non attendens, clamans tacet. S. Gregorius homil. 37. in Evang.

Inventa Maria invenitur omne bonum. Idiota.

Quemadmodum continua reſpiratio non ſolum eſt ſignum vitæ, ſed etiam cauſſa; ſic Sanctiſſimum Mariæ Nomen, quod in Dei ſervorum ore verſatur, ſimul argumentum eſt, quo vera vita vivant, ſimul etiam hanc ipſam vitam efficit & conſervat. Germanus Patriarcha Conſtantinop. ſerm. in ord. de Deip. Var.

Aptiſſima arma oratio eſt, theſaurus certe perpetuus, divitiæ inexhauſtæ. S. Chryſoſtomus homil. 30. de Geneſi.

Coimus in cœtum, & congregationem, ut ad Deum, quaſi manu facta, precationibus miſericordiam ambiamus orantes, hæc Deo grata vis eſt. Tertullian. Apol. cap. 29.

Regina omnium orationum. Sic Roſarium vocat Beatus Alanus in Compendio Pſalterii Mariani.

Sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant: ſic cum hominibus, tamquam audiat Deus. Seneca Epiſt. 100.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia depromi poſſit in hoc argumento.

Recitatio Roſarii oratio eſt præſtantiſſima.

INter omnes vocales Orationes, quibus Eccleſia S. Virginem colit, conſtat unam ex præcipuis eſſe Roſarii recitationem; quia compoſita eſt ex duabus ſanctiſſimis, præſtantiſſimiſque Orationibus, Oratione quidem Dominica, & Angelica Salutatione, quarum alteram Dei Filius nos docuit, alteram vero Angelus primi Ordinis partim, partim S. Eliſabeth Spiritu ſancto repleta compoſuit. Præterea quia conjuncta eſt cum pluribus conſiderationibus de vita Salvatoris, Sanctiſſimæque Matris, quod efficit, ut cum devotione recitata, & ſecundum eos fines, propter quos inſtituta eſt, ambigi nequit, quominus ſit omnino accepta Filio Dei, atque Deiparæ. Ita ab univerſa Eccleſia Catholica recepta fuit, a Summis Viris commendata, & habita in pretio, ac demum pluribus ſæculis a fidelibus omnibus in praxim redacta.

Quid ſit Roſarium vel corona B. Virginis.

Roſarium igitur eſt corona Myſtica partim compoſita ex verbis, quæ protulit Angelus in glorioſa legatione ad S. Virginem interpolata oratione, quam Mundi Salvator docuit Apoſtolos, ut ſit protypus ceterarum orationum, quibus Deum poſſumus deprecari. Ad hæc conſtis, numero vicium, quo iteratur, non deeſſe Myſterium, cumque exterioribus ſignis diſtinguatur, quæ ad memoriam juvandam adhibentur, fieri tamquam circulum, & coronam, quæ Deiparæ offertur in ejus honorem; quo fit, ut pia ſimplicitas eorum, qui primi approbarunt cultum adeo religioſum, nomen fecerit Roſarii, quaſi hæc eſſent corolla ex Roſis intexta, oblata Reginæ Cæli ſecundum eorum temporum conſuetudinem hoc munerum genere decorandi perſonas meritis diſtinctas, vel dignitate. Hac eadem ex cauſſa Oratio hæc retinuit Coronæ Nomen, licet hac in re æquivocum, neque enim deſunt aliæ nonnullæ Sodalitates, vel Confraternitates Nominis ejuſdem ad exemplar Roſarii inſtitutæ, ubi preces, quæ in iis recitantur ex parte ſunt eædem; ſed hæ non ſunt niſi imitationes, & compendia, & tandem devotiones, quæ ex hac duxerunt originem; ſolum animadvertendum eſt, Roſarium, & coronam deprecatoriam inter ſe differre, quod primum illud longe majori conſtat numero Angelicarum Salutationum, & Dominicalium Orationum; corona vero tertia eſt pars Roſarii. Quod ſpectat ad modum quo auguſta hæc oratio recitanda eſt, cum hæc nota ſint omnibus, dignitas, & majeſtas ſuggeſtus ſatis diſpenſant Prædicatorem ab his minutis rebus perſequendis, quæ inſtructionem magis familiarem requirunt.

Auctores nonnulli dubitarunt quinam ſit Auctor hujus Orationis, quæ in Eccleſia adeo percrebuit. Sed poſt aliorum Summorum Pontificum decreta Leonis X. Pii V. & Gregorii XIII. tenendum eſt S. Dominicum fuiſſe verum Roſarii Inſtitutorem; videlicet ipſum redegiſſe numerum orationum recitandarum ad eam methodum, quæ hodierna die viget; quam ob rem vocatur etiam *S. Virginis Pſalterium*, quia ſicuti Pſalterium Dominicum conſtat Pſalmis centum, & quinquaginta, Roſarium compoſitum eſt ex centum, & quinquaginta Angelicis Salutationibus; & S. Dominicus hunc conſtituit numerum, ut Chriſtiani qui recitare non poſſent Pſalterium Dominicum, ſupplere poſſent huic devotioni per hanc aliam, & toties ſimul Salutationem Angelicam recitare, quoties Eccleſiaſtici Pſalmos Davidis recitant.

Rationes propter quas annuntiamus S. Virgini Myſterium tot ante ſæcula præteritum, & cur toties eadem verba iterantur.

Quæri poſſet, ut quærunt Hæretici, cur annutiamus SS. Virgini Myſterium jam pridem præteritum, quod facimus in hac oratione Salutationis Angelicæ, quæ adeo ſæpe in Roſario iteratur? Præter rationes, quas jam attigimus, en aliæ, quæ poſſunt afferri. 1. Ad inſtaurandam memoriam inæſtimabilis beneficii, quod accepimus a Deo per interceſſionem Sanctiſſimæ Virginis; quia incepit opus ſalutis noſtræ per fidem, quam habuit verbis Angeli, & conſenſum, quem præſtitit. 2. Ad teſtandam Deo, beatæque Virgini gratitudinem noſtram; Deo quidem, quia voluit, ut Filius ſuus homo fieret ſimilis nobis; Sanctæ autem Virgini, quia cooperata eſt tanto huic Myſterio phyſice, & moraliter; phyſice quidem per corporis ſui ſubſtantiam, moraliter vero per conſenſum cordis. Gratulamur etiam huic eidem Reginæ, & illi gaudium noſtrum teſtamur, quod Deus illam ſibi in Matrem elegerit, quod ipſam gratia cumula-

verit,

Google

verit ; quod illam inter omnes mulieres beatiſſimam fecerit. Præterea illam ſalutamus, velut Angelus, & Sancta Eliſabeth quadam ſpecie acclamationis, ad oſtendendam veritatem dicti ipſius ; videlicet fore ut ab omnibus nationibus Beata vocetur. Præterquam quod cum illa ſit Dei Mater, & univerſorum Regina, illi peculiarem debemus cultum reddere, & ejus laudes canere, quemadmodum Pſalmos canimus Deo ; quamvis argumentum eorum ante plura ſæcula præterierit. Denique ad noſtram utilitatem hanc illi Angelicam Salutationem offerimus ; hæc enim verba recitantes in mentem revocamus memoriam Myſterii ineffabilis Incarnationis Filii Dei, noſmet excitamus ad illum amandum, laudandum, eique ſerviendum. Sanctam Virginem invocamus, & illi dicimus, quod ad cor ejus mulcendum aptiſſimum eſt ; cumque præterita præſentia inveniantur in æternitate, cum dico Sanctiſſimæ Virgini, ipſam plenam eſſe gratia, & Dominum eſſe cum illa : cum illam Deiparam voco, eamque obſecro, & obteſtor, ut oret pro peccatoribus, ſimul actus elicio in ipſo fundamentali Religionis Myſterio ; teſtor illi amorem meum, gaudium, gratitudinem ; illi oſtendo meam humilitatem, meamque in illius precibus confidentiam ; Salutem illi dico, quaſi Angeli fungerer officio, & ipſe prior illi divinam hanc legationem offerrem. Fungor munere, quod filius præſtare debet Matri, & Reginæ ſubditus ; viciſſim a Sanctiſſima Virgine ſalutor ; diligit enim diligentes ſe, & benedicentibus benedicit. Ita dubitare non poſſum, quominus benigno me reſpiciat obtutu & obtineat gratias illis, qui devote, ac reverenter illam ſalutant. Ad hoc autem operæ pretium eſt ſingulorum verborum ſenſum ſcrutari, quam ob rem prodent identidem, & per intervalla ſequentem legere paraphraſim.

Quid nobis intelligendum ſit primo Angelicæ Salutationis verbo, Ave.

Primum hujus ſalutationis verbum eſt *Ave*, quod idem valet, ac tibi ſalutem dico, ſed verbum hoc ſignificat benevolentiæ teſtimonium, lætitiæ ſignum, & votum felicitatis. Hoc uſus eſt Angelus Mariam allocutus. Conſideravit illam tamquam objectum favorum, & Amoris Dei ; ita alta exiſtimatione ſtatus ſublimis, quo jam virtutes ſuæ illam elevaverant, concepit pro illa ſingularem venerationem, eamque ſalutavit ea reverentia, quæ maxima meram decet creaturam ; ſimulque teſtatus eſt gaudium ob Sanctiſſimæ Virginis felicitatem, & munus, quod erga illam exercebit, & ſua præ ſe tulit vota, ut adimpleretur miniſterium, quod illi nuntiabit, & felicitas illius, quam alloquebitur. Tales fuerunt Angeli ſenſus expliciti primo hoc verbo, & tales eſſe debent noſtri, cum illud pronuntiamus. Opus eſt, ut Sacram Virginem reſpiciamus tamquam Dei Matrem, & Matrem pulchræ dilectionis ; & ſub duplici hac qualitate agnoſcamus illam dignam obſequio, & amore perfecto ; cumque deinceps nobis nulla ſint ulterius concipienda vota pro illius exaltatione, quandoquidem eſt in conſummatione gloriæ, quæ nullum admittere poteſt incrementum, habeamus ſaltem gaudium, & oblectationem pro felici ſtatu, ad quem elevata eſt. Verum eſt, pro perfectione gloriæ ejus accidentalis, vel exterioris, Deum reliquiſſe aliquod votis noſtris exercitium ; etenim quemadmodum voluit, ut dilectus Filius ſuus in ſe ipſo infinitam gloriam poſſideret, & extra ipſum omnia creata aliquid obſequiis ſuis conferrent exaltationi ſui nominis ; ita præcepit, ut ad beatitudinem Sacratæ Virginis accederet exterius teſtimonium Angelorum, & hominum, & ſecundum illud, quod prædixit in Cantico ſuo, omnes generationes illius felicitatem, & gloriam prædicarent. In hoc ſenſu cupiendum eſt nobis, ut in honore habeatur omnibus in locis, atque temporibus, ut omnia creata illi ſubjecta ſint, & nullum cor adſit, quod illam non diligat ; non lingua, quæ illam non benedicat, & illi, qua late patet orbis, recipiat venerationes, & laudes, quæ reſpondeant reverentiæ, & benedictionibus, quas Sancti illi tribuunt in Cælo.

Conſiderationes in ſingula verba Salutationis Angelicæ, & primum in Sanctum Mariæ nomen.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui JESUS. Ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ. Singula conſiderantes verba noſtram alere poſſumus devotionem. *Maria.* Quam ſuave hoc Nomen eſt ! quam acceptum ! dæmonibus vero quam terribile ! peccatoribus autem quam ſalutare ! Significat *Univerſorum Dominam* ; quia Mater es Salvatoris Regis Cæli, & terræ, & nos quatenus talem agnoſcimus, & confitemur. Præterea ſi hoc Nomen ſignificat te eſſe, *Stellam Maris*, nos igitur reſpicimus te tamquam viatores iter agentes in Mundi hujus Oceano, & qui ſemper in naufragii periculo verſentur. Hoc Nomen ſignificat etiam te eſſe *Illuminatam*, & *Illuminantem* ; es ergo aurora illa, quæ per Filium tuum illuminaſti omnes Mundi nationes, quæ immerſæ erant in tenebris Infidelitatis. Effudiſti ſuper terram primos fidei, & Evangelii radios : effunde ſuper nos etiam aliquot radios lucis tuæ, qui nos in vitæ hujus noſtræ curſu deducant.

In hæc verba, gratia plena.

Gratia plena es, quia gratias omnes poſſides eminenter. Hac repleta fuiſti in Conceptione tua, penetrata in Annuntiatione, cumulata in Aſſumptione ; & modo es fons, vel potius abyſſus gratiarum, unde omnes homines hauriunt ſubſidia, quæ ſunt ſibi neceſſaria. Ex affluenti plenitudine tua ſperamus fore, ut effundas in nos eas, quas noſti nobis eſſe neceſſarias.

In verba : Dominus tecum.

Dominus tecum eſt, non ſolum ſicut in ceteris creaturis per eſſentiam, præſentiam, & potentiam ; ſed etiam eo modo, qui tibi proprius eſt, & ſingularis. Pater tecum eſt, ut tibi det vitam ; Filius tecum eſt, ut illam a te recipiat ; Spiritus ſanctus tecum eſt, ut tribuat tibi Virtutem producendi hominem Deum. O Virgo Sancta ! Sim ego ſemper tecum per jugem devotionem ; & tu mecum ſemper eſto per jugem protectionem. Sim ego ſemper cum Filio tuo, & Filius tuus ſit mecum ſemper, & nihil nos ſeparet umquam, neque in hac vita, neque in altera.

In verba : Benedicta tu in mulieribus.

Benedicta tu in Mulieribus, inter Mulieres omnes, quæ fuerunt, ſunt, & erunt. Benedicta, quia ab originali culpa præſervata fuiſti. Benedicta, quia Deum hominem concepiſti per operationem Spiritus ſancti, & quia illum ſine labore tuliſti, & ſine dolore peperiſti. Benedicta, quia mortua es per violentum divini amoris impetum. Benedicta denique, quia in anima ſimul, & corpore in Cælorum faſtigium exaltata fuiſti, ubi Angeli, & homines tibi benedicunt, & beatam vocant.

In illa : Benedictus fructus ventris tui.

Et benedictus fructus ventris tui JESUS CHRISTUS Dei Filius, quem benedixerunt Prophetæ omnes ante Incarnationem ejus, Angeli in Nativitate ſua, Simeon, & Anna in Templo, pueri Hebræorum cum ingrederetur in Jeruſalem ; quem Angeli adorant in Cælo, & homines viventes in terra. Beata viſcera quæ portaverunt hunc fructum benedictionis, beata ubera, quæ lactaverunt illum. Per te, glorioſa Virgo, Deus illum nobis dedit. Tu es Arbor vitæ, quæ illum tuliſti, & per te illum in Cælo poſſidebimus.

In illa : Sancta Maria Mater Dei.

Sancta Maria Mater Dei. Maria Sancta eſt, eſt igitur accepta Deo totius Sanctitatis ; Mater Dei eſt, igitur & Mater hominum. O Mater Dei ! recordare me eſſe filium tuum, licet indignum, & ne ſinas illum perire, pro quo Filius tuus mori dignatus eſt ; præſta, ut, cum quodam ex fideliſſimis ſervis tuis exclamem : Mater vitæ, fons ſalutis accedimus per te ad Filium tuum, ut qui nobis datus eſt per te in gratia ſua, nos in ſuam gloriam recipiat.

S. Bern. ſerm. 2. de Advent.

In illa : Ora pro nobis.

Ora pro nobis peccatoribus, qui ſceleribus obruti, non meremur exaudiri a Deo. Ideo confugimus ad te, & opem tuam imploramus ; quippe es Mater noſtra, Mediatrix, & advocata noſtra. Omnia potes apud Filium tuum, & Miſericordia tua par eſt potentiæ tuæ : Quid ergo nobis ſperandum non eſt a caritate tua ? Ora igitur pro nobis peccatoribus.

In illa : Nunc & in hora mortis.

Nunc & in hora mortis noſtræ. Nunc indigemus precibus tuis ; nam heu ! in hac vita jugibus tentationibus premimur. Ambulamus in tenebris, & in lubrico, ſecus præcipites locos, & habemus præterea ſpiritum inviſibilem, qui nos dies, noctesque perſequitur. Quomodonam reſiſtere poſſemus hoſti adeo terribili, qui tot tantiſque viribus pollet ? Nunc fer nobis opem, qui in pereundi verſamur diſcrimine ; ſed præſertim in hora mortis noſtræ, quæ finem injiciet negotio ſalutis noſtræ, hora terribili, hora periculoſa, hora, quæ claudet omnes dies noſtros, & quæ omnium horarum noſtrarum erit noviſſima, hora, qua acerrime tentabimur, & qua nemo amplius nobis poterit opitulari præter te, Virgo Sanctiſſima !

Non ſunt reprehendi D. Virginem ... Deum & J. C.

Perperam Hæretici hac in re nobis objiciunt, nos invocare Sanctam Virginem eo modo, iiſque verbis, quibus Deum unum licet precari. Hoc eſt Eccleſiæ crimen manifeſte falſum intentare ? Deum quippe invocamus tamquam Auctorem bonorum omnium, Virginem autem tamquam Mediatricem potentem apud illum, ad illa quibus indigemus obtinenda. Ita invocamus Mariam Sanctiſſimam modo longe alio ab eo, quo Filium Dei, quem reſpicimus tamquam Mediatorem noſtrum, cui titulus iſte convenit jure ſuo, & per perſonæ ſuæ dignitatem ; ſed Mariam invocare debemus, utpote illam, quæ omnipotens eſt apud illum, & cui amor, quem habet erga illum, & cui illi inſpirat pro nobis, ciet zelum, & fiduciam intercedendi pro ſalute noſtra.

Omnes hæretici ... inſtitutionem ejus, & quare ?

Magnus ſanctus Dominicus docuit hanc Roſarii devotionem ad exterminandam hæreſim Albigenſium, qui crudeliter perſequebantur Eccleſiam. Hæc recepta fuit ab omnibus Catholicis cum affectu non communi, & brevi facta eſt nota religionis, qua illi ab Hæreticis diſtinguebantur. Hinc omnes ex eo tempore Eccleſiæ inimici contra illam impetum fecerunt, & ſummo niſu oppugnarunt. Omnes illam perhorreſcunt, dæmonis ſpiritu animati qui odit illam, quæ evertit ejus imperium, per Filium, quem peperit Mundo. Bucerus, Pellicanus, Brentius, Calvinus, & alii plures ſæculi ſuperioris Hæretici nihil inauſum, atque intentatum reliquerunt, ut Sanctæ hujus Ora-

tionis

tionis oſum everterent; alii quidem irriſionibus ſuis; alii vero religionis ſpecie; dicere enim auſi ſunt, hanc orandi formam Deo eſſe contumelioſam, impiam, diabolicam, ſuperſtitioſam. Si ex illis ratio petatur, reſpondent, hoc eſſe primum, quia recitamus Angelicam Salutationem; 2. Quia illam ſæpe repetimus. 3. Quia numerantes recitamus; denique quia utimur certo globulorum ordine ad orandum, quos vocant illicis, & ſortilegia. Hæc fere ſunt argumenta, quæ exacuerunt contra hanc devotionem, quamquam vera cauſſa ſit odium quo Dei Matrem inſectantur. Sed paucis oſtendamus, quo pacto laborent.

Fieri nequit in Roſario recitatione quidquam eſſe mali, ut contendunt hæretici.

Prima eorum querela eſt iniquiſſima; quid enim in Roſario mali eſt; quandoquidem compoſitum eſt verbis ex Evangelio depromptis, ſcilicet ex Oratione Dominicali, & Angelica Salutatione, cujus pars prima prolata fuit ab Angelo, ſecunda a S. Eliſabeth, ac tertia addita fuit ab Eccleſia, quæ S. Virginem orat, ut intercedat pro nobis nunc, & in hora mortis noſtræ. Hiccine quidquam eſt, quod ſapiat ſortilegium? Non ne horribilis eſt blaſphemia, & impietas ſumma hoc nomine vocare orationis formam, quam Deus ipſe, & Eccleſia nobis tradiderunt?

Repetitio Orationis adeo Sanctæ, & Deo acceptiſſimæ, damnari non poteſt. Pſalm. 19.

Altera adverſariorum querela eſt, nos ſæpe nimis Angelicam Salutationem repetere. Quæ bona ſunt, repetenda ſunt; non autem quæ mala. Num malum eſt Deum ter Sanctum vocare, ut Angeli faciunt? Num David improbandus, quia toties intercalarem hunc verſiculum iteravit? *Confitemini Domino quoniam bonus?* &c. Perperam ne in Pſalmo centum, & ſeptuaginta ſex vicibus iteravit nomen legis, & Mandati Dei? Sed quis auderet inſimulare Dei Filium ſuperſtitionis nomine eo quod ad tres horas in eadem oratione perſtiterit in Horto Gethſemani?

Quid in hoc ſit, quo orationum numero certo dignum ſit, in numerum ſupputationum dignoſcendi eſt.

Gradum facio ad aliam Hæreticorum criminationem, quæ non eſt minus injuſta ſuperioribus. Nos arguunt, quod numeramus orationes, & globulis quibuſdam utimur, ex quibus Roſaria compoſita ſunt. Illis reſpondere poſſim, Eccleſiam nequaquam obligare nos his devotionibus, quæ liberæ ſunt, & voluntariæ; ſed etiamſi nos obligaret, numquid vitio verti nobis poſſet, quod nobiſmet certum orationum numerum præſcribimus? Si hoc eſt; tota reprobanda eſt Scriptura Sancta, quia plena eſt hoc myſtico numero, quemadmodum ſcite S. Auguſtinus animadvertit. Veniamus ad has notas, vel globulos, quibus Adverſarii noſtri ſe læſos putant. Hoccine novum eſt in Eccleſia hoc pacto preces effundere? Fateor S. Dominicum eſſe Roſarii Inſtitutorem: tamen conſtat ſatis diu ante illum, fideles uſos fuiſſe notis quibuſdam ad determinandum numerum orationum ſuarum, quemadmodum Palladius teſtatur. Quæcumque adſit contentio de hujus devotionis origine conſtat Sanctam eſſe praxim recitare ſæpe Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ad gratias agendas Filio Dei propter bona, quæ ab illo recepimus, & honorem annorum quibus Sanctiſſima illius Mater vixit. Approbatio Pontificum, Indulgentiæ, quas conceſſerunt, miracula quæ Deus operatus eſt, & generalis omnium fidelium devotio oſtendunt praxim hanc Sanctam eſſe, & impietatis nomine inſimulant eos, qui illam audent improperare.

Non deſunt quidem in præſentiarum homines parum Catholici, ne dicam, impii qui Virginis cultum impugnant, & præſertim Roſarium.

Pluribus ante hanc diem annis impiorum hominum, & facinoroſorum manus ſæculi præteriti veſtigiis inſiſtens impugnare auſa eſt cultum Deiparæ debitum, præſertim vero Roſarium, ſperans ſe quamprimum ceteros quoque abrogaturam, licet Sanctiſſime inſtitutos; poſtquam hunc abſtulerint, qui omnium probatiſſimus eſt, & ſolidiſſimo innixus fundamento. Viſi ſunt circumferri ſub ſpecioſis titulis libri, & liquet quem in finem conſcripti fuerint, qui non alius eſt quam abrogandi fidem, & antiquandi cultum, & devotionem erga Dei Matrem; ut faciliorem aditum præbeant aliis erroribus; ſed quo magis infernus, & impietas hodie conantur nobis hoc auferre præſidium, & hanc ſolidam ſpem, eo magis tenemur excitare fervorem noſtrum, ſervaturi glorioſam hanc hæreditatem, videlicet hanc Roſarii devotionem, quæ ſtatim ac in Galliis oborta eſt, inde Albigenſium hæreſim exterminavit. Ita contra hujus erroris reliquias, & contra reliquos, qui per intervalla obrepunt, hæc devotio erga Deiparam ſemper erit tamquam clypeus, ac propugnaculum, quandoquidem, ut canit Eccleſia, SS. Virgo cunctas deſtruxit hæreſes, quemadmodum fieri ſolet, ut hæ illam præ ceteris impugnent. *Cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo Mundo.*

In Officio B. Virginis.

Bonum, quod in nobis ſe imprimit, vertit ad quibus genere ponit Angelica Salutatio.

Quis enarrare poſſet bona, quæ hæc parit devotio? Salutatio SS. Virginis non eſt profanum aliquod officium, quo homines viciſſim ſemet obſervant, & colunt, & qui in inanibus verbis & adfectatis ſitum eſt. Hic fons eſt bonorum, & gratiarum, quibus locupletatur offerens illud; neque enim ambigi poteſt, quominus Virgo Sanctiſſima cum ſit creaturarum omnium caritate cumulatiſſima, non honoret illos, a quibus honoratur; & non ſalutet eos, a quibus ſalutatur. Hinc ſalutatio Sanctiſſimæ Dei Genitricis eumdem in nobis parere poteſt effectum, quem peperit in Sancta Eliſabeth, quæ repleta fuit Spiritu ſancto, ſimulac Maria illam ſalvere juſſit. *Ut facta eſt vox ſalutationis tuæ* &c. Applicat gratias Incarnationis illis, qui hujus Myſterii memoriam inſtaurant, & tantam illi felicitatem gratulantur.

Non eſt cur fuſius loquamur de Oratione Dominica quæ Roſarii partem conſtituit.

Non eſt cur latius verba faciamus de Oratione Dominicali, quæ Roſarii partem conſtituit; conſtat non poſſe nos offerre Deo orationem perfectiorem, & Salvatorem ipſum, qui illius auctor eſt, in ea complexum fuiſſe, quidquid a nobis petendum eſt. Hujus utilitatis poteſtatem, & confidentiam recenſuimus in tertio volumine Bibliothecæ Prædicatorum, ideoque non ultra immorabimur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, & recentibus Concionatoribus loci hujus argumenti.

Quantâ in quantitate ſalutemus B. Virginem recitantes Angelicam ſalutationem, & quantâ noſmet exiſtimare debeamus felices nuntiantes illi quod Angelus nuntiavit ei.

AD confitendam Deiparæ dignitatem, & gloriam, quam Virgo Sanctiſſima obtinet, inſtituta fuit hæc oratio Roſarii, ex iiſdem verbis primum illi nuntiata fuit divina Maternitas. Quatenus talem ſalutamus illam cum hoc Nuntio cæleſti, qui de induſtria ad illam miſſus eſt hoc nuntiaturus. Quis igitur dubitare poteſt, ſi honor ſitus eſt in confeſſione meriti alicujus, hunc eſſe maximum honorem, quem illi reddere poſſumus, ideoque orationem, quæ hæc omnia continet, & quæ publica eſt meriti confeſſio, eſſe acceptiſſimam, & jucundiſſimam? Fingite vobis perſonam, cujus meritum primum latebat, & in turba confuſum; ſed hanc a Principe ad primos Imperii ſui gradus elevari, & conſtitui tamquam alterum Joſeph primum Miniſtrum, & perſonam ſecundam in regno ſuo. Dehinc te eligi, ut illi nuntium afferas, & forte indigeas illius gratia, & auctoritate in Mundi hujus negotio, quod ad te potiſſimum pertinet. Dic mihi, non ne ſummo cum gaudio hanc provinciam tibi demandatam aggredereris? Non ne libentius audireris, & hoc poſito, quod hoc nuntium ſpem illius ſuperaret, non ne inde feliciſſimum omen hauſtres obtinendi ab illo, quidquid expectare potes tribuens illi primam occaſionem exercendi novam auctoritatem ſuam? Non ne hujus periculum faciet cum lætitia in gratiam tuam? Quod ſi ad illum accedens officiis tuis admiſcueris omnes titulos, illi delatos a Principe, non ne concipies integram certitudinem id quod optas aſſequendi? Hoc accidit, quotieſcumque verbis Angeli S. Virginem, Dei Matrem ſalutas.

Quo gaudio Maria hanc exceperit ſalutationem, & quantum modo illi ſit accepta.

Verum eſt, ubi primum Maria hanc audiit ſalutationem, turbatam fuiſſe, ruborem in faciem ejus prodiiſſe, & humilitatem ejus, quæ nitorem, & lucem fugiebat, vix permiſiſſe, ut ſedaret tumultum, quem in illam conjecerat nuntium adeo inexpectatum: modo vero cum res jam peracta ſit, & dignitas ejus ſit in Cælo, & in terris recognita, & ſtatus felix, quo fruitur, efficiat, ut Dei ſui gloriam in propria reſpiciat, non amplius per hæc Angeli verba illi præſtimus officium, ſed debitum illi perſolvimus, quam Deus honorare voluit per ſingularem hanc gratiam. Hæc eſt oratio, quam illi dicamus, & quantum gratitudinis eſt illi erga Dei beneficia, tantum gaudet ſibi in memoriam revocari nuntium hoc, quod non ultra ſibi negotium faceſſit, & quod non ſolum illi turbam non ciet, ſed immo excitat in corde ejus lætitiæ motus, & ſenſus benevolentiæ erga eos, qui eam divinis his verbis alloquuntur, quoniam re ipſa de Cælo deſcendunt, & a Deo. Præſertim vero ne vereamini repetitionem iteratam verborum illi moleſtam eſſe, qualis eſſet blanda nimis adulatio homini ſuper terram. Quod enim primum placet, mox diſplicet, ac tandem illis ſit non ferendum, qui æternum hoc ipſum coguntur audire. Non ita dicendum eſt de precibus quæ fiunt Deo, & Sanctis; quod Deo placet ſemel, ſemper ei placet. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Hac oratione teſtamur nos in partem illius felicitatis accedere.

Præter memoriam quam Sanctiſſimæ Virgini inſtauramus ejus rei, quæ ipſi gratiſſima eſt; ſecundo loco teſtamur gaudium, quod ipſi recipimus ex illius felicitate. Ideo enim potiſſimum hæc devotio inſtituta fuit, ut illi cordis noſtri ſenſus exhiberemus, exteriori cultu, quem illi præſtamus; quod ſignificat verbum iſtud *Ave*, ex quo initium ducimus, & quod huic orationi nomen fecit. Ita hoc idem eſt ac gratulari dignitatem, ad quam evecta fuit, eo quod cumulata fuit gratiis, & facta inter Mulieres beatiſſima; & per quamdam acclamationis ſpeciem probamus, quod paulo poſt ipſa dixit de ſe fore, ut ab omnibus nationibus beata vocetur. Magnum hoc Myſterium præſtitit quidem, ſed fructus, quem inde percipimus in omnia ſæcula extenditur. Ita ut quodammodo hoc noſtra ſimul intereſt, & ſua, hac oratione perennamus confeſſionem ejus boni, quod nobis procuravit.

Qui-

Grati animi ſenſus, quem Deiparæ teſtamur, illi eſt jucundiſſimus.

Qui officioſo ſunt ingenio, & ex corde gratificantur, nulla re potentius aguntur quam voluptate, qua gaudent audire gratitudinis ſenſus eorum, de quibus per quam optime ſunt meriti. Deus ipſe, cujus natura bonitas eſt, ut canit Eccleſia, nihil habet antiquius grato animo, uti liquet ex lege veteri, in qua exigebat a populo feſtos dies, aliaque publica, & ſolemnia monumenta in hunc finem inſtituta. Quis autem hinc non videt, orationem, quam Deiparæ ſiſtimus, & officium hoc, quod illi præſtamus, tamquam æternæ obligationis noſtræ teſtimonium, illi eſſe acceptiſſimum? Cum enim dico illi, eam eſſe plenam gratia, & Dominum eſſe cum illa, cum illam Dei Matrem voco, eamque obſecro, ut pro peccatoribus dignetur intercedere, actus elicio fidei in fundamentali Religionis noſtræ Myſterio; illi profiteor meam in illius interceſſione fiduciam; illam ſaluto perinde ac Angeli fungerer Miniſterio, & illi primus tantam dignitatem nuntiarem, & gratularer; fungor officio, quod illi cælum tamquam Reginæ ſuæ præſtitit, & quod terra univerſa tamquam liberatrici ſuæ præſtare debet. Quod ſi ſecundum urbanitatis leges, nemini ſalutem dicimus, qui licet ſupra nos ſit, & ordinis longe præſtantis, quin parem ſe gratiam relaturum non ſentiat, & æqui, bonique faciat officium noſtrum; credi ne poſſet, Matrem Dei, cujus cor eſt generoſiſſimum, gratiſſimumque, cumque ardentiſſime cupiat noſtram beatitudinem, nobis ne benevolentiæ quidem ſuæ argumenta præbituram toties, quoties illam hac ratione ſalutamus; ideoque ipſam nobis non reddere ſalutationem pro ſalutatione, benedictionem pro benedictione, amorem pro amore? Quis igitur dubitabit, utrum benigno intueatur oculo illos, qui reverentiam illi teſtantur, & ſervitutem? Quod eo magis ſperare poſſumus ab illius bonitate, quo magis, quæ petimus per hanc orationem, ea ſunt, quæ cupit nobis concedere, & quæ continentur in eo, quod Angeli, & Sanctæ Eliſabeth verbis addidit Eccleſia; videlicet, ut velit fieri Mediatrix noſtra apud Deum, ut ſuas preces, atque interceſſionem adhibeat pro vitæ hujus tempore, quo ſexcentis obnoxii ſumus periculis ſalutis noſtræ, infinitis cupiditatibus agitati, innumeris ærumnis confecti, quotidie recentibus malis, & morbis vexati; potiſſimum vero in hora mortis noſtræ. *Idem.*

Ceſſare non debemus, quo minus hanc S. Virgini orationem offeramus, non enim fatigatur ipſa illam audiendo, & ope illius ſemper indigemus.

Non ceſſent Chriſtiani confugere ad SS. Virginem oratione hac prorſus ſancta; vel potius illam iterare non ceſſent, quoniam illa hanc audiendo non fatigatur, nec minus intereſt ſua nobis opem ferre, quam noſtra illam deprecari. Ita eſt, Virgo Sanctiſſima; inceſſanter indigemus tua in vita hac interceſſione: ſexcentis tentationibus laceſſiti, ut ſumus inter inſidias, quæ nobis ubique ſtruuntur, hoſtibus circum undique ſepti, & ſecus oras præcipitum locorum incedentes, & in tenebris caliginoſæ noctis quomodo tot ſuſtinere poſſumus prælia, tot laqueos evitare, tot terribilibus hoſtibus reſiſtere, quomodo tandem ex tot elabi periculis, ſine valida protectione qualis tua eſt? Poſſumus ne crebro nimis ad illam clamare? Poſſumus ne citra noſtram negligentiam non confugere ad hoc aſylum, potiſſimum vero in hora mortis, quod tempus eſt, quo inimici ſuas vires, & corollas inſtaurant? hoc momento, a quo noſtra pendet æternitas; hac hora, quæ erit vitæ noſtræ noviſſima; hac hora fatali, ac terribili, qua omnia nobis metuenda ſunt, & nihil niſi in Dei miſericordia ſperandum; hac hora, quæ initium factura eſt felicis, vel miſeræ æternitatis? Heu! Ab omnibus creaturis derelicti, ad te, Sanctiſſima Dei Mater, confugiemus. Tu noſtrum eris refugium, ſpes noſtra, & ſalus; *nunc & in hora mortis noſtra*. Non deneges mihi clientelam, quam largiris iis, qui fideliter tibi deſerviunt. Non audeo quidem hoc me nomine appellare, ſed fretus ea, quam habui, voluntate illius promerendi, non ſinam adverſari omnibus conatibus inimicorum meorum. *Idem.*

Orationem hanc recitantes cogitare debemus dignitatem ejus, ad quam illam dirigimus, ut eam proſequamur ea reverentia quam illi debemus.

Orationem hanc conjungere debemus cum ſublimi æſtimatione perſonæ ad quam dirigimus, & reverentia quam meretur incomparabilis dignitas, ad quam evectam eſſe reminiſcimur: illa enim, cui hanc orationem offertis, Mater eſt Dei verbi, Regina cæli, generis humani Reparatrix. Quanti igitur a nobis facienda eſt hæc digna Mater Incarnati Verbi, quam Deus gratiis omnibus cumulavit, ut ſatis digne tantam ſuſtineret dignitatem, eamque mox dignam redderet cultu, & veneratione omnium populorum? Huic preces veſtras exhibetis; quod ſi hæc ſententia debet eſſe communis in omni devotionis praxi, quam pietas fidelium invexit ad illius honorem, non ne inevitabilis erit in oratione hac, quæ inſtaurat memoriam electionis a Deo factæ, & ordinis ad quem illam per hanc electionem exaltavit? Si unquam præ nobis ferre debemus alicujus æſtimationem, non ne id fieri oportet in honore, qui illi adhibetur, & in elogio, quod fit earum Virtutum, quæ in illo renident? Etenim ſicuti prima, & magis neceſſaria diſpoſitio, quam S. Paulus requirit in illo, qui ſe coram divina Majeſtate ſiſtit, vota illi nuncupaturus, eſt credere, illum cum quo loquimur, vere Deum eſſe noſtrum; cum enim hoc unum verbum plures exprimat perfectiones, quæ ſatis concipi nequeunt, ſufficit ad immittendos nobis ſenſus conformes magnitudini ejus, & nihilo noſtro: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt.* Hoc ipſum data paritate de Maria dicamus. Ad illam debemus accedere cum ſpiritu perfectionibus ejus repleto, & juxta ſublimem hanc ideam operari; & ad hanc orationem, uti opus eſt, recitandam, hoc faciendum eſſet cum iiſdem reverentiæ ſenſibus, cum quibus Angelus protulit primum eadem verba, cum humili declaratione, quam fecit S. Eliſabeth, quæ illam vocat benedictam inter Mulieres, & indignam ſe putat, quæ a Dei ſui Matre viſitationem recipiat: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Et demum cum eadem mente, atque intentione, quam oſtendit Eccleſia, adjiciens cultum petitioni, quam facit hæc eadem proferens verba. *Idem.*

Amittitur fructus hujus Orationis cum non recitatur cum ea, quæ neceſſe eſt, devotione.

Cogitate igitur, fideles Mariæ ſervi, ea, quæ dicitis, & facitis, cum ſanctam hanc recitatis orationem mente diſtracta, & Mundi negotiis occupata, cum per conſuetudinem, feſtinanter, ſine ullo pietatis ſenſu, ſine attentione ad ſublimia Myſteria, quæ in ea continentur hoc fungimini officio. Si facimus publicam proteſtationem devotionis æternæ erga Dei Matrem, opus ne eſt ut non ſolum facta verbis, ſed etiam verba factis adverſentur? Satis aſſequimini, quid hac loquendi ratione intelligam, quæ nova forſaſſe videbitur. Verba factis adverſantur, cum non agimus ſecundum ea quæ glorioſæ huic Virgini polliciti ſumus; cum vitam in licentia, & ſcelere traducimus; facta vero verbis adverſantur, cum Sanctum opus facientes, quale eſt Matri Dei deſervire, exteriorem hanc devotionem modica reverentia, modicoque pietatis ſenſu peragimus. Ah! ne amittamus fructum praxis adeo Sanctæ per contemptum, & negligentiam, cum qua nonnulli hæc facere conſueverunt. Si diximus jam verba noſtra factis adverſari, cum offerimus Matri Dei adeo ſanctam orationem modico pietatis ſenſu, nunc dico facta noſtra verbis adverſari, cum Roſarium recitantes in ſignum obſequii noſtri nequaquam ducimus vitam profeſſioni noſtræ conformem. Etenim quomodonam duo hæc ſimul conciliare poſſumus, Dei Matrem tenera devotione complecti, & ea facere, quæ illi novimus diſplicitura? & velle eſſe in clientela Matris Filium ſceleribus offendentes: quin cogitemus eorum communem eſſe gloriam, & eorum ſuffragia nequaquam dividi poſſe; Sanctamque Virginem nequaquam pati, ut cultus ſuus fiat prætextus ad probandum vitium, atque licentiam. *Idem.*

Hæc eadem oratio recitanda eſt cum ſumma confidentia in Deipara ad obtinendum, quam petimus ſuccurſum.

Præterea oportet, ut oratio hæc recitetur cum vero ſenſu confidentiæ, confugiendo ad hanc Virginem glorioſam, tamquam Parentem, Advocatam, & Mediatricem noſtram apud Deum, cogitando id a nobis peti, quod ardenter nobis concedere cupit. Profecto non poteſt melius inniti, quam auctoritati Matris Dei ad obtinendum per interceſſionem ſuam quidquid neceſſarium nobis eſt ad ſalutem; ſed videtur illius favor, patrocinium, & ſubſidium peculiariter huic orationi inhærere, quemadmodum docet quadringentorum, & ultra annorum experientia per inſignia miracula, quæ adhuc quotidie multiplicantur, & per victorias de hæreticis, & infidelibus relatas: dici enim poteſt verbo uno, nullam eſſe gratiam, favorem, beneficium, quod per illam non obtineatur. Hæc cauſſa fuit propter quam Roſarii devotio brevi per omnem Chriſtianitatem percrebuit, propter quam Reges, & Principes ſibi gloriæ verterunt inſcribi in numero Servorum B. Virginis, & geſtare Roſarium, quod hodierna quoque die videtur eſſe character, quo Chriſtianus Catholicus ab Hæretico ſecernitur; quemadmodum nihil eſt in Mundo, quod majus faceſſat negotium hiſce neotericis, & ſit magis oppoſitum eorum ſententiis, & quod magis perhorreſcant, quam hoc pietatis indicium, quod vulgo geſtatur ab iis, qui devoti ſunt Mariæ ſervitio, & cultui Deiparæ hujus adhærent. Hinc ſingularem habent in Maria fiduciam, & hoc pacto teſtantur, uno Deo excepto, ſibi omne bonum expectandum eſſe a B. Virgine, quemadmodum palam S. Bernardus ait: *Hæc eſt mea maxima fiducia: hæc tota ratio ſpei meæ.* *Idem.*

Inter varias praxes devotionis erga S. Virginem Roſarii maxime authenticum eſt, & probatiſſimum.

Quamvis devotio erga glorioſam Virginem ſit etiam, atque etiam commendanda omnibus Fidelibus generatim tamquam validum ſubſidium ad vitam ſanctiorem traducendam, tamquam medium faciliorem inveniendi aditum apud Deum, & demum tamquam ſignum prædeſtinationis ſuæ: audeo tamen dicere inter omnes praxes devotionis, quas pietas Fidelium invenit, illi debitum cultum præſtitura; devotionem recitandi Roſarium cum iis ſenſibus, qui decent illius inſtitutionem, unam eſſe ex maxime authenticis, & acceptiſſimis incomparabili Matri Dei. Hoc ipſum probare poſſem ex originis antiquitate, ex Auctoris Sanctitate, ex fructu quem peperit in Eccleſia, ex multitudine miraculorum certiſſimorum, quæ facta fuerunt, ex Bullis duodecim, vel decem ac trium Summorum Pontificum, quæ nullum cenſuræ locum permittunt, & de-

Google

& demum ex privilegiis, & indulgentiis, quæ huic inhærent devotioni. Omnia hæc argumenta probare poſſent, quæ aſſero, niſi vellem potius Sermone pio perſuadere cultum Deiparæ, quam magnifica oſtentare eloquentia quidquid peperit tantam Confraternitati adeo auguſtæ celebritatem. Liquet, illam numerare Principes, Reges, Summos Pontifices, & decies centena millia illuſtrium Virorum, qui nomen dederunt Confraternitati huic, ac ſibi gloriæ verterunt famulari Reginæ cælorum; ſed quidquid fert animus vobis oſtendere, utilitas eſt, quæ inde poteſt hauriri. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Confidentia, quam Confratres Roſarii habere debent in patrocinio Sanctæ Virginis, & quæ illius eſt cauſa.

Scire tot centena millia ea omnibus conditionibus, & utroque ſexu, ducto initio a Regibus, Summiſque Principibus ad noviſſimum quemlibet ex plebe, & a Summis Pontificibus, Antiſtitibuſque ad noviſſimum uſque inter Eccleſiæ Miniſtros huic Societati nomen dediſſe, ita ut privatus quilibet particeps ſit ceterorum orationis, & ſimul omnes ſingulis diebus, & in omnibus diei horis, & ſingulis momentis, & toties Salutationem Angelicam Sanctiſſimæ offerant Virgini, & inceſſanter gratulentur gloriam, quam poſſidet divinæ Maternitatis, cum poſt hoc obſequium, quod illi perhibent, & gaudium, quod in corde ejus inſtaurant, omnes per ſe, & per alios hanc illi precem effundunt; *Mater Dei ora pro nobis peccatoribus &c.* Non ne illud eſt, quod Roſarii Confratribus inſpirare debeat firmam in Dei protectione fiduciam? Quis enim auderet cogitare illam taliter eſſe inexorabilem, ut nunquam flecteretur oratione, quæ illi inceſſanter offertur tot oribus ſimul, & cordibus? Poſſet ne credi, fideles exauditum non iri, cum omnes ſimul in communi, & ſingillatim pro ſingulis precantur: *Ora pro nobis peccatoribus?* Cum oratur non ſolum pro hora præſenti, ſed etiam pro hora mortis. Petere hoc ab illa inceſſanter, neque ſolum per nos, ſed etiam per tot decies centena millia ora, & tandem nunquam votis damnari, quomodo iſtud fieri poſſet? Ecce juſtum fiduciæ argumentum in illis, qui ſuam oſtendunt devotionem S. Virgini nomen dantes celeberrimæ huic Roſarii Confraternitati. *Pater de Argentano Capuccinus in Magnalibus Virginis.*

In Angelica Salutatione duo diſtinguimus tempora quibus ejus ope indigemus: Nunc & in hora Mortis noſtræ.

Roſarium recitantes SS. Virginem oramus quin perſonæ meminerimus, & generatim petimus illius opem in neceſſitatibus quin alicujus nomen explicemus. Videtur Eccleſia applicare illi in ſenſu accommodato, quod JESUS CHRISTUS nobis ait de Patre Cæleſti, & nobis ſignificare, Matrem hanc Sanctiſſimam Cæleſti lumine afflatam, & de filiorum ſuorum ſalute ſollicitam, noſſe, quid illis neceſſe ſit, & quænam gratiæ illi aptiores futuræ ſint. Verum eſt, quin ſingillatim quidquam explicemus, a nobis duo diſtingui tempora, & nos Dominam noſtram deprecari ut *nunc, & in hora* mortis dignetur pro nobis intercedere. Quæ duo tempora non ſine graviſſima cauſſa diſtinguuntur; ſi enim Eccleſia non docuiſſet nos orare, niſi pro præſentibus neceſſitatibus, fortaſſe obliti fuiſſemus, gratiam bonæ mortis pendere a mera miſericordia, & finalem perſeverantiam non pertinere ad merita vitæ bene anteactæ: ſed quamvis illam pretiſe, & in rigore obtinere non poſſit, aliquam tamen ad eam poſſe conferre. Quamobrem non petimus ſolum, ut Dei Mater nobis ferat opem in hora mortis, ſed ut nobis faveat toto vitæ noſtræ ſpatio; & ideo tenemur noſtris officiis incumbere & fateri, nunc nobis adlaborandum eſſe, ut ad eam perveniamus felicitatem, ad quam beata mors aditum nobis aperiat. Harum petitionum altera evitamus præſidentiam quæ nobis perſuadere poſſet, bene moriendi gratiam deberi vitæ bene anteactæ, & diſcimus inde ſemper nobis eſſe trepidandum cum profunda humilitate in hac hora noviſſima, in qua indigemus meritorum JESU CHRISTI, & favorum SS. Virginis. Altera vero petitione docemur evitandam nobis eſſe negligentiam, quæ efficit, ut in mortis extrema ſpatia differamus converſionem noſtram, & admonemur ſtatim nobis eſſe incipiendum, quoniam hoc unicum momentum ſitum eſt in noſtra poteſtate. Momentum hoc nobis elabi poteſt in nullam reditus ſpem, & ſine fructu, ſi illud inutile abire patimur; ſed poteſt etiam nobis producere bona ſolida gloriæ infinitæ, ſi inventum fuerit plenum theſauris patientiæ, & meritis caritatis.

Roſarii Confratres ſibi vindicant provinciam laudandi & gratias agendi Deo pro omnibus Creaturis.

Mihimet perſuadeo, Fratres cariſſimi, cum convenitis ad Roſarium recitandum, vos cupere creaturas omnes in totidem voces immutari ad celebrandas laudes Dei, & gratias agendas propter omnia illius beneficia; verum cum hoc fieri nequeat, vobiſmet vindicare provinciam gratitudinem pro illis teſtandi, nomen dando ei Societati, quæ profitetur pia illi officia præſtare, & cujus finis præcipuus eſt orare Deum per JESUM CHRISTUM, & JESUM CHRISTUM per Mariam. Si coeunt impii ad Sanctum Nomen illius blaſphemandum; vos ad illud benedicendum convenitis; Si ora ſacrilega panduntur ad JESUM CHRISTUM dedecore afficiendum, ſimulque Sanctam Matrem conviciis infeſtandam; Vos congregamini, ut utrumque ab injuria vindicetis. *Elegia Hiſtorica.*

Quam præſtet Societas, quæ Confratres Roſarii conjungit.

Cum ſcientiæ commercium alios aliis conjungit, honeſta, & laudabilis eſt amicitia: Sed ſi Religio, pietas, amor Dei nectunt hanc ſuavem, mutuamque communicationem, o quam pretioſa hæc eſt neceſſitudo! O quam excellens eſt Societas! S. Franciſcus Saleſius ait! Utique excellens Sanctus Vir iſte addit, quia a Deo proficiſcitur: excellens, quia adducit ad Deum; excellens, quia ſubſiſtit in Deo, qui eſt vinculum ejus: Non eſt ſimplex amor caritatis, quæ debetur proximo, ſpiritualis eſt amicitia, per quam plures perſonæ ſibi ſuam communicant devotionem, bona deſideria, ſanctoſque erga Deum affectus.

Oratio Roſarii ſemper erit B. Virgini accepta.

Precibus, quæ Deo, Sanctiſque nuncupantur, aliud accidit, quam quæ fiunt apud homines in terris; quod his primum perplacet, ſecundo diſplicet, eiſque tandem inviſum, & non ferendum eſt; ſed quod ſemel Deo placuit, id centies repetitum placebit. Sicuti in Cælo neminem tædet inceſſanter audire elogium illud, & Canticum, quo Seraphim beatas illas ſedes lætificant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; hoc ipſum dicendum eſt de glorioſa Dei Matre. Hæc verba, quæ Angelicam dicimus Salutationem, illi placebunt in æternum; & nonnulli etiam Eccleſiæ Patres, ac præ ceteris S. Athanaſius, & S. Ephrem opinantur, Angelos illa inceſſanter repetere in Reginæ ſuæ honorem, quemadmodum ſuperiora concinunt in honorem Regis ſui; quod ſufficere debet ad Hæreticos confundendos, quaſi orationes fierent per numerum, vel numerus aliquam habere poſſet poteſtatem ſecretam, quod impio Calvino præbuit occaſionem inter ſexcentas blaſphemias, quas effutiit, vocandi Roſarium magicas præſtigias, & veneficia, quæ adnectunt certitudinem eventus verborum numero, & quorumdam verborum repetitioni. Sed dicendum eſt potius non ſine pietatis ſenſu cum omnibus vere Chriſtianis, hanc potius divinam illecebram eſſe, quæ conciliat gratiam Matris hujus miſericordiæ, a qua obtinemus opem, & ſingularem Dei protectionem; ad quam impetrandam nihil potentius poſſumus adhibere. Sed præter memoriam, quam illi inſtauramus ejus rei, quæ ipſi eſt jucundiſſima, ſecundo loco illi reſtamur gaudium, quo afficimur ex illius felicitate, & quantam ea ipſius dignitate lætitiam percipiamus. Ad id præcipue hæc devotio inſtituta fuit, ut illi teſtaremur cordis noſtri ſenſum per extrinſecum hunc cultum, quem reddimus illi, & hoc ſignificat vox illa *Ave*, ea qua initium facimus, & quæ huic orationi nomen facit. Ita hoc eſt gratulari ejus dignitatem, ad quam tunc evecta fuit, ex quo cumulata fuit gratiis, & facta eſt benedicta inter mulieres; & per quamdam acclamationis ſpeciem verum probamus, quod ipſa paullo poſt de ſe teſtata eſt, futurum, ut omnes gentes illam beatiſſimam prædicarent. Magnum hoc Myſterium præteriit quidem; ſed fructus, qui nobis inde cedit ad omnia ſæcula pertinet; ita ut ſicuti noſtra utilitas mixta, & confuſa ſit cum ſua, hac oratione perennamus confeſſionem ejus felicitatis, quam nobis procuravit. *Auctor ſermonum in omnia argumenta.*

Fructus admirabiles quos illi etiam in Eccleſia peperit Roſarii inſtitutio in iis, qui huic Confraternitati nomen dant.

Hoc S. Virginis Pſalterium, Roſarium videlicet, cum Spiritu Fidei, ac Religionis recitatum, in populos tot gratias, & benedictiones de Cælo promeruit, ut ubique locorum videretur vitæ mutatio, morum converſio; pœnitentiæ adeo frequentes, ut qui Sancto huic Sodalitio nomen dederant, non ultra tamquam homines, ſed tamquam Angeli; non tamquam peccatores, ſed tamquam beati haberentur. Quomodo illud? quia Sancti iſti Confratres, qui methodum noverant bene Roſarium ſuum recitandi, cum S. Virgine in omnium Myſteriorum ſuorum ſocietatem ingrediebantur. Modo videbantur divinis repleti conſolationibus in meditatione Myſteriorum gaudii, ſtrenue nuntium mittere omnibus mundi gaudiis; modo lacrymis madidi, & contritione repleti in meditatione Myſteriorum doloris obedienti ſubmiſſione omnes vitæ dolores perferre; modo tranquillo vultu, hilarique facie in gloriæ Myſteriorum meditatione lætari, perinde ac jam beati viderentur cum Angelis de felicitate certare. Sed quod notandum eſt, hi Roſarii effectus adeo erant perſpicui, ut qui erant ex hujus Confraternitatis numero diſtinguerentur ex vitæ ratione, quemadmodum Tertullianus narrat primos Fideles a Gentibus ea caritate ſecerni conſueviſſe. *Pater Nicolas Divionenſis ſermones de Roſario.*

Angelica Salutatio recitanda eſt cum interioribus ſenſibus quos habebat Angelus cum B. Virginem ſalutavit.

Roſarii Confraternitas nunquam tantos effectus produceret, quos produxit, niſi in precibus ſuis hoc ſibi munus imponeret ſerio animadvertendi in omnia Domini, Dominæque noſtræ Myſteria, quibus vacare oblectantur. Orare, & non meditari, neque ea cogitare quæ proferuntur; idem eſt ac tacere, donec tota die clamatur, eſt imitari Sacerdotes Balaam qui petebant, ut ignis de Cælo in victimas ſuas deſcenderet, & qui ne minimam quidem ſcintillam recipiebant; eſt eamdem obtinere ſortem, quam populus ille cæcus, & rudis, cui JESUS CHRISTUS exprobraverat, cor ejus ab ipſo diſtare. Opus eſt ergo ut oratio mentalis cum vocali conſentiat, ut ſit ſalutaris, & hæc ars eſt quam Sanctus Dominicus tradidit. Etenim cui bono numerus hic Orationum Dominicalium, & Angelicarum

Salu-

Salutationum, ex quibus Roſarium conſtat? Num longo uſu, & ſine attentione diſcerentur hæ duæ orationes toties recitandæ, quoties Sanctus Vir forte optimum factu cenſuiſſet? Exemplum habemus in iis ſenſibus, cum quibus Angelus, qui S. Virgini nuntiavit divinæ ipſius Maternitatis Myſterium, illam allocutus eſt, dicens: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Videmus enim Angelum illam ſalutare, & illi præſtare honorem, quem nunquam legimus præſtitum cuiquam fuiſſe ab ullo ex his puris ſpiritibus, confitendo illam cumulatam fuiſſe omnibus Cæli gratiis, ſingulariter a Domino protectam, & inter mulieres benedictam; quod illam elegit Deus futuram Matrem Filii ſui. Ita debemus intrinſecus reddere SS. Virgini in hac oratione tributum venerationis, quod illi debent reddere omnes creaturæ tamquam communis Creatoris parenti. Hoc igitur exemplum ſecuti proſternamus nos in Spiritu coram throno, in quo Propheta nobis exhibet Cæli Reginam ſedentem a dextris Filii ſui.

Cavendum eſt, ne fervore erga S. Virginem tepeſcente ſatis putemus ore admirabilem hanc proferre orationem, quin illam cum integriori genſu comitemur.

Nunquam tot viſæ ſunt, tam ſpecioſæ pietatis demonſtrationes, tanta exterior Sacramentorum frequentia, tot Sanctæ Confraternitates inſtitutæ ad honorandum Deum in S. Virgine, & Sanctis ſuis, quot hoc ſæculo videntur. Paucæ ſunt in univerſo orbe Chriſtiano civitates, ubi non aliqua erecta videatur ad fidelium devotionem ſovendam; ſed bone Deus! quis mihi affirmabit Roſarii Confraternitatem adeo Sanctam per ſe, a tanto Patriarcha inſtitutam, adeo a Summis Pontificibus laudatam, atque in univerſa terra celeberrimam, non irrepuiſſe, & rerum humanarum viciſſitudini obnoxiam factam fuiſſe? Quis aſſeret tot Reges, Reginaſque, tot Principes viros, & Matronas, tot mortales omnium ætatum, ſexuum omnium, & conditionum, quæ Confraternitati adſcriptæ ſunt, veros eſſe S. Virginis famulos, & fideles Patris Cæleſtis adoratores in ſpiritu, & veritate? Caveamus, ne devotio noſtra ſit Phariſaica potius, quam Chriſtiana; & ne in exteriori potius ſpecie, quam in interiori conſiſtat. Non ſatis eſt præ manibus Roſarium geſtare, & ore tot preces recitare; ſi cor cum lingua minime conſentit: oratio hæc non eſt niſi corpus ſine anima, & Confratribus illud labiis tantum recitantibus, illud ipſum exprobrari poterit, quod Sanctus Paulus temporum noviſſimorum Chriſtianis: falſi iſti devoti, nonniſi ſpeciem pietatis habent, eo quod in ſemet Spiritum, & Veritatem devotionis jugulaverunt.

Efficacia Roſarii ad obtinendas omnes gratias & potiſſimum virtutes, quæ magnos Sanctos efficiunt.

Roſarium efficaciſſima eſt omnium orationum, quoniam omnipotentem vim habet ad obtinenda omnia gratiarum genera devote recitantibus: & ſi vultis ſingillatim noviſſe, quas gratias Roſarium promeretur ſodalibus, hæ illæ ſunt, quæ B. Alanus a Rupe excepit ex ore Sanctiſſimæ Virginis. *Sanctitas vitæ, morum honeſtas, mundi contemptus, domorum diſciplina.* Sed unde nam proficiſcuntur fructus adeo admirabiles & progreſſus adeo veloces in virtutibus omnibus, niſi ex jugi meditatione dolorum Sanctiſſimæ Virginis; heroica ejus patientia, perfecta conformitas voluntatis ſuæ cum voluntate Dei, Sanctitas vitæ ſuæ, & morum innocentia migrant in Confratres Roſarii vi contractus Societatis. Ita mirum eſſe non debet, ſi videntur humiles, modeſti, patientes in omnibus vitæ malis. Hinc S. Virgo per effectum potentiæ, & amoris ſui, efficit, ut guſtent divinas conſolationes inter graviſſimas etiam adverſitates. *Pater Nicolaus Divionenſis Capuccinus.*

Illuſio eſt credere crebrā recitationem Roſarii ſufficere, abſque eo quod adlaboret quilibet eas obtinere virtutes, quæ petuntur.

Illuſio æque pernicioſa in effectibus ac vulgaris hoc, quo vivimus ſæculo in pleriſque Roſarii Confratribus ſpiritum veræ devotionis adulteravit; non enim deſunt, quibus ſufficiunt bonæ intentiones ſuæ, & pia deſideria. Crebro petentes habituali labiorum murmure virtutes, quas non conantur acquirere, illas ſe acquiſiviſſe opinantur. Et præſcientes nomen ſuum deſcriptum eſſe in nomenclatura alicujus Confraternitatis, ſibi blandiuntur, ſe jam in libro vitæ eſſe deſcriptos. Eo quod ſupplicationi alicui interfuerunt, putant, cor ſuum ſequi Deum, & Virginem Sanctam. Illam orant, ejus concinunt laudes; etiam guſtum percipiunt ex his praxibus, & quin imitari contendant adeo egregia exemplaria, ſimiles fiunt Judæis illis, qui clamabant Templum Domini, Templum Domini, & non ſervabant mandata Dei Templi. *Elegia Hiſtorica.*

Sanctus Dominicus juſſus prædicare Roſarium, & docere populos modum recitandi devote Angelicam Salutationem, ſtatim ſe contulit, ut quidam vitæ ipſius teſtatur Hiſtoricus, prædicaturus, atque inſtituturus ubique gentium hanc Confraternitatem admirabili cum eventu, & indefeſſo zelo, ita ut revocaſſe videretur Apoſtolica tempora, & effeciſſe, ut reſloreſcerent prima Eccleſiæ ſæcula, & pietas primorum fidelium: ſed quid de primis fidelibus dico? Hiſtoricus noſter audacter inquit: Sanctitas Angelorum ipſorum. *Per hoc Pſalterium admiranda facta ſunt converſiones; fervebant pœnitentia; crediſſes fere de pleriſque, Angelos in terris verſari.* Hoc Sanctiſſimæ Virginis Pſalterium, videlicet Roſarium recitatum in Spiritu fidei, & Religionis tot promeruit populis gratias, & cæli benedictiones, ut ubique viderentur morum converſiones, & adeo ferventes pœnitentiæ, ut eorum plerique, qui huic Sodalitio nomen dabant, non homines, ſed Angeli, non peccatores, ſed beati viderentur. Quorſum iſtud? Quia Confratres, qui noverant methodum Roſarium ſuum recitandi, ingrediebantur cum Sancta Virgine in ſocietatem omnium Myſteriorum ejus; exempla ejus qui ſequi ſtudebant, & pro virili parte, innocentiam, & puritatem morum ejus imitabantur. *Pater Nicolaus Divionenſis.*

Clades Albigenſium accepta referenda eſt Roſario.

Primi Roſarii Inſtitutores, Spiritus ſancti gratia repleti, videbantur recentibus Apoſtolis ſimiles, præſto ut vitam, Sanguinemque ſuum impenderent pro nomine JESU CHRISTI, pro Eccleſiæ honore, & fidei defenſione. Hæc veritas eſt, quæ facile probari poteſt facto maxime memorabili, quod accidit in Galliis, poſtquam Dei cultus illuc invectus fuit, & fides inſtituta Clodovæo regnante. Noſtis, ſpiritum hæreſis, qui a ſpiritu rebellionis ſeparari non poteſt, cum compuliſſet ad arma Albigenſes, ut errores ſuos propugnarent ferro, & igni, quos ratione, & argumentis probare non poterant. Brevi viſi ſunt Comites Tholoſanum, & Armeniacum, alioſque plures principes, Regemque Arragoniæ partes illas augere, & formidabilem componere exercitum centum mille militum. Terror quocunque pervaſit, ac procella Regno ſimul, & Religioni impendit, ita ut manus conferendæ fuerint, ut victoria de utro decideret. Quis audebit huic torrenti adverſari? Quis hanc tempeſtatem diſſipabit? Ne ſolliciti ſimus: Deus Exercituum qui miſit olim Simonem Machabæum pro ſalute Synagogæ, & Judæorum, ſuſcitaturus eſt hinc quidem Simonem Monfortii Comitem, recentem Galliæ Machabæum ad ſuſcipiendum Eccleſiæ, & Catholicorum patrocinium, inde vero Sanctiſſimam Virginem dantem Sancto Dominico Roſarium, eique dicentem: *Accipe, fili mi, gladium ſanctum, in quo dejicies adverſarios populi mei.* Neque inanis fuit promiſſio. Roſarium hoc fuit tamquam gladius Gedeonis, qui ſub figura panis hordeacei tantam fecit in Madianitarum agris depopulationem. Et ſane dici poteſt, ſi terribilis his Hæreticorum exercitus delectus fuit, hunc potius cæſum fuiſſe virtute Roſarii, quam armorum vi. Comitis Monfortii exercitus non tam valebat militum numero, quam cæli patrocinio, & pietate. Ille non ſecus, ac Judas Machabæus *Singulos armavit non clypeo, haſta, munitione, ſed ſermonibus optimis:* ſed Roſario, & eloquenti, piaque adhortatione; & ut buccina prælii ſignum dedit, *invocato Deo per orationes congreſſi ſunt, manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes;* leonum inſtar in hoſtes effuſi ſunt, ore preces, & corde fiduciam gerentes; ſed enſibus diſtrictis hoſtium copias fuderunt, & per Hæreticorum pectora tranſeuntes celeberrimam retulere victoriam, quæ Regnum, & Religionem ab interitu vindicavit. O Virgo Sancta, jure ſuo Eccleſia in honorem tuum cecinit: *Cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo.* Tibi uni accepta referenda eſt clades omnium monſtrorum hæreſeos, potiſſimum vero Albigentium in Gallia. *Pater Nicolaus Divionenſis in ſermone de Roſario.*

Gaudium S. Dominici in cælo ob inſtitutionem, & progreſſum Roſarii, cujus eſt Auctor, & zelum Fratrum ſuorum in ejuſdem propagatione.

Quemadmodum Sanctus Dominicus Sanctæ Virginis afflatu, hanc devotionem inſtituit univerſæ Eccleſiæ perutilem, ita in inſtitutione, & progreſſu Ordinis ſui, & in victoriis, quas reportavit de Albigenſibus Hæreticis expertus eſt poteſtatem victricis hujus Virginis, & vidit deinceps per plura ſæcula filios ſuos ſcientia, & zelo armatos, qui ſub protectione Mariæ prædicant Idolorum cultoribus fidem, confundunt Hæreticos, Atheoſque, peccatores convertunt, & augent fidelium pietatem. Videt, & gaudet Roſarii devotionem, cujus eſt Inſtitutor, generatim receptam, & approbatam ab omnibus Chriſtianis, ita ut modo habeatur tamquam character eorum, qui vere Catholici ſunt. Cum gaudio conſiderat, pium inventum colendi Matrem Dei eſſe conſolationem, fortitudinem, & ſpiritualem armaturam eorum, qui præliantur ſub vexillo Dominæ noſtræ. Verum ſi quid perturbare poſſet lætitiam quam poſſidet, hoc eſſet cogitare plurimos non habere veram ideam, quam habere deberent, & cultus, quem præſtant Sanctæ Virgini, & protectionis, quam ſperant ſe conſecuturos. Jure dicere poſſumus, quod Sanctus Athanaſius ſcripſit de Arca Domini. Divina hæc arca erat adeo potens in Judæorum gratiam, ut illa una ipſis eſſet pro exercitu; ſed oportebat, ut in Sacerdotibus, qui illam deferebant, & in populis, qui colebant illam, nullum eſſet crimen, vel ſecreta labes, quæ illos indignos efficeret præſidio Dei exercituum. *Pater Texier ſermone in die feſto Beatæ Virginis.*

Conſideratio facienda in Roſarii recitatione.

Cum Sanctas Roſarii preces recitantes conſideramus illas, omnia Religionis noſtræ Myſteria detegimus. Videmus, ſimulque adoramus Deum in tempore abſque Patre, & abſque Matre in æternitate; parvulum ſimul, & immenſum; ex ſuo locupletem, pauperem

ex

ex noſtro ; ſuapte natura glorioſum ; per electionem ſuam exinanitum ; infirmum ſecundum carnem mortalem, quam induit ; omnipotentem per eſſentiam, quam accepit a Patre. Quæ dignior occupatio Confratris, qui cum teneatur humiles illis gratiarum actiones referre, ſeu propter illa, quæ fecit, ſeu propter ea, quæ pati voluit, complectitur hæc omnia gratitudinis ſuæ argumenta ? Confratris, qui velut apicula immoratur in omnibus floribus, ut inde exprimat ſuccum, & mel devotionis ; Confratris, qui angelicam recitans Salutationem, exultat gaudio, cum videt Legationem Angeli, & Mariæ conſenſum : Spiritu cum illa fertur in Zachariæ domum, videt oculis fidei Præcurſorem ſanctificari in Matris utero ; Adorat JESUM naſcentem in ſtabulo ; ſeſe cum Paſtoribus conſociat ; offert illi cum Magis aurum cum thure, & myrrha : Confratris, qui meditatus humiliantia Salvatoris Myſteria, accipit illum inter ulnas, eum cum Simeone adoraturus tamquam Salutare Iſrael totius ; qui fidem ſuam confirmet, quin eam infirmari ſinat, videns illum fugam in Ægyptum capeſſere, non propter infirmitatem, ſed ut omnia adimpleantur, quæ ſcripta ſunt per prophetas : Confratris, qui conſiderat Mariam quærentem JESUM in Templo ; & qui fatetur, cum aliquis ab hoc dilecto Liberatore recedit, hunc quærere debere cum dolore, cum ſollicitudine, cum cura, cum perſeverantia. *Elegia Hiſtorica.*

Dignitas Deiparæ occupare debet confratres Roſarium recitantes.

Nonne obſequia aptanda ſunt perſonarum qualitati ? Aliter cum Principibus, aliter cum hominibus e vulgo loquimur. Sed Roſarii Confratres ſemper cogitare debent illam, cui offerunt preces ſuas, eſſe Dei Matrem, Reginam Cæli, & hominum Reparatricem ? Quanti igitur a vobis facienda eſt, qui illius ſodalitio adſcripti non eſtis, niſi ut attollatis merita Mariæ, quam Deus gratiis ſuis cumulavit, ut ſuſtineret hanc ſummam Deiparæ dignitatem, & dignam reddidit cultu, & populorum omnium veneratione. Quod ſi ſenſus hic communis eſſe debet omnibus praxibus devotionis, quas fidelium pietas excogitavit in honorem illius, nunquam non erit inevitabilis in hac oratione, quæ renovat memoriam electionis, a Deo factæ de illa, & ordinis ad quem per electionem hanc illam evexit ? Si oportet oſtendere pretium in quo aliquis habetur, nonne hoc fieri debet, cum illi honor defertur, & cum celebratur elogium eorum bonorum, quæ poſſidet ? Nam ſicuti præcipua diſpoſitio, quam S. Paulus requirit in eo, qui ſeſe præſentat coram divina Majeſtate, eſt credere eum, cum quo loquimur, vere Deum eſſe noſtrum ; cum enim unicum hoc verbum explicet majorem perfectionem, quam quæ concipi poteſt, ſufficit ad inſpirandos nobis ſenſus conformes magnitudini illius, & nihilo noſtro. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt.* Hoc ipſum data proportione dicamus. Ad illam confugiendum eſt in ſpiritu repleto perfectionibus ejus, & agendum ſecundum hanc ſublimem ideam ; oportet etiam recitare hanc orationem cum eadem diſpoſitione, qua Angelus, qui prior hæc protulit verba ; oporteret plenos eſſe magnitudine, ut cum S. Eliſabeth exclamaremus : *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me ?* Recens Auctor.

Quorundam Confratrum illuſio.

Illuſio æque pernicioſa in effectibus, ac vulgaris in eo, quo vivimus ſæculo, in pleriſque Roſarii Confratribus ſpiritum veræ Devotionis adulteravit. Non enim deſunt Fideles, qui ſe rigidos eſſe gloriantur obſervatores centum regularum, quæ ſupra numerum ſunt, & impune eas negligunt, quæ ſunt ad ſalutem neceſſariæ. Religioni ſibi verterent ; ſi diem abire ſinerent, qua coronam deprecatoriam non recitaſſent, & ſibi licere putant tota die inter ſæculi flagitia verſari. Negotium illis faceſſit quod acceſſorium eſt ; negligunt vero, quod caput eſt. Aliis rectæ intentiones ſuæ ſufficiunt, & pia ſua deſideria. Hæc petentes habituali labiorum murmure ſe illa adeptos fuiſſe putant, & rati nomina ſuo ſcripta eſſe in nomenclatura Confraternitatis, jam credunt in libro Vitæ fuiſſe deſcripta. Orant JESUM CHRISTUM, concinunt laudes illius, & S. Matris ejuſdem ; inveniunt etiam ſaporem aliquem in externa praxi ſenſibilis devotionis ; ſed ibi immorantur, quin quærant vitam ſuam conformare ſecundum hæc egregia exemplaria, eodem ferme pacto, quo Judæi clamabant, Templum Domini, Templum Domini, & minime faciebant ea, quæ Templi Dominus imperabat. De hujuſmodi Confratribus, quodcumque vobis placuerit, judicate : ego vero dicam cum S. Paulo, neminem juſtificari, & ſalvari poſſe, niſi imitatus fuerit JESUM CHRISTUM, & S. Matrem illius, quæ fidelis fuit imago Filii. Quærere alias ſanctificationis vias in Confraternitate, falli eſt ; ſibi alia imponere officia in horum locum, eſt chimericam ſibi religionem adſtruere. In imitatione vitæ JESU CHRISTI tota ſita eſt Chriſtianæ vitæ œconomia. Si huic adjicitis praxim Confraternitatis, hoc fieri debet ſine detrimento illius, quod caput eſt. *Elegia hiſtorica Tomo 3.*

Contra indevotos ſodales.

Cui nam comparabo Confratres hos indevotos, qui nonnullis precibus contenti, vel aliquo intuitu ſuperficiali in noſtra Myſteria, quæ illi meditanda exhibentur, ſe diſpenſari putant ab eſſentialibus ſuæ Religionis officiis ? Comparari poſſunt cum Capharnaitis, quorum SS. Marcus, & Lucas nobis proponunt imaginem. Gaudentes videre miracula, quæ JESUS CHRISTUS operabatur, & zelotypi gloriæ, quæ cedebat illi, quatenus ſectatoribus ejus, illum ubique quærebant ; ſi paulo ab illis recedebat, ejus dolebant abſentia, & eo properabant, ubi erat : *Turba requirebant eum, & venerunt uſque ad ipſum :* ſed opus ne erat, ut JESUM CHRISTUM ſequerentur ſancta illius exempla imitaturi ? Debebant ne proprium abdicare ſenſum, ut fidem haberent verbo JESU CHRISTI ? Recedebant. Nonne hæc imago eſt ad vivum expreſſa admirabilis hujus affluentiæ populorum ex omni ſexu, & conditione, ætate, qui ſolemnibus feſtivitatibus, & qualibet prima ſingulorum menſium dominica confluunt in Templa, ubi aliqua inſtituta Confraternitas eſt, & ubi concurſus ſæpe tantus eſt, ut vix ingreſſus pateat. Sed timeo, ne multi adſint Capharnaitæ ; Hi JESUM CHRISTUM quærebant ; & vos illum quæritis. Sed inimico parcendum eſt ; obediendum Providentiæ, quæ per hominis injuſti miniſterium aufert modicum illud bonum, quod tibi erat reliquum ? Humiliari te oportet, & deſcendere de ſublimi loco, in quem tua te evexerat fortuna ; tandem Sancti Evangelii praxes tibi exercendæ ſunt ; tunc JESUM CHRISTUM, & Mariam ignoras, nullaque in te deprehenditur nota veri Confratris Roſarii.

Queſtus Eccleſiæ in Confratres indevotos.

Immortales tibi, Domine, ſint gratiæ, quod S. Dominico, & Filiis ejus hanc injeceris Devotionem, quæ tot fideles in Templa noſtra perducit. Benedicti eſtote Chriſtiani, ſi generalibus veſtri ſtatus officiis additis etiam ſingularem veſtræ pietatis characterem honorandi JESUM CHRISTUM, Sanctam illius Genitricem honorantes. Dupliciter induti JESU CHRISTO, & per vota baptiſmi veſtri, & per officia hujus adeo Sanctæ Societatis, in qua Summi Pontifices, Imperatores, Reges, Principeſque viri, & mulieres dedignati non ſunt ſe cum abjecta plebe confundere : ſed quam metuendum eſt, ne, cum devotio multiplicaverit numerum ſervorum Mariæ, non magnificaverit gaudium ejus, quia devotio iſta non eſt admodum ſpiritualis ? Vos ipſi, Fratres, per ſingula ferte judicium. Cum JESUS CHRISTUS imperat, ut repleamini ſenſu patientiæ, lenitatis, continentiæ, Chriſtianæ mortificationis, hæc vitæ diſciplina dura vobis videtur, & non ferenda. Diſcite igitur hodierna die veſtræ Religionis eſſentiam, vos, qui fortaſſe leviſſima tantum didiciſtis rudimenta, & ſcitote, devotionem veſtram erga noſtram Roſarii Dominam eſſe inanem, & chimæricam, ſi voſmet admiſcentes cum tot illuſtribus perſonis, quæ non ſecus ac vos Roſario aſſociatæ ſunt, non magnificatis Eccleſiæ gaudium, magnificantes ſimul & devotionem, & numerum veſtrorum Confratrum ? Ne præbeatis locum Eccleſiæ parenti veſtræ dicendi Mariæ, numerum quidem ſervorum ſuorum creviſſe, ſed gaudium ſuum imminutum fuiſſe : *Multiplicaſti gentem, ſed non magnificaſti lætitiam.* Ratio procurandi Eccleſiæ lætitiam, eſt, eſſe æque fidelem imitatorem JESU, qualis Maria fuit, eumque, ut illa in corde veſtro concipere.

MA-

MARIA DE MONTE CARMELO VEL SCAPULARIS VULGO DICTUS

Parvus Habitus.

MONITUM.

CONFRATERNITAS Mariæ de Carmelo cum fœdus arctum percuſſerit cum Ordine Inſigni, qui pervetuſtus eſt in Eccleſia, non fuit mihi dubitandum, quominus locum illi facerem inter argumenta, quæ ad Virginis cultum pertinent; ſeu quod ab hac eadem Virgine inſtituta fuit, ſeu quia feſtivitas hæc quotannis inſtauratur, & pauca inveniuntur ſocietates probatiores, & utiliores fideli, ſalutem ſuam certam facere admitens.

Verum mihi admonendum puto ex omnibus Feſtis diebus, ac devotionibus in honorem B. Virginis inſtitutis me inveniſſe illas tantum Scapularis, & Roſarii, in quibus exequi potuerim Conſilium Operis mei, quale eſt ſuppeditare Concionatoribus in ſingula argumenta varias ſermonum ideas, & largam dicendi ſupellectilem depromptam ex Bibliis, Patribus, Theologia, Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus; ſatis enim liquet, nil fere hujuſmodi inveniri in aliis Feſtivitatibus, Sodalitiis, Confraternitatibus, quibus ſub vario nomine unus tantum eſt finis, honorandi videlicet Matrem Dei. Quamobrem qui loqui tenentur de hiſce feſtivitatibus localibus, vel de particularibus ſocietatibus, latius ſeſe debent extendere de S. Virginis devotione generatim, & admiſcere quidquid illis peculiare argumentum ſuppeditat.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Synopſis Sermonum hujus argumenti.

I.
Devotio Scapularis nota eſt prædeſtinationis.

PRENEPTUM eſt vulgo receptum, devotionem erga S. Virginem ſignum eſſe prædeſtinationis: ſed ut deſcenſus fiat a generico hoc principio ad peculiare Scapularis argumentum, aliud quoque principium ſtatuendum eſt; videlicet, quemadmodum hæc devotio alte infigi debet in corde, aliquo etiam opus fuiſſe ſigno, & nota, ut cognoſceretur. Vobis autem probaturus ſum Scapulare, vel ut vulgo nuncupatur, parvulum habitum, unum eſſe ex hujuſmodi ſignis prædeſtinationis pro iis, e quibus geritur cum eodem ſpiritu, cum quo inſtitutum eſt. Itaque, animæ piæ, quas integra devotio vos adegit, ut Sanctæ huic Confraternitati nomen daretis; quid utilius ad conſolationem veſtram dicere poſſum, quam vobis oſtendere, hoc pignus eſſe veſtræ ſalutis? Qua validiori ratione excitare vos poſſem ad obeunda fideliter ea, quæ adhærent officia, quam dicens, ſi illa diligenter obieritis, vos certam ſalutem veſtram facturos? & tandem qua de re opportunius apud vos verba facere poſſem, quam probans promiſſiones quas hæc prædeſtinatorum Mater fecit illis, qui digne habitum hunc gererent?

Hanc veritatem tribus conſtituo argumentis deſumptis ex iiſdem verbis glorioſæ Virginis in celebri ea revelatione quam habuit B. Stock, toties probata a S. Sede, & modo ab omni Eccleſia recepta. Primum quorum eſt, habitum hunc ſignum eſſe, illos ad Mariam pertinere per inviolabilem devotionem, & arctum fœdus, quod cum illis contrahere dignata eſt: *Recipe, dilectiſſime Fili, Ordinis tui Scapulare, meæ Confraternitatis ſignum.* Alterum eſt, eſſe pignus certi auxilii in omnibus periculis, ſuæque protectionis contra quoſcumque ſalutis inimicos: *Ut ſit ſalus in periculis.* Tertium denique quod certiſſimum eſt B. Virginis pignus, ſe illis procuraturam finalem perſeverantiam, quæ ſignum ponit prædeſtinationi per beatam mortem; *in quo quis moriens æternum non patietur incendium.* Hic erit ordo, & diviſio ſermonis, non alia ab ea, quam hæc Mater miſericordiæ ipſa conſtituit, recognoſcens ex hoc habitu eos, qui pertinent ad ſe titulo officioſiſſimo, illos ſpeciali fovens patrocinio, eiſque pollicita ſe nunquam defuturam in morte, quæ finem eſt maximo ſalutis ipſorum negotio impoſitura. Sequamur hunc ordinem tamquam maxime proprium & naturalem in hoc argumento.

II.

Adeo conſtans eſt inter Fideles opinio, devotionem erga Dei Matrem, notam eſſe prædeſtinationis, ut quin ratio habeatur rationum, quibus innititur, conſenſus adeo generalis efficere debeat, ut pro Catholica veritate habeatur. Magnum proculdubio lætitiæ argumentum eſt, iis, qui devoverunt ſe huic Cælorum Reginæ; quippe ſine temeritatis nota dubitari non poteſt, quominus in cordibus ſuis gerant impreſſum electionis ſuæ characterem. Verum ſicuti non deſunt devotiones, quæ ſint obnoxiæ alicui ſuſpicioni, & ſaltem non omnia obſequia noſtra æque ſint SS. Virgini accepta, ideoque non collocent in pari certitudinis gradu ſalutem noſtram, ratus ſum me ulterius aliquid dicere poſſe in gratiam Confratrum Scapularis, quam quod generatim dicitur de ſervis omnibus Mariæ. Satis non eſt dicere habitum S. Virginis notam eſſe prædeſtinationis æque ac ceteras pietatis praxes quæ in illius honorem excogitatæ fuerunt; illud affirmo, nullam eſſe, qua certior fiat prædeſtinatio noſtra, ideoque nullam cui majori cum zelo, ac fiducia adhærere debeamus. Ad veritatem hanc probandam duabus rationibus utar, quæ mihi ſolidæ videntur, & ſpero ſatis futuras ad perſuadendum. S. Virgo ipſa fidem obligavit ſuam; hæc prima eſt ratio mea. Nos vero illam validius adhuc obligamus, ex quo huic devotioni noſmet adſtringimus; hæc ratio altera. Illa fidem obligavit ſuam, idque conceptiſſimis verbis, & effectibus prorſus miraculoſis: Hæc quoque devotio illam ſua obligat natura; quia publica eſt, & jugis. *Pater de la Colombiere.*

III.
Quid evitare debeant Concionatores in hoc argumento.

Exultabit anima mea in Domino meo, quia induit me veſtimentis ſalutis: & indumento juſtitiæ circumdedit me. Iſaiæ 61. Concionatores, qui de hoc argumento loquuntur, duos ſcopulos æque periculoſos debent evitare. Prior eſt, ne non ſatis amplam adſtruamus Scapularis ideam, & ne Confratribus non injiciamus ſalutis fiduciam, parem promiſſionibus, quas in hac re S. Virgo propoſuit. Alter autem eſt ne immodicam in illos immittamus confidentiam, quæ in temerariam degeneret præſumptionem. Ad utrumque ſcopulum evitandum in prima ſermonis parte oſtendam, Sanctum hunc habitum in mente Dei, & S. Virginis intentione eſſe veſtimentum ſalutis; videlicet certum pignus prædeſtinationis pro Confratribus, ſi uti opus eſt, eodem uti voluerint: *induit me veſtimento ſalutis:* in altera vero oſtendam habitum hunc eſſe habitum juſtitiæ, hoc eſt ſanctitatis. *Indumento juſtitiæ circumdedit me. P. Texier in diebus feſtis B. Virginis.*

IV.
Magnæ promiſſiones, quæ in parvuli habitus ſimplicitate continentur.

Sicuti Divinitatis character eſt conjunxiſſe in Myſteriis Religionis noſtræ ſimplicitatem cum reverentia, eſt etiam prærogativa Matris Dei ſimile fœdus conſtituiſſe in actionibus, quas fecit, & favoribus quos procuravit Eccleſiæ; quod videtur in Scapulari quod tribuit B. Stock. Nihil in ſpeciem ſimilius, ſed re ipſa nil majus, & auguſtius. Materia, & forma hujus habitus, Scapularis nempe, nil habent non commune; ejus tamen magnificentia videtur in promiſſionibus, quas Deiparæ adnectere placuit Sancto huic Scapulari, quia illud dedit tamquam *ſignum ſalutis*, & pollicetur fore, ut qui illud digne geſtaverint, ſuppliciis non deputentur æternis. Poteratne dicere aliquid majus, auguſtius, magnificentius?

V.
Inter ſigna prædeſtinationis, quæ haberi poſſunt in hac vita, & certiſſima eſt Scapularis devotio.

Sub hac idea reſpicere volo Sanctum hunc habitum, & oſtendere, unum ex maximis mediis ſalutis, & ex pignoribus prædeſtinationis, quæ habemus in Eccleſia, eſſe devotionem Mariæ in Scapularis Confraternitate, idque duplici ex cauſſa, 1. Quia Mariæ adnectere placuit ſpecialem protectionem huic Scapulari. 2. Quia peculiaris hæc S. Virginis protectio valida nobis tribuit ſubſidia ad faciendam ſalutem noſtram, ideoque noſtrum duntaxat eſt illa efficere certa.

Tridentinæ Synodi ſententia eſt Hæreticorum errores damnantis, neminem in hac vita, ſine peculiari revelatione Dei, certum eſſe poſſe perfecta certitudine, ſe eſſe ex numero Prædeſtinatorum; ſed hoc non prohibet, quominus Theologia nobis tradat duo hoc in argumento notanda; Primum eſt, quædam eſſe ſigna, & notas, quæ moralem quamdam ſecum gerunt certitudinem noſtræ prædeſtinationis; Alterum, inter hæc ſigna, veram, ſolidamque devotionem erga SS. Virginem,

principem locum tenere. Poſitis ergo duabus his veritatibus, quas omnes Eccleſiæ Patres probant, ita licet arguere: Quoniam S. Virgo apud Filium ſuum, & per Filium ſuum, ut S. Doctores inquiunt, eſt mediatrix ſalutis, diſpenſatrix gratiarum, fons, & radix electorum ſecundum ordinem, quem accepit a Deo, conſtans eſt, eos, qui arctiora habebunt vincula, & magis intimam unionem cum Deo, conſequenter certius ſalutis ſuæ ſignum habituros. At non minus certum eſt, illos qui Scapulari induuntur hanc habere unionem, & nexum ſpiritalem cum Matre Dei, igitur non injuria huic Scapulari applicamus Iſaiæ verba: *Induit me veſtimento ſalutis*. Prima propoſitio recepta eſt ab omnibus Patribus, atque Theologis, qui de devotione erga S. Virginem diſſeruerunt; quapropter illam ſuppono, neque cenſeo mihi eſſe in ea probanda immorandum. Altera vero, videlicet Carmeli Sodales habere peculiarem unionem cum Dei parente, probari poteſt tribus privilegiis, quæ in hac Sodalitate inveniuntur, quorum primum eſt particularis adoptio; alterum character, qui amorem inuuit ſingularem; tertium explicita promiſſio ſpecialis protectionis in iis, quæ ad ſalutem pertinent, & conſequenter promiſſio eſt abundantium gratiarum, quæ ſunt effectus hujus filiationis, & ſpiritualis amoris. Itaque ſuppoſita prima propoſitione tamquam præludio, fieri poteſt ex ſecunda argumentum, & partitio ſermonis de Scapularis Confraternitate.

VI. *Fortitudo, & decor indumentum ejus. Proverb. 31.* Neceſſitas prima uſum indumentorum invexit. Hominum politica mox uſa eſt, ut ſtatuum, & humanarum conditionum varietatem diſtingueret, & mundus tandem inde occaſionem luxus, & vanitatis arripuit. Sed ego dicere poſſum, Chriſtiana Societas, Eccleſiam illa conſecraſſe, cum habitu peculiari Carmeli Confratres a ceteris Chriſtianis diſtinxit, utpote per hoc peculiariter devotos ſervituti Domini, Dominæque noſtræ. Hinc dicere non vereor, hoc eſſe geſtare inſignia Matris Dei, & quodammodo indui S. Virgine, uti loquitur S. Bonaventura, cum quadam proportione, quemadmodum S. Paulus Apoſtolus Chriſtianos hortatur, ut induantur ipſo JESU CHRISTO ſeu ad fortitudinem, quam inde recipiunt, ut ſe tueantur ab inimicis ſalutis ſuæ, ſeu ad gloriam quæ illis cedit ex famulatu maximi omnium dominorum: *Induimini Dominum JESUM*. Hodie igitur dico, Confratres hunc habitum induentes, indui S. Virgine; quippe inde recipiunt fortitudinem, ut reſiſtant inimicis ſalutis ſuæ, ſimulque decorem recenſendi in albo famulorum hujus Reginæ Cæli, & terræ. Duo hæc privilegia feliciter conjuncta inveniuntur in veſtimentis mulieris fortis, de qua loquitur Scriptura, quæ ſignificat veſtes illius conſtituere robur ejus, & gloriam, & eſſe armaturam ſimul, & ornamentum. *Fortitudo, & decor indumentum ejus*. Quibus adjicit: *Et ridebit in noviſſimo die*. Quapropter fert animus vobis oſtendere, 1. Hunc habitum protegere confratres ab omnibus telis hoſtium inviſibilium, & in omnibus periculis. 2. Gloriam eſſe, & pulcherrimum ornamentum, & honorem, qui cedit illis, quippe qui tot titulis prorſus peculiaribus pertinent ad Mariam: & tandem quia hæc illis præbet certitudinem auxilii Matris hujus miſericordiæ in mortis articulo.

Scapulare eſt fortitudo & decor ornamentum illorum, & otie cauſa ſatiſfacit eorum in morte.

VII. Nihil utilius dici poteſt Carmeli Confratribus, quam illis oſtendere.

1. Scapulare eſſe pignus certiſſimum ſalutis eorum 1. Quia hoc pacto ingrediuntur in familiam Mariæ, & in albo filiorum, & ſervorum ejus ita numerantur, ut participes fiant omnium titulorum honoris Matris Dei, ſimulque omnium bonorum, & privilegiorum. 2. Quia juvantur orationibus plurimorum Confratrum omnium ſexuum, conditionum, qui precibus ſuis vim inferunt Deo, adjuti mediatione Mariæ.

2. Pignus eſt Mariæ, quæ in omnibus periculis opem ferre ſe adſtringit, 1. Contra inviſibiles ſalutis eorum inimicos, contra prava Mundi exempla, contra vitæ hujus caſus, quemadmodum pollicita eſt S. Simoni Stock: *Ut ſit ſalus in periculis*.

3. Medium eſſe efficientiſſimum ad obeunda omnia eſſentialia Chriſtianiſmi munera: 1. Quia devotio erga Mariam ſuapte natura inſpirat devotionem erga J. C. 2. Quia hæc devotio fons eſt gratiæ, quæ prodeſt ad implendum Evangelium: quia ſicuti conſilia magno ſunt adjumento ad præcepta exequenda propter gratias illis inhærentes; ita indulgentiæ, & benedictiones Mariæ ſervituti inhærentes deducunt ad praxim mandatorum Domini. *Sermo Manuſcriptus*.

VIII. Ad efficiendum juſtum elogium Confraternitatis Carmeli ſermo tres in partes dividi poteſt, & oſtendi in prima parte, admirabilem eſſe in Inſtitutione; Inſtituta fuit enim a S. Virgine, & in Cælo concluſa antequam confirmaretur in terra: quod probatur per apparitionem Deiparæ B. Stock, non relatam ſolum ab Auctoribus fide dignis, ſed ne quis dubitare poſſet, confirmatam a Summo Pontifice Joanne XXII. cui cum eadem S. Virgo apparuiſſet, illum admonuit muneris a ſe facti Scapularis Magiſtro Generali Ordinis, ut eſſet ſignum Societatis, vel Confraternitatis Montis Carmeli, eique præcepit, ut ſua auctoritate illum probaret. Rumor muneris inſueti, & adeo pretioſi, cum quocumque manaſſet, Carmelitis aſſociari cœpit infinitus mortalium numerus, ut qui Carmelitæ eſſe non poſſent profeſſione, tales eſſent affinitate & per gratiam obtinerent quod jure non poterant. Tunc Reges ipſi, & Principes hanc affinitatem popoſcerunt, & acceperunt inſignia; mox vero cum eorum exemplum excitaret populorum devotionem, brevi in omnem ſeſe effudit Eccleſiam. In hac autem Inſtitutione, quid non eſt admirabile, quandoquidem omnes hæ circumſtantiæ, totidem fuere miracula? Origo Cæleſtis eſt. Dei Mater bis apparuit, ut illam in terra ſtatueret: recepta fuit a Sancto, & data per Reginam Sanctorum, non tamquam inventum aliquod humanæ prudentiæ, ſed tamquam opus Sapientiæ divinæ: Virgo Sanctiſſima dedit illi ſuum nomen, & indumentum in pignus ſingularis protectionis ſuæ, Duratio ejus plura complectitur ſæcula, ejus extenſio in omnem fere late patet terrarum orbem, Denique victrix eſt temporis, & multo magis perſecutionum eorum, qui per errorem, vel per invidiam oppugnarunt eam: Omneſque perſecutiones non profuerunt, niſi ut illius claritas eniteſceret.

Confraternitas Scapularis eſt [illegible]

In puncto altero oſtendi poteſt, Confraternitatem hanc ſingularem eſſe in privilegiis ſuis, quoniam iidem Summi Pontifices, qui illam approbarunt, ea ſine numero illi conceſſerunt, quorum præcipua hæc ſunt 1. Participatio omnium bonorum operum, quæ fiunt a Religioſis Ordinis B. Virginis de Monte Carmelo: cum enim Sanctum hoc Scapulare inter utroſque fœdus conſociet, communia quoque facit eorum opera bona. 2. Indulgentiæ, quas tot Pontifices conceſſerunt huic Confraternitati, & quæ tanto ſunt in numero, ut omnes illæ, quæ conceſſæ fuerunt Fidelibus a Pontificibus eorum Prædeceſſoribus, ibi conjunctæ inveniantur. 3. Subſidium quod S. Virgo præſtat illis in omnibus periculis, & quod illis pollicita eſt, cum donavit Scapulare B. Simoni Stock, & dixit illi futurum, ut *ſit ſalus in periculis*, cujus promiſſionis effectus infinitis probatur miraculis, quæ operatur Deus in gratiam Confratrum, qui hæc gerunt inſignia. 4. Indulgentia illis in hora mortis conceſſa; ſi enim tot operatur prodigia in vitæ periculis, quid non agit, ut illis in mortis periculo ſubveniat; in quo prælium magis periculoſius eſt, & victoria infrequentior? 5. Maximum vero horum privilegiorum eſt promiſſio SS. Virginis eruendi ex Purgatorio Confratrum animas prima die Sabbati poſt obitum eorum; quod confirmatum fuit per quatuor Summos Pontifices, quorum auctoritatem probavimus, & oſtendimus nihil in dubium revocare poſſe revelationem.

In tertio puncto oſtendendum eſt, Confraternitatem hanc Sanctam eſſe quoque in officiis, de quibus Confratres curare debent, ut edoceantur, & multo magis, ut fideliter illis perfungantur.

Ad texendum elogium Scapularis B. Virginis, quod Confratres deferunt cum reverentia, aſſumi poſſunt pro textu verba illa *ex cap. 31. Proverb.* Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus, & oſtendi. IX.

Confraternitatis bona, & obligationes, quæ in ea contrahuntur.

Primum utiliſſimum eſſe adjicere qualitati Chriſtiani illam domeſtici, & ſervi peculiaris S. Virginis Scapulare ferentis; hæc prima veritas errorem excutiet eorum, qui hanc devotionem contemnunt, & putant infirmorum duntaxat ſpirituum eſſe propriam.

Secundo inutile eſſe, haberi pro domeſtico S. Virginis deferendo Scapulare, & dando nomen Confraternitati Montis Carmeli, niſi fideliter perfungatur munere boni Chriſtiani; quæ veritas altera illorum errorem auferet, qui perperam gloriantur de privilegiis huic devotioni inhærentibus; quia indui oportet duplicibus, & illius, qui JESU CHRISTI defert inſignia, & illius, qui gerit inſignia Mariæ. Ecce quales eſſe debeant famuli, & Socii ejus. *Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus*.

In puncto primo oſtendi poteſt 1. Utile eſſe ea adſcribi in Confraternitate, ubi melius ſatisfieri poteſt muneribus eſſentialibus, quæ cum Deo contracta fuerunt; 2. In qua validioribus rationibus excitari poſſumus ad pietatem, virtuteſque Chriſtianas; 3. Ubi per ſpecialem S. Virginis protectionem nobiſmet plures gratias, & benedictiones comparare poſſumus. Officium primum eſt adorare, & amare Deum, deferendo Scapulare, & ſatisfaciendo precibus ad quas perſolvendas Confratres tenentur, & vere magnum medium eſt adorare, amare, & ſervire, ac Deum glorificare. Hujus veritatis teſtis eſt Propheta, qui ait: *Laudate Dominum in Sanctis ejus*: Deus autem nonne melius agnoſcitur a nobis in operibus ſuis quam in ſe ipſo? Nos igitur magis excitamur ad illum laudandum videntes dona, quæ maxima poſuit in Sanctis ſuis, præſertim vero in Maria: ſi enim admirabilis eſt in illis, quanto admirabilior eſt in Matre ſua, Sanctus Bernardus inquit: *Quid mirum ſi Deus qui* Homil. ſuper Miſſus eſt.

Pſalm 150.

mira-

mirabilis logitur, & ternitur in Sanctis ſuis, mirabilem ſeſe exhibuit in Matre ſua? ita omnes Scapularis preces, cæremoniæ quæ fieri conſueverunt, obligatio parvum habitum deferendi, nobis ob oculos ponunt exquiſita dona, quæ Dominus conceſſit Matri ſuæ; & inde occaſionem nanciſcimur adorandi Creatorem, qui adeo perfectam creaturam effinxit. Ratio altera eſt, quod Eccleſia illuminata, & Spiritu ſancto afflata excitatur ad eo majorem honorem Mariæ deferendum, quo JESUS CRISTUS videtur non ſatis illam in vita ſua mortali coluiſſe. Cum modo vero ille glorificatus ſit, vult Mariam glorificari laudibus, quas illi præbent Scapularis Confratres; hinc audita ſunt Templa in illius honorem dicata perſonare Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, & fideles omnes excitati ſunt ad virtutes illius imitandas: atque hinc benedictionibus cumulati fuerunt. Quomodo enim cum Maria non reſpiceret tamquam cariſſimos ſibi Filios eos, qui illam peculiari cultu proſequuntur? Gratiæ exquiſitiſſimæ, quarum ipſa diſpenſatrix eſt, nonne reſervatæ ſunt pro hac portione, quæ vocari poteſt una ex maximis præclaris gregis Dominici, eo uſque ut fidem ſuam obligaverit, ſe non permiſſuram eum perire, qui omnia obiret munera S. Confraternitatis adjectis officiis per Evangelium perſcriptis.

Pro ſecundo puncto poteſt oſtendi inutile eſſe Confraternitati Carmeli nomen dare, niſi perfecte adimpleantur hominis vere Chriſtiani officia. 1. Maria enim non protegit eos, qui bellum indicunt Filio ſuo, niſi eorum ab illo petens converſionem, vel opem ad perfecte exequenda Evangelii placita. 2. Quia illuſio eſt, credere opera ſuperarogationis Confraternitatis alicujus ſupplere officiis eſſentialibus Religionis, quæ omittuntur. Hæ duæ ſunt illuſiones oppugnandæ, altera Confratrum, qui abſolute collocantes ſalutem ſuam in confidentia, quam habent in S. Virgine ſibi pollicentur, eam quatenus ſupremam omnium gratiarum dominam conceſſuram eſſe Cælum independenter a Filio, quamvis totam vitam in ſcelere, & nequitia tranſigerent. Putant, ſibi recitantibus aliquas orationis formulas, & deferentibus Scapulare, nihil eſſe metuendum, quamvis in ſcelere volutentur. Non ingens eſt numerus ita credentium; ſed illis hic error auferendus eſt, oſtendendo, alleita erga Mariam devotione ipſos ſalvatum non iri, niſi convertantur; devotionem hanc erga Dei Matrem non eſſe ſinceram, niſi conentur converſionem ſuam obtinere per mediationem ejus, per ſubſidium orationum Confraternitatis, & proprias preces; & revera validiſſimam rationem ad obtinendum tempus pœnitentiæ faciendæ, & gratias ad id neceſſarias, eſſe confugere ad hanc miſericordiæ Matrem nomen dando Societati Scapularis. Confundimini ergo peccatores, & nihil ſperetis a Maria, vos qui per aſſertam in illius ſervitute aſſiduitatem exiſtimatis comparaſſe vobis jus impune laceſſendi Filium ejus; vos, qui deferentes inſignia, non ideo minus impatientes eſtis, vel minus invidi, ultores, avidi nocendi inimicis veſtris; ſed conſolamini peccatores, qui ad evitandam Dei irritati juſtitiam aſylum quæritis apud Sanctam illius Genitricem, ut vos cum illo in gratiam conciliet. Laudes Mariæ placere non poſſunt in ore peccatoris obſtinati, & impœnitentis. Quilibet Confrater ab illa ignoratur, cum taliter affectus eſt; ſed laudes peccatoris ad Patrem redire quærentis, & ad id opem Matris hujus miſericordiæ deprecantis, benigne ab illa excipiuntur. Altera illuſio eſt credere, opera ſupererogationis ſupplere operibus eſſentialibus Religionis, quæ per licentiam omittuntur: nonne J. C. e contra docuit; *Oportuit hoc facere*, quod in lege præcipitur, *& illa non omittere*, quæ tamquam media facilius efficiunt Dominicæ legis complementum. Conjungenda ſunt Religionis officia cum officiis Confraternitatis: ſandem enim omnium Societatum prima eſt illa Fidelium, unum cor, & unum ſpiritum componentium. Societates aliæ S. Virginis in illa inſitæ ſunt; harum meritum magnum eſt, cum hæc ſpiritualia ædificia non ſeparantur; ſed per prioris illius ſubtractionem, quod tamquam fundamentum ſubſternebatur, alterum neceſſario corruit. *Elogia hiſtorica anni ſetius.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Sermonum Synopſes exornandas.

Aſcetici aliique.

TRiplex corona Patris Poire tract. 5. c. 52. ubi de Ordine Fratrum Prædicatorum.

P. Craſſet libro de vera devotione erga S. Virginem part. 2. tract. 6. ubi commendat praxim Scapularis.

P. le Jenue Oratorii Presbyter ſermonem habet, vel potius tractatum hujus argumenti.

P. Theophilus Renaud in 7. Tomo operum, cui titulus, *Marialia*, librum integrum habet de Scapulari, ubi illius originem probat; affert Summorum Pontificum auctoritatem, privilegia Ordini conceſſa, & Confraternitati; & ubi collegit quidquid hoc in argumento dici poteſt.

Concionatores recentes.

P. Daniel a S. Joſeph, Carmelita, in Tomo Panegyricorum unum habet de Scapulari.

P. Nicolaus Divionenſis Capuccinus inter Panegyricas orationes de Myſteriis Virginis unam habet de Domina Noſtra Carmeli.

In Elogiis hiſtoricis, duo ſermones hujus argumenti inveniuntur.

P. Texier in ultimo ſermone de Myſteriis S. Virginis loquitur de Scapulari.

Biroat in Tomo 2. Myſteriorum.

Pater de la Colombiere in Tomo 2. Sermonum.

Auctor ſermonum in omnia Argumenta &c. in Tomo Myſteriorum B. Virginis.

Domnus de la Volpiliere.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & figuræ, quæ huic Argumento applicari poſſunt.

D*Ediſti mihi protectionem ſalutis.* Pſalm. 17.

Fortitudo, & decor indumentum ejus, & ridebit in die noviſſimo. Proverb. 31.

Domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus. Proverb. 31.

Indumento juſtitiæ circumdedit me. Iſaiæ 61.

Exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis. Iſaiæ 61.

Induere veſtimentis gloriæ tuæ, Jeruſalem. Iſaiæ 52.

Velut ornamento veſtieris. Iſaiæ 49.

Expandi amictum meum, & operui ignominiam tuam. Ezechiel. 16.

Induit eum ſtolam gloriæ. Eccli. 45.

Speciosis induere veſtibus. Jobi 40.

In electis meis mitte radices. Eccli. 24.

Et radicavi in populo honorificato. Ibidem.

Novit Dominus, qui ſunt ejus. 2. ad Timoth. 2.

Vide utrum tunica filii tui ſit, an non. Geneſ. 37.

Figuræ, & exempla antiqui, & novi Teſtamenti ad hoc Argumentum pertinentes.

S. Virgo dans habitum Confratribus Carmeli facit aliquid ſimile ei, quod fecit Rebecca cum Jacob.

NEmo unus ignorat, qua cura olim Rebecca, ut Jacob filium ſuum natu minorem indueret veſtibus Fratris ſui primogeniti, ut obtineret benedictiones Patris ſui Iſaac. Hæc eſt figura illius rei, quam S. Virgo operatur, cum recipiens Confratres Carmeli in Sanctam hanc ſocietatem, & dans illis hoc Scapulare illos locupletat meritis Sanctitatis Eliæ, & omnium Sanctorum, qui vixerunt in hoc Ordine, qui omnium eſt in Eccleſia vetuſtiſſimus. Præterquamquod quilibet Confrater, qui recipit, & gerit hoc indumentum particeps fit meritorum aliorum omnium generatim, & ſingulorum in particulari, quod bonum eſt incomparabile, & theſaurus, qui ſatis æſtimari non poteſt.

Veſtimentum, quod S. Virgo donavit Confratribus, quo in re differat ab illo, quo Dominus induit Adam ejiciens eum de terreſtri Paradiſo.

S. Chryſoſtomus in homilia quadam in Geneſim animadvertit, primam veſtem, qua Deus induit hominem peccatorem, illum corio induens, ſignum fuiſſe iracundiæ illius; etenim per hoc ſignificare voluit, ipſum amiſſa originali juſtitia, quæ erat veluti purpura regia, quæ denotabat imperium, quod habebat in ſuas cupiditates, & in omnes creaturas redactum fuiſſe in ordinem brutorum. Ubi S. hic Pater egregie animadvertit, filios ſæculi injuria partem gloriæ ſuæ in veſtium magnificentia conſtituere; hæc enim eadem veſtimenta, quibus ſe tegunt, ſigna ſunt criminis ſui, & paupertatis, quam celant. Hoc aliter accidit in Scapulari, quod Maria tradidit Religioſis Sancti hujus Ordinis de Carmelo, & omnibus Confratribus, qui illud de manibus eorum acceperunt; quoniam hoc eſt indumentum illi ſimile, de quo loquitur Iſaias: videlicet indumentum ſalutis, quod ſecum gerit notam prædeſtinationis: *Induit me veſtimento ſalutis.*

Veſtimentum, quo Virgo Beata dignata eſt Confratres noto eſt amoris & peculiaris benevolentiæ, non ſecus ac Parentes amorem ſuũ teſtantur diviſem illi tunicã præparantes.

Videtur primus motus, quem natura inſpirat cordi parentum erga filios, eſſe comparare illis indumentum, quemadmodum videmus in Evangelio prodigi Filii patrem, vix illius fuiſſe miſertum, cum famulis ſuis præcepit, ut *cito proferrent ſtolam primam*. Ita Jacob Patriarcha oſtendit ſingularem benevolentiam erga Joſeph donans illi veſtem, qua ab aliis fratribus diſtingueretur. Anna Propheteſſa hoc ipſum præſtitit Samueli filio ſuo; & creditur glorioſa Virgo propriis adlaboraſſe manibus veſtimentum, quo Mundi Salvator toto vitæ ſuæ ſpatio indutus eſt, ita ut credi poſſit ſpecialis adoptionis notam, qua communis hæc Chriſtianorum Mater erga eos, qui illi in hac Societate ſubſerviunt, eſſe, dediſſe illis hoc Scapulare, quia ſignum eſt tenerrimæ affectionis, & curæ pro eorum ſalute.

Figura maxime naturalis, quæ inveniri poſſit in Scripturis ad hoc pertinens argumentum, quæ eſſe poſſit exemplo, illa eſt S. Prophetæ Eliæ, quem Ordo Carmeli agnoſcit Inſtitutorem ſuum, & cujus ſpiritum Confratres huic Ordini aſſociati debent aſſumere, habitum præ ſe ferentes. Magnus hic Propheta raptus igneo curru, & in locum ignotum tranſlatus, reliquit pallium ſuum Eliſeo ſuo Diſcipulo; qua re fecit illum hæredem duplicis ſpiritus ſui, quemadmodum Eliſeus enixe flagitaverat. Ecce naturalis imago rei ejus, quam fecit B. Virgo erga Confratres Carmeli: Dedit illis habitum, pignus amoris ſui, & cum habitu duplicem ſpiritum

Eliæ Prophetæ; videlicet zelum pro Dei, Sanctæque Matris ejus ſervitio, quo quodammodo induuntur recipientes Scapulare.

S. Gregorius Nazianzenus loquens de pallio, quod Elias reliquit Eliſeo diſcipulo ſuo, cum in Cælum raptus fuit, illud ſpecioſo nomine appellat, *Pretioſam Prophetæ hereditatem*; Erat enim totum id, quod poſſidebat in terra; & hoc pallium induit, ut ita dicam, Eliſeum duplici ſpiritu magiſtri ſui, quia deinceps factus fuit hæres officii, & dignitatis. *Unctio facit Prophetam; pallium autem contubernalem, & ſocium.* Hoc eſt Cæleſte illud pallium, quod deferentibus illud tribuit duplicem ſpiritum SS. Virginis, videlicet puritatis, & caritatis; puritatis quidem pro corpore, caritatis autem pro ſpiritu; pallium eſt quod inhibet curſum libidinum; pallium, quod eos qui teguntur illo, facit fratres, & ſocios Eliæ, habitatores Carmeli, ſubditos & ſervos Mariæ.

Sanctus.

Carbatter dicere poſſunt S. Virgini, quod Abraham Saræ conjugi ſuæ, quod ſoror eſſet illius.

Legimus in Scripturis, Abraham veritum, ne in Ægypto, in quam tamquam advena, & ignotus ingrediebatur contumelioſius exciperetur, perſuaſit Saræ conjugi ſuæ, ut ſe illius ſororem diceret, ad prævertendum periculum, quod ſibi noverat evitandum: *Dic obſecro, quod ſoror mea ſis, ut vivat anima mea ob gratiam tui.* Religioſi, & Confratres Carmeli eadem confidentia poſſunt illi dicere: Scis S. Virgo, quæ pericula noſtræ immineant ſaluti; ſcis nos ſepros eſſe inimicis viſibilibus, & inviſibilibus, qui in interitum noſtrum conjuraverunt; dic, obſecro, te noſtram eſſe ſororem, ut evitemus laqueos, & in tuto vivamus. Hoc a te petimus non ſine quadam juris ſpecie, quandoquidem dignata es nos hoc nomine, ac titulo fratrum tuorum, ac illum nobis impoſuiſti per ſingularem prærogativam, & nobis habitum hunc dediſti pignus tuæ protectionis; *Mea Confraternitatis ſignum.* Habebitur ratio hujus qualitatis, & nos hoc titulo adhærebimus J. C. cui ſemper erit cariſſimus. Jam pertinemus ad illum tamquam membra myſtici Corporis ſui, ſed locupletius pertinebimus propter duplex hoc fœdus, cum ſimus etiam fratres illius, & Mariæ filii.

Plura exempla Scripturæ, ex quibus conſtat de veſtibus, quæ h... in uſu, & diſtinctione habituum.

Credidit Origenes Deum dantem veſtimenta primis parentibus noſtris apertius oſtendiſſe, ſe illorum parentem eſſe, a ſe illos amari, ac ab illis ſibi vitam deberi: *Veſtiiſſe, paternæ magis oſtendit viſcera, quam procreaſſe.* Jacob amavit Joſeph filium ſuum præ ceteris fratribus, atque ut hunc illi teſtatum faceret amorem polymita eum induit tunica. Hoc ipſum præſtitit Anna Samueli filio ſuo, & poſtquam prodigus filius veniam exoravit a Patre, ſenex ille bonus illum ſtola prima donavit. Si amoris ſignum eſt, indumenta filiis ſuis dare, mirum eſſe non debet S. Virginem ſuis dediſſe. Utimur veſtibus vel ad aeris propulſandas injurias, vel ad qualitatem, ac munus indicandum. Magiſtratus aliis utuntur indumentis domi; aliis in forum prodeuntes. Prima ſunt egeſtatis remedia, alia ſunt dignitatis ornamenta. Æquo igitur ferendum eſt animo a S. Virgine illos exornari, qui ſunt ſui, ad illos protegendos ab aeris inclementia, & ad oſtendendam qualitatem, quam habent tamquam particulares ſervi ſui. Neque ſolum ratio probat hanc conſuetudinem induendi ſuos, ſed etiam Dei Lex: præcipit enim Sacerdotibus legis antiquæ deferre veſtes peculiares ad illos a Laicis ſecernendos, & ut liqueret, illos Altarium cultui dicatos eſſe. Hic idem ſpiritus Dei Eccleſiæ inſpiravit omnes hos ornatus, quibus per annum decoratur, & hanc formam indumentorum, qua Eccleſiaſtici, & Religioſi diſtinguuntur. Ejuſdem afflatu primitiva Eccleſia alba veſte amiciebat Baptizatos, & qui Chriſtianam profitebantur ſapientiam deferebant Pallium, de quo Tertullianus tantopere gloriabatur.

Veſtimenta, quæ Viduæ pauperes receperant a Dorcade, & quæ oſtenderunt S. Petro, applicari poſſunt huic argumento.

In Actis Apoſtolorum narratur, bonas viduas, ut in S. Petro miſerationis ſenſum excitarent erga Dorcadem, quæ recens obierat, oſtendiſſe illi veſtimenta, quæ S. Mulier illis, dum viveret, largita fuerat. Hoc exemplum ad rem noſtram ſingulari modo applicari poteſt. Opus eſt proculdubio, ut Carmeli Fratres æque ac alii Chriſtiani divinæ ſatisfaciant juſtitiæ pro pœnis debitis ſceleribus ſuis, antequam æterna perfruantur gloria. Sed unus ex favoribus, vel potius magnum, & ſingulare privilegium eorum, qui adſcripti ſunt huic Confraternitati eſt, non diu in luſtralibus languere flammis, ubi permanent alii, donec ad extremum uſque quadrantem ſatisfecerint juſtitiæ divinæ; promiſſio enim a S. Virgine Confratribus facta non ſolum coarctatur ad finalem ipſis gratiam procurandam, & illos certos faciendos æternæ felicitatis, verum etiam ad breviores efficiendas illorum pœnas, & ad omnino liberandas animas eorum prima ipſa poſt mortem die Sabbati. Puto igitur illas præſentare Domino noſtro Scapularia, quæ receperunt a SS. Virgine, cum quibus Dei animum molliunt in gratiam ſuam oſtendentes illis hæc inſignia, & mihi videntur eorum ſinguli in Purgatorio eamdem pro ſe orationem facere, quam Dei Filius facit per Prophetam pro ipſo: *Salvum fac filium*

Pſalm 85.

Ancillæ tuæ. Ne derelinquas filium ancillæ tuæ; hauri ex hoc loco juſtitiæ tuæ deſtinato, Mariæ Confratrem, quæ promiſit ſe illi opem laturam in hac neceſſitate,

Applicatio quorundam locorum Scripturæ huic Argumento.

Habitus Carmeli veſtimentum eſt gloriæ, ſignum enim eſt eum, qui induitur, famulum eſſe Deiparæ.

INduere veſtimentis gloriæ tuæ, Iſaiæ 52. Olim in ſervorum indumentis imprimebatur nota ſervitutis eorum, quæ turpis erat illis: ſervitus enim erat noviſſimum opprobrium; *ſervum caput, nullum caput*; dicebatur vulgo, quaſi ſervus in hominum numero non haberetur. Longe aliter ſentiendum eſt de ſervitute Dei. Dei enim ſervus tantus eſt, & in loco ita ſublimi poſitus, ut omnia creata illi neceſſario ſubjecta ſint, & per ipſam naturæ ſuæ conditionem. Ita geſtant notas impreſſas in eſſentia ſua, quia neceſſario pendent ab illo. Itaque gloria ipſorum eſt, illi ſubjici, neque majorem recipere honorem poſſunt, quam illi ſerviendo, & ſemet illi devovendo; itaque quo propius ad Deum pertinemus, quo magis ſpeciali aliquo titulo ad Deum accedimus, eo majores ſumus, eo majori habemur in reverentia, eo majora habemus magnitudinis ſigna. Sed parvulus Montis Carmeli habitus una eſt ex his authenticis notis, univerſo mundo probatiſſima arctius inhærens ſervituti SS. Virginis; inde igitur ſequitur, hoc eſſe indumentum gloriæ, veſtimentum honoris, ornamentum, quod ceteras omnes qualitates commendat, & quod quicumque aliquem habet Religionis ſenſum, reſpiciunt, & venerantur tamquam aliquid ſanctum, & ſacrum.

Hic habitus eſt fortitudo & præſidium illum gerentium.

Fortitudo, & decor indumentum ejus. Prov. 31. Non ſola eſt illa relatio, quæ invenitur inter parvulum Montis Carmeli habitum, & communem uſum aliorum indumentorum, quæ me dicere cogit indumentum illud quod gerunt Confratres, eſſe eorum fortitudinem, præſidiumque. Veritas hæc innititur ſolidiſſimis rationibus, quarum potiſſima eſt, hunc habitum aſſumere, idem eſſe ac indui fortitudine, & virtute Filii Dei ipſius, & SS. Matris ſuæ, & ſicuti illum non ſumunt niſi ut mereant ſtipendia ſub inſignibus S. hujus Virginis, hæc illos protegere, & tueri pollicetur, & in hoc ſenſu, eſt illorum fortitudo; quia hæc loquendi ratio a Spiritu ſancto conſecrata eſt: *Fortitudo indumentum ejus*; eodem ferme pacto, quod Theologi dicunt, Deum uti cum aliquibus Sanctis, qui ſunt quodammodo inacceſſibiles, vel impenetrabiles telis inimicorum ſuorum; quam Doctores exteriorem appellant gratiam, quæ ſita eſt in amovendis omnibus pereundi occaſionibus, & periculis, quibus alii ſunt obnoxii; vel in illis ita valide protegendis, ut nunquam ſuccumbant: hoc ipſum, inquam, ferme de hoc indumento dicendum eſt; quod eſt velut tutela Reginæ cæli, quam hoſtes verentur, & quæ immunes efficit a contumelia eos, quibus illa gratificari voluerit. Quomodo vero iſtud? quia cælorum Regina nobiſcum ſe gerit, ut Principes, & Reges erga illos qui ſui ſunt, vel eorum protectionem implorant. Honor ſuus illos adegit, ut hos tueantur, & Regi ipſi infert contumeliam, qui perſequitur illos, quibus perfugium patet in ædes Regias. Ita ſe gerit cæli, terræque Regina. Carmeli Confrater ut ita dicam, illius domeſticus eſt, & ex numero Familiæ ipſius, ejuſque gerit inſignia. Intereſt ergo S. Virginis illum tueri, & ut inquit Propheta, eum viribus omnibus protegere. Quid ergo cogitandum eſt de illis, qui hoc Scapulari induuntur? niſi quod plane declarant ſe ſequi cæli, terræque Reginam, & ſe quodammodo juſtos eſſe per ſtatum & profeſſionem, & etiam a juſtorum vulgo diſtingui? Qui in mundo vivunt cum virtute ſunt quidem ſervi Matris Dei; ſed Fratres Carmeli, ſunt de illius familia; ſunt ejus domeſtici, illius geſtant inſignia, illam ſemper ob oculos habent, & ſi hæc felicitas illos non protegit ab inſultibus inimicorum ſuorum, nunquid inficias ibit aliquis non modicam illi opem afferre tantæ Virginis patrocinium.

Hæc indumentum peculiarem habet vim protegendi eos, qui illud gerunt contra ſalutis inimicos.

Dediſti mihi protectionem ſalutis. Pſal. 17. Hoc S. Rex David dicebat Deo, ipſum ſibi protectorem, & præſidium eſſe in omnibus periculis, in quibus ſalus, & vita illius periclitabatur; ſed hoc Fratres Carmeli dicere poſſunt Virgini Sanctiſſimæ hoc ſe habitu munientes; quoniam peculiarem habet virtutem propugnandi illos ab impreſſionibus mundi, & ab inimicis ſalutis eorum. Omnes ad beatam anhelamus æternitatem quatenus viatores tendentes in cælum, alii per aliam viam. Verum cum minime deſint plurimi inimici, qui aditum nobis obſtruere conantur; proprie contra illorum inſidias, laqueos, incurſiones SS. Virgo nos protegit, eorum infringit conſilia, technas aperit, conatus eludit, & inutiles facit; ſive inimici illi inviſibiles ſignum hoc agnoſcentes non audeant illos tam crebro adoriri, nec tanta vi; ſive S. Virgo procuret filiis ſuis adeo valida ſubſidia, ut victoriam referant in difficillimis certaminibus, ac moleſtiſſimis tentationibus. Quomodocumque id fiat, ſemper dicere poſſum, ſi quis eſt, qui celerem opem ſibi polliceri valeat in periculoſiſſimis caſibus, hos illos eſſe, quibus Regina cæli ſe præſtituram recepit per hæc verba: *Ut ſit ſalus in periculis.* Igitur paulisper attendite, ſervi Reginæ cælorum, promiſſionem hanc adeo amplam, conſtantem, ſimulque perutilem: Mater Dei hoc pol-

licita

licita eſt. Ut de illius poteſtate, atque auctoritate dubitaremus, ignorare opus eſſet, quænam ſit Dei Mater, & quæ ejus potentia apud Filium, cujus omnipotentia nullis finibus coarctatur. Sed quis nos certos efficere poſſit adeo validæ protectionis? Confratres Carmeli non innituntur fidei S. Bernardi, neque aliorum SS. Patrum, qui æque ſcientia, ac ſanctitate celebrantur; ſed verbo hujus Matris miſericordiæ, quæ ſollemniter adeo fidem ſuam obligavit in gratiam fratrum, & filiorum ſuorum. Omnes illi Summi Viri magnifica profecto nobis proponunt elogia Reginæ Cæli, ſed nemo illorum pollicetur fore, ut erga aliquem peculiariter hac uti velit poteſtate. Profecto nunquam dubitavi, quominus illi, quos S. Virgo in ſuam clientelam ſuſciperet, ſecuri eſſent contra inimicos, qui ipſorum adverſantur felicitati; eoſque in poſſeſſionem adduceret æternæ felicitatis contra omnes illorum conatus; ſed quænam eſt ratio protectionis hujus ſibi promerendæ? Quod haberi poteſt hujus certitudinis pignus? Hoc ipſa nobis oſtendit: *Recipe Confraternitatis meæ ſignum: ut ſit ſalus in periculis.* Recipe hæc inſignia, fac ut ex hoc ſigno, ſed multo magis, ex virtutibus tuis, boniſque moribus intelligant omnes te ad Dei Matrem pertinere; unde enim tutius pignus haurire potes, quandoquidem arrham ſibi adeo authenticam præbet, cujus exempla, quæ ſingulis ferme diebus accidunt, nos non ſinunt ambigere. Alienæ cauſſæ nobis eſſent inquirendæ, Fratres cariſſimi ad certam adeo, validamque protectionem promerendam? At enim, inquies, in hac vita ſemper metuendum eſt; cum enim ſalus noſtra adhæreat finali perſeverantiæ noſtræ, quæ mere gratuita gratia eſt, quam mereri nullo poſſumus modo, & quam cum certitudine nobis polliceri non poſſumus; quod privilegium, quam utilitatem hac in re habere poſſunt Confratres Carmeli? Hoc autem illud eſt, quod S. Virgo explicitis verbis, vel ſaltem æquipollentibus promittit, ſe non permiſſuram, ut qui per hoc Scapulare ſocietatem cum ipſa fecerint, æternam damnationem ſuſtineant: *In quo quis moriens æternum non patietur incendium.*

Quæ conſolatio Carmeli Confratribus eſt moraliter certos eſſe prædeſtinationis ſuæ juxta Virginis promiſſionem.

Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus. Iſaiæ 8. Quæ conſolatio eſt hunc gerentibus habitum cogitare in incertitudine, in qua ſunt omnes homines æternæ ſuæ felicitatis, & utrum in æternum digni futuri ſint amoris, vel odii, habere adeo pretioſum pignus prædilectionis ſuæ, & quamdam certitudinis ſpeciem per honorem quem habet pertinendi ad Matrem Dei tamquam principes ex famulis ejus, tamquam dilecti fratres illius, & tamquam filii, quos ampliori, quam ceteros, dilectione complectitur! Quæ felicitas! & quæ impreſſio fieri non debet in corde illorum per ſpem adeo ſolide inſtitutam? Tandem enim, ſi Dei Filius non daret hæreditatem gloriæ ſuæ meritis filiorum, illam concederet in conſiderationem meritorum, & precum Matris, cum hæc illi præſentans innumeram multitudinem perſonarum ex omni ſexu, & conditione, quæ hoc ſignum deferent, dicet hæc Iſaiæ Prophetæ verba. *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus.*

Hoc Induere Scapulare eſt quodammodo induere S. Virginem ſicut nos hortatur Apoſtolus, induamur J. C. Pſalm. 44. ad Rom. 13.

Quotquot baptizati eſtis, CHRISTUM induiſtis. S. Paulus nos docet Chriſtianos baptizatos indutos eſſe JESU CHRISTO per gratiam ſanctificantem; ſimiliter dico, quodammodo Confratres Sanctum hunc habitum aſſumentes, indui poſſe Maria, quæ illis ſuas communicat virtutes, & extendit ſuper illos aureum hoc veſtimentum, hoc eſt perfectam caritatem: *In veſtitu deaurato, circumdata varietate;* & ſicut Apoſtolus hortatur primo fideles, ut induantur JESU CHRISTO tamquam veſtimento, ut ſeſe tueantur: *Induimini Dominum JESUM,* & dicere poſſumus, hoc indumentum devote gerere, idem eſſe quodammodo ac indui glorioſa Virgine, hoc eſt, ſub illius protectione verſari..

Quomodo, & quare hic habitus glorioſus eſt illum deferentibus.

Stolam gloriæ induet eum. Eccleſ. 45. Si in primitiva Eccleſia prorſus ſingulari veſte amiciebantur, qui baptiſmum recipiebant ad ipſorum innuendam innocentiam, & quanti illi ipſi facerent incomparabilem hanc felicitatem; ſi qui ad Martyrium proficiſcebantur, magnifica induebantur veſte, & pretioſiſſimis induti ornamentis diem illum tamquam triumphalem celebrabant; ſi in Cælo Beati ſtola gloriæ operiuntur, ut inquit Scriptura, dicere audebo, Fratres, habitum, quem geritis omnia hæc bona complecti, & in ſe colligere omnes honoris notas in ea ſocietate, cui nomen dediſtis. Hoc temere non dicam: primum enim deſignat vitæ innocentiam, quæ ducitur in ordine Carmelitarum, & quam ducere debent omnes, qui Sancto huic ordini aſſociati ſunt, & qui ſeſe obligant vitæ ſanctiori, & magis Chriſtianæ obſervandæ, quatenus peculiariter devoti cultui, & ſervitio S. Virginis, & conſequenter Dei. Quod ſi vera gloria poſita eſt in virtute, & ſanctitate; nonne ſequitur, habitum hunc eſſe vere glorioſum, quia non ſolum ſignum eſt, ſed obligatio eſt ſeſe talem intrinſecus præbendi qualem ſe extrinſecum futurum profitetur; & hoc habet commune cum indumento, quod ſumitur poſt ſuſceptum Baptiſma, quod *pactum eſt vitæ novæ,* ut loquitur S. Cyprianus, contractus, qui fit cum Deo, & S. Virgine, quo utrique pollicemur, nos Chriſtiano ritu non ſolum victuros, ſed quaſdam praxes ſupererogationis peculiari devotione obſervaturos. Quod ſi ingens eſt gloria Chriſtiane vivere, ut ait Princeps Apoſtolorum; quæ gloria eſt Chriſtiano eſſe perfectiorem; & habitus, ex quo cognoſcitur, nonne habendus eſt, tamquam honoris indicium? 1. Petri c. 4.

Hondry Bibl. Conc. Theol. de Myſter. Tom. III.

Ut veri ſint Confratres cultum J. C. cum Mariæ cultu conſociare debent.

Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus. Prov. 31. Veſtiri duplicibus voco, conjungere Filii devotionem cum devotione Matris, fidelem eſſe mandatis JESU CHRISTI, & praxibus pietatis, quæ tendunt ad augendum cultum, & honorem Mariæ debitum. *Omnes domeſtici ejus indui debent duplicibus;* hoc eſt utile eſt Chriſtianum adſcriptum eſſe Confraternitati Carmeli, vel alterius cujuslibet ſocietatis, quæ Sanctam honoret Virginem, dummodo ſibimet repræſentans ſe eſſe Confratrem, non obliviſcatur ſe eſſe Chriſtianum, & perfungens officiis Sanctæ hujus Societatis, fungatur munere ſtatus ſui; & perſecutus opera ſupererogationis non negligat primas Chriſtiani obligationes; & faciens voluntatem Dei, faciat quoque voluntatem illius, quem Deus extulit ſuper omnes mulieres; denique dummodo non ſejungat Dei cultum a cultu Mariæ, & non quærat diſpenſari ab Evangelicis inſtitutis, quia Scapulari inſignitus eſt. Utrumque connectere, id voco indui duplicibus. *Omnes domeſtici ejus &c.*

Ut plurimum non aſſequimur ſpiritum Confraternitatum, & ſufficis nobis exteriora obire officia illis inhærentia.

Filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. Luc. 16. Hoc eſt, prudentius noſmet gerimus in iis adminiſtrandis, quæ terrena ſunt, quam in iis, quæ ad ſalutem, & evangelicam perfectionem reſpiciunt. Perrarum eſt inveniri, qui ſeſe implicet itineri, quin prævideat pericula, & quærat, quam viam ſequi oporteat; nihilominus nonne hoc ſæpiſſime uſuvenit illis, qui ſeſe Confraternitatibus implicant, & potiſſimum illi Scapularis? Alii vel domeſticis vel alienis implicantur exemplis; faciunt, quod ab aliis fieri vident; quæ quidem agendi ratio non eſſet improbanda, ſi bona illorum opera, quæ imitantur, tantum illos moverent, quantum exterior pietas eorum; ſi reſpicerent hanc ſocietatem tamquam medium aliquod ad bene vivendum, & minus captandam per hæc ſymbola, quæ ſenſus perſtringunt, nominis celebritatem, quam per virtutes, quæ emundant animas, & Domino reddunt acceptiores. Sed de hoc nemo ſollicitus eſt. Semper adſcribi cupimus in faſtis Confraternitatis: aſſervamus in cubiculo imaginem aliquam S. Virginis: recitamus, ſed indevote preces nomini ejus dicatas; diebus quibuſdam a carnium eſu abſtinemus: hæc ſatis. Imitantur ſimiles nuces in cortice, & ad litteram, non alia mente niſi extrinſecus faciendi quod faciunt: quaſi nondum adveniſſet hora, qua Deus eſt in ſpiritu, & veritate adorandus: quaſi cultus Mariæ debitus in exteriori praxi terminandus eſſet, quin cor illius particeps eſſe oporteret.

PARAGRAPHUS IV.

Quid ex Theologia depromi poſſit hoc in argumento.

Quid ſit devotio Scapularis, & quæ ejus inſtitutio.

Si noſſe vultis quid ſit iſta devotio, cujus inſignia feruntur per Scapulare, dicam, hoc eſſe huic Ordini conſociari per communicationem glorioſorum titulorum, Servorum, fratrum, filiorum SS. Virginis, quia hoc eſt inire cum hoc Ordine Sanctum pietatis commercium, & fieri participem omnium bonorum operum, quæ in eodem ordine fiunt, & ſe cum illis conjungere in eumdem finem colendi Mariam, & obſequium debitum præſtandi Sanctiſſimæ omnium creaturarum. Dixi, hoc medio illos admitti in ordinem Servorum ejus, qui ejus deferunt inſignia, & qui perſonæ illius ſunt proximi; ideoque illa curam gerit ſalutis eorum; quoniam ad eam pertinent titulo prorſus alio, quam reliqui fideles. Ratio eſt, quia cultus, quo illam venerantur, non eſt inventum aliquod humanæ pietatis; ſed opus electionis Reginæ Cæli. Unde ſequitur, ſicuti ea, quæ ſunt divinæ inſtitutionis, aliud pondus habent, quam quæ ſunt Eccleſiaſticæ, vel quæ fidelium pietas invexit; ſimiliter hæc ratio ſeſe conſecrandi cultui Virginis Sanctæ cum ab illius voluntate proficiſcatur, & ſit, ut ita dicam, inſtitutionis ſuæ, incomparabiles gratiæ, quæ illi adhærent certiores ſunt: Etenim quamvis Summi Pontificis approbatio ſit neceſſaria ad probandam hanc praxim ſecundum poteſtatem, quam recepit a Deo, tamen de Cælo deſcendit, & inſtituta fuit per Matrem Dei ipſius, quæ in hac qualitate jus habet eligendi aulicos ſuos, miniſtros, & famulos ſuos, quos ſuis ornat inſignibus, ut oſtendat hos præ ceteris ad ſe magis pertinere. Ecce qualis fuerit occaſio; hic enim agitur de facto authentico, & publicæ fere notorietatis, quod cum ſemel probatum fuerit, conſtituit legitimum fundamentum juris, quod Carmeli Confratres habent ad glorioſum titulum primorum Servorum Mariæ.

Sumere & ferre Scapulare eſt palam profiteri ſe in numero Servorũ S. Virginis recenſeri.

Sciendum eſt itaque habitum hunc in illud gerentibus eſſe declarationem quamdam, & exteriorem profeſſionem, quam faciunt, ſe fovere ſenſus filiorum erga Matrem hanc miſericordiæ; quapropter illi ad eam pertinent, & ipſa ad illos. Hæc eſt quemadmodum eorum hære-

ditas; & ipſi illius. Illi hanc intuentur tamquam objectum amoris, & obſequii ſui, & ipſa hos tamquam dilectos filios conſiderat. Illa his tribuit hoc veſtimentum tamquam ſignum adoptionis eorum, & hi viciſſim illud deferentes præſeferunt, ſe illi adhærere & profitentur, ſe non ſolum non erubeſcere tituli hujus, ſed illum ſibi gloriæ vertere, in eo fiduciam omnem ſtatuere, rati fieri non poſſe, ut Deus illos abneget, vel derelinquat, donec Virgo Sanctiſſima illos pro filiis habuerit.

Obiect., quæ nacta primum eſt hæc Virginis promiſſio facta illis, qui geſſerint Scapulare.

Diſſimulare non licet, promiſſionem illis factam, qui deferent Scapulare, & cum illo morientur, damnationem æternam nequaquam ſubituros; *In quo quis moriens æternum non patietur incendium;* hanc inquam promiſſionem plures incredulos excitaſſe, quamvis re adhuc integra fuiſſet accepta non ſine magno obſequii, & confidentiæ ſenſu; propterea quod quidquid revelationem, aut miraculum ſapit, laborat ſuſpicione falſitatis, vel illuſionis apud cenſores hujuſmodi. Illud etiam addam, non defuiſſe, qui reluctentur huic promiſſioni licet ſatis probatæ principio zeli, & Religionis, putantes, hanc nimis favere licentiæ, & evertere ſatisfactionem pro peccatis per certitudinem, quam continet, & quam bulla Joannis XXII. confirmat, eos qui cum Scapulari morientur, Sabbato poſt obitum primo a luſtralibus flammis liberatum iri. Duabus hiſce difficultatibus paucis reſpondeo pro conſolatione illorum, qui confidentiam ſuam collocarunt in ſubſidio Deiparæ, quod ſollemniter illis promiſſum fuit.

De finali perſeverantia quam B. Virgo polliceri videtur Scapulare geſtantibus.

Quod ſpectat ad primam hujus promiſſionis partem, quæ certos facere videtur finalis perſeverantiæ eos, qui hoc Indumentum geſtaverint; verum eſt Tridentina Synodo cautum eſſe, neminem ſine expliciter revelatione habere poſſe certitudinem gratiæ adeo inſignis, quam nemo mereri poteſt, & quam Deus ſibi reſervat daturus illam quibuſcumque ſibi placuerit. Sed authentica revelatio, reſponderi poſſet, & a tot Summis Pontificibus probata, nonne tantumdem certitudinis præbet, quantum haberetur privato, & de quo ſemper eſſet aliqua diffidendi cauſa? Ceterum nonne hæc eſt totius Eccleſiæ ſententia, & oratio ipſa, quam glorioſæ Virgini fundit, ut nobis in morte opituletur. Quidnam autem in re hoc auxilium, & protectio conſiſtit, niſi ut non ſinat fideles ſuos mori in ſtatu peccati, & damnationis æternæ? *Tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.*

Probatur, & illuſtratur Veritas & certitudo hujus promiſſionis.

Verum eſto, ſine peculiari revelatione, nemo ſibi polliceri poſſit cum plena certitudine gratiam hanc bene moriendi; nonne ſaltem ſperari poteſt, ac debet, & ſicuti S. Auguſtinus teſtatur, ita illa Orationi conceditur, ut nonniſi hac conditione obtineatur. Nonne criminoſa eſſet diffidentia illam poſt vitam ritu Chriſtiano anteactam non ſperare? Quod ſi addis, ſpem hanc peculiariter reſpicere ſervos SS. Virginis ex Eccleſiæ, Sanctorumque omnium ſententia, quid reprehendis in promiſſione tanto viro facta, & adeo ſollemniter probata, & recognita, quæ ſpem hanc vividiorem efficit, & certiorem? Poſſunt igitur cum Apoſtolo gratulari, ac ſeſe conſolari in hac ſpe: quandoquidem non deeſt illis peculiare jus credendi, ſe non futuros ex numero infelicium victimarum divinæ ultionis, quæ æternum infernis ignibus cremabuntur. *Æternum non patietur incendium.* Ita Paulus V. qui explicat mentem, atque intentionem Pontificum prædeceſſorum ſuorum in hac difficultate, aſſerit, Populum Chriſtianum pie credere poſſe Matrem Dei illis precibus ſuis opitulaturam, & ſuis uſuram meritis, atque auctoritate in eorum gratiam; præterquamquod licet SS. Virgo non aliud fuiſſet pollicita, quam ſe illis auxilio futuram in mortis hora; quam majorem habere poſſent certitudinem ſalutis ſuæ in hac vita, quam ſcire, hanc Cœli Reginam, & Dei Matrem, adeo potentem apud Filium ſuum in hoc negotio interceſſuram, atque tunc daturam illis ſigna ſuæ protectionis? Immo hæc magis peculiaris certitudo non eſt ſecuritas, quæ illos ad laxitatem impellere debeat, tranquillos, & otioſos eo in negotio, in quo omnes curas ſuas impendere debent, ſed illos excitare debet, ut majori cum fidelitate operentur, ſperantes, illud ſibi feliciter ceſſurum, quandoquidem nonniſi ſub hac conditione æque illis promiſſio facta eſt non ſecus ac aliis breviores efficiendi pœnas, quæ illis debentur in Purgatorio, ad ipſorum peccata expianda.

B. Simoni Stock.

De promiſſione Confratribus facta, illos liberatum iri a pœnis Purgatorii primo Sabbato poſt obitum illorum.

Hæc altera eſt difficultas, cui reſpondendum eſt, utpote illi, quæ majorem excivit rumorem, & quæ majorem ſuſtinet oppoſitionem ab illis, qui aſſerunt hujuſmodi promiſſionem ſuapte natura fovere impœnitentiæ, atque effuſæ licentiæ. Mater hæc miſericordiæ, inquiunt, curas ſuas caritate refertas erga fideles famulos poſt mortem extendat, eſto: ſed ipſum indigitare tempus auxilii, vel potius hujus integræ liberationis e pœnis, ut præſcribere valeat, & figere tempus, ac ſtatuere finea juſtitiæ Dei citra temeritatem, & apertiſſimam præſumptionem? Hæc eſt occaſio ſcandali, quod accipiunt, ſed illam auferre, arduum non eſt. Profecto Dei Mater nimis eſt juſta, ut velit ſeſe objicere juribus divinæ juſtitiæ, quæ vult ſibi ſatisfieri; ſed cor nimis eſt miſericors, ut eorum pœnis minime afficiatur, & pro illis non deprecetur, aliquam hujus debiti partem impetratura. Quamobrem ſua certa potentiæ tam in Eccleſia purgante, quam in militante, moderatur ſeveritatem pœnarum, earumque tempus imminuit, pollicita ſe omnino certe poſt obitum die liberaturam, quemadmodum declaratur in celebri Bulla, ideo *Sabbatina* nuncupata, quæ poſtquam ſatis diu in dubium revocata fuit, tandem victoriam reportavit de omni contentione, quæ ad illam defendam adhibita fuit. Etenim quid eſt, quod lædere poſſit vel fidei principia, vel favere impœnitentiæ? Glorioſam Dei Matrem opitulari, vel precibus ſuis liberare eos, qui luſtralibus flammis emundantur; nonne hoc illis eſt commune cum Sanctis omnibus, & ſenſus vulgo in univerſa receptus Eccleſia? Hoc autem facere ea die, quæ ſibi peculiariter Sacra eſt, nonne aliqua rationis ſpes eſt ſperandi effectus protectionis hac potius die, quam alia qualibet? Coarctare, & in compendium redigere tempus pœnarum, nonne hoc opus eſt Indulgentiarum vulgo, contra quas inſurgere pari jure liceret, ac contra hanc, quandoquidem in alia Eccleſia paſſim concedit plenam integramque remiſſionem pœnarum alterius vitæ, cum totum illud diſcrimen quod inter hanc, & alias invenitur, eſt, quod in hac Summus Pontifex per auctoritatem a Filio Dei receptam, aperiendi, & claudendi Cœli portas, confirmat Indulgentiam, & gratiam a SS. Dei Genitrice conceſſam filiis, ac fidelibus ſervis ſuis, quales ſunt Confratres. Profecto, ſi qui hanc gratiam tanta oppugnant pertinacia, conſideraſſent conditiones, quæ ſunt neceſſariæ, ut quis hac perfruatur, viderent tantum abeſſe, ut gratia hæc faveat laxitati; ut ipſæ conditiones, quæ ad id requiruntur, locum tenere debeant ſeveriſſimæ ſatisfactionis, quæ unquam exacta fuerit in alia quacumque indulgentia; quandoquidem ut hoc beneficio perfruamur non ſufficit deferre hoc Scapulare uſque ad mortem; recitare quotidie parvum Virginis officium, ab eſu carnium abſtinere qualibet feria 4. præter inſtitutos ab Eccleſia dies; ſed tenemur inviolabiliter ſervare continentiam propriam ſtatus uniuſcujuſque, & vitam ducere frugi, & homine Chriſtiano dignam. Ego ſane non dubitarem ſpondere de Chriſtiani ſalute, qui vitam duceret adeo regularem; & mirum videbitur, ſi Dei Mater illi peculiarem præbeat certitudinem. Dubitari non poteſt quominus in eo, qui ita vixerit, parum peccatorum expiandum ſuperſit in altera vita: & indigne feretur, Matrem miſericordiæ pœnas ejus imminuere ad illius opera bona, ac fidelitatem remunerandam? In hac devotione de jure ne diſputatur, de facto? Quis audebit negare hanc poteſtatem, & hoc jus Matri Dei largiendi adeo ſingulare patrocinium fidelibus ſervis in morte, & poſt mortem? Si factum negatur, videlicet, promiſſio facta Ordini, qui ſeſe illi penitus devovit, quid conſtans erit, & certum, ſi fides negatur Bullis Summorum Pontificum? Nonne injuſtum eſt, ne ulterius aliquid dicam, contra adeo ſanctam devotionem in Eccleſia receptam tot ante ſæcula, erumpere; quod non ita pridem accidit per libellos flagitioſiſſimos, qui ut omnem abrogarent fidem devotioni erga SS. Virginem, hinc initium duxerunt, quin rationem haberent inſtitutam fuiſſe, ut Chriſtiani e vitiis, & a licentia vitæ abſtraherentur; ut illis pietas, animæ, & corporis puritas, orandi fervor, ſenſuum mortificatio inſpiraretur, & quin animus adverteretur, ab illa ſanctificatos fuiſſe per praxim SS. Religionis exercitationum.

Finis propter quem hæc confraternitas, & devotio conſtituta fuit.

Suppoſito ſingulari, admirabilique favore, quem glorioſa Dei Mater elargita eſt B. Simoni Stock ante hanc diem annis pluſquam quadringentis, dicere poſſumus juſſu Cœleſtis hujus Reginæ Scapularii Confraternitatem inſtitutam fuiſſe, ut in Chriſtianiſmo a Fidelibus in honore haberetur, quemadmodum fuerat in lege veteri per ſucceſſores Prophetæ illius, qui zelo ſuo ceteros ſuperaverat; ita ut minime liceat dubitare, hunc habitum, qui ejus honore defertur, eſſe tamquam inſignia, ac indicium, quod peculiari modo ad illam pertineat, qui eodem induitur, ad oſtendendum ſe penitus ſervituti ejus eſſe devotum.

Revelatio, & promiſſio facta B. Simoni Stock in dubium revocare non licet.

At enim hoc optimum eſſet ſi de facto adeo mirabili conſtaret, & niſi eorum temporum crudelitas aditum aperuiſſet praxi, quæ incertæ innititur revelationi factæ Viro bono, cujus verbo ſtandum non eſt. Juſtum eſt ad examen vocare ſpiritus ſecundum magni Apoſtoli conſilium, ne cæce incidamus in omnes populi, vulgique ſenſus in iis, quæ ad devotionem pertinent, quæ novitas in ſuſpicionem arceſſere poteſt, antequam probentur oraculo Veritatis, quod eſt in Eccleſia. Ita glorioſa Virgo, quæ prævidebat contradictionem, quam facturi erant hinc quidem Hæretici cultus ejuſdem inimici; inde vero ſuperbi ſpiritus, qui ſuam potius jactitant calliditatem, quam devotionem, & qui adeo admirabilem apparitionem, gratiamque taciti non præterirent: glorioſa, inquam, Virgo aliorum quidem impietati, aliorum vero fallacibus rationibus ſilentium indixit, hoc ipſum revelans Eccleſiæ Capiti Joanni XXII. & præcipiens illi, ut priorem partem confirmaret Bulla explicita, mox confirmata, & probata ab aliis quinque, totidemque Summis Pontificibus: ita ut poſt hæc teſtimonia, magis obſtupeſcam homines, qui haberi volunt orthodoxi, audeant falſitatis reprehende-

re

ta revelationem ita conſtantem, quam admiret magnificas promiſſiones, quas hæc Mater miſericordiæ facit illis, quos reſpicit tamquam primos ſervos ſuos.

S. Virgo hæc nota conſociat Confratres vinculo caritatis & ſpiritualis amicitiæ.

Modicum fidei, quod ſpiritus vitiligatores addunt cuicumque rei, quæ vel miraculum ſapit, vel revelationem, quantumvis ſit probatiſſima, non vetabit, quominus dicamus, glorioſam Dei Matrem aſſociare etiam per hoc ſignum illos, qui deferunt Scapulare glorioſæ, & ſimul arctiſſimæ affinitatis, quæ fieri poſſit, etenim illam imitatur, quæ eſt inter fratres, qui eumdem agnoſcunt vitæ principium: *Recipe tui Ordinis Scapulare, meæ Confraternitatis ſignum*. Sicut enim affinitas æque ac amicitia innititur alicui bono, quod eſſe debet commune inter illos qui contrahunt eam; hæc Confraternitas, quo nomine illam vocat, præter propter facit in gratia, quod ſanguinis propinquitas in natura arcte illos conjungit, qui componunt unam eamdemque familiam: eorum negotia facit communia, eiſque mutuum amorem inſpirat.

Cuinam fundamento innitatur Virginis promiſſio ad Confratres ut hanc in illis ſpem certe valeat.

De promiſſione a Maria facta Confratribus Montis Carmeli melius differere non poſſumus niſi utentes regulis, quas Patres, atque Theologi applicant promiſſionibus JESU, cum magnitudo bonorum, quæ nobis pollicetur Deus, incredibilis videtur noſtræ rationi, & quia nimis eſt magnifica, ſpem noſtram imminuit. Fides noſtra tribus incumbit fundamentis; fidelitati Dei, illius poteſtati, atque bonitati; ut inde argumenta hauriamus, quæ promiſſionibus fidem adſtruant. Sicuti Maria quatenus Dei Mater particeps facta eſt perfectionum illius, dicere poſſumus 1. Illius fidelitatem: 2. Poteſtatem: 3. Caritatem, quæ cauſſæ ſunt protectionis, quam huic pollicita eſt Scapulari, nobis certitudinem præbere ad credendum.

Fratres Carmeli in Scapulari ſignum habent protectionis, & amoris erga ſe Virginis Sanctiſſimæ.

Carmeli Confratres per Scapulare recipiunt characterem amoris, & protectionis ſingularis SS. Virginis. Ad hoc intelligendum, animadvertendum eſt, quemadmodum JESUS CHRISTUS inſtituit in Eccleſia Sacramenta, quæ ſunt cauſſæ, & certiſſima ſigna gratiæ, quam operantur in animabus noſtris bene præparatis, ita quodammodo SS. Virgo inſtituit, non quidem Sacramentum, quia ſecundum S. Thomæ ſententiam, unus tantum JESUS CHRISTUS illa poteſt inſtituere; ſed notam hanc eligere voluit adoptionis ſingularis ſuæ; quæ ſecum ferret quamdam moralem certitudinem gratiæ uberioris.

Scapulare habet neſcio quid Sacramenti, quatenus ſignũ eſt affinitatis contractæ cum Confratribus.

Ecce quid proprie ſit Scapulare. Sacramentum non eſt, ſed ſignum a B. Virgine inſtitutum, quod habet neſcio quid Sacramenti: in eo quod: 1. Significat hanc affinitatem adoptionis Beatiſſimæ Virginis; 2. Attrahit ſingularem protectionem in Confratres, qui ſuis habent diſpoſitiones, quæ gloriæ hujus affinitatis conveniunt. Ad explicandam autem hanc Scapularis relationem cum Sacramento, duo ſunt animadvertenda; primum, quemadmodum JESUS CHRISTUS in virtutem inſtitutionis ſuæ, cum applicuerit Sacramentis merita Sanguinis ſui, excitatur, & determinatur ſigni hujus adſpectu ad producendam gratiam hujus Sacramenti propriam; ita quodammodo cum S. Virgo applicuerit Scapulari frequentes preces, ſublimes contemplationes, lacrymas, ſudores, Sanguinem, verbo omnia Sancti hujus Ordinis merita, determinata fuit per hujus Scapularis adſpectum, ad communicandum Maternum amorem ſuum, ſingularemque protectionem illis, qui digne illo induuntur. Alterum vero notandum eſt, quemadmodum JESUS CHRISTUS voluit ut in Sacramentis aliquid eſſet viſibile, quod apte ſignificaret effectus inviſibiles, quos gratia per illa operatur; exempli gratia, aqua in Baptiſmo idonea eſt ad ſignificandam animæ emundationem, quæ ab originali peccato eluitur; ita quodammodo SS. Virgo pro ſigno hunc delegit habitum, quod congruum eſt ad exprimendas tres magnas prærogativas, quibus efficacem efficit promiſſionem a ſe factam præſervandi ab igne inferni, & ſalvos efficiendi Confratres. *In quo quis moriens, æternum non patietur incendium*.

Nihil imminuam ejus pretii, in quo habere debemus Sanctam hanc affinitatem cum B. Virgine, cum dixero, quod dixerunt, & prædicaverunt eruditi Doctores Sacri hujus Ordinis, qui noſtris hiſce diebus Inſtauraverunt ſpiritum Eliæ Magni, promiſſionem ſalutis, quam SS. Virgo facit gerentibus Scapulare, ſimilem eſſe illi, quam efficit Filius ſuus in Evangelio: videlicet, conditionalem, & quæ adimpletur duntaxat in eorum gratiam, qui fecerint, quod textus mei verba ſignificant, ut hoc indumentum ſit veſtimentum juſtitiæ, & Sanctitatis: non dico ſolum Confratres Scapulare gerentes ſalvos fore, ſi mandata ſervaverint, & in gratiæ ſtatu mortem obierint; hoc enim eſſet nihil proprium aſſerere: dico, Scapulare gerentibus illud eſſe gratiam minime vulgarem, & copioſum ſubſidium, quod illos adducit, niſi oppoſitam habeant pertinaciam, ad beatum finem, quem ſperant. Dico ad adſpectum ſigni hujus ſalutaris, S. Virginem, quæ peculiarem habet poteſtatem in ea omnia, quæ noſtræ proſunt converſioni, ac ſaluti, effecturam, ut decies centena Confratrum millia convertantur, & ſancte moriantur, quæ ſine hac ope ſpeciali inhærente qualitati Confratrum interiiſſent.

Obligatio, quã habent Confratres ſancte vivendi propter fœdus initum cum Virgine.

Probaturus obligationem, quam nobis injicit Scapulare, quod ſignum eſt arctæ affinitatis quam cum B. Virgine contrahimus, ad vitam ſancte traducendam, eodem modo argumentor, quo S. Paulus loquens de fœdere, quod cum JESU CHRISTO contrahimus per omnia vitæ mortiſque ſuæ Myſteria, cum JESUS CHRISTUS nos redemit per oblationem Corporis ſui, & effuſionem Sanguinis ſui in Cruce. Ipſe realiter perfecit ſanctificationem, & ſalutem noſtram, ut quod in ipſo fuit gratia perfecta, & conſummata, in nobis ſit principium oblationis, atque juſtitiæ, ut neceſſario bona opera facere teneamur. Eodem modo ratiocinari poſſumus de hac arcta, & favorabili affinitate, quam cum S. Virgine contrahimus, quatenus Confratres Scapularis. Virgo Sanctiſſima nos recipit tamquam cariſſimos ſibi filios; ſed ſimul nos obligat, ut vitam filiis ſuis dignam ducamus; Dat nobis characterem Chriſtianorum, & ſignum ſalutis? Ita ſane, ſed a nobis exigit, ne quid faciamus contra ſalutem noſtram. In hoc contractu illa fidem ſuam obligat ad adſpectum Sacri hujus Scapularis ſe nobis a Deo uberes gratias impetraturam, ſed nos quoque obligamur facere, ut valeant. In hoc fœdere illam nobis peculiare patrocinium promittit; nos vero viciſſim promittimus nihil a nobis factum iri, quod tantam lædat Patronam: illa palam, & modo prorſus ſingulari declarat ſe noſtram fore Mediatricem erga Filium ſuum, ſed hac conditione propoſita, ſi foverimus ſenſus obſequii, & amoris erga Filium ſuum: induit nos inſignibus ſuis, tamquam illos, qui ſuam conſtituunt familiam; ſed nos quoque ſimul adſtringamur intra nos adimplere id, quod exterior habitus ſignificat, hoc eſt tenemur induere Mariam, ut loquitur S. Bonaventura; & efficere ut nitor virtutum ejus in actionibus noſtris eniteat. *Mariam induite quotquot diligitis eam; hæc ſplendeat in moribus; hæc fulgeat in actibus.*

Scapulare ſigillatim obtinet omnes favores qui generatim promiſſi ſunt devotioni S. Virginis.

Si Mariæ devotio generatim nobis ſpem facit protectionis ejuſdem, dubitandum non eſt, quominus Scapulare nobis obtineat omnes gratias tamquam noſtræ prædeſtinationi proficuas, idque eo magis, quod duo dedit nobis præclara teſtimonia quæ ſunt veluti devotionis hujus character. 1. Maria pollicita eſt ſe nobis opem laturam ſupernaturalem, & excellentem protectionem hanc explicita promiſſione; devotiones ceteræ non innituntur niſi æſtimationi, quæ nobis eſt de illius bonitate, vel generalibus promiſſionibus ejus. 2. Maria huic tradidit ſignum ſenſibile, Scapulare, cui ſuam adjecit protectionem, cum devotiones reliquæ ſpirituales duntaxat nexus habeant, vel ſigna voluntaria, quæ aſſumuntur, ſed quæ ipſa non tribuit. Dicimus ergo generales prærogativas protectionis S. Virginis in eos omnes qui eam colunt, pertinere ſpecialiter, & ex privilegio ad illos, qui hoc habitu induuntur, & ipſam in horum gratiam lenituram, ac ſedaturam Dei juſtitiam, quam peccatis ſuis irritaverunt. Ipſum Scapulare erit tamquam clypeus, qui cuſtodiet cor eorum ab omnibus dæmonis incurſibus, illa uberiorem gratiæ copiam obtinebit; ſed favor maximus, ac potiſſimus effectus protectionis SS. Virginis erga eos, qui hunc habitum deferent, eſt ipſam illis bene moriendi gratiam impetraturam. Certi eſſe poſſumus promiſſionis ab illa factæ, & illam omnes ſalvos facturam; qui illo fuerint induti. Reddet illis propitium momentum illud, ex quo fit, ut ipſa Scapulare ſignum ſalutis appellet.

Præclara gratia, quam Maria procurat digne ferentibus Scapulare eſt gratia finalis.

Sicuti ſalutis noſtræ inimici ſuos conatus ingeminant ſub exitum vitæ noſtræ, Maria ſuos inſtaurat favores erga filios; procurat illis gratiam, quæ illos in eo tranſitu communiat; & facit illos victoriam referre de omnibus tenebrarum poteſtatibus, quæ eorum ſaluti adverſantur. Gratiarum omnium maxima illa eſt, quam Theologi gratiam finalem appellant, vel donum perſeverantiæ, tum quia datur ſub vitæ finem, tum quia certiſſime convertit eum, cui datur, eumque in bono confirmat. Hæc ceteras gratias coronat, quia nulla prodeſſe poteſt ſine illa, & omnes in illa ſuum extremum obtinent finem. Hæc gratia maxime deſiderabilis eſt tamquam una omnium maxime neceſſaria; hæc illa eſt, quam S. Virgo obtinet Confratribus in hora mortis, & arcet in æternum omnes ſalutis eorum inimicos. Ergo ex illis Mariæ verbis ad S. Simeonem Stock: *in quo quis moriens æternum non patietur incendium*, cognoſci poteſt, eos, qui Scapulari induti morientur, flammis æternis non eſſe damnandos; nam B. Virgo, cujus fides deficere nequit, illis finalem gratiam obtinebit.

Scapulare gerentibus illud tribuit peculiaria ſubſidia quodammodo, ſicut faciunt Sacramenta digne recipientibus illa.

Dicere poſſumus, quemadmodum Sacramenta noſtra nobis cum gratia ſanctificante, ſive prima illa ſit, ſive ſecunda, certum jus conferunt ad actualia ſubſidia, quæ nobis ſunt neceſſaria, ut noſtris reſiſtamus cupiditatibus, ne tentationibus ſuperemur, & ut perſeveremus in virtute: ita probare poſſumus, Scapulare acquirere illud digne ferentibus jus quoddam ad electas gratias, & ſubſidia privilegiata, quæ nobis neceſſaria ſunt, ut vivamus in timore Dei; in ejus amore moriamur, æternamque damnationem evitemus; *In quo quis moriens æternum non patietur incendium*. Non quod quilibet jure poſſit finalem gratiam obtinere, non ita; hæc enim gratuita gratia eſt, beneficium eſt, non præmium, non remuneratio;

ſterano; ſed quia Deus rationem habens cultus, qui Sanctiſſimæ ſuæ Matri præſtatur, adhæſionis, qua id quæſivimus, quod ad illius honorem pertinebat; quaſi hæc omnia ſibi fuiſſent præſtita, ad illius preces, atque commendationes concedit donum perſeverantiæ iis, qui ſeſe illius ſervituti devoverunt. Hinc omnium Patrum ſententia eſt, & illum, quem Maria recipit in Filium perire non poſſe, illum, quem ipſa repellit, non poſſe ſalvari.

PARAGRAPHUS V.

Delecti ex aſceticis loci, & ex recentibus Concionatoribus, ad hoc argumentum ſpectantes.

Habitus Carmeli nota eſt ſolidæ devotionis erga Matrem Dei, cum habitus ut plerumque ſit nota vanitatis, & materia luxus.

PRoculdubio inter maximas Sæculi hujus corruptelas, & de qua juſta eſt querela, luxus eſt veſtium, qui ad extremum evaſit; ita ut veſtes, quibus hominum ſtatus, & diverſæ conditiones ſunt diſtinguendæ, omnia confundant; quandoquidem videmus, pauperem, & divitem, nobilem, & plebejum, Dominum, & ſubditum iiſdem ornatibus uti, eademque pompa veſtiri. Utrum hæc intemperantia, quæ a ſpiritu ad corpus manavit, nota ſit ambitionis, & vanitatis, an inconſtantiæ, meum non eſt judicare; ſed non vererer Montis Carmeli Confratribus dicere; habitum, quem geſtant, cum ſit Inſigne ex quo dignoſcuntur, ipſos ad Cæli Reginam pertinere, ſimul eſſe notam, qua a reliquis vulgo Chriſtianis diſtinguuntur per vitam ſanctiorem, & magis frugi, ideoque ſignum quaſi viſibile æternæ eorum felicitatis. Utique: hoc Scapulare, quod in ſe nullum habet nitorem, quo in hominum oculis refulgeat, quemadmodum alia indumentorum genera per inſaniam oſtentationem; hoc, inquam, Scapulare ornamentum eſt infinite pretioſum, quod mutavit objectum commune vanitatis hominum in notam ſolidæ devotionis. Hoc infinite utile eſt, quandoquidem non ſolum corpus, ut teſſera tuetur, ſed efficit, ut virtus quoque migret in animam per protectionem, quam illi comparat potentiſſimæ omnium creaturarum, quæ Dei Mater eſt; & eſt etiam infinite glorioſum, quoniam quin oſtendat ſtatum gerentium illud conformem profeſſioni, quam amplexati ſunt, innuit vitæ ſanctitatem, quam profitentur. Hine dico jure SS. Virginem appellaſſe illud *ſignum ſalutis*, cum primum dedit illud B. Simoni Stock.

Si devotio erga Mariam nota eſt prædeſtinationis, illa deferendi Scapulare habenda eſt tamquam ſolidiſſima, & maxime authentica.

Ex omnibus Religionis noſtræ Myſteriis, nullum nobis majus negotium faceſſit, quam Prædeſtinatio, quæ a S. Auguſtino *Altum profundum judiciorum Dei* vocatur. Si enim tanti momenti eſt negotium hoc, in quo agitur de æterna felicitate noſtra, vel infelicitate; nonne cæcos illos eſſe oportet, aut ſtupidos, qui in hoc negotio tranquilli ſunt, & non animadvertunt, ſe in hoc profundo abyſſo pendere; quin ſciamus, quo inclinatura ſit pro nobis libra judiciorum Dei. Ipſa etiam Myſterii hujus caligo timorem noſtrum ingeminat; nemo autem illam audet penetrare ſine manifeſto periculo aberrandi, & hæc temeritas damnatur tamquam divinæ auctoritatis violatio; quapropter S. Paulus ait: *O altitudo Sapientiæ, & Scientiæ Dei! Quam inveſtigabiles viæ ejus.* Hæc tamen eſt omnium Doctorum ſententia, eſſe quaſdam notas, & ſigna, non jam omnino, ſed moraliter certa ad ſecernendas felices perſonas ex aliarum turba, in hac etiam vita, quibus addunt veram devotionem erga SS. Virginem tamquam certius ſignum, & ex numero earum devotionum, quas ſancte hominum pietas invenit, illam Scapularis maxime authenticam putant.

Ad Rom. 11.

Confidentia, quam Confratres habere debent in promiſſionibus Mariæ.

Quanti facere debemus adeo ſollemnem glorioſæ Virginis promiſſionem Montis Carmeli Confratribus factam? Et quos ſenſus fovere debemus de fidelitate Matris Dei, quæ certos illos facit ſuæ protectionis? Quis unquam confidit in Maria, S. Bernardus ait, qui nomen ejus tantum invocaverit, & queri poſſit, ab illa negatam unquam protectionem ſuam illis, qui ad ipſam confugerint, quamvis hanc Maria nec promiſiſſet unquam, neque ſuam illis fidem obligaſſet? Legimus in hujus diei feſtivitate promiſſionem, quam fecit, ſe peculiari patrocinio dignaturam eos, qui Sanctum hunc habitum, deferunt. Invenimus Sanctum virum iniiſſe cum illa pactum hoc in nomine omnium Religioſorum Ordinis ſui, eorumque omnium, qui in Sanctam hanc ſocietatem ingrediuntur. Nonne debemus ipſi hunc honorem ejus fidelitati, ſperare videlicet nos conſecuturos eam, quam nobis promiſit, protectionem, & partem noſtrarum devotionum collocare in fiducia, quam in illam habebimus, idque eo libentius, quod ſicuti Dei promiſſiones innituntur ipſius potentiæ, illæ quoque Mariæ ejus potentiæ, atque auctoritati innitantur. *Biroat.*

Credendum non eſt Mariam promittere velle eos, qui in ſceleribus volutantur, perſeverare.

Magnus numerus Prædeſtinatorum in Cælo reſpicient æterna cum voluptate Sanctum hoc Scapulare utpote illud, per quod in ſtatum adducti fuerunt recipiendi ſingularia ſubſidia, ſine quibus nunquam gloriæ poſſeſſionem fuiſſent adepti. Non inde tamen omnes qui deferunt Scapulare ſalvabuntur, quia non convertuntur. Non ita; S. Virgo noluit unquam dare nobis promiſſiones oppoſitas minis Filii ſui. Illa noluit conſtituere nos in fiducia oppoſita ſaluberrimo timori, quem nobis prædicat in Evangelio. Voluit quidem eſſe perfugium peccatorum miſericordiam deprecantium; at nocentium obduratorum, qui Dei juſtitiam irritant, protectrix eſſe non voluit, blaſphemia eſſet dicere id, ac temeraria præſumptio ſperare. De confidentia in Matrem dicere poſſumus, quod S. Joannes dicit de confidentia, quam collocare debemus in Cruce, & in Sanguine Filii ſui, *Omnis, qui habet hanc ſpem, in eo ſanctificat ſe.* Hæ duæ qualitates ſeparari non poſſunt, habitus ſalutis, & habitus ſanctitatis. Fruſtra Confrater offeret ante tribunal Judicis ſui hunc habitum, ſi illum ſexcentis polluerit iniquitatibus. Angelus ejuſdem malus extorquebit illum de manibus ſuis, ac illum oſtentans JESU, & Mariæ, dicet illis hæc verba Geneſeos: *Vide utrum tunica filii tui ſit?* Vide, utrum actiones fecerit, quas fœdus cum vobis initum repoſcebat. *Pater Texier.*

1. Joan. 3.

Devotio Scapularis eſſe debet conjuncta cum ſanctitate, & amore illius Ordinis, qui fidelibus procuravit inſignem hunc favorem fidelibus.

Opus eſt, ut pœnitentia, morum reformatio, integritas vitæ; verbo, ſanctificatio ſit fundamentum confidentiæ habendæ in hac devotione Scapularis cum ſenſu æſtimationis, obſequii, & amoris erga S. Carmelitarum ordinem, qui nobis communicavit gratias ſuas, & qui nobis communicat Sanctum hunc habitum, quem de SS. Virginis manu recepit. Hæc illi veneratio debetur plures ob titulos; potiſſimum vero propter antiquitatem; quoniam, ut Summorum Pontificum loquuntur bullæ, originem duxit ex Monte Carmelo; incepit ſub nomine filiorum Prophetarum, de quibus loquitur Scriptura; mox ſub Eſſæorum nomine perrexit, ac tandem poſt inſtitutionem Eccleſiæ ſub titulo Religioſorum Carmeli Montis innotuit. Hic ſemper idem eſt ordo traductus per varios hos ſtatus. Sanctus hic Ordo præſtitit, & quotidie præſtat Eccleſiæ Dei beneficia, & æquum eſt, ut Confratres excitent in cordibus ſuis ſincerum deſiderium imitandi virtutem horum Sanctorum Religioſorum, ut poſtquam una cum illis geſſerint Sanctum hunc habitum, induantur gloria, quam S. Virgo promiſit, ſe illis in Cælo impetraturam. *Idem.*

In hac vita nonniſi conjectura licet aſſequi quænam ſit noſtra prædeſtinatio; ſed cum Maria promiſſionem ſuam non coarctaverit ad Confratres, moralem concipere poſſunt certitudinem quæ poteſt haberi.

Non ignoro, Chriſtiani Auditores, quæcumque habeamus in nobis noſtræ prædeſtinationis indicia, hæc ad ſummum eſſe conjecturas, quæ poſſunt quidem fovere, & alere ſpem noſtram, non autem penitus diſſipare juſtum timorem, quem exigit a nobis impenetrabilium judiciorum ſuorum. Nemo, S. Gregorius ait, donec in terris eſt, ſcire poteſt quod ſtatutum in Cælo eſt de ſua prædeſtinatione, vel æterna reprobatione. Hæc triſtis eſt conditio, in qua hic ſiti ſumus; certi ſumus quantocyus nobis relinquendum eſſe hunc exilii locum, quin ſciamus utrum patriam noſtram ſimus reviſuri. Hoc præſupponendum eſt ad evitandos errores, in quos labi poſſemus: tandem enim SS. Virgo nullos præſcripſit terminos ſpei filiorum ſuorum Carmeli. Promiſſio illis facta protectionis nullam continet conditionem. Promiſit ſe non permiſſuram, ut æternum damnentur; hoc eſt, præbet illis omnem ſalutis certitudinem, quæ haberi poſſit in hac vita, illis pollicetur, ſi in illius cultu perſeveraverint, illos certiſſime in gratia ſua perſeveraturos. Si hoc promittere potuit filiis ſuis, facile ipſi eſt præſtare fidem. Sed quid vobis videtur de tam magnifica promiſſione? Virgo Sanctiſſima ſatis aperte locuta eſt: ſupereſt ne vobis adhuc ſcrupulus aliquis? Si ad extrudendam curam omnem, quæ vobis faceſſit negotium, voſmet præiſſetis verbo dictantes SS. Virgini promiſſiones ſuas, nunquid verba melius concepta, & explicita invenire potuiſſetis? SS. Patres generatim nequaquam locuti ſunt terminis, quibus minor inſit vis ſignificandi, vel qui minus ſint favorabiles. S. Bonaventura non alios poteſtatis illius terminos conſtituit, niſi Dei ipſius omnipotentiam. S. Antonius aſſerit, Deum, cum Mariæ preces exaudit, non potius illi gratiam conferre, quam ſuo munere fungi, ideoque ejus petitiones non poſſe repelli. Liquet quænam ſit S. Anſelmi ſententia hac in re; credit hujus Reginæ famulum interire non poſſe. Hi profecto magni ſunt ſenſus, proculdubio pares ad excitandam veſtram confidentiam erga Matrem miſericordiæ. Sed quantumvis docti, quantumvis Sancti fuerint illi, qui nobis præclara hæc perhibent teſtimonia, tandem homines ſunt, neque ſunt niſi famuli egregiæ hujus Reginæ, quæ promiſit hæc B. Simoni Stock. Hi quidem inſignes ſanctitate viri docent, nihil eſſe mihi formidandum, ſi mihi Virgo Sancta fert opem. Sed hoc non ſufficit ad hanc ſedandam ſollicitudinem; ſcire volo, utrum vere mihi adſit; & illa mihi manifeſta præbet indicia; meum eſt id ex proprio ſenſu cognoſcere: illi protectionem ſuam huic Scapulari adnectere placuit: *in quo quis moriens, æternum non patietur incendium.* Non igitur miror, ubi primum rumor percrebuit adeo magnificæ promiſſionis, Chriſtianos undique confluxiſſe ad Carmelitas, quos SS. Virgo ſequeſtres tanti theſauri reliquerat. Domini, Principes, ipſique Reges, quibus tantum de ſalute ſua timendum eſt, quantum ſimpliciſſimo cuique ex plebe, certatim cucurrerunt, ut participes fierent privilegiorum, & ut aliquam haberent ſalutis ſuæ certitudinem, cum ipſa eorum magnitudo quotidie tot, tantiſque periculis objiciat. *Pater de la Colombiere.*

Si ha-

Carmeli Confratres apud Mariam ſunt tamquam primi ſervi, ſibi peculiari modo devoti.

Si habitum hunc ſpiritu devotionis deferre, & in Sanctam hanc adſcribi Societatem, eſt palam profiteri, velle inter ſervos Reginæ cæleſtis recenſeri: dubitandum non eſt, quominus illa ſibi honorem deferri cenſeat, & reſpiciat eos, qui hoc geſtant Scapulare, tamquam ſuos, & ex numero domeſticorum ſuorum, & qui induuntur ut ita dicam Inſignibus ſuis. Ita ipſa locuta eſt illud præſentans Beato Stock: *Recipe, dilectiſſime Fili, Ordinis tui Scapulare meæ Confraternitatis ſignum*. Sed illi omnes, qui digni habiti fuerunt illius ſervitio, non eumdem tamen ordinem tenent apud ejus Perſonam. Alii titulo communi, & quatenus Chriſtiani adhæreſcunt; alii, ut ita loquar, rei domeſticæ præpoſiti, tamquam Principum miniſtri, qui ſeſe illis non mancipant, niſi ut propriæ conſulant utilitati, ſibique proſpiciant; alii demum, qui illi penitus devoti ſunt, & jampridem addicti. Hoc in ordine colloco Sanctos Carmeli Religioſos tamquam Eliæ magni Prophetæ Diſcipulos, cujus ignitus zelus, & ſpiritus ſanctitatis de patribus in filios traditus una cum Habitu illis gloriam peperit conſecrationis cultui Deiparæ, antequam prodiret in lucem; quandoquidem idem Spiritus qui in anteceſſum fecit, ut hic Propheta cognoſceret Matrem Dei ſui, accendit cor ejus ardenti zelo efficiendi, ut in Carmelo coleretur; ita ut cultus, & devotio erga Matrem Dei fecerit, ut Diſcipuli ejus in omni tempore haberentur pro primis Sanctiſſimæ hujus Virginis famulis: quamobrem illa eos dignata eſt nomine fratrum, & filiorum ſuorum.

Hic habitus indigitat protectionem, quam Sancta Virgo Confratribus largitur.

Habitus hic, qui nos tegit, nos ſimul etiam defendit; videlicet, indigitat ſpecialem hanc protectionem, qua Sancta Virgo pollicetur ſe prohibituram, ne quis in eo moriens æternum patiatur incendium. Singularis iſta protectio tria dicit. 1. Amotionem rerum earum quæ nos perdere poſſunt; cujuſmodi ſunt tentationes violentæ, periculoſæ occaſiones, pernicioſa conſilia, pravæ ſocietates. 2. Communicationem non vulgarem mediorum utilium Saluti noſtræ, luminum vividorum, potentium illecebrarum, & felicium neceſſitatum operandi bonum. 3. Providentiam ſingulariter applicitam ad nos præparandos noviſſimo vitæ noſtræ momento, ut obtineamus gratiam finalis perſeverantiæ, ita ut Scapulare, quod nobis in vita pretioſum eſt ornamentum, quod Deo nos facit acceptos, & clypeus ad propulſandos ſalutis noſtræ inimicos, in hora mortis ſit vexillum victoriæ dæmones expellens, & evocans in ſubſidium Confratris in agone poſiti, Angelos, Sanctos, Mariam, & JESUM. Quæ igitur conſolatio Chriſtiani ferentis inſigne favorum Sanctiſſimæ Virginis, conſiderare ſe ipſum ſub umbra protectionis ejuſdem, tamquam veteres illos Iſraelitas, qui tuti incedebant deducti a præeunte nube illa propitia, quam Deus dederat illis, ut ſimul eſſet contra inimicos vallo, ac certo duce in ſolitudine. *Pater Texier.*

Hic habitus titulus juſtus eſt, ut ſimus ſub patrocinio Mariæ in omnibus vitæ periculis, uti experientia compertum fuit ſæpiſſime.

Cum hic habitus ſit tamquam Sanctæ Virginis inſigne, nos ad illam pertinere docet, ac oſtendit nos illius cultui eſſe omnino devotos, nonne hic juſtus eſt titulus, ut ſimus ſub illius protectione, & ut illa nos famulos ſuos debeat tueri præbens nobis apertum aſylum in omnibus caſibus contra impetus inimicorum, certumque auxilium, ubicumque ſalus noſtra in periculum adducta fuerit? nonne in hoc fidem obligavit ſuam, eodem tempore quo manus hoc largita eſt beato Stock, & mox illis omnibus, qui ſeſe illius cultui devoverent habitum hunc accipientes? *Ecce ſignum ſalutis, ut ſit ſalus in periculis.* Integra replerentur volumina exemplis recentibus eorum, quibus hoc Scapulare fuit clypeus contra enſes, & plumbeas glandes; aliorum, qui habentes cor transverberatum tandiu vixerunt, ut dolorem conciperent peccatorum ſuorum, & abſolutionem reciperent; aliorum, quos præſervavit a morte æque inevitabili, ac inopinata, niſi Virgo Sanctiſſima illis moram impetraſſet, ut ſalutarem agerent pœnitentiam. Non opus eſt prolixe recenſere poteſtatem Sanctiſſimæ Virginis, prodigia, quæ operata eſt, & Virtutes, quas huic ſigno ſalutis applicuit. Dicere ſatis eſt, videri omnia elementa cognoſcere hanc Matrem ſalutis, ac pro illa teſtari. Procellæ coram hoc Scapulari viſæ ſunt conquieſcere; vehementiſſima incendia illud reverita ſunt, poſtquam in cineres omnia redegerant, & naufragia perdere non valuerunt eos, qui aquis fuerant inſepulti, quas illos manus inviſibilis ſuſtinuiſſet. Quorſum hæc? niſi quod ſicuti nulla fuit unquam protectio potentior quam Deiparæ, nunquam melius refulſit, quam erga illos, qui illius Scapulare geſtarunt, non ſolum in omnibus vitæ eorum periculis, verum etiam contra omnes ſalutis illorum inimicos. *Author ſermonum in omnia argumenta.*

Quid Maria a Confratribus exigat vi fœderis initi cum illis.

Ut Scapulare, & devotio erga glorioſam Virginem, cujus inſigne eſt, ſit verum ſalutis, & prædeſtinationis ſignum, memoria repetendum eſt id, quod ſemper eſt præſupponendum, Dei Matrem magnificas hujuſmodi promiſſiones facientem, & huic indumento glorioſa hæc privilegia adnectentem feciſſe tamquam pactum aliquod, & quandam contractus ſpeciem celebraſſe cum deferentibus illud; *fœdus pacis, & pacti ſempiterni*, quo nomine ipſa illud appellat; videlicet, per hoc ipſam viciſſim illos obligaſſe ad ſuſtinendum honorem, quem obtinent, facti ſervi, fratres, & filii ejus modo peculiari; id autem nitore virtutum ſuarum, & morum ſanctitate. Et ſane ingens eſſet illuſio exiſtimare, ad habendam prædeſtinationis notam ſatis eſſe, geſtare ſolum Scapulare, quæcumque alioquin vitæ ratio ducatur: vel putare, ſe immunes eſſe, & ſolutos ab iis officiis, quæ Chriſtiani ceteri perſolvere tenentur, quaſi ita eſſent ſecuri ſalutis ſuæ, ut ad illam nihil pro virili parte conferre tenerentur. Hanc prætexentes cauſſam, nonnulli falſo zelo ducti, qui ſemper omnia in ſequiorem partem interpretantur, jus ſibi eſſe cenſuerunt devotionem hanc inſimulandi, quaſi nemo poſſet abuti Sanctiſſimis quibuſcumque praxibus, ipſiſque auguſtiſſimis noſtræ Religionis myſteriis. Hoc igitur aſſerimus, virtutem devotionis hujus exterioris ab interiore proficiſci, quæ eſt anima; hoc ſignum eſſe, & notam ſinceri cultus, qui adhibetur glorioſæ Matri Dei, & conſequenter opus eſſe, ut omnes cordis ſenſus reſpondeant huic ſigno, eo modo quo ſignum excitat devotionem cordis, alioquin ſignum hoc eſſet doloſum, & hypocriſis mera, ſi fieret hinc devotio inanis, & meræ oſtentationis, quæ nulli innitéretur virtuti, aut veræ pietati: Si ſufficeret objicere in oculos hominum externum vitæ regularis corticem, & interior pars pluribus eſſet vitiis coinquinata; ſi loco Sanctiſſimam Virginem colendi filius ejus læderetur, hoc profecto eſſet, devotionem ſibi in ludibrium traducere, eadem abuti ad flagitioſum vitæ genus diſſimulandum. *Author ſerm. in omnia argumenta.*

Quæ bona ſperare non poſſunt Carmeli Confratres ex fœdere inito cum Sancta Virgine.

Fœdus ſpirituale initum inter Sanctam Virginem, & Matres Carmeli Confratres, quos fratrum ſuorum nomine dignatur, illis eſt perutile, quoniam reſpicit illos tamquam ingreſſos in familiam ſuam; favet illis, eorum conſulit utilitati, atque tenetur quodam modo ex gloriæ ſenſu illos in partem arceſſere ſuæ felicitatis, & bonorum, quæ poſſidet. Hinc igitur inferri poteſt, Scapulare ſignum eſſe ac notam quamdam ſalutis, & prædeſtinationis, dummodo fideliter repleantur fœderis hujus officia: quem enim favorem expectare ſibi non debent ab hac cæli Regina illi, quos dignatur titulo fratrum ſuorum? Numquid ignoramus, quomodo homines agant? & cum perſona evecta eſt ad principis dignitatem, ſtatim præſumi, hunc fauturum propinquis ſuis, totamque familiam ſuam promoturum, quia eorum negotia communia ſunt, & quidquid erit honorum, atque ſpectabilium officiorum illis iri demandatum eo uſque ut illorum magnitudo, & ſpes juxta mentem hanc dimetiatur. Hoc ipſum dico de hoc fœdere, quod cum Dei Matre contrahitur; nulla eſt gratia, quæ non concedatur illis, qui inſigniti ſunt fratrum illius qualitate, & quos illa voluerit glorioſo hoc titulo condecorare. *Idem.*

Sancta Virgo adoptavit etiam Confratres Carmeli ſibi in Filios peculiari modo.

Præter duos hoſce titulos primorum Servorum, & fratrum Mariæ, glorioſa hæc Virgo illos dignari voluit titulo filiorum ſuorum, & facto ex hoc eodem Scapulari ſigno ſingularis adoptionis, illos per hoc ſignum admittit ad qualitatem, quam omnibus temporibus habuerunt Religioſi Carmelitæ, ſemet filios illius nuncupandi. Scio equidem Chriſtianos omnes deferri poſſe nomen hoc, ex quo Maria facta fuit Mater ipſorum, ſaluti eorum contribuens, & Filius ſuus illum ſociam aſſumpſit operis noſtræ redemptionis. Verumtamen cum ad hoc, ut fiat adoptivus Principis filius ſatis non ſit, hoc cupere, vel mereri; ſed præterea opus ſit, ut Princeps eligat eum, atque declaret, & ab omnibus pro filio haberi jubeat: ita nemo ignorat, Sanctiſſimam Dei Matrem adoptaſſe in filios ſibi Carmelitas eo titulo, quem nemo in dubium vocare poteſt poſt oracula duorum, & viginti ſummorum Pontificum, qui ſartam, tectamque illis ſervarunt poſſeſſionem, ac cetera eorum privilegia. Quod autem modo efficere debet conſolationem eorum, qui Ordini adſcripti ſunt per Scapularis devotionem, illud eſt, quod in eodem deferunt ſignum filiationis ſuæ per hunc habitum, per quem a Dei Matre cognoſcuntur in hac qualitate, perinde ac cum hæc nota illius imprimeret characterem in corde.

Geſtare hunc habitum eſt publice profiteri ſe habere Mariam pro Matre, & nos pro eadem habere ſenſus filiorum.

Hic idem habitus in deferentibus illum declaratio eſt, atque exterior proteſtatio ſenſuum filiorum, quos fovent erga hanc miſericordiæ Matrem. Hinc illi ad eam pertinent; & ipſa ad illos. Reſpiciunt eam tamquam objectum affectionis, amoris, & cultus ſui, & ipſa illos conſiderat tamquam filios ſibi cariſſimos. Hæc eſt tamquam hæreditas illorum; & illi ipſius. Hæc illis tradit Scapulare pro ſigno adoptionis ſuæ, & illi viciſſim illud gerentes oſtendunt ſe huic adhærere, & profitentur ſe non erubeſcere hunc titulum de quo gloriantur, & in quo fiduciam ſuam collocant, rati fieri non poſſe, ut Deus illos abneget, vel derelinquat, quamdiu Sancta Virgo illos pro filiis habebit. *Author recens.*

Scapularis devotio præſtat ceteris erga Dei Matrem devotionibus. Joann. 4.

Chriſtiana Religio eſt religio ſpiritus, & veritatis, JESUS CHRISTUS ipſe hoc nos docet in Evangelio; *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & in veritate.* Sed non minus verum eſt, exteriores actiones, quibus recognoſcimus ſupremum entis Primi dominationem, coram creaturis, actiones, inquam, hujuſmodi non ſolum eſſentiales eſſe Chriſtianiſmo, ſed etiam ſolas eſſe pares dando

ali-

Digitized by Google

aliquam Deo gloriam coram hominibus. Cum autem hæc gloria bonum ſit, cujus mirum in modum æmulotypus eſt, quo magis publicos efficimus interiores ſenſus, quos fovemus excellentiæ ipſius, eo magis, eum cogimus, ut nos veros eſſe illius adoratores profiteatur. Quod dico de Religione erga Deum, facile transferri poteſt ad devotionem erga SS. Virginem. Colitur illa quidem proculdubio ſenſibus amoris, & obſervantiæ, quos in corde veſtro ſervatis propter virtutes, & perſonam illius; ſed præterquamquod nota eſt infirmitatis horum ſenſuum, illos continere poſſe in imo corde concluſos, cum ſeſe extrinſecus proferunt, eo magis augent illius gloriam, quo plures habetis teſtes zeli veſtri pro illius famulatu; cumque illi ſit ita grata, ut nil ſupra valeat cogitari, data ratione ſuas ingeminat liberalitates, & benevolentiam. Hac in re ſcapularis Confratres mirum quantum præſtent aliis erga Beatam Virginem devotionibus. Sicuti nihil apertius ſignificare poteſt noſtram erga cæli Reginam devotionem, quam deferre illius colorem, & inſignia, ita illam cogunt ſimiliter ſeſe pro illis profiteri iis in occaſionibus, quæ accidunt eis patrocinandi. Hæc in mundo ipſo regula ſervatur, ubi tamen adeo modicum Juſtitiæ invenitur. Hinc ſecernitur amicus certus ab homine artem inquirente, quot nobis exploratas faciat bonas intentiones ſuas, ſive arbitretur, amicitiam eſſe validiorem, ex quo ſeſe audet producere, ſive re ipſa tunc nobis ſit honoratior ſimul, & utilior. *Idem.*

Quomodo conciliandа ſit promiſſio Mariæ Confratribus facta illos æternæ damnationi ſubjectos non futurum cum timore, quem nobis hac in re Evangelium inſpirat.

Aliqua occurrere videtur oppoſitio inter Filii Evangelium, & Matris promiſſionem, cum ait: *in quo quis moriens æternum non patietur incendium*. Si enim Mariæ promiſſionem conſideramus, videtur, inde certiſſime conſequi futurum, ut homo ſalvus fiat ſi Scapulare geſtaverit? Sed ubi conſulimus id quod fides noſtra nos docet, nemo certam habere poteſt ſuæ prædeſtinationis cognitionem, niſi explicitam habeat revelationem a Deo, qui falli non poteſt. Ceterum nullum eſt in Evangelio, myſteriiſque noſtris principium, ex quo poſſit aliquis argumentari; *Salvus ero*. Qua igitur in re ſita eſt efficacia protectionis Mariæ, & quam rationem habet Scapulare illius cum noſtra ſalute? Duo Scopuli ſunt evitandi, vel extrema duo periculoſa, quorum alterum erit, ſi dixerimus, nos cum Scapulari morientes dummodo in gratiæ ſtatu moriamur, certiſſime ſalvos futuros. Quod dicere nihil eſt, hoc enim omnibus fidelibus accidit. Dicendum ergo eſt, Scapulare, ut eſſe poſſit medium ad ſalutem noſtram, habere debere aliquem influxum agentem in hunc ſtatum, & nos cum ſanctis diſpoſitionibus ſuis ad bene moriendum diſponere. Alterum extremum eſſet dicere, aliquem eo quod geſtaverit Scapulare, certiſſime ſalvum fore. Maria noluit unquam promittere quidquam timori huic ſalutari oppoſitum, quem nobis prædicat Evangelium. Efficientia promiſſionis Dominæ noſtræ in eo ſita eſt, quod precibus ſuis nobis valida procuret adjumenta, ut ad noſtram ſalutem perveniamus, quæ ſi nos omnino in interitu obſtinati non fuerimus, proculdubio ſalutem noſtram operentur. Sed quemadmodum raro uſu venit, Fidelem, qui fideliter obit omnia Scapularis officia, & frequenter Sacramentis reficitur, pertinacem eſſe in interitu ſuo, hinc argumentor, pleruinque eos, qui geſtant Scapulare ſalvos factum iri ſine dubio valida protectione, & hoc rationabili temperamento, quæ Theologiæ ſententia eſt, ſuſtineo hanc S. Virginis protectionem ad noſtram ſalutem. *Birat.*

Hoc Scapulare adigit Beatam Virginem ad eos protegendos, qui illud deferunt, tamquam ſuos.

Cum hoc Scapulare ſit tamquam B. Virginis inſigne, & innuat illi penitus devotum eſſe, qui eodem induitur, nonne juſtus eſt titulus, ut ſit ſub illius protectione, & ipſa defendere teneatur ſervos ſuos præbens illis aſylum apertum adverſus omnia pericula & impetus inimicorum ſuorum, quibus eorum ſalus eſt obnoxia? In hoc fidem ſuam obligavit cum largita eſt hoc donum Beatn Stock, & deinceps ceteris, qui hunc aſſumentes habitum ſeſe cultui illius devoverent: *Ecce ſignum ſalutis, ut ſit ſalus in periculis*. Profecto ubi cogito vim, atque virtutem, quam glorioſæ huic Virgini placuit adnectere, & prodigia, quæ quotidie operatur in gratiam illud geſtantium; ſunt dico illam præſtare fidem, & ipſam non poſſe melius habitum hunc vocare, niſi *ſalutem in periculis*, & ſignum validiſſimæ protectionis. Neceſſe non eſt hoc loco meminiſſe poteſtatis cæleſtis hujus Reginæ, neque toties repetere illam eſſe omnipotentem apud Deum, vel potius poteſtatem ejus non aliam eſſe, quam Dei ipſius poteſtatem. Utramque confundam ſimul, quoniam ſunt eadem utriuſque negotia; quamobrem ſicut hortatur Apoſtolus primos fideles, ut induantur JESU CHRISTO tamquam veſtimento, ut ſimul & ſe protegant, & ſeſe exornent: *Induimini Dominum JESUM*: dico ego, geſtare devote habitum hunc, eſſe quodammodo indui glorioſa Virgine; videlicet eſſe ſub illius protectione; quandoquidem non licet ambigere, quominus illa ſeſe gerat cum ſervis ſuis, tamquam Princeps erga ſuos. Honor ejus flagitat, ut illos tueatur, ita ut hoc ſit perſonæ ſuæ facere injuriam, illos in prædiis, vel in ædibus ſuis, quæ illis perfugii locus eſt, eos perſequi. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ad Rom. 13.

Confratres ſibi perſuadere non debent, ſe Virginis protectione minime diſpenſari a cura ſalutis ſuæ.

Ut diſcant Confratres quo ſpiritu gerere debeant Scapulare, diximus jam hoc eorum eſſe robur, ut illos tueatur contra omnes mundi impreſſiones, & contra omnes incurſus inimicorum ſalutis ſuæ. Sed credendum non eſt, hoc habitu illos defendi, quin aliquid & ipſi conferant pro virili parte ſtrenue pugnantes, & generoſo conſilio propulſantes hos eoſdem inimicos, qui indeſinenter adverſantur conſilio Confratrum conſtanter inhærentium cultui Matris Dei. Fruſtra enim Confrater geſtaret hoc indumentum, ſi ſub hoc colore vitam duceret mundanam, & ſecretum in corde ſuo deſiderium ſervaret mundi laudem ſibi comparandi. Profecto qua mente Confrater Carmeli Sanctæ huic Societati dediſſet nomen, niſi duceret vitam conformem cultui Reginæ cæleſtis, cui ſeſe devovit accipiens Scapulare? Opus eſt ergo, ut Confrater, qui ſeſe mancipavit ſervituti Matris Dei, conſtanter in illius ſervitute perſeveret, ſi haberi vult ex numero filiorum ſuorum.

Confratres gloriæ ſibi ducere debent hoc gerere indumentum, & ideo inter famulos Reginæ cælorum haberi.

Ad hæc quandoquidem hoc indumentum conſtituit gloriam, & ornamentum gerentis illud, honori ſibi vertere debet illud gerere, quippe hæc ſunt Reginæ Angelorum inſignia. Si enim ſervire Deo, regnare eſt, profecto regnare eſt ſervire Matri Dei. Igitur ſtatus iſte reſpiciendus non eſt tamquam ſervitus, ſed tamquam ſtatus ampliſſimus, tamquam dignitas in domo Reginæ cælorum; & quin credamus nos plurimum feciſſe, noſmet mancipantes ſervituti tantæ Matronæ, acceptio, qua illa dignatur noſtram opellam excipere, tamquam maximum illius beneficium habenda eſt. Inſignis ſane gratia eſt, quam SS. Virgo facit Confratri Carmeli eligere eum præ tot centenis millibus; & gratia illum adigere debet, ut ſumma cum fidelitate illi ſerviat, & cum conſtanti fervore amplectatur, & ſumma alacritate, & gaudio aſſequatur quidquid noverit ei placiturum, & ceſſurum in gloriam ejus, & Filii ſui.

Exprobratio, quam ſuſtinebunt aliquando ii, qui flagitiis vitæ ſuæ Sanctum habitum dedecoraverint.

Quiſnam eſſet glorioſæ Virginis dolor (ſi per ſtatum ſuum eodem affici poſſet) ſi poſtquam Chriſtianos ſibi in fratres, filioſque adoptaverit, videret flagitia in domo ſua, fœdus ſuum actionibus eorum coinquinatum, eorumque vitia Scapulari ſuo tecta? Quod dedecus habere pro filiis homines in omnem licentiam effuſos; pro fratribus, ſuperbos, voluptuoſos, & pro ſervis, ſuarum cupiditatum mancipia? Tunc habitus hic abominaretur eos, qui ita illum dedecore afficerent, ut olim dicebat Job: *Abominabuntur me veſtimenta mea*. Utique habitus hic, ſi polleret ſenſu, perhorreſceret, videns ſe geri ab homine nequam, ab impio, a voluptatum ſuarum famulo; cum enim ſit ſignum ſanctitatis, vitæque puræ, & integræ, tot ſceleribus pollueretur. Ah! Chriſtiani, qui modo honorem habetis illum deferendi, quo probro, qua verecundia ſuffunderemini aliquando, ſi proferretur in judicium Dei, futurus damnationis veſtræ argumentum? Hoc accideret proculdubio, ſi poſtquam illum aſſumpſiſtis pro ſigno peculiaris devotionis veſtræ, & cultus Matris Dei, Sanctum hoc mentiremini conſilium vita omni prorſus vitiorum labe inquinata. Cogitate igitur, hunc vere futurum vobis ſalutis ſignum, & notam prædeſtinationis, cum actiones veſtræ teſtabuntur, illum a vobis geſtari in ſpiritu veſtræ pietatis, & ſincero deſiderio famulandi Matri Dei: quoniam tunc ejus protectionem vobis promerebitur, & peculiares gratias in hac vita, quæ vos deducent in cæleſtem Jeruſalem. *Idem.*

Habitus hic gerentibus illum imponit neceſſitatem ſancte vivendi ut decet veros Virginis Filios.

Habitus hic omnibus Carmeli Confratribus injicit neceſſitatem ſanctam, & prorſus Chriſtianam ducendi vitam, & abrenuntiandi omnibus mundi placitis, quemadmodum primi Chriſtiani qui baptiſmum recipientes munda, albaque veſte induebantur huic cæremoniæ accommodata. Sed plurimi ad hoc ne animum quidem advertunt, quæ cauſſa eſt propter quam pauci profeſſionis ſuæ officiis perfunguntur. Opus eſt igitur, ut per temporum intervalla a Confratribus ſuis admoneantur ſuæ obligationis, ad hoc ut meminerint nihil unquam a ſe faciendum eſſe, quod dedecus afferre poſſit huic Scapulari; ſed omnia ſibi obeunda eſſe munera, quibus tenentur ex ſtatu, & profeſſione ſua, & ſicut olim magnus quidam Rex videns ſibi ſuaderi factum aliquod ſua indignum qualitate, ut vitæ ſuæ proſpiceret, ſtatim ſuaſoribus ſuis regiam purpuram oſtendens dixit illis: dignus ne hac eſſem purpura, ſi illam turpi hoc facinore maculaſſem? Nonne in omne vitæ meæ ſpatium erubeſcerem, ſi ſemel illam ad mortem evitandam dedecore affeciſſem? Illamne geſtare poſſem, quin ſuſtinerem probrum, quod inceſſanter objiceret mihi, ubi ſemel me eadem indignum præbuiſſem? Mox vero ſe ipſum hac tegens, & involvens purpura, maluit glorioſam ſubire mortem, quam ſeſe ad actionem dignitate ſua minime dignam demittere. Hic eſt, Fratres mei, ſenſus quem vobis inſpirare debet Sanctus hic habitus, quo induti eſtis. Hic vos ſecernere debet a mundi ſectatoribus; cavendum igitur eſt, ne illum dedecore afficiatis iis actionibus quæ mundum ſapiunt, & in occaſionibus vos ex vobiſmetipſis quærite: nunquid hic habitus aliquis exprobrat mihi? num me rubore ſuffundet in Judicio Dei? Hoc accideret, ſi poſt ea, quæ feciſtis, ab incepto deſiſteretis, vitamque veſtram relaxaretis non ſuſtinentes

hujus

hujus habitus ſanctitatem diligenti in omnibus officiis veſtris regularitate, & praxi earum rerum, quibus voſmet addixiſtis. *Idem.*

Hortatio ad Confratres ut vitam ducant conformem ei in obligationi, quam ſuſceperunt.

Confratres Montis Carmeli, hæc vos cogitare oportet intuentes Scapulare, quod geritis. Geſtare S. Virginis inſignia, indui habitus illius, honorare, & invocare illam peculiaribus devotionibus, & quamvis omnes hæ cauſæ, quæ cohibere deberent veſtras cupiditates, & prava deſideria veſtra jugulare, iiſdem ſemper mancipari; intumeſcere inani veſtrummet exiſtimatione, extrinſecus quidem voſmet humiliare, & intus inflari vana ſanctitatis ſpecie; pœnitentiam, & auſteritatem crepare, & nullam vobiſmet vim inferre ad reſcindendum aliquid luxus, aut voluptatum; petere a Deo per Mariæ interceſſionem gratiam manſuetudinis, & patientiæ, & nihilominus nihil pati velle, quod ſolarium noſtrum perturbet; deteſtari peccata noſtra ſecundum formulas devotionis, & quotidie relabi minus ex fragilitate, & ex inopinato, quam ex voluntate, ac nequitia: hoccine eſt veros eſſe Mariæ devotos? Hoccine eſt gerere veſtem, cujus memoria omnes cupiditates noſtras deberet extinguere, ac earum impetum frangere? Quid? ut hoc pacto viveremus neceſſene erat, ut nomina noſtra ſcriberentur in Nomenclitura hujus Confraternitatis; ut ſimulata cum humilitate peteremus admitti in numerum domeſticorum B. Virginis? Non timetis, ne illa hac hypocriſi irritata vobis dicat, quod dicebat populo ſuo Deus per os Sophoniæ Prophetæ: *Viſitabo in ira mea ſuper eos omnes, qui induti ſunt veſte peregrina. Sermo Manuſcriptus.*

Confratres conſiderare debent felicitatē ſuam, qua aſſociati ſunt ordini Carmeli.

Neſcio, utrum Carmeli Confratres ea conſiderent bona quibus fruuntur in ſocietate, quam habent cum religioſis Sancti Ordinis Montis Carmeli, & utrum ſatis ſublimem conceperint ideam ſuæ felicitatis. Tandem ergo concipiant aliquando ſe per hoc participes fieri omnium meritorum hujus ordinis, vel ſi vultis, ipſos mereri in unoquoque ex his Religioſis, in omnibus muneribus, quæ exercent ſecundum ſpiritum vocationis ſuæ; ita ut dici poſſit, vi hujus fœderis & hujus unionis ipſos vigilare in his, jejunare in aliis, cilicium ferre in iſtis, Domino laudes concinere in illis, in Concionatoribus concionari, in Sacerdotibus offerre ſacrum; quia quod per ſe facere nequeunt, efficiunt per hos Religioſos, cum quibus conjuncti ſunt per affinitatem, quam habent cum ipſis. Ita Religioſi ſunt, quin vota nuncupent; ſervant caſtitatem, quin illam profiteantur; exercent paupertatem, quin ſuis ſe bonis exuant; jejunant, quin abſtineant; meritum aſſequuntur bonorum operum, quin eorum praxim habeant. Spirituales acquirunt divitias in omnibus mundi plagis, ad quas Ordo Carmeli ſe extendit; citra periculum commercium facientes, ſine labore diteſcunt; & non ſolum participes fiunt omnium bonorum operum quæ in ordine fiunt univerſo, ſed illorum etiam, quæ ibi facta fuerunt a mundi nativitate, & quæ ibidem fient in finem uſque ſæculorum. Adde his, quod Confratrum officia ſub peccati pœna non obligent; meritum habent mandatorum, quin pœnæ ſubjiciantur. Hæc illos virtute præditos faciunt, quin nocentes efficiant. Non imitantur mundi leges, quæ homines ſervos faciunt, eoſque gemere cogunt ſub pondere ipſarum, ita ut ſi Scapulare jugum eſt, Sancta Virgo cum Filio ſuo dicere poſſit; *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Auctor Recens.*

Labor in obeundis Sanctæ hujus Societatis muneribus levis eſt ſi conferatur cum utilitate, quam Confraternitas ſecum fert.

Ad vos dilectos Carmeli Confratres revertor, ad vos inquam; qui cum habeatis vim adeo tutam, ac facilem conſulendi ſaluti veſtræ, fortaſſe eadem uti negligitis. Nonne jure exprobrari vobis poteſt, curam animæ veſtræ noviſſimam eſſe omnium curarum, eamque a vobis nullo prorſus in diſcrimine haberi? Numquid vos deterret difficultas obeundi munera veſtræ profeſſionis? Quamvis SS. Virgo a vobis omnia exquireret bona veſtra, ut in tuto poneretis illa vitæ alterius; quamvis ut ſe ſe obligaret ad reſpondendum de veſtra perſeverantia, a vobis exigeret quidquid ferventiſſimi ex famulis ſuis ultro præſtiterunt ad illam honorandam; quamvis pro Scapulari vobis exhiberet cilicium, vel auſteræ alicujus Religionis habitum, nunquid vobis ambigendi locus eſſet? Nonne e contra amplectendum eſſet cum ardore pretioſum hoc pignus æternæ felicitatis veſtræ? Si vobis aliquid propoſuiſſet moleſtius, gravius, acerbius, vel magis difficile, & heroicum, hoc ſane prætermittendum non eſſet, cum procul dubio fieri poſſet. Quid igitur prætermittendum eſt, ut anima noſtra extra pereundi aleam conſtituatur, præſertim vero cum non niſi in æternitatem valeat perire? Si innocentiæ ſtolam amiſiſti per originale peccatum, illam reparare potes per Scapulare. Hoc promiſiſſe videtur Virgo Sanctiſſima, cum illud vocavit *Signum ſalutis, pacis, & fœderis æterni.* Et ſane ſicut finis Sacramenti Baptiſmi, ſecundum Apoſtoli Theologiam in hoc ſitus eſt, ut induamur JESU CHRISTO, hoc eſt gratia, & ſanctitate illius, tamquam ſtola innocentiæ: *Quicumque in CHRISTO baptizati eſtis, CHRISTUM induiſtis:* ſimiliter finis, & effectus Scapularis eſt, induere nos S. Virgine, hoc eſt ſua puritate, humilitate, modeſtia, obedientia, omnibuſque virtutibus ſuis tamquam habitu ſanctitatis. Quid hoc æquius, quid rationabilius? Si enim ex S. Ambroſio, hoc eſt officium Chriſtianis omnibus commune, eſſe non ſolum imitatores virtutum Mariæ, ſed etiam ſpiritus ejuſdem hæredes: *Sit in ſingulis Mariæ anima, & in ſingulis ſpiritus Mariæ:* hæc adhuc arctior eſt omnibus Scapularis Confratribus obligatio, ſpiritu S. Virginis animati, non aliam, quam illius, vitam vivere, & ejuſdem intentionibus inhærere. Quid S. Virginis habitus minus virtutis habebit, quam pallium Eliæ? Si duplex hujus Prophetæ ſpiritus cum pallio ipſius divina virtute migravit in Eliſeum ejus diſcipulum: audeo quoque dicere S. Virginis ſpiritum migraſſe in filios ejus cum Scapulari, quod eſt indumentum illius: *Fuit duplex Elias*, S. Chryſoſtomus inquit; *Surſum Elias, & deorſum Elias*. Elias reproductus fuit, & duo fuerunt in mundo; cur non dicamus, Sanctam Virginem ſe ſe produxiſſe in omnibus Carmelitis, & iis omnibus, qui huic Ordini ſe ſe aſſociaverunt per Scapulare, quandoquidem reliquit illis ſpiritum ſuum tamquam hæreditatem cum Sancto habitu ſuo. *Idem.*

Gal. 3. 27.

L. 2. c. in Luc. c. 1.

Hom 2. ad popul. Antioch.

Dici poteſt de habitu, quo Virgo Sancta dignatur Confratres ſuos id, quod ſemper dictum fuit de ornatu Sacerdotum, & de pallio de quo loquitur Tertullianus, quod cavendum eſt ne dedecore afficiatur.

Scapulari applicari poteſt, quod Yvo Carnotenſis dixit de habitibus Sacerdotum; & Tertullianus de pallio Chriſtianorum, cavendum eſſe ne tamquam ſalutis ſignum deferatur, quin habeatur ſimul & res ſignificata. Cavete igitur, Fratres mei, ut Sancto hoc Habitu induti, induamini etiam virtutibus Sanctæ Virginis, quæ juxta S. Anſelmi ſententiam, magis congruæ ſunt hominum infirmitati, quam virtutes JESU CHRISTI: Contendite, ne Sanctus hic Habitus vos rubore ſuffundat coram Deo, & coram hominibus, niſi vita veſtra fuerit conformis Sanctitati, cujus ſignum eſt, & qualitati filiorum Mariæ; quemadmodum enim ſolus habitus non conſtituit Monachum; ſolum Scapulare non facit prædeſtinatum. Verum eſt, veſtimentis Domini noſtri non defuiſſe virtutem morbos curandi; ſed tunc, ubi cum fide tangerentur. Similiter SS. Virginis Scapulare virtutem habet Sanctos faciendi; ſed tunc cum geritur cum ſpiritu illius; quod tunc fit, cum non ſolum eſt habitus ſanctitatis, qui gratiam meretur, ſed etiam habitus neceſſitatis, qui nos protegit in periculis, quibus in hoc vitæ curſu ſimus obnoxii.

DE

DE DEVOTIONE
ERGA SANCTISSIMAM VIRGINEM.
MONITUM.

Quamvis Devotio erga beatam Virginem generatim ſumpta, ſit argumentum, quod latiſſime pateat, magno tamen eſt Concionatoribus adjumento. Etenim cum multis negotium faceſſat integrum elucubrari Sermonem in ſingulas feſtivitates peculiariter, opportune Virginis devotio ſupplet; & exordii alicujus ope, os Auditoribus ſublinitur, eiſque proponitur ſermo, quo doceantur de officiis, quæ præſtanda ſunt Deiparæ; & hoc pacto latus aperitur campus ad explicandum quæ in pretio habenda ſint illius magnalia; quæ ſint rationes propter quas illam colere debeamus; quantam illa curam gerat noſtræ ſalutis; quænam ſint ejus qualitates Redemptricis, & Liberatricis humani generis; quod munus exerceat tamquam Advocata, & Mediatrix peccatorum apud Filium; & quam protectionem illis concedat. Itaque ad Auditoris eruditionem invenitur occaſio aperiendi zelum ſuum in propugnando cultu, qui jure debetur Matri Dei contra præjudicia non ſolum hæreticorum, qui illum delere conantur, ſed etiam contra nonnullos Catholicos, qui temere hanc redarguunt devotionem quaſi in immodicum, & periculo proximum exceſſum accederet, quamvis non diſcedatur ab Eccleſiæ doctrina, & ſententia Patrum, atque doctiſſimorum Theologorum.

Ecce quid devotio erga Virginem ſubrogare poteſt in locum quorumdam Myſteriorum, quæ modicum ſuppeditat copia ad ſermonem elucubrandum; quid libentius toleratur in feſtivitatibus localibus, vel quæ ſunt novæ inſtitutionis, in memoriam alicujus beneficii per ejus interceſſionem impetrati, vel alicujus miraculi, vel tandem quæ mera ſunt devotionis, ſemper tamen accedente approbatione Eccleſiæ: cum enim pauca ſuppetant dicenda in particulari, non deeſt jus confugiendi ad ea quæ dicere poſſumus generatim de devotione erga Deiparam.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus argumenti Synopſis.

I. Ut methodice de devotione, & officiis Chriſtiani erga S. Virginem loquamur, ad tria redigi poſſunt quæ ſermonis hujus partitionem efficient. 1. Ad ſenſus, qui habendi ſunt. 2. Ad cultum illi adhibendum. 3. Ad virtutes in illa imitandas. Cogitemus de S. Virgine, uti cogitandum eſt. Illam colamus uti colenda eſt; imitemur illam in iis, quæ poſſumus imitari. Sublimes ſenſus, quos fovebimus de merito ejus, & de admirabilibus perfectionibus illius erunt cauſſa, & ratio devotionis, quam illi profitebimur. Cultus, quem illi præſtabimus ratio erit, propter quam illi placebimus, ejuſque amorem, ac patrocinium nobis comparabimus. Imitatio eminentium virtutum ejus certam faciet noſtram prædeſtinationem, & confirmabit oraculi veritatem promittentis verum Mariæ ſervum perire non poſſe, & certum eſſe felicitatis æternæ ea certitudine, qua non alia haberi certior poteſt in vita.

In puncto primo. Senſus ſublimes, quos debemus concipere de S. Virgine ad regenda officia, quæ illi reddenda ſunt, deſumi debent 1. ex incomparabili dignitate Deiparæ, quæ altiſſima eſt, ad quam valeat Deus meram attollere creaturam; 2. ex eminentibus perfectionibus, virtutibus, & meritis ejus, quibus ſuſtinuit ſublimem hanc dignitatem; 3. ex eo quod pro nobis eſt Advocata, & mediatrix apud filium ſuum &c. 4. ex auctoritate, & poteſtate quam habet apud Deum, & quæ ſine ulla comparatione ſuperat reliquorum Sanctorum merita.

In altero puncto, quod reſpicit cultum, & obſequia quæ illi tribuenda ſunt, poſtquam Patrum, & Conciliorum auctoritate probatum fuerit, Sanctos honorari poſſe; facile poteſt oſtendi non deeſſe proprium, & peculiarem cultum pro Dei Matre, qui hyperdulia nuncupatur, videlicet poſt cultum ſupremum, qui Deo uni debetur, quidquid tribui poteſt honoris, obſequii, & laudis Sanctæ huic Virgini, nihil meritum ejus excedere poſſe, &c.

In tertio, quod eſt virtutum ejus imitatio, oſtendendum eſt, in hoc proprie conſiſtere devotionem erga Virginem, & huic inhærere omnia bona, quæ nobis ab hac devotione ſunt expectanda. *Ex libro Patris Aurelianenſis de devotione erga S. Virginem.*

II. Si hodierna die aggredior vobis verba facere de devotione erga B. Virginem, non ideo hunc apud vos ſermonem inſtituo, ut illam in vobis excitem, quandoquidem in vobis ſuppono erga Dei Matrem omnes zeli, & obſervantiæ ſenſus, quos illi debetis: Hoc igitur duntaxat ago, ut in re tanti momenti vos de illis erudiam, quæ Chriſtianis perfectis, & vere ſpiritualibus ignoranda non ſunt, ſi pervenire velint ad praxim rationabilis hujus cultus, quem Apoſtolus etiam, atque etiam nobis commendavit: *Rationabile obſequium veſtrum.* Itaque, Auditores lectiſſimi, quin vobis ſuadeam devotionem erga Mariam, fert animus docere, quomodo hæc devotio ſit inſtituenda, & ex ea proficiendum, ut per hanc ſanctificemini. Illius vobis veros characteres oſtendam, defectus aperiam, abuſus detegam, ut hinc qualis uſus faciendus ſit, intelligatis. Poteram ne argumentum eligere pietati veſtræ convenientius, atque utilius ipſi devotioni, de qua agitur? Hæc ex D. Bernardi ſententia in tribus præcipuis conſiſtit officiis, quæ ſunt honorare, invocare, imitari Mariam: Hæc tria perſequar; atque ecce vobis triplici verbo tota hujus Sermonis partitio. 1. Oportet S. Virginem honorare, ſed prudenter; hæc prima eſt propoſitio. 2. Oportet illam invocare, ſed efficaciter; hæc altera eſt propoſitio. 3. Oportet illam imitari, ſed religioſe; hæc tertia. Maria prudenter honoranda eſt; honor enim Reginæ cæleſtis, non ſecus ac Regis Regum JESU CHRISTI, præ ceteris hanc poſtulat conditionem: *Nam & honor Reginæ judicium diligit*, S. Bernardus ait, applicans Matri, quod ſcriptum eſt de Filio: *Et honor Regis judicium diligit*; hoc erit primæ partis argumentum. Maria efficaciter eſt invocanda; fruſtra quippe pollet apud Deum, ſi per noſtrarum precum indignitatem, vel per vitæ noſtræ impœnitentiam, ejus auctoritatem inutilem faciamus; hæc erit pars altera. Pro virili parte imitari debemus religioſe Mariam: illius enim ſanctitas prototypus eſt, ſecundum quem vult Deus nos conformari, & id niſi fecerimus, ſecundum quem nos judicabit. Hæc erit pars tertia. Tres Veritates æque idoneæ ad aliquid conferendum, & peccatorum converſioni, & Juſtorum ſanctificationi.

Rom. 12. Psalm. 98.

Pars prima. Honorate Mariam, ſed honorare prudenter. Si inter eos, qui addicti ſunt Virginis ſervitio, aliquis inveniri poteſt devotus indiſcretus, fatendum eſt etiam inveniri poſſe indiſcretos Cenſores inter eos, qui Virginis devotos ſugillant. Hi conquesti ſunt 1. quaſi Virgini, tamquam divinitati alicui, cultus adhibeatur: 2. quaſi illi deferantur honoris tituli, qui illam minime deceant, præſertim vero Mediatricis, ac Reparatricis: 3. quaſi illi nova deferantur privilegia, non in Scripturis, neque in traditione revelata. Hos queſtus ad examen vocemus, ac inde eruamus certas regulas prudenter honorandi cælorum Reginam. Queruntur 1. Mariam a devotis ſuis tamquam divinitatem adorari. Sed gratiæ habeantur Providentiæ: JESU CHRISTI Eccleſia non indigebat aſſerto ſalutari monito, quod nobis traditum eſt hac in re: neque enim Virgini, ſicut Deo, offerimus Sacrificia. Illam quidem honoramus, ſed cultu longe inferiori quidem quam qui pertinet ad Deum, ſed ſuperiori quam qui ad Sanctos pertinet, & hoc eſt illam prudenter honorare. 2. Queruntur, Devotos Mariæ illi tribuere honoris titulos, qui ad eam minime pertinebant, præſertim vero illos Mediatricis, & Reparatricis; ſed cum ſit Dei Mater, nullus eſt honoris titulus, qui illam non deceat. Et peculiariter S. Bernardus nonne illam Mediatricem appellat, & Reparatricem; & nonne teſtatur illam ævo ſuo in Eccleſia hoc nomine vocari conſueviſſe? Sed eſt etiam prudenter honorare Virginem, illi omnes tribuere qualitates, quas illi tribuit Eccleſia. Unus quidem eſt Redemptionis Mediator JESUS CHRISTUS; ſed non deſunt Mediatores interceſſionis, inter quos Virgini nonne primus locus tribuitur? 3. Queruntur de zelo, quem Virginis devoti præſeferunt in tuendis quibuſdam privilegiis, quæ in

illa

illi cognoſcunt gratiarum quidem in immaculata illius Conceptione, & gloriæ vero in ejus triumphali Aſſumptione. Sed ſemper in eodem principio permanentes ratiocinemur; ea omnibus privilegiis, quæ ſine jurium divinorum jactura divinæ Maternitatis nitorem commendat, ullumne eſt, quod rationabiliter illi negare poſſimus? Nonne ſufficit hæc privilegia a doctiſſimis Eccleſiæ Patribus eſſe recognita, a communi fidelium fide probata, validiſſimis conjecturis, ſolidiſſimiſque teſtimoniis innixa? Sed talia ſunt omnia privilegia, quæ honoramus in Virgine; ideoque prudenter hanc honoramus. Opus igitur eſt, ut miniſterium verbi Dei hodierna die ſit neceſſarium ad ſervandum cultum, quem Virginum omnium Sanctiſſimæ præſtamus? Sed quidquid Hæreſis conata eſt, Virginis cultus viguit, vigebitque.

Pars altera. Invocare S. Virginem, ſed illam efficaciter invocare. Virginem invocare poſſumus, quandoquidem Eccleſia Sanctos invocari poſſe decrevit; & alioquin certum eſt hanc Dei Matrem habere omnem miſericordiam, & poteſtatem, quæ neceſſaria eſt ad nobis opem ferendam. Ita Patres argumentati ſunt. Non ſolum Mariam invocare poſſumus, ſed debemus: cur? ut noſmet conformes præbeamus Eccleſiæ, ut gratiam nobis comparemus, ut nobis procuremus contra mundi pericula validum patrocinium, ut certam efficiamus ſalutem noſtram. Sed omnia in hoc ſita ſunt, ut Virginem efficaciter invocemus, videlicet ita, ut noſtræ preces illi placeant, & non fruſtra illam invocemus. Hac in re extrema duo ſunt evitanda; 1. Nimium confidentiæ in Virginis protectione, 2. nimis parum confidentiæ in hac eadem protectione; 1. nimium confidentiæ, quia nonnunquam preces offerimus ſibi nimis præſidentes, ideoque Deo contumelioſas, indignas Matre Dei, & nobiſmetipſis pernicioſas. Preces hujuſmodi efficaces eſſe non poſſunt. 2. Nimis parum confidentiæ. Mihi videor audire loquentes cenſores cultus Virginis, peccatores in ſtatu peccati ad illam confugere nequaquam poſſe; quia actu contritus, & pœnitens non eſt, & quia Dei amorem non habet. Sed eſto contritum, & pœnitentem non eſſe; nonne petere poteſt per Virginis interceſſionem, pœnitentiæ gratiam, & quin actu habeat amorem Dei, nonne poteſt illum deſiderare, & obtinere per Virginem? Eo ſæculo, quo videmus tot animas aberrare, & præverti ne obſtruamus illis vias reditus, & ſalutis. Una autem ex viis eſt ſincera in Virgine confidentia.

Pars tertia. Virginem imitari. 1. Quid in Virgine imitari debemus. 2. Quare imitari debeamus. 1. Sanctitatis perfectionem, perſeverantiam, & invariabilem ſanctitatis firmitatem. 2. Quare illam imitari debeamus, ut ſimus participes gloriæ ejus quam poſſidet. Hujus Virginis ope poſſumus ejus exempla imitari. Propter hoc confugiamus ad illam, ipſi noſmet devoveamus; devotionem ejus, & inviolabilem illius ſervituti adhæſionem profiteamur. *Hoc eſt argumentum, & partitio Patris Bourdaloue in ſermone Aſſumptionis.*

III. Aſſumptis pro themate verbis illis; Liber Generationis J. C. *Matth.* 1. Myſticus hic liber ab æterno conceptus in mente Dei ipſius, & tandiu expectatus, denique in lucem prodit, ut incipiat tenebras diſſipare omnium ſæculorum, & certus ſum, vos ſatis eſſe perſpicaces, ut re adhuc integra intelligatis librum hunc non alium eſſe niſi B. Virginem. Ipſa vero vitæ liber eſt, non ſolum quod ſinu ſuo illum complecti debet, qui vita eſt omnium hominum, & qui principem obtinet locum in genealogia Salvatoris mundi, qui ab illa ſuam temporalem Nativitatem recepit: verum etiam quia nemo locum inveniet in hac Sanctorum genealogia, niſi ille in hoc ſcriptus fuerit, videlicet niſi S. Virgo fateatur illum eſſe ex numero filiorum ſuorum. Hinc credidi, non poſſe me illi gratiorem efficere poſſe panegyrim, quam adnitendo plures illi ſervos comparare, neque horoſcopum in ipſo nativitatis ejus articulo feliciorem, quam oſtendendo ipſam eſſe Aſtrum propitium, quod præeſſe debeat ſpirituali nativitati juſtorum omnium, ut ſint ex numero prædeſtinatorum. Ceterum elogium, quod triduo hodierna die beatæ huic creaturæ, cujus nativitas potius cæleſtis eſt, quam terrena, illam vitæ librum appellans, fert animus probare

Sermone de Deipara. ſolum titulum hunc, cujus jam pridem poſſeſſionem obtinuit; quandoquidem S. Epiphanius illam appellat librum incomprehenſibilem, qui fecit, ut verbum æter-

Orat. 1. de Nativitate Virg. num legeretur in mundo, & qui ex S. Joanne Damaſceno eſt liber recens, quem præparavit Deus ab æternitate, ut ibi Verbum ſuum ſcriberet, & cum Verbo omnia ſecreta, quorum maximum, profundiſſimum, ac maxime impenetrabile eſt hominum prædeſtinatio.

Ad hanc igitur veritatem ſolide conſtituendam, & interea ea hac ſpeculatione hauriendam, ad quam argumentum me deducturum eſſe videtur; cum Angelico præſupponamus ex actibus voluntatis Dei, quæ ſpectant ad noſtram prædeſtinationem, tres eſſe præſertim, qui ceteros complecti videntur. 1. Amorem ſpecialem, quem habet Deus pro aliquibus ab æterno, per quem ſecrevit illos ex turba aliorum ſine aliqua cauſſa hujus amoris præter bonam voluntatem ſuam erga illos, quam Theologi vocant prædilectionem, amorem electionis, & prælationis, & quod efficit, ut vulgo Electi, & Prædeſtinati vocentur. 2. Eſt præparare illis media, quæ ſunt gratiæ, quibus certiſſime illos ad hunc beatum finem adducat ſecundum verba Auguſtini, qui collocare videtur in hoc totum prædeſtinationis ordinem quamvis pars tantummodo ſit. *Præparatio beneficiorum, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur.* 3. Illis Lib. 2. de Prædeſtin. SS. c. 27.
procurare finalem perſeverantiam quæ ſignum imponit æternæ eorum felicitatis. Sed ſi tota noſtræ prædeſtinationis œconomia ad hæc tria refertur, illam duntaxat ex parte Dei accipiendo, oſtendamus 1. Specialem hunc amorem, & prælationem hanc quam habet Deus pro nonnullis ab omni æternitate, reſpicere peculiariter famulos Mariæ: oſtendamus 2. illam quatenus diſpenſatricem omnium bonorum Filii ſui nihil prætermittere, ut illis procuret efficientiſſima ſalutis media, eaque certiſſima. Probemus 3. validis argumentis, ipſam illis obtinere gratiam finalis perſeverantiæ per protectionem, & ſubſidium, quod illis in mortis articulo ſuppeditat. Nonne tunc jus erit mihi inferendi devotionem erga glorioſam Dei Matrem ſignum eſſe prædeſtinationis, & glorioſam hanc Virginem eſſe vere librum vitæ, in quo recenſentur, qui ejus adhærent devotioni characteribus majoribus, ac melius connotatis, quam fieri poſſit in terra. Tria hæc Sermonis hujus partitionem conſtituent, ac totidem erunt argumenta conſolationis eorum, qui palam ſe eam colere profitentur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

De Protectione, quam Maria in cælum evecta largitur hominibus in terra.

IV. Poſtquam glorioſa Virgo terram reliquit Cæli poſſeſſionem, qua nunc fruitur, aditura tamquam Regina, nequaquam exiſtimandum eſt nihil illi reliquum eſſe quod faciat, vel nihil nobis ab illius bonitate, & cura eſſe expectandum. Illa profecto ad unguem adimplevit conſilia, quæ de eadem conceperat Deus, cum dederit mundo Mediatorem, qui nos cum æterno Patre reconciliavit, deinceps cooperata eſt operi noſtræ redemptionis, offerens Filium ſuum, & quodammodo ſacrificans propter hominum ſalutem: fuit etiam huic caro filio ſuperſtes tempore non ita brevi, ut Eccleſiam naſcentem, quæ ſuis indigebat exemplis, atque ſubſidiis, regeret, ac tueretur. Sed in cælo, quo aſſumpta fuit, inſignia nobis præbet ſuæ poteſtatis, & bonitatis erga noſtrum ſingulos argumenta per ſingulare patrocinium, quod nunquam negat, opem ſuam implorantibus. Ibi majori cura noſtræ ſalutis negotium procurat; ibi loquitur pro nobis, & nos tuetur ad tribunal Judicis ſupremi: illic eſt Mediatrix noſtra apud Filium ſuum: ibi denique impetrat nobis validiſſima ſubſidia, ſine quibus inceſſanter in jugi ſalutis noſtræ diſcrimine verſaremur.

Quam ob rem non ægre vobis perſuadebo, protectionem, quam expectare debemus a glorioſa Dei Matre in cælum evecta ad dexteram Filii, ſimul eſſe potentiorem & qualem tutius nobiſmet poſſumus polliceri; ſi illam nobiſmet promereri adniſi fuerimus; Hoc primum erit ſermonis punctum.

Secundum vero; nobis adnitendum eſſe, ut hanc protectionem nobis comparemus confidentia noſtra, precibus, zelo ſervitutis ejuſdem.

Punctum primum aperit quid illa operetur pro nobis; alterum vero, quid ipſi facere debeamus pro illa. Alterum nobis oſtendet, quid opis a Maria ſperare debeamus; Alterum vero, quid Maria expectet a noſtra fidelitate, & gratitudine. *Idem.*

De Devotione erga Sanctam Virginem.

V. Miramur nonnunquam, quod Sacer Textus novi Teſtamenti adeo pauca loquatur de magnalibus Virginis, & quantumvis modicum aeli habeamus, cuperemus Evangelium fuſius de elogiis illius verba facere. Sed in hoc, inquiunt Theologi, ſtatuenda eſt maxima laus ejus. Spiritus ſanctus, ajunt, non ignorabat ſuper quo fundamento conſtiturus eſſet ſuæ ſponſæ magnalia, credidit ſolam Deiparæ qualitatem recte explanatam omnibus elogiis ſuppleturam; & ubi probata fuiſſet Filii divinitas longa enumeratione miraculorum, quæ in dubitationem revocari non poſſunt, deinceps fore ut maximi honores quilibet nequaquam negarentur illi, quæ pro tanti Filii parente haberetur. Et ſane ſatis eſt duo hæc intelligere verba *Mater Dei*, ut abunde inveniatur quidquid ſatisfacere poteſt zelo gloriæ SS. Virginis; & quicumque recte penetraverit ſenſum duorum horum verborum inveniet, ubi conſtituere poſſit, & regere devotionem Fidelium erga Dei Matrem. Animadvertendum eſt enim duos eſſe ſcopulos æque evitandos in Mariæ cultu, quorum alterum eſt, in illa non confidere; alterum vero confidere uſque ad temeritatem. Errores duo, qui cum invicem adverſentur, æque nos privant ſubſidio potentiſſimo ſimul ac ſaluberrimo, quod ad vitam æternam habeamus. Alii S. Virgini negantes hanc ſine limite poteſtatem, & extremam hanc bonitatem, quam in illa veneratur Eccleſia, ſubruunt fundamenta noſtræ confidentiæ; alii vero bonitatem hanc exaggerantes, atque attollentes uſque ad mollem, ignavamque Indulgentiam erga ſcelera ſua tandem in damnatam incidunt præſumptionem. Ego vero affirmo, Deiparæ

qua-

Digitized by Google

qualitatem ſatis eſſe ad errorem utrumque auferendum; nam quatenus Mater Dei, habet ubi legitimam ſtatuat confidentiam, & ſine hac eadem qualitate habet unde inanem hanc præſumptionem evertat. Prima conſideratio præbebit ſummas conſolationis cauſſas famulis Mariæ, illis aperiens confidentiæ ſuæ cauſſas legitimas: Altera vero inſpirabit illis ſalutarem timorem, ne relaxentur, deſtruentes præſumptionis ſuæ fundamentum. *P. Cheminais ſerm. de Devotione erga Virginem Tom. 1.*

VI. Hæretici Devotionem erga Mariam ſuperſtitionis titulo inſimulant; ſpiritus fortes inanem vocant occupationem, & Novatores imprudentiam; ſed veri Chriſtiani ſolidam devotionem.

1. Et ſane ſolida eſt, quia fundata eſt ſupra lapidem fundamentalem J. C. Hoc illud eſt Evangelicum ædificium, quod ſupra firmam petram fundatum non ventis labefactari poteſt, non fluctibus concuti. Conſenſus omnium ferme Fidelium conſpirantium ad Mariam tot modis colendam, ſuamque confidentiam in illius protectione conſtituendam, & in omnibus neceſſitatibus ad ejus opem implorandam, & conflata fere conſpiratio ad eamdem tot, tantiſque laudibus extollendam omnes impulit fideles ad illam in honore habendam, & ſumendam pro Mediatrice apud Filium ſuum; zelus, quem præfefert Eccleſia in hac devotione Filiis ſuis inſpiranda, in peculiari cultu illi adhibendo, in Myſteriis illius celebrandis, in tot feſtivitatibus in honorem illius inſtituendis, in tot magnificis Templis illi ædificandis, in tot religionibus illi devovendis, quarum finis, & officium eſt eidem famulandi, denique multitudo fere innumera miraculorum, quæ Deus quotidie operatur in eorum gratiam, qui ad S. Virginem confugiunt, totidem ſunt demonſtrationes ſoliditatis hujus devotionis; Quibus qui victus non dat manus, cæcus eſt, vel pertinax, vel hæreticus.

2. Devotionis hujus ſoliditas in hoc ſita eſt, quod nos peculiariter adigit ad S. Virginem imitandam. Imitatio virtutum ejus eſt cultus acceptiſſimus, quem illi præſtare valeamus; cultus omnis, qui huc non tendit, ſuperſtitio eſt, vel inanis occupatio. Se ſe mancipare vitiis, quæ virtutibus ejus ſunt oppoſita, cum interim illi levium aliquot precum præſtatur obſequium, hoc eſt illam labiis honorare, dum ſimul corde dehoneſtatur. Salvi eſſe non poſſumus, niſi J. C. ſimiles evadimus: ſed ratio facilis, ac tuta ſimiles evadendi J. C., eſt Mariam imitari. Hæc illius autographi imago eſt perfectiſſima. Fieri poſſet, ut lumen; quod ex J. C. refulget, oculos noſtros perſtringeret, ſi in illum immediate eos figeremus. Exprimentes in nobis Mariæ lineamenta perfectam acquirimus cum Filio ſimilitudinem. Illa cum S. Paulo dicit nobis, ſed potiori jure, quam Paulus; Imitamini me, non ſecus ac ego imitata ſum Filium meum; ſed magis, quam Paulus obtinebit, quia nos ad ſe imitandam invitans certiſſime nobis impetrabit gratias ad illam imitandam neceſſarias. Nobis igitur adlaborandum eſt, ut imitemur omnes Mariæ virtutes, quæ pro nobis eſſe debent autographi loco; nobiſque perſuadere debemus, Filium ejus nobis dicere, quod olim Moyſi Deus, Reſpice fidelem hanc mearum virtutum imaginem, quæ tibi eſſe debent autographum, & in actionibus tuis illam exprimere conare per univerſa: tres vero potiſſimum, quæ illi ſunt antiquiſſimæ, humilitatem, puritatem, & amorem dilecti Filii ſui. *P. Neveu in Chriſtianis conſiderationibus pro ſingulis anni diebus.*

VII. Hæc quoque æquiſſima eſt Sermonis de Virginis devotione partitio.

1. Hanc ſolidam eſſe in principiis, quia innitur in voluntate Dei, qui illam ad altiſſimum dignitatis gradum attollens, quo creatura mera valeat attolli, voluit conſequenter, ut ab hominibus, Angeliſque in cælo, & in terra coleretur. Ratio docet nos, quidquid Sanctum eſt, & in gradu perfectionis ſupra communem uſum eminentia, venerationem, & reverentiam mereri. Sed poſt Dei Filium nihil perfectius eſt, majus, auguſtius Dei Matre; ideoque nihil venerabilius, & noſtro cultu dignius! Denique hæc devotio incumbit auctoritati Eccleſiæ, & ejus antiquitati; quia fundata eſt ſuper ipſius Chriſtianæ Religionis fundamento, & univerſali nationum omnium conſenſu, quæ univerſæ ſimul cum fide hanc amplexæ ſunt devotionem.

2. Sanctam eſſe in praxi; quia cultus, & obſequium, quæ illi præſtantur, ſunt officium Religionis, quod præſtatur Deo, & ad ſuum veluti fontem revertitur: preces, quæ illi nuncupantur Sanctas eſſe, & unctionis prorſus divinæ plenas; obſequia noſtra æque Deo, & Mariæ eſſe accepta; laudari Deum in elogiis, quæ illi deferuntur, quia Deus illi divinas perfectiones ſuas communicavit: & denique omnes hujus devotionis praxes eo tendere, ut nos ſanctiores, perfectiores, ac divinæ Majeſtati reddat acceptiores.

3. Salutarem eſſe in effectibus, quia nos ducit in tutum; nos fovet, ac regit in tentationibus, & in præliis quæ nobis inferunt ſalutis noſtræ inimici; nos protegit ab inſidiis, & laqueis, qui ab iiſdem ſtruuntur; Denique devotionem hanc, verbo, viam eſſe tutiorem, & faciliorem, per quam æterna felicitas valeat comparari; quamobrem Sancti affirmant hoc certiſſimum eſſe noſtræ prædeſtinationis indicium.

VIII. Magnam habere debemus devotionem Sacræ Matri Dei plurimas ob cauſſas, quas tamen ad tres potiſſimum redigere poſſumus.

1. Propter Deum, qui hoc vult, optat, imperat, ac inde honorem, & gloriam recipit.

2. Propter Virginem, quæ pluribus titulis meretur, amari, coli, obſervari.

3. Propter nos, quia hæc devotio nobis eſt ineſtimabilium bonorum cauſſa.

IX. Devotio erga S. Virginem certiſſimum eſt medium ad virtutem, & eminentem ſanctitatem acquirendam.

1. Quia efficit, ut inveniamus potentiſſimam interceſſionem apud Deum, ut gratias obtineamus, quæ ſunt neceſſariæ ad proficiendum in via perfectionis, & recentes in dies progreſſus in ſanctitate faciendos. Ad hæc, ſicuti ſub illius clientela, qui ei fideliter famulantur, ſe ſe a ſæculi corruptione præſervant, periculoſas occaſiones evitant, reſiſtunt pravorum exemplorum impreſſionibus, quæ ſæpe alios in interitum trahunt, & ſcopuli ſunt innocentiæ eorum funeſti; nullum invenientes obicem in exercitatione virtutis, magnis incedunt paſſibus, & ut cum Propheta loquar, currunt in viam mandatorum ejus, & citius ad perfectionis apicem perveniunt. Adjicite, ſi devotionis generatim proprium eſt mulcere pœnas, quæ a virtute ſeparari non poſſunt; ſicuti ambigi nequit, quominus Dei ſervitus ſuas habeat cruces, ex omnium Sanctorum confeſſione, ex quotidiana experientia innoteſcit; devotio erga Mariam non ſolum levius efficit jugum Domini, ſed efficit etiam, ut cum alacritate, & gaudio feratur; ita ut ſicut dulcedo proprius eſt character Genitricis Dei, videtur quoque effudiſſe dulcedinem ſuam in ea omnia, quæ ad ejus ſervitutem pertinent, & efficiat, ut ſuave, & jucundum videatur quidquid propter amorem ejus ſuſcipitur.

2. Quia ipſa eſt perfectiſſimum virtutis exemplar, quod imitari valeamus, ut ſancti, & perfecti evadamus, nobiſmet perſuadere debemus, Salvatorem nobis dicere quod olim Moyſi: Reſpice fidelem hanc virtutum mearum imaginem, quæ autographi loco tibi eſſe debet; & cura omnia illius exprimere lineamenta; hoc eſt virtutes omnes, quarum tres potiſſimum illi cordi ſunt, & per quas illa mihi ſimillima facta eſt. Prima eſt puritas; Maria Virgo, Maria omnium Creaturarum puriſſima, pati non poteſt cor immundum. Humilitas altera eſt virtus illius, quam peculiariter in illa imitari oportet, quæ ideo fuit Dei Mater, & ſuper creaturas omnes exaltata, quia omnium fuit humillima; itaque illa nobis æque ac Filius ſuus ait: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Tertia virtus, quam imitari debemus, eſt amor Filii ſui, quem ſemet ipſa infinite magis dilexit. Itaque perfectum hoc exemplar pro virili parte imitantes, nonne ſperare poſſumus fore ut quamprimum perfecti evadamus? &c.

X. Devotio, quam profitemur erga aliquem, a quo pendemus, in tribus plerumque conſiſtit. 1. In bonis qualitatibus, quas poſſidet, & meritis, propter quæ ad aliquam evecta eſt dignitatem eminentem. 2. In Beneficiis, quæ ab illo recepimus, vel quæ jugiter recipimus. 3. In protectione, quam nos conſecuturos ſperamus, & quam in neceſſitatibus nobiſmet poſſumus polliceri. Prima ratio parit in nobis ſenſus obſervantiæ, & venerationis. Altera ſenſum gratitudinis, tertia ſenſum confidentiæ. Facile eſt hæc omnia applicare S. Virgini, & inde ſermonis partitionem proponere.

1. Conſiderando quid illa ſit in gratia, & in gloria, meritum ejus, dignitatem quam tenet ſupra omnes meras creaturas, quam obſervantiam, quem honorem, quæ obſequia non illi debemus? Poſt ea, quæ debemus Deo, poſſumus ne aliquid nimium illi præſtare: Matri Dei, gratiis omnibus cumulatæ, elevatæ in gloria, dilectæ Deo, privilegiis ſuper puras omnes creaturas ornatæ, quæ præſtare non debemus officia? & nonne nos beatos æſtimare poſſumus, eo quod ejuſdem cultui devoti ſumus?

2. Quod ſpectat ad beneficia, quæ recepimus, & quotidie ab eadem recipimus: Dum viveret cooperata eſt ſaluti noſtræ conſentiens Myſterio Incarnationis, quæ eſt noſtræ felicitatis origo; conjungens paſſiones ſuas cum illis Filii ſui juxta Crucem; quia particeps fuit omnium Myſteriorum Salvatoris, & modo quam non debemus illi animi grati ſignificationem pro ea, quam nobis largitur protectione præ gratiis, quas nobis procurat; quandoquidem omnes tranſeunt per manus illius, & illas cuicumque ſibi placuerit, diſtribuit; pro Mediatricis officio quo fungitur apud Filium, ita ut de illa dicere poſſimus illa Sapientiæ verba: *Venerunt mihi omnia bona cum* Sap. 7.
illa. Omnia quæ habemus bona, ab illa in nos derivant, & omnia, quæ ſperamus, non niſi per ipſam conſequemur.

3. In illa finalem habere debemus confidentiam; quia certi ſumus ejuſdem auxilii in omnibus occaſionibus, in quibus ſalus noſtra periclitatur, præſertim vero in articulo mortis. Hanc invocat Eccleſia in omnibus publicis calamitatibus &c.

PARA-

PARAGRAPPUS II.

Fontes, unde hauriri copia poteſt ad has partitiones exornandas; & auctores de hoc argumento agentes.

Patres. SAnctus Auguſtinus ſerm. 18. de Sanctis, & 2. de Annuntiatione, poſtquam ubi ſermonem habuit ad Mariam amoris, & grati animi pleniſſimum, declarat ſe illius ope indigere devota oratione.

S. Andreas quem aliqui Jeroſolymitanum Patriarcam, alii Cretenſem dicunt, duos edidit ſermones de Mariæ obitu, in quorum altero ſimilem habet orationem ad illius opem petendam.

S. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus, qui ſeptimo vivebat ſæculo in libro, quem edidit de B. Mariæ Virginitate, ſimilem habet orationem cum omni teſtificatione obſequii, devotionis, affectus tam erga illam, quam erga Filium ejus.

S. Germanus Patriarca Conſtantinopolitanus, qui vivebat ſæculo octavo, & qui pro Religionis propugnatione in exilio deceſſit, ſermone primo de Virginis Præſentatione, orationem habet continentem ſenſus totius Orientalis Eccleſiæ.

S. Joannes Damaſcenus multa inquit de Magnalibus Mariæ, in tribus Sermonibus, quos edidit de Nativitate, quorum primo finem facit ferventi oratione, & invocatione ad Deiparam.

S. Petrus Damiani Cardinalis, & Oſtienſis Epiſcopus æque ſanctus, ac eruditus in primo ſermone de Nativitate ita loquitur de Mariæ poteſtate, ut locutiones ejus aliquot infirmos ſpiritus vulneraverint.

S. Anſelmus, quem Hæretici ipſi Theologorum principem vocant, mira narrat de vi, ac virtute S. Virginis in libro, cui titulus eſt, *De excellentia B. Virginis.*

S. Thomas Opuſculo 7. præter ea, quæ habentur in Summa, Mariam comparat Soli, & Lunæ propter bona, quæ procurat univerſo mundo, & propterea quod omnes homines ab illius pendent interceſſione.

S. Bernardus in primo Sermone de Aſſumptione magnificis loquitur verbis de Meditatione hujus Reparatricis mundi, & Mediatricis ſalutis noſtræ, ita enim illam appellat.

Idem in Sermone *de Aquæ ductu* vocat illam fundamentum ſpei ſuæ, & rationem addit, quia in ipſa conſtituat magnam confidentiam ſuam, & ſermoni finem facit valida adhortatione ad omnes homines, ut ſint devoti SS. Virgini, & ejus opem implorent.

Idem in pluribus ſermonibus, præſertim vero in illo, quem edidit de magno ſigno Apocalypſios, egregie diſſerit de Virginis Meditatione.

Idem ſermone 2. de Nativitate oſtendit omnibus neceſſitatem Precum Deiparæ.

Sapiens Idiota, nullum non movet lapidem, ut inſpiret mortalibus devotionem erga S. Virginem: hoc autem peragit in Præfatione Contemplationum ſuarum.

S. Bonaventura *in Pſalterio*, probat, devotionem erga S. Virginem ſignum eſſe prædeſtinationis.

S. Antoninus, & alii plures Auctores, qui de S. Virgine ſcripſerunt, loquuntur de obligatione, quam habemus ſerviendi illi, & afferunt propoſitiones S. Anſelmi, quibus oſtendit neceſſitatem devotionis erga Deiparam.

Theologi. Guillelmus Pariſienſis *lib. de Rhetor. cælesti* fuſum habet ſermonem de poteſtate Mariæ in ope ferenda illis, qui ad ipſam confugiunt.

Theologi plures veteres, & recentiores, quos recenſere longum eſſet, oon ſolum invictis probant argumentis, quam ſolida ſit devotio erga Mariam; verum etiam quam neceſſariæ ſunt preces illi factæ, & cultus, qui illi præſtatur, rite probatus, quorum præcipui ſunt.

Suarez *tom. 2. in 3. part. diſp. 23. Sect. 3.* ubi devotionem hanc vocat *utilem, & neceſſariam.*

Caniſius, qui lucubratus eſt libros adeo eruditos pro defenſione Virginis, oſtendit Patres non veritos fuiſſe tribuere per communicationem Deiparæ nomina, & qualitates, quæ uni J. C. convenire videntur, veluti cum vocant illam Spem noſtram, Mediatricem, cauſſam ſalutis noſtræ, & omnium gratiarum diſpenſatricem.

Salazar *in c. 2. Proverb.* pluribus Patrum teſtimoniis probat Deum decreviſſe nullam homini gratiam niſi per Mariæ interceſſionem ſe collaturum.

Vega ſcitiſſimus Theologus in opere, quod inſcripſit, *Theologia Mariana* eamdem ſtatuit doctrinam, & quidquid ſpectat ad cultum SS. Virginis; quin loquamur de Theologis antiquioribus, puta de S. Antonino 4. Parte tit. 15. c. 14. §. 7. S. Bonaventura ac pluribus Interpretibus, qui in eadem ſunt Alberti Magni ſententia, qui quadraginta rationibus probat, ſingularem devotionem Sacræ Matri Dei eſſe adhibendam.

Aſcetici. P. Pelprat Temeſianus ex Ordine S. Franciſci librum elucubratus eſt, quem Sixto IV. dicavit, in quo probat devotionem erga Mariam eſſe ſignum prædeſtinationis.

Recupitus, *de ſignis prædeſtinationis, & reprobationis* duodecimum prædeſtinationis ſignum vocat devotionem erga Mariam, & devotionis hujs carentiam habet pro nota reprobationis.

Pater Poire in celebri libro de Triplici Corona collegit quidquid dictum fuit in laudem Mariæ, & devotionis quæ illi adhibetur.

Pater Binet in libro de Mariæ perfectionibus.

Pater Spinelli fuſius loquitur de iiſdem perfectionibus, & de cultu, quo Maria honoranda eſt.

Pater de Argentano in tomo de Magnalibus Mariæ habet 23. collationem de Mariæ devotione.

Pater Craſſet ingens habet volumen *de vera devotione erga Mariam*, ubi nihil ad hoc argumentum deſideratur.

Liber, cui titulus: diſcurſus prædicabiles ſupra litanias Lauretanas, ubi Auctor in ſermone 3. oſtendit cultum, qui adhibetur Mariæ Virgini acceptum eſſe Deo; ſerm. autem 213. docet nationes omnes illam coluiſſe.

Pater Aurelianenſis librum edidit, cui titulus; Inſtructio Chriſtiana de devotione S. Virginis.

Domnus Gobinet in Adoleſcentiæ inſtructione *p. 2. c. 19.* loquitur de bonis, quæ proficiſcuntur a devotione erga Deiparam.

In libro, cui titulus; *Solitudo Virginum* Medit. 3. pro die 8. fit ſermo de devotione erga S. Virginem, & titulis quibus innititur.

Domnus Boudon in libro de devotione ad Mariam, omnia perſequitur, quæ ſunt hujus argumenti.

Domnus Abelly eximium edidit librum ubi Virginis devotionem propugnat.

Alius adeſt liber ſine nomine Auctoris, cui titulus: *Apologia devotorum S. Virginis contra libellum impium continentem ſalutaria Monita B. Virginis ad devotos indiſcretos.*

Pater le Valois tomo 4. operum in internis colloquiis de Myſteriis S. Virginis, habet præclaros ſenſus hujus argumenti, devotamque Paraphraſim in *Salve Regina.*

Pater Nepveu tomo 1. Conſiderationum Chriſtianarum loquitur de devotione ad Virginem in tomo ſecundo veræ devotionis, & in tertio, & quarto de ſoliditate hujus devotionis. Concionatores recentes.

Pater Bourdalove in 2. tomo Myſteriorum eximium habet ſermonem de devotione Mariæ.

Pater Cheminais unum ejuſdem argumenti tom. 2. ſermonum.

In Elogiis hiſtoricis Sanctorum tomo 2. ubi ſermo eſt de Scapularis Sodalitio, non deſunt loci eximii adverſus eos, qui improbant elogia, quæ S. Virgini deferuntur, vel qui ſuperſtitionis, & imprudentiæ redarguunt teſtimonia devotionis, & cultus, qui oſtentatur.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. tomo 2. Myſteriorum, ſermone 2. de Nativitate Mariæ, oſtendit devotionem erga Dei Matrem ſignum eſſe prædeſtinationis.

Idem in ultimo ſermone tomi ejus loquitur de protectione quam glorioſa Virgo io cælum exaltata præbet hominibus ſuper terram, & confidentia, quam ipſi habere debent in ejus bonitate.

Labatha *titul. Maria.*

Homiliæ Cartagenæ de devotione erga Beatam Virginem. Qui collectanea edidere.

Tomi duo diſcurſuum in Litanias Lauretanas.

Illi qui tractatus ediderunt de hac devotione, cujuſmodi ſunt Pater de Argentano, Pater Binet, Pater Spinelli.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figura Biblica hujas argumenti.

SAlvum fac filium ancillæ tuæ: fac mecum ſignum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur. Pſalm. 85.

O Domine quia ego ſervus tuus & filius ancillæ tuæ. Pſalm. 115.

Mecum ſunt divitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & juſtitia, ut ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam. Prov. 8.

Qui in me peccaverit, lædet animam ſuam; omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Ibidem.

Ego diligentes me diligo, & qui vigilant ad me, invenient me. Ibidem.

Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem a Domino. Ibidem.

In me omnis gratia viæ, & veritatis, in me omnis ſpes vitæ, & virtutis. Ibidem.

Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me, non peccabunt. Ibidem.

Qui creavit me requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi, in Jacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices. Eccli. 24.

Filii Matris meæ pugnaverunt contra me. Cantic. 1.

Exempla, & Figuræ Veteris, noviquæ Toſtamenti.

CUR cogitatis Deum fingere volentem primam omnium viventium matrem ſumpſiſſe os de corpore primi hominis, ut inde hujus mulieris corpus formaret? Cur non ſumpſit humum, quod jam fecerat, ut hominis corpus ædificaret? Et quare cum eduxiſſet unam ex coſtis humani corporis, locum carne tan- Quod figuratum fuit in perſonis Adam, & Evæ in creatione adimpletur in J. C. & in Maria.

Digitized by Google

tantum replevit: *& replevit carnem pro ea?* Nonne alterum illi os reddere poterat pro illo, quod abſtulerat? Quod hic latet Myſterium? Oſſa robur habent, & firmitatem; caro autem duntaxat infirmitatem; quæ mutatio! quæ adeo videtur inæqualis, & deterioris conditionis. Tertullianus ait, Creatorem producentem primum hominem Adam, meditatum fuiſſe J. C. Adam alterum; *CHRISTUS meditabitur homo futurus.* Poſſumus ergo comparationem perficere, & dicere, Deum producentem mulierem primam quam dabat Adæ in adjutorium ſimile ſibi, meditatum fuiſſe SS. Virginem, quam dare cupiebat alteri Adæ tamquam adjutorium illi ſimillimum. Quod actum fuit in opere creationis, erat figura, & prophetia ejus rei, quæ erat adimplenda in Incarnationis Myſterio pro hominum redemptione. Ibi videbatur homo primus dare mulieri oſſa ſua, ſuumque robur, ut par fieret illi adjutorium præbendi, ut Mundum incolis frequentem faceret, dum in permutationem reciperet carnem, & infirmitatem. Hic alter videtur Adam J. C. Induere S. Virginem divina virtute ſua, ut ſecum cooperetur in magno opere ſalutis electorum omnium, cum interim ab illa non recipiat niſi carnem, & infirmitatem. Utrum admirabilius videre humanam infirmitatem quam omnipotens Deus recipit a Virgine, an videre divinam potentiam, quam Virgo recipit in permutationem a Deo omnipotente? Utrumque videtur æque fere incomprehenſibile; ſed utrumque erat neceſſarium, ita ut Adam ſecundus habuerit adjutorium ſibi ſimile, & uterque eſſent veluti parentes prolixæ, & numero carentis poſteritatis omnium electorum.

Magnum miraculum quod accidit in deſerto in gratiam Iſraelitarum applicitum S. Virgini.

Mementote eorum, quæ in Exodo ſcripta ſunt. Filii Iſrael iter agebant in deſerto, & gradiebantur verſus terram promiſſam duce Moyſe, & itineris tempore ſiti magna laborabant. Præcepit Deus, ut Moyſes ad rupem loqueretur, eique imperaret, ut pauperi populo aquam ſuppeditaret, Moyſes ſatis non eſſe ratus loqui ad rupem, illam ſua virga percuſſit, & inde manare cœpit aqua affluenter. Ecce ingens miraculum, quod deinceps multo majus viſum eſt, quia aqua illa non defecit, & nunquam defuit in itinere toto, quod quadraginta duravit annos; & quoniam Iſraelitæ ſæpe manſionem mutabant, miraculum prodigii inſtar habebatur, eo quod aqua illos quocumque ſubſequebatur. Sive rupes, quæ fons erat, cum illis iter faceret, inſtar lixarum, & calonum, qui fideliter agmen ſequuntur, quemadmodum dixiſſe videtur Paulus in prima ad Corinthios: *Conſequente eos petra:* (1. ad Cor. c. 10.) ſeu aqua tantum illos quocumque ſubſequeretur, ubique affluenter aquam ad bibendum repræſentans, ad relevandam ſitim frequentiſſimi exercitus illius; ita ut nunquam illis deficeret, donec in deſerto ambularunt. Quis non fatebitur hæc eſſe prodigia admiratione ſæculorum omnium digniſſima? Tamen hæc non erant niſi figuræ; nos autem habemus veritatem, quæ ſine ulla comparatione eſt longe admirabilior. Filii Iſrael repræſentabant id, quod ſumus; deſertum per quem ferebantur in terram promiſſam tranſituri, erat figura vallis hujus lacrymarum, quæ neceſſario nobis traducenda eſt antequam perveniamus ad beatam viventium terram, quæ nobis promiſſa fuit. Illi ſiti laborabant; nos vero longe crudeliorem ſuſtinemus, cum inceſſanter igne noſtrarum concupiſcentiarum æſtuamus. Denique rupes, ex qua manabat aqua erat explicita J. C. figura, qui efficit, ut omnes gratiæ ex ſinu ſuo fluant, quemadmodum S. Paulus his explicat verbis. *Petra autem erat CHRISTUS.* (Ibidem.) Quod autem ad rem noſtram facit, illud eſt, quod ſcite nonnulli ajunt Interpretes, Deum gratiam hanc conceſſiſſe ad preces & ſollicitationes Mariæ ſororis Moyſis; quod probant quibuſdam rationibus non contemnendis, & veteri traditione; quod applicare poſſumus S. Virgini in deſerto mundi hujus, in quo ad terram promiſſam anhelamus. Deus enim in illius gratiam effundit abunde aquas vivas gratiæ ſuæ ſalientes in vitam æternam, quemadmodum loquitur Scriptura.

Mirabilis Moyſis libertas ſe ſe opponentis Deo pro peccatoribus; Mariæ pro nobis major gratia.

Quis non obſtupeſceret conſiderans voluptatem, qua Deus gaudet videns ſervum ſuum, ac familiariſſimum ſuum reverentialem illi vim facere, ad prohibendum ne in populum animadvertat. Moyſes, inquit illi Deus, populus hic infidelis eſt mihi, ac rebellis voluntatibus meis; in illum quam ſeveriſſime animadvertere volo. Domine, egomet me tibi oppono, reſpondit Moyſes, & quæſo, ut illis parcas. Sed venia indigni ſunt, delaſſarunt patientiam meam duritia ſua, me criminibus ſuis ad iracundiam irritaverunt; dimitte me; eos perdere volo. Domine, Moyſes inquit, non patiar, nequaquam perdes populum, quem dediſti mihi, ut illum ſervarem tibi. Ne vetes me ulciſci, Deus inquit; ne coarctes manus meas; exterminare volo populum hunc nequam, & faciam te paſtorem alterius populi frequentioris. Nequaquam, Domine, reſpondit Moyſes: hoc tibi non permittam, nunquam aſſentiar: parce huic populo, vel potius dele me de numero amicorum tuorum: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro quem ſcripſiſti.* (Exod 32.) Verum ſi placuit Deo parcere ad preces ſimplicis ſervi ſui, quid non aget ad preces Matris Sanctiſſimæ? Quamvis non aliud eſſet, niſi humilis ejus ancilla: *Ecce Ancilla Domini,* (Luc. 1.) nonne poteſt ſe objicere iræ illius, quin offendat illam non magis, quam Moyſes, & prohibeat ſupplicationibus ſuis, ne in peccatores animadvertat? Sed Mater illius eſt, & tamquam Mater Supremam habet auctoritatem, quam nemo cum illa partitur.

Maria comparata cum magno illo ſigno in Apocalypſi mulieris amictæ ſole, &c. Apoc. 12.

Sancta Virgo magnum eſt ſignum illud, de quo ſermo eſt in Apocalypſi: *Signum magnum apparuit in cælo.* Quodnam autem eſt ſignum hoc adeo admirabile? *Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus,* & in capite ejus ſtellarum corona. Hoc profecto magnum eſt ſignum, & certiſſimum, quod habere poſſimus ſalutis noſtræ, noſtræque æternæ felicitatis, fautricem habere illam, quæ duo hæc ſimul novit conciliare lumen ſolis, & lumen ſtellarum; ita ut juſti, qui ſunt in magna luce gratiæ, recipiant fulgidiora ſolis hujus lumina, & illi, qui conſepulti ſunt in denſioribus tenebris peccati, ibi etiam inveniant lumina noctis; videlicet gratias reſurgendi, ut aliquam ſalutis ſuæ ſpem accipiant. *Signum magnum apparuit in cælo.* Quod ſi hoc ſignum accipimus in ſenſu Apoſtolorum, pro quodam aſtrorum nexu, quemadmodum dici conſuevit, aliquem beatum fore, quia natus eſt ſub hoc ſigno, vel ſub ſydere propitio; profecto SS. Virgo erat in hoc ſenſu *ſignum magnum,* ſignum maximum æternæ felicitatis noſtræ, & ſydus præſtantiſſimum, ſub quo nos naſci, & vivere poſſemus in hoc mundo; quoniam juſtitiæ Sol illi eſt loco Regii pallii, quo protegit ſervos: *Signum magnum.* Iterum dicam, hoc magnum eſt ſignum prædeſtinationis, & maximum ex iis, quæ haberi poſſunt in hac vita, quoniam efficit, ut omnia ad id conſpirent, ut omnia nos adducant ad portum æternæ hujus beatitudinis, & omnia inferioris hujus mundi omnimode feliciter cedant in noſtram utilitatem.

Sermo a Mardochæo habitus ad Reginam Eſther, ut illam adigat ad protegendum populum ſuum, haberi poteſt ad Mariam, ut illam impellamus ad nos in periculis protegendos.

Cum Regina Eſther ad ſupremum honoris gradum ſublata eſſet dum populus Dei gemeret ſub jugo Aman ſuperbi, & periculum inſtaret ne hujus ultionis victima fieret; Mardochæus, qui educaverat illam, eique patris loco fuerat, hunc ad illam ſermonem habuit, ut ſuaderet illi opem ferre populo ſuo: *Quis novit utrum ad regnum perveneris, ut in tali tempore parareris?* Quis novit utrum divinis factum fuerit conſiliis, te ad regni ſolium perveniſſe, ut protegeres populum tuum? modo actum eſt de nobis, niſi præſentem feras opem ad avertendum malum extremum, quod imminet nobis. Similiter dicere poſſumus, unum ex fundamentis elevationis Mariæ, eſſe miſericordiam, quam voluit Deus ab illa exerceri erga populum Chriſtianum, cum venerit in mundum propter eoſdem fines, pro quibus Dei Filius factus eſt homo, videlicet propter humani generis ſalutem, & quia gloria, & honore coronata non eſt, niſi ut hominum ſalutem procuret: quæ ſi ſedet modo ſuper thronum prope Filium ſuum, ideo ſedet, ut facilius, & potentius loqui poſſit pro nobis. *Quis novit utrum idcirco ad regnum perveneris, ut in tali tempore parareris?* (Eſther 4.)

Enixæ preces quas fundit Maria ad impetrandam nobis veniam a Deo, collatæ cum illis, quas mulier prudens obtulit David, ut hic parceret filio Abſaloni.

Preces, quibus utitur Maria pro noſtra reconciliatione cum Filio ſuo, comparari poſſunt cum precibus, quibus uſa eſt prudens illa mulier, cujus Scriptura tantopere laudat prudentiam, & quæ eo ſermone, quem ipſa illi præparaſſe videtur Sapientia, obtulit ſe Davidi ut ab hoc Rege Abſalonis reditum in gratiam obtineret. Rex, ita illa, ego ſum Matrum omnium miſerrima. Duo mihi erant filii: cumque inter illos oborta eſſet contentio, natu major periit in certamine; cumque minorem juſtitia in jus rapuerit in parricidii pœnam, minoris vitam, qui unus mihi ſupereſt, depoſcit; quæ ſi valeret judicum ſententia, ego ſine liberis manerem, & nomen meum periret in Iſrael; *Et quærunt ſcintillam meam extinguere.* (2. Reg. c. 14) Miſertus David matris miſeræ, ſuam interpoſuit auctoritatem vitam ſervaturus filio; & ubi Myſterium illi explicitum fuit, Rex Abſalonem acceſſivit, eique gratiam conceſſit. Figuræ hujus aperta eſt applicatio. Nos inſurreximus contra primogenitum noſtrum, æque perfidi ac Cain ob illatam necem Abel innocenti. Nonne æquum eſſet, ut morte turpis hujus fratricidii pœnas daremus? S. Virgo prudens illa, & pia mulier eſt, quæ tamquam mater pro nobis oratura ad divinæ juſtitiæ thronum accedit. Hæc ejus interpellat miſericordiam, & obtinet vitam illius, contra quem mortis ſententia prolata fuit. Adeo rationem habet Deus mediationis ejuſdem, & illa pro peccatoribus pœnitentibus tantam habet auctoritatem.

Amor Rebeccæ erga Jacob procurat illi benedictionem Iſaac figura beneficiorum quæ Maria procurat illis, qui illius ſervitio devoti ſunt.

Inter S. Virginis figuras, quas in Scriptura invenimus, & quas in peculiaribus myſteriis memoravimus; Rebecca una eſt ex celeberrimis, & præ ceteris denotat gratias, quas obtinemus per Mariæ interceſſionem. En duplici verbo hiſtoriam. Eſau cum natu major eſſet, jus habebat ad paternam benedictionem Iſaac, niſi illam ceſſiſſet, & vendidiſſet jus primogeniti fratri ſuo Jacob, eo modo quo in Scripturis narratur. Eſau carus erat Iſaaco patri, Jacob autem matri Rebeccæ, quæ ſua dexteritate, vel potius ſecreta providentiæ diſpoſitione, fecit, ut benedictio, qua primogenitus ſe indignum præbuerat, incideret in minorem natu,

qui

qui opera ſua, blanditiis, & aſſiduitate Matris ſibi deliniverat affectionem. Quemadmodum vero ſecundum Sanctorum Patrum ſententiam, & ipſius Scripturæ locutionem Jacob, & Eſau ſunt figura alter quidem prædeſtinatorum ad Cæleſtem hæreditatem, alter vero reproborum, quorum portio eſt adeps terræ, S. Virgo non poteſt melius repræſentari, quam a Rebecca, quoniam per ſingularem affectionem, qua complectitur eos, qui devoti ſunt ejus ſervituti, procurat illis Cæli rorem, electas videlicet gratias & benedictiones Patris Cæleſtis, & hæreditatem gloriæ in retributionem ſervitutis, quam illis præſtiterunt, & devotionis, quam pro illa habuerunt, dum viverent.

Reliquas omitto figuras, quæ aliquam habere poſſent rationem cum devotione erga S. Virginem, & quæ innuunt protectionem, quam largitur famulis ſuis, cujuſmodi ſunt Arca Noe, vellus Gedeonis, Scala Jacob, columna nubis dux Iſraelitarum in deſerto, Iris, aliæque plurimæ, quarum applicationem perſequi longum eſſet, ac moleſtum.

Applicatio nonnullorum Scripturæ locorum, huic argumento.

Dei Filius dans Matrem ſuam S. Joanni, dedit illam in Matrem omniũ prædeſtinatorũ.

MUlier ecce Filius tuus: ecce Mater tua. Joann. 19. Quamvis nihil habeamus in ſacris litteris, quod formaliter, & explicite tribuat Filiis Virginis jus peculiare ad gloriam, tamen in utroque Teſtamento plura invenimus teſtimonia, quæ hanc tamen veritatem videntur innuere. Hujus generis illud eſt, quod Sanctus Joannes refert, JESUM CHRISTUM cum eſſet in Cruce, & videret Matrem ſuam cum dilecto diſcipulo, dixiſſe Matri, *Mulier ecce Filius tuus;* & mox diſcipulo: *ecce Mater tua*. Magna ſunt in his verbis Myſteria. Ne referam quidquid Patres dixerunt in hoc argumento, immorer in ſententiis plurium Doctorum, qui docent Virginem tunc repræſentaſſe Eccleſiam tamquam ſaniorem partem illius, & ipſam concurriſſe cum filio Dei ad productionem ſpiritualem omnium electorum, quos mortalibus cum doloribus ad Crucis pedes parturiit. Addunt etiam S. Joannem repræſentaſſe omnes prædeſtinatos, & omnes adoptivos Dei filios, qui dati fuerunt Virgini, & poſiti ſub ejus protectione. Sed ſi S. Joannes repræſentabat omnes Dei Filios, & omnes prædeſtinatos, ſequitur, omnes prædeſtinatos dari Virgini, ideoque ex hoc eſſe numero, ſi fuerint Mariæ filii, & omnes prædeſtinatos eſſe ex numero filiorum ſuorum. Ita poſt ſexdecim ſæcula nobis jus eſt illam in adjutorium noſtrum vocandi ſub titulo adeo ſuavi, & propitio. Angelus olim dixerat illi: *Ecce concipies*, & JESUS CHRISTUS Filius ejus uſus eſt oſtendens illi S. Joannem diſcipulum ſuum, ſimili locutione, *Ecce Filius tuus*. Tunc, Patres aliqui dicunt, apparuit magnum divinæ caritatis Sacramentum, relinquendo nobis Matrem ſuam loco protectricis, loco Conſilii, Advocatæ, & Matris, docens nos, qua reverentia, qua veneratione, qua confidentia ad illam accedere debeamus; Si enim dedit illam S. Joanni, & in perſona ejus Eccleſiæ univerſæ, hoc accidit ex parte quidem, ut diſcipulus hic illam honoraret tamquam Matrem ſuam ſpiritualem, illam, quæ vere Dei Mater erat, ex altera vero parte, ut daret huic Matri quam brevi amiſſurus erat, recentes filios, quos ut ita dicam, in lucem edidit.

Luc. 1.

Maria obliviſci nequit ſe Matrem eſſe noſtram. Sed propterea in mortis articulo oſtendit filiis ſuis Matris affectum illis curis ſuis vitam producit æternam.

Nunquid obliviſci poteſt Mater infantem ſuum, ut non miſereatur utero filii ſui. Iſai. 19. Mater obliviſcine poteſt ſe Matrem eſſe, & relinquere filium ſuum? & quamvis hujus obliviſci poſſet, Deus ne, cui major ineſt caritas, quam Matribus omnibus, profitetur, ſe nequaquam obliturum. Tu vero, SS. Virgo, obliviſcine potes tot filiorum, quos tanto amore proſequeris? Quam in occaſionem reſervares tibi hanc Matris affectionem oſtendere, ſi obliviſcereris noſtri in hora mortis, & cum imminet periculum in nullam reditus ſpem intereundi? Ubinam eſſet hæc Matris amor, & affectus, ſi ad intuitum periculi adeo terribilis otiata, tranquille ſineres, miſere perire eos, quos tamquam filios reſpicis? Quid! nullo ſenſu affecta calamitatis noſtræ, quam unica prece poſſes amovere, abnues iis ferre opem, qui te amarunt, coluerunt, & tamquam Matri ſuæ famulati ſunt? Hæc una cogitatio tibi infert injuriam; hæc nunquam ingredietur in animum meum, & ſi unquam ingrederetur, dicerem tibi cum Eccleſia: *Monſtra te eſſe Matrem;* Oſtende, te vere noſtram eſſe Matrem in hora mortis; tunc enim potes nobis beatam vitam procurare. In exemplum dolorum partus dediſti Filio tuo in ſtabulo Bethleem vitam ſimilem noſtræ; ſed ut dares nobis vitam ſupernaturalem ſimilem ſuæ, quid paſſa non es juxta Crucem? & modo, ut nos vivere facias vitam gloriæ, & ab æterna morte nos liberes, utaris ſatis eſt favore, atque auctoritate tua; & id negabis? hoc fieri nequit.

Amor noſter erga B. Virginem ſignum eſt, nos viciſſim ab illa amari.

Qui diligit me, diligetur a Patre meo. Joann. 14. Hac in re dicere poſſumus, quod ipſe olim Salvator dixit Apoſtolis ſuis: Qui diligit me diligetur a Patre meo; quoniam nexus neceſſarius inter duos hos amores invenitur. Similiter S. Virgo dicere poteſt: *Qui diligit me, diligetur a Filio meo*. Qui amat me, meretur amorem filii mei; quia alter ſimul eſt effectus, & cauſſa alterius. Eo uſque, ut Salvator aliquando revelaverit Sanctæ cuidam mulieri, Matrem ſuam ſibi eſſe tamquam illecebram ad peccatores ad amorem ſuum pertrahendos: *Mater mea eſca eſt dulciſſima, qua peccatores ad me pertraho*. Beati, quibus contigerit hac eſca capi; nihil inde nobis metuendum eſt; eſca iſta non tegit hamum, ad nos perdendos, ſed ad vitam nobis conferendam. *Qui me invenerit, inveniet vitam.* S. Brigittæ. Itaque ſi ad hoc ut prædeſtinati ſimus conjuncti eſſe debemus cum Salvatore Mundi, tamquam membra capiti ſuo, nullum enim vinculum eſt arctius in natura vinculo ſanguinis, quo fratres ſimul junguntur; pariter nullum eſt in gratia, quo fortius adhæreamus Mundi Salvatori, qui, ut S. Paulus ait, Primogenitus eſt in multis fratribus, niſi hæc ratio in terris habendi unam, & eamdem Matrem. Sequitur ergo optimum medium ſemet conjungendi cum corde Filii Dei, qui fons eſt omnis noſtræ felicitatis, eſſe ſeſe conjungere cum corde SS. Virginis. Sancti Patres illam Matrem viventium appellant, videlicet prædeſtinatorum. Ipſe eſt arboris truncus, & omnes electi, rami ſunt; ſed opus eſt, ut ita dicam, illos haurire vitam, & ſuccum ex eadem radice, quæ eſt S. Virgo, cui ipſa Eccleſia hoc præbet elogium: *In Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Eccleſ. 24.

Qua in ſenſu Maria eſt omnipotens apud Filium, & quomodo dici valeat hanc eamdem eſſe potentiam.

Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra. Matth. 28. Omnis poteſtas collata fuit tibi S. Virgo in Cælo, & in terra. Utrobique te geris tamquam Dominam, & nihil eſt impoſſibile tibi quoniam non alia eſt poteſtas tua niſi illa Filii tui. Et profecto hoc unum diſcrimen eſt, quod Filius illam habet a ſe, quatenus Deus ſimul, & homo; & S. Virgo ſolum per gratiam, & communicationem, quod minime vetat, quominus ſit eadem poteſtas: non ſecus ac illa, quam Princeps communicat Miniſtris ſuis tantum abeſt, ut deroget Principis auctoritati, ut potius illam ſtatuat, & revera una, & eadem eſt. Hoc nobis ſemel pro ſemper ſupponendum eſt, ne locum præbeamus hominibus, vel hæreſi infectis, vel falſo zelo correptis, quaſi hoc eſſet Creatori auferre, quod Sancti Patres unanimi conſenſu feliciſſimæ huic creaturæ tribuerunt. Summi iſti viri, quorum fides non erat minus pura, quam mores Sancti, nequaquam crediderunt ſibi attendum hac cautione; locuti ſunt ex abundantia cordis, aliis illuſtrati luminibus, quam illa ſint horum Spirituum nequam, qui duras, & hyperbolicas loquendi rationes vocant ſententias, quas tot eximii Doctores approbarunt, & quibus eadem utitur Eccleſia in eo, quem illis adhibet, cultu. Nihil igitur dico de hoc argumento, quod Sanctorum Patrum ſententiæ adverſetur, & non credo mihi ſermonem meum interpellandum eſſe modificationibus, aut explicationibus quas præteritorum ſæculorum Patres ſibi afferendas eſſe minime cenſuerunt.

Confidentia, quam habemus in S. Virgine non debet amorem ſalutis timorem excludere.

Ego Mater pulcra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ Spei: Eccleſiaſt. 24. Ut ſcite, ac tuto procedamus in ſalutis noſtræ negotio amor cum reverentia, & cum ſpe timor conjungendus eſt. Hoc monet S. Virgo per hæc verba, quæ illi tribuit Eccleſia: *Ego Mater pulcra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ Spei*. Diligamus illam tamquam Matrem dilectionis, veneremur illam tamquam Matrem juſtitiæ, colamus illam tamquam Matrem cognitionis, & tamquam Matrem ſanctæ ſpei illam invocemus. Oremus illam, ut nobis gratiam obtineat noſmet convertendi, & agendi pœnitentiam, ut poſſimus videre, & colere illam tamquam gloriæ Matrem in Cælo. Dicamus illi ſæpe cum omnibus amoris, & caritatis ſenſibus: O Mater gratiæ, & miſericordiæ! quæcunque peccata patraverim, nullam de bonitate tua diffidentiam poſſum concipere. Terret me quidem infidelitatum mearum, ac præteritarum ingratitudinum recordatio: *Ego dixi, in dimidio dierum meorum*, cum optimo Principe Scripturæ: *vadam ad portas inferi*. Actum jam eſt de ſalute mea; nil ſpei mihi ſupereſt: ſed cum oculos in Cælum attollo, ac te tamquam miſericordiæ Matrem conſidero, reſpiro, & aliquam ſalutis meæ ſpem concipio; quoniam poſt Filium tuum, Virgo Sancta, in te omnem colloco ſpem ſalutis meæ; per te ad illum confugio, & per favorem atque interceſſionem tuam ſpero, ipſum gratia ſua, & miſericordia eſſe uſurum. Oh, ſi ſalus mea ab illo tantum penderet atque a te! quam certus eſſem! ſcio enim ab illo peccatores amari, atque te ab eodem ipſorum Advocatam conſtitutam fuiſſe; ſed illud me terret, quod ſalus mea pendet etiam a me; & ego certus eſſe non poſſum mei ipſius, quandoquidem tanta eſt fragilitas, inconſtantia, & infidelitas mea.

Omnes nationes & conditiones illam Beatam dixerunt.

Beatam me dicent omnes generationes. Luc. 1. Nulla eſt natio, nullus ſtatus, nulla conditio, quæ illam beatam non dixerit. Ethnici, Græci, Barbari, ſummi, & imi, divites, & pauperes illam coluerunt, invocarunt, benedictionibus cumulaverunt, Angeli a

Homines, Cælum, & Terra certatim illi ſua detulorunt obſequia. Profecto recte inſtituta eſt devotio, cum eſt conformis univerſali fidelium praxi, & ſi Sanctus Auguſtinus utitur uniformitate, atque extenſione fidei Catholicorum in omnibus locis ad probandum illos veram habere Eccleſiam, validum eſt argumentum ſoliditatis, & ſanctitatis devotionis erga Beatam Virginem, pietas univerſalis fidelium erga Mariam. Non deſunt decies centena perſonarum millia, quæ ſingulis diebus implorant ejus potentiam, & maternam protectionem; innumerus vocum clamantium numerus ubicumque nos ad illius devotionem invitat; Spiritus Dei generalem motum tribuit omni ſtatui, & conditioni omnium regionum. Et vere dicere poſſumus, Cælos enarrare gloriam ejus, & firmamentum annuntiare ejus magnalia, quorum per univerſum orbem ſonitus, & in extremas uſque terrarum plagas pervaſit. Omnes nationes, quæ ſub Cælo ſunt, quæ Deum adorant, colunt mirabilia, quæ fecit in illa. Europa, Aſia, Africa, America obſtupuerunt *magna, quæ fecit illi qui potens eſt*. Sed credendum non eſt, pietatem Fidelium erga Mariam, quæ tanta in luce refulget, eſſe tantum ſimplicia populi devotionem; Capita coronis redimita ſibi gloriæ verterunt illi ſervire, eamque Dominam, & Reginam confiteri.

Quomodo adimpletum fuit oraculum, quod prædixit, illam benedicendam eſſe ab omnibus generationibus.

Oraculum, quod generatim affirmat, *Beatam me dicent omnes generationes; Luc. 1.* non poſcit amplius cæcam fidei noſtræ ſubmiſſionem; ſatis eſt oculos aperire, ut videatur. Statim agnoſcitur id, quod Sanctiſſima Virgo prædixit jam pridem fuiſſe adimpletum. Tot monumenta ad illius gloriam ſublata; tot templa nomini illius conſecrata; tot manus ad laudes ejus ſcribendas occupatæ; tot ora ad ad illius elogia prædicanda aperta, perhibent authenticum teſtimonium veritati prophetiæ ipſius. Ecce beatitudo Sanctiſſimæ Virginis univerſe recognita. Quæ mihi eſt conſolatio recogitanti honores, qui tibi deferuntur, Virgo Sancta! in omnibus terrarum partibus, in quibus Evangelium prædicatum fuit, & ubi Filius tuus adoratur! Quæ mihi lætitia conſideranti quot templa tibi ædificata fuerint in orbe terrarum? Quot dies feſti in honorem tuum inſtituti? quot Sanctæ Societates Ordinum militarium, Communitatum Religioſarum, quæ te peculiari recolunt cultu, & quæ ſeſe tibi devoverunt? Et quoniam incidit ſermo Regum, qui ſibi honori verterunt Sanctæ Virginis cultum, ne omittamus Ludovicum cognomento Juſtum glorioſiſſimæ recordationis, qui ſollemnem fecit oblationem perſonæ ſuæ, ditionis, & ſubditorum ſuorum Cæleſti huic Reginæ, & qui ut inſigne præberet devotionis ſuæ monumentum depoſuit ſuper altare Dominæ noſtræ Pariſiis coronam, ſceptrumque ſuum, & voluit, ut quotannis fieret peculiaris memoria facti hujus glorioſiſſimi Sacra Aſſumptionis die in omnibus Galliarum Eccleſiis. Quod ſucceſſor ejus Ludovicus Magnus alio confirmavit edicto, quo hortatur omnes Regni ſui Præſules, ut pro viribus ſubditos ſuos excitent ad ſingularem reverentiam, & ſpecialem devotionem erga Deiparam.

Univerſus Chriſtianus orbis omnibus ſæculis prætulit devotionem ſuam erga Sanctam Virginem, & hæc devotio probata fuit magno miraculorum numero; quæ totidem ſunt illuſtria monumenta, eamdem placuiſſe Deo, illi caram, acceptamque fuiſſe. Non ſolum Sancti Patres, & Doctores, ſed tota generatim Eccleſia conata eſt honorare, & laudes ejus attollere, & hic ſemper fuit Spiritus Eccleſiæ, quemadmodum e contra Spiritus hæreſeos fuit gloriæ ejuſdem nebulam offundere. De ipſa magna, & glorioſa dicta fuerunt, & arduum eſſet dicere numerum librorum, qui de hac devotione conſcripti fuerunt multa cum pietate, & doctrina; & Sancti Patres reſpondent illis, qui de hac multitudine conqueruntur, illam nunquam ſatis laudari poſſe; Sanctus Bernardus vero peculiariter aſſerit, licet omnes homines de illa ſcribere, aut loqui adniterentur, eos tamen nunquam ſatis eſſe dicturos. Hinc arguere debemus Devotionem erga Mariam eſſe proprie devotionem Eccleſiæ, quæ id profitetur, & peculiari cura, qua illam honorat, & elogiis, quibus illam proſequitur. Et vere ejus applicatio in hac re prorſus eſt ſingularis, quandoquidem non ſolum ejus colit Myſteria, & adeo religioſe celebrat feſtos dies, quos ad illius gloriam inſtituit; Sed perinde ac omnes hæ ſollemnitates non ſufficerent ad ſatisfaciendum ſuæ devotioni, deſtinat adhuc in ſingulas hebdomadas diem, quem in ejus memoriam conſecrat; & elogia, quibus cumulat eam Cæli, & Angelorum Reginam appellans, ſunt invicta argumenta obſervantiæ, & honorum, quos illi præcipit adhiberi; præſertim vero miracula, quæ Deus operatus eſt, & operatur adhuc quotidie in hujus devotionis gratiam, palam probant hanc ſuam eſſe voluntatem, ut ſæculis omnibus, & ab omnibus fidelibus in honore habeatur, cum Deus nequeat operari miracula ad probandum errorem, vel impietatem. Cum autem de Miraculis loquor, loquor de illis, quæ in dubium revocari non poſſunt; innixis ei auctoritati, quam negare non licet: qualia ſunt, quæ ab Eccleſiaſticis poteſtatibus approbantur, poſt diligens, & ſufficiens examen, vel quæ ſcimus teſtimonio Auctorum præclaræ eruditionis, & eminentis Sanctitatis, qualia inveniuntur in ipſis Conciliis, veluti in ſecunda Nicæna Synodo, quod ſatis oſtendit utile eſſe de iis loqui, ſcribere, & prædicare, cum legitime approbata ſunt, quoniam hæc praxis eſt Eccleſiæ in Conciliis generalibus. *Excerptum ex libro Domini Bouden de Devotione erga Immaculatam Virginem Deiparam.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Tu es ſpes unica peccatorum, Maria, in te noſtrorum eſt expectatio præmiorum. S. Auguſtinus ſerm. 2. de Annuntiatione.

Quibus te laudibus efferam neſcio. Idem loquitur de Maria Virgine.

Sancta Maria ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove flebiles, ora pro populo &c. ſentiant omnes tuum juvamen &c. Idem ibidem.

Veneramur ſalutis auctricem, quæ dum Auctorem ſuum concepit de Cælo, nobis Redemptorem præbuit in terra. S. Hieronymus de Aſſumptione.

Nulli dubium quin totum ad laudem CHRISTI pertineat, quidquid Genitrici ſuæ impenſum fuerit. Idem ad Euſtochium.

Serviamus ſemper tali Reginæ Mariæ, quæ non dereliquit ſperantes in ſe. Beda Homilia de Sancta Maria.

Beata Virgo omnium encomium excedit. Joannes Damaſcenus orat. de Aſſumptione.

Virginem non hominum lingua, non Mundo ſublimior Angelorum mens ſat digne laudibus efferre poteſt. Idem ibidem.

Maria eſt Civitas refugii omnibus confugientibus ad eam. Idem.

Devotum tibi eſſe, o Beata Virgo, eſt arma quidem habere, quæ Deus iis dat quos vult ſalvos fieri. Idem.

Digna eſt Beata Maria inter omnes creaturas, ut eam præ cæteris homines, & Angeli ſuſpiciant. S. Epiphanius de laudibus Virginis.

De Virgine qui omnia illuſtria dixerit, nunquam is a veritatis aberraverit ſcopo: attamen dignitatis magnitudinem nulla unquam oratione exæquabit. Baſilius Seleucienſis Orat. de Annunt. Virg.

Nemo qui ſalvus fiat niſi per te, O Beata Virgo; nemo qui liberetur a malis, niſi per te, nemo eſt cujus miſereatur gratia, niſi per te. S. Germanus Conſtantinopolitanus Sermone de Beata Virg.

Si tu nos deſerueris, quidnam de nobis fiet, o Sanctiſſima Deipara, Spiritus, & vita Chriſtianorum. Idem ibidem.

Nomen Mariæ aſſidue in ore ſervorum verſari, ſignum eſt vitæ. Idem ibidem.

Hanc, Dei tantum eſt, pro dignitate laudare. Sanctus Andreas Cretenſ. Orat. de dormitione Virginis.

Omnes amat Beata Virgo amore invincibili, quos in ea, & per eam Filius ejus, & Deus ſumma dilectione dilexit. Petrus Damiani.

Scimus Beatam Virginem tanti eſſe meriti, & gratiæ apud Deum, ut nihil eorum, quæ velit efficere poſſit aliquatenus effectu carere. Sanctus Anſelmus de Conceptione Virginis.

Si merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. Idem de excellent. Virg.

Velocior interdum eſt ſalus, memorato nomine Mariæ, quam JESU. Idem.

Data eſt illi omnis poteſtas in Cælo, & in terra, nihil illi impoſſibile, cui poſſibile eſt relevare in ſalutem ſpem deſperantes. Idem de Laudibus Virginis.

In manibus ejus ſunt theſauri miſerationum Domini. Petrus Damiani.

Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus; quia quod quærit invenit, & fruſtrari non poteſt. S. Bernardus ſerm. de Nativit.

Advocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tamquam judicis Mater, & Mater miſericordiæ, ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit. Idem Serm. 1. de Aſſumpt.

Filioli hæc peccatorum ſcala, hæc mea magna fiducia, hæc tota ratio ſpei meæ. Idem ſerm. de Aquæductu.

Securum acceſſum habes apud Deum o homo! Ubi Mater ſtat ante Filium, Filius ante Patrem; Mater oſtendit Filio pectus, & ubera; Filius oſtendit Patri latus, & vulnera: ibi ergo nulla poterit

Digitized by Google

torie eſſe repulſa, ubi tot ſunt amoris inſignia. Idem.

Ipſa eſt Mediatrix noſtra, ipſa eſt per quam ſuſcipimus miſericordiam tuam Deus, ipſa per quam & Dominum JESUM CHRISUM in domos noſtras excepimus. Idem ſerm. 2. de Aſſumpt.

Hæc eſt, quæ totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impetravit; conſtat enim pro univerſo genere humano fuiſſe ſollicitam. Idem ſerm. 1. de Aſſumpt.

Sileat miſericordiam tuam, Virgo beata, ſi quis eſt, qui invocantem te in neceſſitatibus memineris defuiſſe. Ibidem.

Cui divinæ pietatis abyſſum, cui vult, & quomodo vult, & quando vult, creditur aperire, ut nemo tam enormis peccator pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinii ſuffragia præſtat. Idem ſuper Salve Regina.

Domina noſtra, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra. Idem ſerm. 2. de Adventu.

Opus eſt Mediatore apud Mediatorem iſtum, nec alter nobis utilior, quam Maria. Idem.

CHRISTUS redempturus genus humanum, pretium univerſum contulit in Mariam. Idem ſerm. de Aſſumptione.

Intuemini quanto devotionis affectu, eam a nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria. Idem de Aquæ ductu.

Si quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, a Maria noverimus redundare. Idem.

Mariam ſequens non devias; ipſam rogans non deſperas; ipſam cogitans non erras; ipſa tenente non corruis; ipſa protegente non metuis; ipſa duce non fatigaris; ipſa propitia pervenis. Idem.

Agnoſcit orte, & diligit diligentes ſe, & prope eſt in veritate invocantibus ſe, præſertim iis, quos videt ſibi conformes factos. Idem ſuper Salve Regina.

Si Mariam diligitis, ſi vultis ei placere, æmulamini. Idem.

O Virginem admirandam! Parentum reparatricem, & poſterorum vivificatricem! Idem ſuper miſſus eſt.

Inveniunt in Mariam captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, juſtus gratiam, peccator veniam. Idem ſerm. in ſignum.

Maria omnibus Miſericordiæ ſinum aperit. Idem ibidem.

In Maria nihil auſterum, nihil terribile, ſed eſt tota ſuavis. Idem ibidem.

Si non vis pati repulſam, per Mariæ manus offerre memento, quidquid offerre vis Deo. Idem.

Maria in omnibus invocanda neceſſitatibus. Idem ſermone ſuper Miſſus eſt.

Qui digne coluerit Mariam juſtificabitur, & qui neglexerit eam, morietur in peccatis ſuis. S. Bonaventura in Pſalter.

Maria fideliſſima Mediatrix noſtra ſalutis. Idem in ſpeculo cap. 8.

O Maria! peccatorem toti mundo deſpectum materno affectu complecteris, foves, non deſeris, quouſque tremendo Judici miſerum reconcilies. Idem ibidem.

Majorem mundum Deus facere poteſt, majorem Matrem, quam Matrem Dei facere non poteſt. Idem ibidem.

Spes deſperantium, portus naufragantium, & auxilio deſtitutorum unica adjutrix. Sanctus Ephrem de laudibus Virg.

In cauſa deſperatiſſima obtinuit inter Deum, & hominem, quod voluit Beata Maria. S. Antoninus tit. 15. cap. 19.

Non præſumat aliquis Deum ſe habere poſſe propitium, qui benedictam Matrem offenſam habuerit. Guilielmus Pariſienſis 1. Rhet. Col.

Quam Matrem miſericordiæ, & Reginam pietatis clamitat omnis Eccleſia Sanctorum. Idem ibidem.

Cujus miſericordia nulli unquam defuit; cujus benigniſſima humilitas nullum unquam deprecatorem quantumcumque peccatorem deſpexit. Idem.

In omni periculo potes ſalutem obtinere ab ipſa glorioſa Virgine. S. Thomas opuſc. 8.

Inventa Maria, invenitur omne bonum; ipſa namque diligit diligentes ſe, immo ſibi ſervientibus ſervit. Idiota præfat. in Cant.

Maria non recedat ab ore, non recedat a corde. Sanctus Bernardus ſerm. 2. ſuper Miſſus eſt.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia promi depromi poſſit in hoc argumento.

Cultus Dei dubium non ... habet illum, qui debetur Sanctis, & præ-

VEritas eſt in dubium non revocanda, primum, ac præcipuum devotionis objectum eſſe amorem, ac ſervitutem Dei: quod minime vetat, quominus in Chriſtiana Religione tribuamus cultum religioſum Sanctis, qui in cæleſti gloria perfruuntur; ita ut prima, & præcipua illa devotio per quam cum alacritate, & affectu ferimur ad ea omnia, quæ ſpectant ad divinæ Majeſtatis famulatum, minime excludat devotionem, per quam poſſumus etiam cum merito tribuere Sanctis honorem, & cultum, qui convenit illis, atque debetur. Secundum hoc principium, quod nemo Catholicus in dubium revocat, omnibus perſuaſum eſſe debet, quemadmodum Sanctiſſima Virgo propter eminentem virtutem, inæſtimabiles gratias, quas in illa collocavit Deus, & potiſſimum propter ſingularem ſuam Deiparæ qualitatem digna eſt veneratione præſtantiori, quam quæ Sanctis aliis debetur; devotio, quæ nos impellere debet ad officia noſtra ipſi tribuenda, juſtior eſt, & excellentior ea, quæ reſpicit cultum, & honorem, Sanctis aliis debitum. Devotio, quæ poſita eſt in illa honoranda, invocanda, & colenda peculiari cum affectu, & alacritate.

ſertim Mariæ Sanctorum omnium Reginæ.

Hac doctrina, quæ majori explicatione non indiget, præſuppoſita, ſi magis peculiariter ſcire volumus, in quo conſiſtat devotio, quæ ad hanc Sanctam Creaturam habetur, ecce quomodo ratiocinari poſſe mihi videor. Cum voluntas cæca ſit, opus eſt, ut intellectui perſuaſum ſit per fidem de excellentiis, & magnalibus Sanctæ hujus Virginis, quod illam dignam efficit omni honore, & veneratione, quam mereri poteſt perfectiſſima omnium creaturarum. Hinc vera, & ſincera devotio erga Dei Matrem conſiſtit primum in maxima æſtimatione ſanctitatis, meritorum, & incomparabilis excellentiæ divinæ Maternitatis, unde ſequitur reverentia, & veneratio prorſus ſingularis erga ſacram ejus perſonam, affectus, & celeritas in illa colenda; confidentia ſumma in ejus bonitate, zelus frequentiſſimus pro illius honore, & gloria, & inflammatum deſiderium placendi illi, & ſeſe dignum reddendi amore illius per virtutum ſuarum imitationem.

Cultus, & devotio erga Mariam ſita ſunt in pretio in quo habenda eſt ejus perſona, meritum, & Deiparæ dignitas.

Quamvis peculiaris hæc erga Mariam devotio de præcepto non ſit, & Deus noluerit nos ſubjicere niſi ſimplicibus Religionis officiis, quæ lex jubet a nobis præſtari illi, quæ conſtituta eſt Univerſorum Regina: Nihilo ſecius, ſi conſideraverimus attentius, quid nos illi ſumus, & illa nobis eſt, quatenus Mater JESU CHRISTI, quem confitemur Patrem, & Salvatorem noſtrum, & omnia; ſi perſpexerimus innumera beneficia, quæ jugiter recipimus per manus hujus Matris gratiarum, & miſericordiarum; ſi attenderimus qua ſuavitate, qua bonitate audit preces, & vota, quæ nuncupantur illi, & qua caritate opem ferat confugientibus ad ſe, profecto omni rationis uſu carere dicendus eſſet ille, qui non cognoſceret, & palam non fateretur devotionis hujus utilitatem, citra notam ingratitudinis, & ſtupiditatis. Tenemur ergo Mariam colere eo affectu, & obſequio, quod aliquomodo par ſit bonitati maternæ, cujus inceſſanter experimur effectus.

Licet hæc ... cultus devotio non ſit explicate de præcepto, tenemur tamen Matrem honorare multis de cauſis.

Accedat his Sanctorum omnium, qui omnibus ſæculis vixerunt, eamque ſpecialiter coluerunt, exemplum; Auctoritas Eccleſiæ, quæ illi tot preces dirigit, & in illius honorem tot templa ædificavit: ſenſus omnium Fidelium, qui illam omni tempore invocarunt, & adhuc quotidie invocant peculiari fiducia; miracula fere infinita, quorum ſingulis, tamquam oraculis declaravit Deus quantopere ſibi acceptus eſſet honor, & reverentia; Omnes hæ conſiderationes, & aliæ plurimæ, quas jam attulimus, & mox afferemus deinceps, ſatis probant devotionem erga Dei Matrem conſtituere unam ex præcipuis partibus Chriſtianæ pietatis, ideoque omnem verum Chriſtianum non poſſe perfungi munere ſuo, niſi ſua præſtat obſequia illi, quam Deus ipſe honoravit.

Rationes quæ nos adigunt ad Mariam colendam.

Nobis perſuaſum eſſe debet de hac religionis noſtræ veritate, cum Sanctos colimus, & veneramur, in illis coli id ſolum, quod acceperunt a Deo; ideoque cum adhuc major impenditur Sanctæ Virgini veneratio, quam reliquis Sanctis, in ipſa coli, & honorari, quod Deus in illa collocavit, & quod illa recepit a Deo: itaque tota devotio, & veneratio, quæ peculiariter Mariæ defertur, cedere in gloriam Dei. Adoramus in illo ſupremam excellentiam quam habet ex ſe, & quidquid habetur tamquam noſtræ Religionis objectum, vel noſtræ devotionis, eſt Deus, vel a Deo manat tamquam ex principio; Ideoque omnes religioſi honores, quos devotio nobis ſuadet, ut Mariæ tribuamus, tendunt in Deum tamquam ultimum finem.

Cultus, qui Mariæ præſtatur cedit in Dei ipſius gloriam.

Nihil æquius, rectiuſque inſtitutum eſt, quam Chriſtiani devotio, ubi Eccleſiæ ſpiritu regitur; non enim dicendum eſt quemadmodum per calumniam objiciunt hæretici, nos Virgini, quam ipſi Deo, eſſe devotiores: Illam ſæpius, confidentius invocari, quam JESUM CHRISTUM; verbo, Creaturæ tribui, quod uni Deo tribuendum eſt. Profitemur ergo ſemel pro ſemper cum Eccleſia, nos unum agnoſcere Deum, & unam

Ordo Chriſtianæ Religionis in cultu, qui Deo, Mariæ aliiſque Sanctis deferendus eſt.

Dei Matrem, & plures Dei Servos, & nos diverſis his cultus noſtri objectis obſequia unicuique debita præſtare ſecundum ordinem, & gradum elevationis; videlicet Deo uni honores ſupremos: Virgini honorem divino inferiorem, ſed ſuperiorem illi, quem reliquis Sanctis præſtamus; & denique Sanctis omnibus honorem majorem illo, qui Mundi Principibus defertur. Ad quam veritatem indigitandam Theologi noſtri his utuntur terminis, qui non ultra pro barbaris habentur, ex quo adhibiti fuerunt ad explicandum caput hoc noſtræ Religionis. Supremos enim honores, quos Deo reddimus appellant, adorationem *latria*; ita ut ſi cuiquam præterquam Deo adhiberentur idololatria committeretur. Devotionem vel cultum, qui Deiparæ præſtatur, adorationem vocant *hyperduliæ*: & *duliæ*, illam, quæ Sanctis aliis adhibetur. Hoc adorationis vocabulum, quod adeo ſacrum, & auguſtum videtur, & quo tantum uti licet cum de Deo ſermo eſt, ſuam habet latitudinem, qua comprehenditur quodvis cultus religioſi genus, quod reddimus ſeu Deo, ſeu Deiparæ, ſeu Sanctis omnibus, & nobis minus mirum videri debet, quia Sancti Patres eodem vulgo utuntur; quandoquidem Scriptura eodem utitur etiam cum omni perſonarum genere, cui debetur honor, & reverentia; quod operæ pretium eſt animadvertere ad evitandam æquivocationem in re tanti momenti.

Quomodo non ita pridem conceptum eſt conſilium, & decretum erga Mariam imminuere ſub colore, quod deleatur cultus debitus J. C.

Inimicus ſalutis, & beatitudinis hominum, qui ſemper devotionem erga Mariam, & Sanctos evertere conatus eſt, ſuſcitans varias hæreticorum ſectas, cum non potuerit votorum ſuorum aſſequi ſummam; non ita pridem adniſus eſt illam imminuere in cordibus plurimorum Fidelium novo artificio, illa avertendo a pluribus Sanctis praxibus ab univerſa Eccleſia approbatis, quæ hanc fovebant devotionem, & ſcandaloſis libellis in jocum traducendo illam, perinde ac eſſet contraria primo Spiritui Chriſtianiſmi, vel afferret aliquam imminutionem honori, qui Deo debetur. Qua in re non eſt admodum arduum detegere ſpiritum erroris, atque mendacii, qui cum hæreticos falſo colore in errorem induxerit, rurſus conatur eodem uti ad verorum Chriſtianorum pietatem fallendam. Verum ad artem hanc eludendam meminiſſe oportet: 1. Quam differat cultus Deo debitus, ac Sanctæ illius Matri, de quo jam verba fecimus, 2. Cultum, qui Mariæ defertur, in ipſo Deo terminari. 3. Viam eſſe, & medium, quod tuto ad alteram ducit propter arctam neceſſitudinem, quæ inter Matrem, Filiumque intercedit. Quapropter audeo dicere, Chriſtianum habere non poſſe ſolidam, tutamque devotionem, niſi devotus fuerit Mariæ; & me nihil addere arbitror dicens, Filium amari, & coli non poſſe, quin Mater ametur, & honoretur; quia Mariæ devotio quin patiatur cor, validius illud cum JESU conjungit, ac proinde confidentia, quam habemus in illius protectione, ne nihilum quidem officit illi, quam habere debemus in Filio ſuo; quia Matris auctoritate non utimur, niſi tamquam Mediatricis noſtræ apud Deum, a quo ſperamus omnia; quod auget noſtram fiduciam erga Salvatorem, eamque efficit æquiorem, & certiorem, eo quod Maria tantum habet poteſtatis, quantum bonitatis Deus habet erga illam, & tantum pro nobis bonitatis, quantum erga eamdem nobis eſt confidentiæ.

Tituli quibus in [illegible] S. Virginis.

Maria vere eſt Dei Mater. Auguſtiſſima hæc qualitas primum eſt principium magnalium ejus, & titulus ſolidiſſimus reverentiæ, & venerationis, qua illam proſequimur: Eſſe enim Dei Matrem ſecundum Sanctorum Patrum locutionem eſt, eſſe Matrem Miſericordiæ, omnium ſæculorum reparatricem, captivorum redemptionem, totius Mundi ſalutem. Verum eſt Dei Filium eſſe unicum Salvatorem noſtrum, & unicum Redemptorem; mortuus eſt enim ſolus pro nobis, & ſolus effudit Sanguinem, pretium redemptionis noſtræ; Sed cum Maria ſit Mater, & Mater miſericordiæ, Filius ejus, qui Pater eſt miſericordiarum, voluit illam aliquam habere partem in ſalute noſtra, & ecce qualem. 1. Quia formavit ea puriſſimis guttis Sanguinis ſui Corpus, quod fuit pretium redemptionis noſtræ. 2. Quia peperit, & lactavit lacte uberum ſuorum victimam, quæ immolata fuit, ut divinæ ſatisfaceret juſtitiæ. 3. Quia aſſenſum præbuit morti Filii ſui, cum credibile non ſit, Deum ſine illius conſenſu, tradidiſſe morti ſacrum Corpus Filii ſui, quod Spiritus ſanctus non effinxerat in ejus ſinu, niſi poſt ejuſdem conſenſum. 4. Quia ſtans juxta Crucem Filii, ut quidam Pater ait, fuit Sacerdos, qui obtulit cum Filio ſuo Sanguinem de illius venis manantem ad delendam terræ iniquitatem. Ita contuliſſe noſtræ redemptioni nonne eſt meruiſſe aliquo modo titulum Reparatricis Mundi? Si Pharao Joſephum dicit Mundi Salvatorem, quia in ſumma annonæ caritate ſapienter diſtribuit fruges Regis illius, quarum electus fuerat ſequeſter, & diſpenſator; nonne potiori jure Maria vocanda eſt Mundi reparatrix, quia illa nobis dedit panem vitæ, & frumentum Electorum?

Vera quædam eſt Mariæ devotio, & quædam falſa. Utriuſque characteres.

Cum poſt Domini noſtri devotionem nulla ſit in Eccleſia ſolidior, & magis neceſſaria, quam Mariæ; non alia quoque eſt magis obnoxia abuſibus, & ſimulationibus. Quapropter neceſſe eſt callere veram, & falſam devotionem, ubi metuendum eſt, ne fallamur. Quædam erga Mariam devotiones falſæ ſunt, quædam nimis ſibi præfidentes, quædam imperfectæ. Falſa nos fallit, ac decipit; ſibi nimium præfidens, nos perdit; & imperfecta non ſalvat. Falſa devotio erga Sanctam Virginem eſt, illam labiis tenus honorare, corde vero illam dedecore afficere, honorare Matrem, & Filium dehoneſtare, & ab illa gratias deprecari, cum illis abutimur, quas nobis procurat. Devotio ſibi præfidens eſt, credere Mariam nos ſalvos eſſe facturam, cum interea nos ſalutem noſtram non operemur. Nunquid illa potentior eſt Deo, qui nos ſine nobis ſalvare non poteſt? Nimia præfidentia eſt abuti fiducia, quæ in illa habetur, ut in peccato perſeveremus, ſperantes illam nobis veniam impetraturam eſſe: hoc eſt velle ipſam arceſſere in partem iniquitatum noſtrarum; quod ſcelus! Imperfecta devotio eſt redigere cultum omnem, qui Mariæ debetur, ad quaſdam frigidas inaneſque preces, vel aliquas exteriores cæremonias. Sed prohibere me minime poſſum quin damnem ignorantiam, vel injuſtitiam eorum, qui devotionem Mariæ, & officia, quæ a fidelibus illi præſtantur, inſimulant, prætexentes abuſum, qui fit a pſeudodevotis: tandem enim in Mundo nihil perfecti eſt, ubi zizania cum bonis frugibus permixta ſunt, & ubi virtus ut plurimum eſt cum vitiis confuſa. Sufficit mihi dicere cum Angelico, quod omnis falſitas veritatem ſupponit, & devotio falſa perſpicuum eſt argumentum veræ.

Quomodo illud intelligendum, Deum nihil negare poſſe Matri; & hanc eſſe omnipotentem.

Ne cenſuræ locum tribuamus, vel criticæ quorumdam, qui parum addicti ſunt devotioni erga Deiparam, cum omnibus Theologis confitemur JESUM CHRISTUM, utpote Deum ſuapte natura eſſe omnipotentem; & Matrem ejus, utpote meram creaturam, non eſſe potentem niſi per gratiam. Sed quemadmodum Rex neceſſario alicui ſuo conferre poteſt quamcumque auctoritatem in regno ſuo, eo uſque ut illi ſubjiciat ſubditos ſuos, quod fecit Pharao cum Joſeph, ſimiliter dicimus, Deum meræ creaturæ conferre poſſe quamdam omnipotentiæ ſpeciem in Cælo, & in terra, non ita tamen, ut agat per ſe; quod fieri non poteſt, ſed ut impetret ab ipſo Deo omnia; & hæc illa omnipotentia eſt quam S. Patres in S. Vir- Virgine confitentur.

Quomodo illud intelligendum, quod Patres dicunt Mariam tenus uti precibus, quam imperiis.

Quin noſmet implicemus quæſtioni, quam Sanctus Aquinas agit de jure, quod Sancta Virgo habebat in Filium Dei, quatenus Filium ſuum; Theologi omnes conſentiunt, illam verum habuiſſe juriſdictionis jus, & proprietatis, donec vivebat in terra, quemadmodum infertur ex verbis Sancti Lucæ: *Et erat ſubditus illis*. (Lucæ 2.) Facile eſt cognoſcere, jure Sanctos Patres Virginem in Cælo vocare omnipotentem apud Filium ſuum, & quamdam ſervare ſpeciem auctoritatis ſuper illum. Tandem enim non deſiit illa eſſe Dei Mater, eo quod facta eſt univerſorum Regina, & Filius ſuus non minus obſequitur illi in Cælo, quam obſequeretur in terra; quam ob rem Sanctus Petrus Damiani hanc protulit propoſitionem, quæ nonnullos infirmos ſpiritus offendit, videlicet Virginem in Cælo ad altare noſtræ reconciliationis accedere non ritu ſupplicis ſed imperantis. (Sermone 2. de Nativ. Virg.) *Non ſolum rogans, ſed imperans*. Hoc nonne eſt, inquiunt Hæretici, attollere Virginem ſupra Deum, dicere, illam poſſe imperare Deo? Sed ex illis quæro, utrum Scriptura attollat Joſue ſupra Deum, cum ait Solem ſtetiſſe; & Deum obediſſe voci hominis? *Obediente Deo voci hominis*. (Joſue 10.) Quis Catholicus dixit unquam, Virginem eſſe Deo ſuperiorem, eique jus eſſe imperandi Deo? Cum ergo Patres adeo Sancti, & eruditi loquuntur adeo fortiter de Sanctæ Virginis poteſtate, duo volunt innuere; alterum preces Matris adeo humilis, ac ſubmiſſæ tenere locum imperii apud Filium, quæ tantam habet rationem illius; alterum, cum illa vere ſit Mater illius in Cælo æque, ac olim erat in terra, adhuc ſervare naturalis auctoritatis ſpeciem in ejus bona, & perſonam, quod feliciter Pater quidam expreſſit, cum ab eo vocata eſt, *Omnipotentia ſupplex*.

Unde oriatur S. Virginis apud Filium auctoritas.

Conſtat Sanctam Virginem in Cælo plus poſſe, quam Sancti ſimul omnes; quæ communis eſt Theologorum omnium doctrina. Sanctus Antoninus, & Suareſius præclaram hujus rei tribuunt rationem. Perſonæ alicujus auctoritas ex triplici oritur cauſa; natura, gratia, & meritis. Natura Matrem effecit omnipotentem apud Deum; gratia ſponſam omnipotentem apud Sponſum; merita famulum omnipotentem apud herum de quo optime benemeritus eſt. Sed quænam ex creaturis arctiorem habet nexum cum Deo, quam ejus Filia, Mater, & Sponſa? Quænam illi acceptior eſt quam quæ eſt gratia plena, & quæ gratiæ principium concepit? Quænam majoribus abundat meritis, quam quæ nullum commiſit peccatum,

catum,

catum, cui nunquam defuit fidelitas gratiæ; quæ omnia exercuit opera miſericordiæ in Filium ſuum, eumque pro hominum omnium ſalute ſacrificavit? Si omnia poſſibilia ſunt habenti fidem, teſtante Ipſo Dei Filio, nonne dicenda eſt omnipotens Virgo, quæ plus habuit Fidei, Spei, & Caritatis, quam habeant omnes Angeli Cæli, & omnes homines terræ? Aliorum Sanctorum oratio, Sanctus Antoninus addit, innititur meræ Dei miſericordiæ; ſed Virginis oratio juſtitiæ ſimul innititur, idque eo magis, quod Filius naturali, divinoque jure tenetur, ſecundum præclarum illud Regis Salomonis verbum, quod dixit matri ſuæ, cui ſolium ſuo proximum extrui juſſerat: *Pete, Mater, neque enim fas eſt, ut avertam faciem meam a te.* Ex his omnibus veritatibus ſanctus hic, & doctus Antiſtes argumentatur: Orationem Beatæ Virginis eſſe præclatiſſimam, perfectiſſimam omnipotentem, & ceterarum efficientiſſimam apud Filium ſuum: *Tum quia rationem habet imperii, tum quia impoſſibile eſt eam non exaudiri.*

De amore Mariæ erga homines, & potiſſimum ſibi devotos.

Sanctus Anſelmus ſcite animadvertit, divinam Maternitatem ab humanis ſeparari non poſſe; & ex quo Sancta Virgo effecta eſt Dei Mater, evaſiſſe etiam Matrem hominum propter rationes, quæ alibi a me allatæ ſunt. Quod cum nemo inficiari poſſit ſine genere quodam impietatis, de illius caritate dubitare non licet; nam uti Sanctus Ambroſius ratiocinatur; *Non eſt vehementior ad amandum natura quam gratia.* E contra vero ignis caritatis vividior eſt, purior, & fortior, quam naturæ. Ergo judicium fert de Sanctæ Virginis affectu erga nos, quoniam caritas ejus eſt in conſummata perfectione. Sed quamvis Sancta Virgo omnes homines diligat, potiſſimum amat juſtos, & ſuo ſervitio devotos. Hæc propoſitio eſt manifeſta, nec indiget probatione. Quod vero nos de hac veritate perſuadere debet, hoc eſt: voluntas Sanctæ Virginis ſeſe regit ſecundum voluntatem Dei, & amor ejus, ſecundum amorem ejuſdem erga nos. Fateor a Deo omnes homines amari, ſed potiſſimum bonos, & ſuper hos, dixit David, oculos Dei ſemper intentos eſſe: hos eſſe præcipuam curarum ſuarum, & Providentiæ ſuæ; pro eorum ſalute operatur, & univerſum terrarum orbem conſervat. *Omnia propter Electos.* Hanc regulam ſequitur Sanctæ Virginis affectus. Extendit curam, & caritatem ſuam ad omnes, potiſſimum vero ad bonos, ſciens hos eſſe cariores Deo, & hos de ipſius familia cenſeri; ſed præ ceteris bonis ſingulariter eos ſua dilectione proſequitur, qui honorant illam, eique deſerviunt. Hoc

Proverb. 8.

ipſa teſtatur ore Sapientis: *Ego diligentes me diligo;* quæ verba illi applicat Eccleſia, quam ſequitur Sanctus Bonaventura; cui Sapiens Idiota duo alia ſubjicit ver-

In Contemplationis præfatione.

ba: *Inventa Maria Virgine, invenitur omne bonum, ipſa namque diligit diligentes ſe, immo ſibi ſervientibus ſervit.*

Maria peccatores etiam amat, & quinam ſint peccatores, quos amat.

Cum hoc argumentum maximi momenti ſit, & quodammodo fundamentum devotionis erga Sanctiſſimam Virginem, veritas ab errore nobis ſecernenda eſt, & videndum, utrum Maria perhorreſcat peccatores, & utrum preces eorum exaudiat. Antequam aliquid ſtatuatur, quatuor diſtinguenda ſunt genera peccatorum. Sunt qui peccant, & qui pœnitere nolunt. Sunt, qui peccant, & volunt converti; ſunt qui converti vellent, ſed nexus ſuos frangere differunt, & procraſtinantur ſperantes fore, ut Virgo illis bonam mortem obtineat: ſunt tandem qui ſentiunt infirmitates ſuas, & qui nondum certum ceperunt conſilium ſe ſe convertendi, ſed ad Sanctam Virginem confugiunt, ut illius ope pœnitentiæ gratiam obtineant. Non loquor autem de peccatoribus, qui occaluerunt, qui pœnitentiam agere detrectant, neque de peccatoribus ſibi præfidentibus qui Mariæ devotione abutuntur, ut impunius in peccatis perſiſtant. De illis potiſſimum loquor, qui converſi ſunt, vel qui cupiunt converti, qui peccant ex infirmitate, & non ex nequitia, aut ex præſumptione. Hoc poſito, en tres veritates, de quibus non videtur mihi dubitandum. 1. Quamvis Sancta Virgo peccatum oderit, ipſam tamen diligere peccatores, eoſque ſumma complecti benevolentia. Hæc eſt Eccleſiæ ſententia, quæ, ut dixi, illam refugium peccatorum appellat, eoſque proponit tamquam objectum pietatis ſuæ, & miſericordiæ. Ita vulgo Patres omnes ſentiunt. Sanctus Anſelmus dicere non dubitavit, nos nonnunquam citius exaudiri a Deo, cum Mariæ nomen invocamus, quam cum ad JESU nomen confugimus; non eo quod Matris poteſtas Filii poteſtatem exæquet, ſed quia Filius debet aliquid juſtitiæ ſuæ; & facilius Matrem honorat plures gratias concedens illis, qui ad illam, quam illis qui ad ſeipſum confugiunt, quemadmodum Diſcipuli ejus majora fecerunt miracula, quam ipſe fuerit operatus, juxta id, quod ipſis pollicitus fuerat. Aliquis ne ita rationis expers eſſet, ut argueret inde Diſcipulos fuiſſe Magiſtro ſuo potentiores? 2. Maria non horret Laudes, preces, & pravorum hominum famulatum. Veritatis hujus probatio

pendet ab illa, de qua agitur in Theologia, ubi docetur, Deum non perhorreſcere preces, & opera bona iniquorum. Deus enim non execratur niſi malum; & hæreſis eſt aſſerere bonas actiones, quæ fiunt ſine caritate, eſſe peccata; quemadmodum in Tridentina Synodo his verbis ſtatutum eſt: *Si quis dixerit omnia opera, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, vera eſſe peccata, vel odium Dei mereri &c. anathema ſit.* Et ſane licet Deus (quod ipſum dicere poſſumus de Maria) deteſtetur peccatorem caritatem non habentem, non ideo tamen deteſtatur omnes actiones, quas facit peccator ſine caritate; ſimiliter quamvis deteſtetur infidelem, qui fidem non habet, non tamen deteſtatur omnes actiones, quas hic facit ſine fide; alioquin omnes infidelium actiones eſſent peccata, quæ alia eſt propoſitio ab Eccleſia damnata, non ſecus ac iſta: *Obedientia, quæ præſtatur legi Dei, vera non eſt, ubi fiat ſine caritate.* 3. Maria peccatores exaudit humiliter, & conſtanter orantes illam; tantum abeſt, ut preces eorum perhorreſcat. Propoſitionem hanc docent, ac propugnant Theologi, Sancti Patres, & Concilia, quæ ſuadent, & imperant peccatoribus, ut Deum orent, quia oratio medium eſt neceſſarium, vel ſaltem perutile ad gratiam obtinendam. Seſſ. 6. Can. 7.

Hæretici docent hoc neque licere, neque prodeſſe, neque eſſe neceſſarium. Non licet, inquiunt, quia hoc eſt Deum afficere contumelia; qui unicum eſſe debet objectum votorum noſtrorum & precum. Inutile eſt, addunt; Sancti enim non audiunt nos, & Deus unus ſufficit nobis. Denique neceſſarium non eſt, quia nullum in Scripturis præceptum eſt, quod jubeat nos confugere ad Sanctos, & Beatam Virginem, eoſque invocare. Non eſt hic locus tractandi punctum controverſiæ: tamen quia hoc argumentum tanti momenti eſt, & nonnullas involvit difficultates, & eorum cognitio pertinet ad noſtri argumenti fundamentum; tribus hiſce objectionibus reſpondeo tribus Veritatibus quas nobis credendas proponit Eccleſia: 1. Licere orare, & invocare Sanctos, atque præ ceteris Deiparam. Hæc veritas eſt de Fide, in pluribus Conciliis conſtituta, quæ damnarunt hæreticum Vigilantium, Catharos, Valdenſes, ac recens Lutherum, atque Calvinum. Non aliis probationibus opus eſt, niſi exemplis, quæ utrumque Teſtamentum nobis ſuppeditat: videmus enim Angelos orare pro populo Dei; Jeremiam poſt obitum orare pro civitate Jeruſalem; Sanctum Petrum polliceri diſcipulis ſuis, ſe poſt mortem non obliturum eorum. Si igitur mortui pro viventibus deprecantur, & pro hominibus Angeli, quis dubitare poteſt utrum illos invocare liceat, potiſſimum vero Sanctiſſimam Dei Matrem, quæ ſalutis noſtræ negotium procurat, & cujus interceſſio pro nobis eſt potentiſſima? Quod præceptum orandi, & invocandi Mariam, vel alium quempiam Sanctum, non videmus quidem adeo explicite in Scripturis memoratum; ſed nobis aliunde præcipit Deus, ut Eccleſiæ ſuæ obediamus, niſi haberi velimus tamquam infideles. Sed cum Eccleſia inſtituerit ſolemnitates, monumenta poſuerit, atque præceperit publicas preces, quæ Sanctis diriguntur, omnes tenemur in earum partem accedere. Ipſa tamen neminem cogit, ad invocandam Dominam noſtram, neque ad preces Sancto alicui ſingillatim offerendas. Quapropter integrum relinquit hoc facere, vel ſecus, dummodo hoc fiat ſine cenſura, aut reprehenſione eorum, qui hanc habent devotionem. Sed præterea credere jubet, non ſolum hoc licere, ſed maxime utile, & proficuum eſſe hoc facere. Hoc diſcimus ex deciſione Baſileenſis Concilii ab Eccleſia recepti, & miſſum facio decretum Tridentini Concilii de Sanctorum invocatione, quod illam quoque Sanctiſſimæ Virginis complectitur.

Quomodo liceat invocare Mariam, immo quam proſit hoc facere.

Zachar. 1. Daniel. 10. 2. Petri 1.

Locutiones, quibus Sanctus Auguſtinus, aliique nonnulli Patres uſi ſunt, & quas eadem adoptavit Eccleſia, vocans Mariam unicam ſpem peccatorum, aſylum, & refugium noſtrum, hæ inquam locutiones duriuſculæ videntur hæreticis, & Filio Dei contumelioſæ, ita enim eas appellant; ſed cæci ſunt Dei Filium, & Matrem ignorantes. Quapropter iterum dico, JESUM CHRISTUM unicum eſſe Mediatorem noſtrum confitemur, & unicam ſpem noſtram apud Patrem ſuum per viam meriti, ac redemptionis; quia unus ille redemit nos in Sanguine ſuo, & peccatorum noſtrorum veniam promeruit. Sed hoc minime vetat quo minus Sancta Virgo ſit inter Sanctos omnes unica ſpes noſtra apud Filium ſuum per viam interceſſionis, quod nihil derogat poteſtati Filii, vel merito illius.

Elogia a Sanctis Patribus Mariæ collata ab Eccleſia omnibuſque Theologis Catholicis probata ſunt.

Operæ pretium eſt animadvertere, Eccleſiam Catholicam per os Prædicatorum, per Doctorum ſuorum calamum, per hymnos, & Cantica, quæ cecinit in Officiis ſuis in gloriam ejus, illam omnibus ſæculis tribuiſſe Virgini Sanctiſſimæ magnifica elogia, quæ videbantur ſpeciem aliquam æqualitatis conſtituere inter

Qui adverſantur laudibus Mariæ, adverſantur ſententiæ Eccleſiæ.

M 3 Matrem,

Matrem, & Filium, & quæ aliquo modo attribuebant illi, quæ proprie, unice pertineant ad Deum. Ita illam vocavit ſemper Matrem miſericordiæ, Matrem gratiæ, Reginam Cæli, vitam noſtram, ſpem, conſolationem. Hinc ſequitur, ut qui ita eſſet audax atque temerarius, ut has laudes improbaret, læderet Eccleſiæ traditionam, quæ ſemper hoc ſenſit, & ita locuta eſt de Sancta Vigine. Ita ſane, hoc eſſet quodammodo Eccleſiæ traditionem offendere, in hæreticorum caſtra migrare, & credere Mariam ab Eccleſia laudibus immodicis decorari. Veri Eccleſiæ filii, poſtquam dixerunt quæcumque potuerunt in Virginis laudem, cum Sancto Auguſtino ſubjiciunt: *Quibus te laudibus efferam, neſcio.*

Nonnullorum moroſitas in hoc argumento de Mariæ devotione.

Videmus hoc tempore inſanam quandam in hominum ingeniis moroſitatem ubi agitur de devotione erga Mariam. Non negant illam eſſe Dei Matrem, ſed iniquo ferunt animo ipſam hominum Matrem vocari. Sunt, qui illam Juſtitiæ Matrem appellant; ſed perhorreſcunt eamdem, ut facit Eccleſia, Matrem ſanctæ Spei, & pulcræ dilectionis vocari. Titulus Advocatæ, ac mediatricis, qui illi ab Eccleſia defertur, illis non arridet; illis vero Crucem figit auctotitas, quæ eidem tribuitur in Cælo. Patri nequeunt illam dici omnipotentem apud Filium ſuum; ipſam impetrare quidquid vult; ipſam ſalvare eos, a quibus honoratur, & impoſſibile eſſe, ſervos ſuos reprobari. Videndum eſt utrum eorum querela ſit juſta, & utrum hæc propoſitio ſit ſententiæ Eccleſiæ contraria. Hæc propoſitio illis videtur ſuſtineri non poſſe, immo etiam Fidei principiis oppoſita; *Impoſſibile eſt Mariæ ſervum damnari*, vel *neceſſe eſt ipſum ſalvari*. Nam ſecundum Eccleſiæ doctrinam, inquiunt illi, aſſeri nequit, hominem neceſſario ſalvum fore; quia libere ſalvatur, & neceſſitas evertit libertatem. Tamen plures Theologi aſſerunt tuto aſſeri poſſe: *Impoſſibile eſſe eum, qui fideliter ſervit Mariæ, reprobari*: & ratio, quam adſerunt, eſt, propoſitionem a Patribus prolatam fuiſſe, quin illis adverſaretur Eccleſia. Sancti Anſelmus, & Antoninus conceptis verbis docent: *Impoſſibile eſſe, ut pereat* Mariæ ſervus. Sanctus Bernardus aſſerit neminem perire ex iis, qui Mariæ protectione lætantur: & *impoſſibile Deiparam non exandiri*. Sanctus Petrus Damiani majori vi loquitur; illam Omnipotentem in Cælo, & in terra vocat. Sanctus Auguſtinus eam appellat *unicam peccatorum ſpem*. Sanctus Joannes Damaſcenus fidenter ait: O Mater Dei! Si in te confidam, ſalvus ero; ſi ero ſub protectione tua, nihil mihi metuendum. Ceterum hæc loquendi ratio, quæ adeo frequens, & familiaris eſt in Scripturis, aliquid videlicet eſſe impoſſibile, nihil officit noſtræ libertati. Impoſſibile eſt, dicit Dominus, ut

ad Hebr. 6. 4.

non eveniant ſcandala: *Impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum caleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti ..... & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pænitentiam*; Et Sanctus Joannes: *& non poteſt peccare quoniam ex Deo natus eſt*: cum omnes iſtæ impoſſibilitates non ſint abſolutæ, ſed morales, minime officiunt noſtræ libertati. Impoſſibile dicimus, quod rarum eſt, & difficile. Hoc igitur in ſenſu dicimus cum Patribus, impoſſibile eſſe Sanctæ Virginis Servum perire, quoniam illa efficaces obtinet gratias, ut ſalvetur.

Elogia, quæ Sancti Mariæ detulerunt conſtituunt fiduciā quam in ipſius patrocinio collocamus.

Cur tot precautionibus utimur in elogiis, quæ tribuimus Mariæ, quandoquidem nunquam procedemus eo, quo pervenerunt Patres, qui ut ineffabilibus magnalibus ejus, laudum ſuarum tributum perſolverent, nobiſque inſpirarent profundam venerationem erga illam quam Deus ipſe infinite honoravit, tribuerunt illi encomia, quæ viderentur immodica, niſi nobis perſuaſum eſſet hinc quidem, illos uni JESU CHRISTO tribuere adorationes ſuas, & Mariæ cultum legitimum; inde vero illis non defuiſſe lumina, & prudentiam, ut non niſi juſtas tribuerent veris meritis laudes. Audiamus Sanctum Auguſtinum dicentem: ſicut Deus maris nomen tribuit acervo aquarum omnium, ita Mariæ nomen tribuiſſe illi, quæ centrum eſt omnium gratiarum: *Congregationem aquarum vocavit maria, congregationem gratiarum vocavit Maria.* Audiamus Sanctum Bernardum non metuentem excedere, affirmando Mariam evaſiſſe planam caritate, non ſecus ac JESUM CHRISTUM ex quo illum ſinu ſuo geſtaverat: & Sanctus Anſelmus credidit cenſoria regula ſe notari non poſſe cum dixit acceſſum ad thronum Mariæ nonnunquam faciliorem eſſe acceſſu ad thronum Filii Dei; & ſæpe nos a Deo repelli, ut ad illum per Mariæ miniſterium, & Matris opem accedamus. *Velocior eſt*

Anſelm. lib. de excellent. Virg. cap. 6.

nonnunquam ſalus invocato nomine Mariæ, quam invocato nomine JESU. Tantum Dominus poteſtatem ſuam Matri Sanctiſſimæ communicavit; tantum cupit illam e Fidelibus reſpici tamquam refugium ſuum; tantum probat devotiones in illius honorem inſtitutas; quandoquidem tantam nobis inſpirat fiduciam, nos per illius auctoritatem aſſecuturos id, quod ipſe ille nobis per ſe concedere negat.

Quo in ſenſu dicere poſſimus Mariam eſſe omnipotentem.

Fieri profecto nequit ulla comparatio poteſtatis Mariæ cum poteſtate JESU CHRISTI; infinite quippe diſtat Creator a creatura; quæ quantumlibet perfecta ſit, nullam unquam habere poteſt proportionem: Verum cum dicimus Mariam eſſe omnipotentem intelligendum eſt, talem eſſe dependenter a Deo; meminiſſe debemus hac locutione comprehendi, illam eſſe, ex omnibus Sanctis, quæ faciliorem habet acceſſum ad JESU CHRISTI Tribunal; poteſtatem ejus ſapientia ſua eſſe circumſcriptam; & quemadmodum Filius Dei dicebat de ſeipſo, ſe Judicem eſſe inſtitutum a Patre; Patrem ſuum neminem amplius judicare; nolebat innuere, Patrem æternum ſe ſe abdicaſſe jure judicandi, ut illud in Filium traduceret; ſed ſolum ad humiliationes ejus remunerandas, & ut illius magis eniteſceret gloria, & magnitudo ſe illi judicandi poteſtatem contuliſſe: Hic ſimiliter; JESUS CHRISTUS omnem contulit Matri poteſtatem, non quod illam abdicaverit, ſed per communicatam Matri poteſtatem vult meritum ejus attollere, ac efficere, ut ab omnibus benedicatur nationibus, earum protectria, & refugium conſtituta. JESUS CHRISTUS conſulens hominum utilitati, non ne maternæ etiam gloriæ proſpexit? Illam quodammodo humiliaverat dicens, *nondum venit hora mea. Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Cum illo partita fuerat dolores ignominiarum, & paſſionum ipſius; glorioſum igitur erat Filio evehere Sanctam Matrem ſuam ad honoris cumulum, eamque induere ea poteſtate, cui nulla par fuit. Erat Juſtitiæ ſuæ, eam facere protetricem Eccleſiæ totius, quoniam cum ipſo in Calvario Eccleſiam pepererat.

Quo magis Dei Filius eſſent Matrem, eo magis dilexit eos, qui eidem erant devoti.

Si Deus temporalibus cumulavit beneficiis populum integrum in gratiam nonnullorum amicorum, puta, David, in cujus gratiam dilexit omnem illius poſteritatem; Abraham, Iſaac, atque tot aliorum, perinde ac favores, quos in eorum proprias perſonas conferebat, nequaquam pleni, integrique fuiſſent, niſi extenderentur late ad eos omnes, qui pertinebant ad illos; vel quaſi amor ſuus non ſatis magnus extitiſſet, niſi cum illis univerſam eorum familiam fuiſſet complexus; quid igitur cogitandum eſt de Maria, quam magis dilexit, quam ceteros ſimul; niſi quod quo magis amor, quo ipſe illam proſecutus eſt, ſingularis extitit, eo magis ſingulariter dilexiſſet eos, qui ſe ſe ejus ſervitio devoverant. Eorum bona ita feliciter confuſa ſunt, ut invicem ſeparari non poſſint; & videtur hoc in ſenſu Eccleſia illi applicare Scripturæ verba: *in plenitudine Sanctorum detentio mea*, videlicet ſe Reginæ inſtar incedere quocumque in ſtatu eam conſideramus, & nunquam ſeparandam eſſe a comitatu ſuo, vel ab ſectatorum turba in ipſis etiam ideis Dei, ubi ſemper detenta fuit cum hac Sanctorum plenitudine, quos retinet, & a quibus retinetur in ipſo ordine providentiæ, nunquam ab eo ſeparanda. Ita ſcire ne vultis, utrum Deus oculos in vos conjecerit propitio illo obtutu, qui prædeſtinatos facit, & utrum cor ſuum vobis protulerit? Scrutamini cor Dei, veſtrum ipſum ſcrutantes. Eſtis ne ex numero ſervorum Sanctæ Virginis? Experimini teneram hanc in cultu ipſius devotionem? ejus gloria vos movet? eamque ubi opus eſt, tuemini? Verbo, contenditis ne in occaſionibus illi eſſe fideles? Si hoc eſt; quæ apertior haberi poteſt nota peculiaris hujus amoris Dei, quam ſervire illi, quam perfecte non amaret; niſi amaret illos, qui perſonæ ejus adhærent, eique devoti ſunt.

Eccl. 24.

Illatio neceſſaria eſt illos a Maria diligi qui diliguntur a Deo.

Proverb. 8.

Si Maria gratificari tenetur aliquo benevolentiæ teſtimonio illis, qui ſe ad eam pertinere, eamque amare profitentur, ſecundum verba, quæ illi ab Eccleſia applicantur: *Ego diligentes me diligo*; audacter inferre poſſumus, illos ſingulariter amari, & Deo caros eſſe: quandoquidem hæc duo ſeparari non poſſunt; vel ſaltem nodo adeo arcto conjuncta ſunt, ut alterum ex altero conſequatur. Ita ſicuti hæc Sanctæ Virginis dilectio quædam eſt ſpecies prædeſtinationis ex parte illius, eſt etiam ex parte Dei. Sed ſimul quæ conſolatio eſt in incertitudine, in qua ſunt omnes homines, utrum futuri ſint æternum digni amore, an odio Dei; habere adeo manifeſtum ſuæ dilectionis indicium. Quid aptius ad excitandam ſpem in hoc juſto timore, qui tot excitavit tumultus in Sanctiſſimis Viris, utrum eſſent in vitæ libro deſcripti? ſcire ſe illos eſſe, qui juſtiſſima ad beatam vitam poſſident jura? Judicia Dei terribilia ſunt, fateor; juſtus eſt timor, quem unuſquiſque debet habere; ſola cogitatio poteſt incutere ſummos terrores animæ, quæ concipit, quid ſit eſſe in æternum felices, vel miſeros.

Sed

Sed quæ ratio validior ad nos confirmandos in hoc timore, & reddendam cordi noſtro tranquillitatem, & confidentiam, quam teſtimonium cordis noſtri ſingularis illius adhæſionis ſervitio Sanctiſſimæ Virginis, quæ Mater eſt prædeſtinatorum? Nos per profeſſionem illi devotos eſſe; eique in operibus noſtris fideles? Licet hæc una eſſet nobis cogitatio, & conſolatio, nonne ſola nos cogere poſſet, ut in ſervorum ſuorum numero recenſeremur?

Cur Maria dicatur Mater miſericordiæ.

Eccleſiæ Dei Matrem miſericordiæ, Reginam vocat: *Mater miſericordiæ*; ideoque miſeros amare debet, qui ſibi ſunt ſubditi. Sanctus Thomas in præfatione quam edidit in Epiſtolas Canonicas refert hiſtoriam Eſther, & ſcite illam applicat Sanctæ Virgini. Dicit autem, ſicuti Aſſuerus proditoris Amani conſilio mortis ſententiam protulerat contra populum Judæorum, & hæc ſententia ad preces Eſther, quæ prodiit coram Rege, ad hanc illi gratiam petendam, fuerat antiquata, ita Deus damnaverat omnes homines æterna morte propter peccatum primorum Patrum, qui Dæmonis ſuaſu ex vetito fructu comederant: Sed Deum quoque hanc abrogaſſe ſententiam, ſimulac Virgo apparuit in Mundo; invenit quippe gratiam in oculis ejus, & ſicut Aſſuerus obtulit Eſther dimidium Regni ſui, Virgo impetravit a Deo imperii ejuſdem dominium, facta Regina miſericordiæ, quemadmodum Filius ſuus eſt Rex juſtitiæ, *Dimidiam partem regni Dei impetravit, ut ipſa ſit Regina miſericordiæ, cujus Filius eſt rex juſtitiæ*; dicit ſapiens quidam Interpres. Neque ideo dixeris, JESUM CHRISTUM non eſſe & ipſum Regem miſericordiæ; ſed cum dicitur Virgo eſſe Regina miſericordiæ, intelligitur, a Filio ſuo conſtitutam fuiſſe Reginam miſerorum, & peccatorum mediatricem; illam videlicet pro illis miſericordiam petere, nunquam vero juſtitiam.

Cujus naturæ ſit Mariæ poteſtas in Filium.

Jure admiramur poteſtatem Moyſis apud Deum, cum Deus bonitatis plenus quamdam petebat facultatis ſpeciem, ut in rebellem populum animadverteret, eoque rogabat illum, ne ſibi adverſaretur. Obſtupeſcimus, cum audimus Joſue verbo Solis iter remoratum fuiſſe: *Obediente Deo voci hominis*; Cum audimus a Pſalmorum auctore, Deum adimplere voluntatem timentium ſe, eumque eorum precibus audientem eſſe; cum legimus admirabilem Dei indulgentiam pro ſervis ſuis, celeritatem, qua eorum petitionibus ſubſcribit, & teſtimonia ſuæ erga illos bonitatis. Tamen hæc non eſt poteſtas de qua agimus, cum loquimur de poteſtate, quam habet Maria apud Deum. Non agitur hoc in loco de auctoritate amici apud amicum, neque de gratia præfecti alicujus apud Principem; agitur de poteſtate Matris apud Filium, quæ licet non ſit ejuſdem prorſus naturæ ac illa quam exercebat in terra, tamen non eſt ſolum magna, verum etiam inſculpta in ipſa natura; ita ut quoad hic homo Deus erit Filius Mariæ, Maria ſuo jure fruetur, & erit apud hunc filium omnipotens.

Exod. 32. Joſue 10. Pſalm. 144.

Eccleſiæ ſententia hæc eſt, Mariam multum poſſe in ſalutis noſtræ negotio.

Denique nos credere jubet Eccleſia, Sanctam Virginem magnam habere poteſtatem in ſalutis noſtræ negotio, ac illud enixe procurare. Hinc in precibus, quas illi nuncupat adeo frequenter pro nobis, illam vocat Matrem miſericordiæ, refugium peccatorum, Cœli portam, noſtram advocatam, ſtellam maris, ſpem, vitamque noſtram, omnia nomina, quæ innuunt, Eccleſiam in Sancta Virgine recognoſcere peculiarem poteſtatem apud Deum ad peccatorum converſionem exorandam. Hac etiam de cauſa ſuadet, ut illam invocemus potiſſimum pro mortis hora; ex quo intelligimus, Matrem Dei multum pollere gratia ad obtinendam a Filio finalem perſeverantiam, quæ ſignum eſt prædeſtinationis. Ita illa etiam applicat hæc verba, quæ egregie illi conveniunt: *Qui creavit me, requievit in Tabernaculo meo: & dixit mihi, in Jacob inhabita: & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices*. Qui inde concludunt, teneram ſolidamque erga Sanctam Virginem devotionem ſignum eſſe prædeſtinationis ſecundum Catholicæ Religionis principia, nonne rite Theologorum more argumentantur? Hi ſunt ſenſus, quos haberi jubet Eccleſia de Matre Dei, & a quibus nos recedere non ſinit. Hæ ſunt veritates conſtantes, authenticæ deciſiones, immemorabiles traditiones, univerſales, generatim receptæ, a nobis habendæ tamquam puncta Religionis, quibus fidem negare non licet.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentibuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Senſus habendi de Maria.

Concipi nequeunt ſenſus nimis ſublimes de Sancta Virgine. Quantumvis ſublimes fuerint noſtræ cogitationes, ejus magnalia nunquam exæquabunt; & quidquid admittitur ſpiritus noſter, ut magnificas concipiat ideas, hæ ſemper erunt infra eam, quæ dicit de ſeipſa; *fecit mihi magna qui potens eſt*. Ita primus ſenſus, quem habere debemus de Maria, eſt confiteri illam eſſe ſuper omnem ſenſum, & nos de illa cogitantes, quidquid ſpiritus noſter magnificentius ſuggerere poteſt, nos nunquam ſatis cogitaturos. Hinc inferre non audeo, licere nobis cogitare quidquid auguſtiſſimum, & glorioſiſſimum valeat excogitari. Ut recte de Domina noſtra cogitemus, non ſecus ac ut recte cogitemus de Deo, regulis quaſdam ſequi oportet, ac nobiſmet perſuadere, quæcunque adſit in corde rectitudo, nihil permittendum eſſe, ubi de Religione ſermo eſt, incertis mentis humanæ Conſiliis, citra periculum habendi cum bonis intentionibus in pernicioſos errores. Scopulum hunc evitabimus in argumento, de quo agimus aſſumentes pro regula ſenſuum, quos fovere tenemur de Virgine, ſenſus Eccleſiæ, Patrum, atque Catholicorum Theologorum, qui ſolide, ſapienterque argumentum hoc pertractarunt. *Pater Aurelianenſis de devotione erga Mariam.*

Cur Evangeliſtæ pauca dixerunt de Maria.

Quæritur, cur Evangeliſtæ pauca dixerint de Mariæ laudibus; & reſpondetur, ab illis dicta paucis verbis ſatis multa complecti, quæ ſufficiunt, ut inde Doctores orthodoxam, tutamque inſtituant enarrationem. Quid enim dici nequit de illa, quam Angelus gratia plenam vocavit, cum qua Deum eſſe dixit; quam beatam inter mulieres appellavit; in Spiritum Sanctum ſuperventurum, eique obumbraturum dixit, & quam virtute Altiſſimi repletum iri prædixit? Hoc unum Sancti Matthæi verbum, *de qua natus eſt JESUS*; ſola Deiparæ qualitas, quam illi Sancta Eliſabeth gratulata eſt, unum, inquam, ex duobus his verbis ſuffeciſſet, ut ſolide omnia probarentur Elogia, quæ Patres illi tribuerunt, & ad hanc quoque diem tribuunt illi omnes Theologi vere Catholici. Quidquid de illa auguſtius, glorioſius, atque divinius dici poteſt, nonne hinc credibile evadit? Hoc eſt, ex Divo Anſelmo, dicere, quidquid maximum dici poteſt; illam videlicet Dei Matrem eſſe. Si de Virgine cogitandum eſt id, quod ſuperat omnes cogitationes, eſtne temere de illa cogitare, quidquid cogitari poteſt maximum, & glorioſiſſimum, cum quod cogitatur, nulli opponitur revelatæ Veritati pro tali ab Eccleſia habitæ, & alioquin ratione, & auctoritate deſtitutum non eſt? Quæ ratio, & quæ oppoſita auctoritas cedere non debet huic argumento quod inſtitui poteſt illi ſimile, quod faciebat jure ſuo Sanctus Paulus de JESU CHRISTO, ut oſtenderet ipſum ſuper omnes Angelos eſſe: *cui Angelorum dixit: Filius meus es tu: ego hodie genui te?* Cuinam Deus dixit unquam, tu Mater es mea, tu me genuiſti? Reipſa hinc Sanctus Bernardus concludit, nullam Virgini prærogativam negari poſſe, & nullam gratiarum earum, quæ aliquid conferunt Sanctitati, quas Sancti apud Deum gratioſiſſimi obtinuerunt. Ad Hebr. 10.

Artes, quibus abutuntur Hæretici ad evertendum cultum & devotionem Mariæ.

Operæ pretium eſt animadvertere, familiarem eſſe artem Hæreticorum impugnare Religionis noſtræ Veritates, & optime inſtituta officia laceſſere modo ſub majoris perfectionis colore, modo ſub prætextu nonnullorum abuſuum, quos auferre adnituntur. Spiritus erroris, quo ducuntur, hac arte uſus eſt ad deſtruendam devotionem erga Mariam. Dixerunt Deum zelotem eſſe, & ad ipſum unum honorem, & gloriam omnem pertinere, quam cum ullo partiri detrectat; unum eſſe Deum, unumque mediatorem Deum inter, & homines, nempe JESUM CHRISTUM, & ſub harum veritatum fuco, quas Eccleſia veneratur, & ſub colore quorumdam abuſuum hominum rudium, quos ipſa quoque damnat Eccleſia, invehuntur contra Sanctorum interceſſionem, & nominatim contra illam Reginæ Sanctorum. Sed Catholici Doctores Spiritu Dei acti longe ab his ſenſibus abhorrent: docent adorationem quam Deo debemus, non ad illum unum pertinere; ipſum a nobis glorificandum eſſe in honoribus, qui Sanctæ Virgini, & Sanctis deferuntur, quos propter Dei amorem veneramur. Nos Deum ipſum unum latriæ cultu honorare; nobis plures Advocatos interceſſionis, ſed ne unum quidem in eodem ſenſu,

in quo eſt JESUS CHRISTUS. Per hunc Salvatorem, & in virtutem ſancti Nominis hujus nos ſperare, & recipere omnes gratias, quæ per Mariæ interceſſionem conceduntur. Si qui inveniuntur abuſus in populo rudi, & indocto, hos ab Eccleſia damnavi, eoſque illi imputare puram putam eſſe Hæreticorum calumniam. *Auctor recens.*

Patres atque Theologi damnant errores, & abuſus, qui in devotionem Mariæ inveniuntur, ſed non ideo imminuunt cultum & devotionem illi habendam.

Doctores Catholici detegunt, & damnant errores rudium quorumdam, & imperitorum hominum, qui decepti circa Sanctæ hujus Virginis cultum aberrant. Sed quam diligentiſſime cavent, ne veram devotionem imminuant. Docent igitur illam perhorreſcere ſupremos honores, qui ad unum pertinent Deum; velle, ut amor, quo illam complectimur, ad Deum Majeſtatis, & gloriæ deferatur; ad ſe confugiendum non eſſe, quaſi Deus nobis non ſufficeret; ſed ajunt per illam nobis aditum patere ad Deum; dicunt illam petere, ut ſimus imitatores ſui, ſicut illa imitatrix fuit JESU CHRISTI, & eas exercere virtutes, quarum nobis illa reliquit exemplum, eſſe illam digne venerari. Dicunt tandem ſub prætextu imitationis virtutum ſuarum, negligendum non eſſe cultum interiorem, exterioremque qui Deo debetur, & praxes devotionis erga S. Virginem, media eſſe ad obtinenda per interceſſionem ipſius valida ſubſidia ad abnegandos noſmet, ad chriſtianam mortificationem acquirendam, ad ferendam crucem, & ad ſequendum JESUM CHRISTUM, quemadmodum Salvator ipſe nos docet in Evangelio. *Idem.*

Mariam eſſe noſtram advocatam, & mediatricem apud Deum.

Cum hæc quæſtio ſit fundamentum devotionis erga Mariam, titulum hunc rite probari, opus eſt; fruſtra enim rogamus illam, niſi illa oret pro nobis; & illa nobis precibus ſuis non fert opem, ſi noſtra Advocata non eſt. Sæculi hujus hæretici pati æquo animo nequeunt, Deiparæ tribui glorioſam hanc qualitatem; putant hanc officere dignitati Filii ſui, & jactitant illa S. Pauli verba: *Unum habemus Mediatorem apud Deum JESUM CHRISTUM unum;* ubi tanta eſt eorum audacia, ut addiderint verbum illud *unum*, ad excluſionem Sanctorum, & Reginæ Sanctorum. E contra declarat Eccleſia, Sanctos in Cælo, potiſſimum vero Dei Matrem, nobis precibus ſuis ſuffragari; interceſſionem eorum cedere in honorem Salvatoris, quin gloriæ ejuſdem offundat caliginem; Deum, licet miſericors eſt, oblectari, a nobis apud ipſum adhiberi Sanctorum ſuorum auctoritatem, ut nobis oſtendat quo in pretio habeat illos, ut nos exciret ad eorum exempla imitanda. Poſt Eccleſiæ ſententiam, & Patrum omnium auctoritatem hoc in articulo, non credo neceſſe eſſe aliquid addere; opus ſolum eſt animadvertere Advocati munus triplici in re eniteſcere; 1. Ut Judicem ſuum ſibi benevolum reddat; 2. Ut callidum, verſutumque ſuperet adverſarium; Ut victoriam referat in cauſſa, de qua nulla ſpes eſſet reliqua. Hoc fecit S. Virgo advocata noſtra erga peccatores. *Idem.*

De mediatricis titulo, qui negari non poteſt Mariæ.

Injuſti profecto ſunt Hæretici, qui Sanctis in Cælo, & potiſſimum Reginæ Sanctorum renuunt nomen, & officium Mediatorum, quod Sanctus Paulus Moyſi largitur. Quod ſi Sancti vocari poſſunt Mediatores noſtri apud Deum, quam iniquum eſt in disputationem arceſſere Mediatricis qualitatem illi, quæ adeo exaltata eſt ſuper omnes Sanctos? Hic eſt ſermo Patrum omnium, & nemo uſquam Theologorum hoc detrectavit Elogium Sanctæ Virgini, neque Eccleſia illos hyperbolicæ locutionis redarguit, cum probarunt hunc titulum, quo illa ipſa utitur in Officio ſuo, & in precibus, quas nuncupat illi. Tamen ad auferendum ſcrupulum infirmarum mentium, vel potius iniquarum, notandum eſt, nomen hoc *Mediatoris* bifariam accipi poſſe, vel de illo, qui agit de ſalute noſtra per viam juſtitiæ, meriti, & redemptionis, vel de illo, qui agit per viam precum, & interceſſionis. Catholici omnes fatentur, unum eſſe JESUM CHRISTUM in ſenſu priori Mediatorem; quippe unus ille ſatisfecit pro peccatis noſtris in rigore juſtitiæ, & ipſe offert merita ſua Patri tamquam ſolutionem pro univerſorum hominum ſalute ſufficientem. Sed Eccleſia fatetur, omnes terræ, Cælique Sanctos eſſe in ſenſu altero Mediatores noſtros, ac inter ceteros Matrem Dei. Profecto huic potiſſimum præclarus titulus tribuitur: namque ut aliquis Mediator exiſtat, & Mediatoris munere perfungatur, opus eſt, ut qui petit, meritus fuerit, quod vult impetrare, ut offerat Deo bona opera ſua, & merita pro nobis, & Deus illa recipiat. Hoc in ſenſu JESUS CHRISTUS unicus eſt, & verus Mediator noſter. Sed Sancti non meriti ſunt pro nobis, dum viverent, bona; non obtulerunt Deo opera bona, & merita ſua pro nobis, & Deus in hunc finem non acceptavit illa. Una eſt Sanctiſſima Virgo, particeps gloriæ Filii ſui; illa enim nihil obtinet nobis, quod non merita fuerit dum eſſet in terris per merita de congruo, tamquam cauſſa inſtrumentalis ſalutis noſtræ, qua Salvator noſter Filius ſuus uti dignatus eſt. Ipſa etiam obtulit omnes actiones ſuas, omneſque paſſiones, eaſque conjunxit cum illis Redemptoris noſtri pro mortalium omnium ſalute, quin vel unum exciperet, & Deus acceptavit hanc oblationem, quemadmodum Theologi omnes teſtantur. Hoc ipſum dici poteſt de titulo Redemptricis hominum, & Reparatricis generis humani propter cauſſas eaſdem.

Conſtans Traditio Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ probat Mariæ devotionem.

Devotio erga Sanctam Virginem ita in Eccleſia probata eſt, ut nullus ſit vere Catholicus, qui non agnoverit utilitatem, & qui ſe plurimum illi debere non profiteatur. Eccleſia Latina, & Græca hoc in articulo eam habent conformitatem, quam nullum ſchiſma labefactavit. In Oriente æque ac in Occidente publice Mariæ preces funduntur, feſti dies in illius honorem celebrantur, Deo Templa ſub illius nomine ædificantur; in aris imagines exponuntur, in Sacrificiis invocatur. Nihil melius hanc probat veritatem, quam hæc Græcorum cum nobis conformitas, quandoquidem illi adeo proclives ſunt ad ſeceſſionem. Utrique a patribus noſtris hanc doctrinam accepimus conſtanti ſæculorum omnium traditione a JESU CHRISTO ad nos uſque. Græci hodierna die idem ſentiunt, quod olim ſentiebat Sanctus Athanaſius, Sanctus Chryſoſtomus, & Cyrillus. Sanctus Bernardus ſenſus eoſdem tranſmiſit, quos receperat a Sancto Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, aliiſque primorum temporum Patribus. Licet non aliam haberemus probationem, niſi traditionem hanc ab Apoſtolis profectam, niſi vim, quam jam illa obtinuerat Epheſini Concilii tempore; poſſetne rationabiliter ambigi? Hic Doctorum conſenſus, populi, Sanctorum Pontificum, Præſulum omnium, quos ſuperbia, partium ſtudium, humanæ rationes corrumpere non potuerunt; hic ardor omnium orthodoxorum, non ſolum in tuendo dogmate particulari, de quo agebatur, ſed in celebrandis eo magis Magnalibus Sanctæ Virginis, quo magis Spiritus erroris illa impugnare conabatur, in concinnandis frequentioribus elogiis, in novis Templis ædificandis in ipſa etiam civitate Imperii principe; hic zelus, inquam, ardens adeo, & univerſalis poteratne alii incumbere fundamento, quam probatiſſimæ traditioni? & nobis dubitare liceret, niſi rivos illius cognoſceremus? *Pater Aurelianenſis.*

Si judicio, & prudentia opus eſt ad colendam, uti opus eſt, Dei Matrem, major requiritur ad eos redarguendos qui eam venerantur.

Ut ſancte colamus Dei Matrem, prudenter colenda eſt. Hoc principium eſt, quod negari non poteſt, & de quo proculdubio nemo eſt, qui mecum non conveniat. Verum ſimul mecum conveniat oportet de alia veritate, quæ æque mihi certa videtur; videlicet, ſi opus eſt judicio, & prudentia ad Dei Matrem colendam, non minori opus eſſe ad eos cenſoris nota perſtringendos, qui colunt illam, & ad ferendum judicium de cultu, & honoribus, qui illi deferuntur. Dicam apertius: In Mundo inter eos qui devoti ſunt Beatæ Virgini, adeſſe poſſunt quidam parum diſcreti, non inficior, & ſi qui ſunt, abſit, me illos vel probare velle, vel excuſare. Sed eſſe poſſunt etiam indiſcreti cenſores devotionis erga Mariam, qua de re non ſatis cogitatur. Ex duobus his malis primum quidem evitare gloriamur, & contingit in ſingulos ferme dies, ut alterum nobis laudi, meritoque tribuamus. Verumtamen poſterius non eſt priore minus periculoſum; & homo Chriſtianus coram Deo non minus periclitatur temere condemnans cultum legitimum, & ſanctum, quam ignorantes ſequens cultum immodicum, ac ſuperſtitioſum. Debemus ergo & ego, & vos ſequi regulas tutas ad utrumque hunc ſcopulum evitandum, & diſcrete honorandam Cæli Reginam, ac proponendas eaſdem leges, ne nimis leviter cenſoria nota perſtringamus vulgi ipſius honores, quos recipit ſuper terram. Nihil vagum dicamus, & has veritates explanaturi, non de phantaſmatis agamus, ſed ſingula diligenter enucleemus.

Generalis ſententia eſt, omni tempore, & in omnibus populis poſt Chriſtianiſmi inſtitutionem viguiſſe morem honorandi Sanctam Virginem.

Quidam ſunt ſenſus ita univerſales, & qui ita nati videntur cum hominibus, ut dubitare non liceat quominus ab ipſa natura proficiſcantur. Sæpe etiam rationem prævertunt; habentur etiam antequam cognoſcantur, niſi quod ſequimur illos, & generatim videntur in illis omnibus, in quibus cupiditas aliqua eos non extinxit. Talis eſt exempli gratia inſtinctus eos colendi, a quibus vitam accepimus, amandi patriam, remunerandi beneficia. Omnes hos habent ſenſus, & vulgo dicimus, homines non eſſe, qui illos non habent; adeo perſuaſum nobis eſt illos a natura, & ipſo humanitatis fundo proficiſci. Simile neſcio quid in Religione invenitur: ſunt, inquam, in Religione quidam ſenſus pietatis, in Chriſtianis omnibus ita univerſales, quos minime jugulant per quamcumque incompoſitam animi ſui perturbationem, qui nonniſi ab aliqua oriri poſſunt inſpiratione, & ab operatione hujus gratiæ, quæ Chriſtianum facit, quæ illum animat, quæ illi motum tribuit, & quæ in hoc ordine ſuperiori, ad quem Deus elevat illam per adoptionem, eſt illi tamquam altera natura.

cura. Senſus venerationis, quem ab omni tempore in Eccleſia fideles foverunt erga Deiparam, ex numero illorum eſt, de quibus loquor, & quamvis minus illuxerit tribus primis ſæculis propter eas rationes, quas attulimus; fuit tamen omnium ſæculorum; & cum vel erroris præventio, vel novitatis amor in Chriſtianis ſuffocaverit, ita generalis fuit, ut quidquid Sanctorum Doctorum ſtudium detexerit magnalium in Virgine, alacriter a populis receptum fuerit, & cum zelo a Theologis probatum.

Homines parum addicti cultui Mariæ contendunt in hoc non deeſſe abuſus quoſdam immodicos.

Aſſeruerunt nonnulli, quamvis Paſtores adniſi fuerint erudire populos, & hoc noſtro ſæculo emundare Religionem, vel devotionem fidelium, adhuc exceſſum inveniri, ideoque abuſum in cultu, qui Beatæ Virgini præſtatur, (& quod vos oro, ut diligentiſſime attendatis) non ſolum infeſtiſſimi Eccleſiæ inimici hoc venditant, ſed etiam quidam ejuſdem filii hunc abuſum commiſerantur. Catholici, qui ſeſe zelo ſuccenſos jactitant; ſed quorum zelus proculdubio caret iis qualitatibus, quæ requiruntur, ut ſit zelus ſecundum ſcientiam, quem exigebat Apoſtolus. Ut ut ſit, non defuerunt Catholici ipſi, qui crediderunt, ſibi tuendam eſſe Dei cauſam; & ex eo pacto, quo ſeſe explicuerunt, en tria in quibus viſa eſt veneratio fidelium vulgo erga Dei Matrem ad *indiſcretionem*, hoc enim vocabulo utuntur, pervenire; & intereſt noſtra rite aſſequi, ad quid hoc vocabulum applicuerint.. Dei gloria ducti conqueſti ſunt, Sanctæ Virgini tamquam divinitatis alicui honores præſtari. Conqueſti ſunt eidem deferri titulos honoris, qui ad illam non pertinerent, cujuſmodi ſunt illi Mediatricis, & perditi mundi Reparatricis. Conqueſti ſunt nova privilegia eidem tribui, quæ neque in Scripturis, neque in traditione fuerunt revelata. Ad examen querelas hujuſmodi ſine præjudicio revocemus; quandoquidem illas evulgarunt in orbe Chriſtiano in formam monitorum traditorum ab ipſa Maria ad indiſcretos devotos ſuos, quandoquidem optamus bona fide, devotionem noſtram prudentem eſſe, ſolidam, & irreprehenſibilem. Quantumvis parum fundata ſint hæc monita, inde proficiamus, noſmet ædificemus; ſaltem utamur examine, quod facturi ſumus, ut ſiamus diligentiores, & magis irreprehenſibiles in cultu Sanctæ Virginis, quam honoramus. Hoc in argumento nihil eſſe poterit vel nimis abſtractum, vel moleſtum. *Idem*.

Ipſe J. C. amari non poteſt, ut decet, quin Virgo diligatur, & viciſſim.

JESUS, & Maria arcte adeo conjuncti ſunt, ut nequeant ſeparari. Filius amari, & coli non poteſt, quin ſimul Mater ametur, & colatur: omne meritum, & gloria Matris fluit a Filio, & totus honor, qui Matri tribuitur, redit ad Filium. Devotio ergo Mariam non dividit cor; e contra vero illud arctius adnectit cum JESU. Fiducia, quam habemus in Sanctæ Virginis protectione, non minuit confidentiam habendam in Filio; immo auget e contra, eamque æquiorem facit, atque certiorem. Maria tantum habet poteſtatis, quantum bonitatis habet JESUS erga illam; & illa tantum erga me bonitatis, quantum ego in illa confidentiæ. Quouſque igitur proferre poſſum motus confidentiæ meæ? cum adeo ſit bona, & generoſa, poteſtne non amare ſervientem ſibi, & diligentem ſe? JESUS qui infinite Mariam amat, odiſſetne poteſt hominem, qui amatur ab illa? Poteſtne perdere hominem, quem illa ſalvum facere deſiderat? Quid ille æquo ne ferret animo cor incenſum amore Mariæ infernis ignibus uri? Id cogitari poteſt, quin cogitetur de bonitate JESU erga Mariam, & de bonitate Mariæ erga ſervos ſuos? *Pater Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus. Tomo* 2.

Non deficere debet in nobis confidentia in Maria cum nobis perſuaſum ſit de illius auctoritate apud Deum, & bonitate erga homines.

Quantumvis nocens ego ſim, nunquam tamen de Miſericordia Dei deſperabo, dum pro me ſteterit Mater miſericordiæ. Objiciam Matris miſericordiam Juſtitiæ Filii. Nunquid hæc illi reſiſtere poterit? Nunquid Mariæ precibus plus virium inerit ad Dei iram mulcendam, quam criminibus meis ad illam irritandam? Putabo in tuto eſſe ſalutem meam, cum erit in manibus Mariæ? Si hæc illi cordi non eſſet, id ſane oriretur vel ex defectu poteſtatis erga Filium ſuum, vel ex defectu bonitatis ejuſdem erga me. Poteſtne ambigi de alterutro, quin Filio, & Matri inferatur injuria? Deeſſene poteſt Matri apud Filium potentia; illi, cui Filius quodammodo potentiam ſuam communicavit, ut Sanctus inquit Bonaventura, ita ut poſſit omnia cum Filio ſuo, & omnia poſſit apud Filium ſuum? Ille qui omnibus præcepit hominibus, ut parentes ſuos obſervarent, & colerent, ipſe hanc legem infringeret? An illam obſervaret, ſi Matris ſuæ interceſſionem repelleret? Ille qui rationem habet calicis aquæ frigidæ, ingratus eſſe poterit erga Matrem, cui debet quidquid eſt, quatenus homo, & nonne videretur ingratus, ſi negaret illi gratias, quas illa pro ſervis ſuis deprecatur? Mariæ poteſtas dimetienda eſt ex dignitate Matris Dei, quam poſſidet, ex bonitate Filii erga illam, ex magnitudine earum rerum quas illi debet, & ex qualitate Mediatricis hominum, qua illam dignatur; quæ ſi vera ſunt, quouſque non procedit Mariæ poteſtas, & quouſque procedere non debet noſtra confidentia? *Idem*.

Maria cum ſit Mater noſtra, illi bonitas erga nos deeſſe non poteſt.

Sed ſi non deeſt Mariæ poteſtas, nunquid bona illi deerit voluntas? Ipſa eſt Mater noſtra; & facta Mater Dei effecta eſt hominum Mater. Filius ſuus tradens illam Joanni in Matrem nonne tradidit etiam illam fidelibus omnibus in Matrem? Ex eo tempore facti fuimus filii ejus adoptionis. Mater, ſed quid dico? Mater omnium matrum optima, deficere poteſt bonitate erga filios? Nos ſumus, verum eſt, miſeri, ſed miſeriæ noſtræ illius augent miſerationem, amorem, benevolentiam, quia illa Mater eſt miſericordiæ, & refugium peccatorum. Aliquemne uſquam repulit? Si quis invenitur, Sanctus Bernardus addit, non abnuo, ab hoc non honorari, non invocari. Sed invenieturne? Si illa non repellit nequiſſimos peccatores, repellet ſervos ſuos, ſibique familiares? Ah! Magnum mihi confidentiæ meæ argumentum! Maria Dei Mater eſt, ſimulque Mater mea. Summa ejus apud Filium auctoritas; ſumma illius erga me bonitas. Poſt hæc ſi illi ſervio, ſi in illa confido, mihi ne abjicienda eſt ſpes ſalutis meæ, an potius pro certa eſt habenda? *Idem*.

Olim ſimplicius agebatur, ſed longe ſervidius Deiparæ cultu, & quæ in dubium vocarentur illius elogia, & prærogativæ ſine diſputatione mulcebatur.

Quantum diſcriminis intereſt inter fideles ſæculi hujus, & eos, qui nobis præceſſerunt, in iis, quæ pertinent ad Mariæ devotionem! Olim ſimplices illi, atque grati animi ſenſu imbuti, ac obſequio erga communem Matrem conabantur ſancta æmulatione illam ſuis laudibus condecorare; modo vero prorſus inverſa ratione, maxima ſervatur in laudibus parcitas; & quaſi illa honorari non poſſet citra Filii contumeliam, adeo ſevera inolevit cenſura, ut vix ſuſtineri poſſint ea, quæ a Patribus dicta fuerunt. Olim cum homines melius vivere noverant, quam diſputare, ſequebantur ſimpliciter motus ſuæ devotionis; atque ut efficacius conſequerentur JESU CHRISTI gratias, confugiebant ad ejus Matrem, quam *Mediatricem*, *Advocatam*, *Matrem gratiæ*, & *Miſericordiæ*, *Reginam*, *Refugium*, & *ſpem peccatorum* vocabant. In præſentiarum melius diſputare norunt, quam vivere. Super hæc nomina quæſtiones ſiunt paucis utiles, inutiles aliis, qui ſciunt ſuæ Religionis principia, infirmis animabus pernicioſæ, quæ inde ſcandalizantur, & favorabiles contemptoribus Religionis, quæ inde eliciunt argumenta non elicienda. Sæpe etiam ad hanc Spiritus infirmitatem, vel cordis ignaviam deſcenditur, ne quis incidat in ea probra, quæ nonniſi in pſeudo devotos incidere poſſunt, & hinc infertur, melius eſſe devotionem omnem ejurare. Hæc agendi ratio non eſt minus pernicioſa in illationibus ſuis, quam fallax in principiis; de devotione judicium ferre ex quibuſdam locis tantum ex quibus ſcandali occaſio naſcitur, non autem ab illis, ex quibus ædificari poſſemus. Sub hoc prætextu, non deeſſe pſeudo devotos, ita confunditur quod ſejungendum eſt; videlicet abuſus, qui omnino damnandi ſunt, & devotio, de cujus ſubſtantia agere bono Catholico non licet, ne locum præbeat infirmis credendi, ſaltem inutile eſſe adhærere devotioni, & cultui Sanctiſſimæ Virginis. *Ex elogiis hiſtoricis*.

Cum SS. Patres loquebantur de Matre Dei, pro hac cautela, qua Reformatores temporis utuntur, conabantur excitare ad cultum illius.

Cum Patres locuti ſunt de Sancta Virgine, ſi quando ſcripſerunt nimis amplificari poſſe vel laudes, quæ tribuuntur illi, vel augeri confidentiam, quæ habetur in illa, vel obſequia religioſa, quæ illi impenduntur, hoc raro accidit, ac illis tantum temporibus, quæ ita fieri ſuadebat neceſſitas. Hæc autem ubi non urgeret, quonam ardore non laudarunt illam, non excitaverunt Chriſtianorum confidentiam, ipſorum etiam peccatorum, ad præbendos illi omnes honores, quos pietas magis ingenioſa illis ſuggerere poteſt. Pro his urgentibus devotionis ſtimulis erga Mariam, pro his adhortationibus ad illam benedicendam, & invocandam, pro utili hac praxi eidem ſerviendi, quæ olim in libris legebatur, in neotericis hiſce moderatoribus non occurrunt niſi adfectatæ cautelæ ad ingerendam ſuſpicionem laudum, quibus Deipara decoratur, confidentiæ quæ in illa habetur, & honorum, qui illi deferuntur. *Pater Aurelianenſis in Devotione Mariæ Virginis*.

His cenſoribus ſatis non eſt perſequi abuſus devotionis, ipſam perſequuntur devotionem.

Eſto; ſi ſatis eſſet his perſequi abuſus & mala, animo medicinam afferendi, & cum hoc laudarent devotionem erga Matrem Dei; laudarem ego quidem eorum prudentiam, & univerſa Eccleſia illis gratias agere teneretur. Verum cum crepent tantum illuſiones, abuſus, mala, ſuperſtitionem, ſcandala, quæ præbent devoti nonnulli, nonne credendi locum præbent, ipſos eamdem perſequi devotionem?

Poſt adhibitas præcautiones loquendi de B. Virginis cultu, non licet re-

Scio quid præcavendum eſt, ne delicatæ quorumdam auditorum aures lædantur, ubi aliorum zelo velificari velimus. Magna Sanctæ Virginis Elogia temperanda eſſe aliqua coarctatione, quam nos fides indigitat;

Sparſe verba, quibus Patres, & Doctores uſi ſunt.

gitat; cavendum eſſe diligenter ne foveantur bipalmares populi errores, ubi volumus excitare devotionem; adorationem quæ debetur in ſpiritu, & veritate, & quæ uni debetur Deo; ſemper ſecernendam eſſe a cultu, quem præſtamus Virgini huic incomparabili, Mulierem hanc ſole amictam, ſolem ipſum non eſſe; rivum gratiarum non eſſe fontem earum. Sed ubi fidelium fidem erudivimus, cur eorumdem pietati non ſuffragamur? Cum fatemur Sanctam Virginem quantumvis glorioſam in ordine creaturarum eſſe, vetebamurne dicere, eam inter has eſſe perfectiſſimam? Cum dixerimus noſtræ ſalutis pretium, omneſque Eccleſiæ theſauros in JESU CHRISTI Sanguine contineri, poſſumuſne nimis venerari virginalem ſinum, qui hanc adorabilem victimam protulit? Ne timeamus ergo exaggerationes fidei periculoſas. Poſt tot oracula, deciſiones, & ſcripta prorſus divina, in quibus expoſita eſt fidei Chriſtianæ veritas, ne timeamus, a populis eoarctari cultum, quem Sanctæ Virgini tribuunt. Non confugiunt ad illam, niſi ad JESUM CHRISTUM ituri; Alteram reſpiciant tamquam ducem, alterum vero tamquam terminum ſuum. Implorant Sanctæ Virginis interceſſionem; ſed gratiam totam a Redemptore præſtolantur. Levant quidem oculos ſuos in montes, cum Sanctam Virginem deprecantur; ſed auxilium ſperant a Domino, luminum patre, & omnium bonorum principio. *Abbas du Jarry.*

Maria tantum particeps fuit reparationis hominum, quantum Eva eorumdem interitus.

Cum Incarnationis Myſterium ſit par, & integra compenſatio myſterii iniquitatis, per quam mors in mundum ingreſſa eſt, ſequitur, Sanctam Virginem tantum fuiſſe humanæ reparationis participem, quantum fuit Eva excidii ejuſdem. Igitur de Sanctæ hujus Virginis manu, Adam, & omnis ejus poſteritas recipere debet hunc fructum benedictionis, quem geſtavit in utero ſuo, & gratiam JESU CHRISTI, cujus fons divinus, & inexhauſtus ſe effundit per rivum hunc, qui numquam clauſus eſt illis, qui eum aperire conantur ferventi prece, & perfecta confidentia. Colligamus noſtras voces, & corda, ut illi noſtra profiteamur obſequia. Tot Templa in nomine ejus ædificata, tot Sanctæ Societates ſub ejus auſpiciis inſtitutæ, tot Virginum millia, quæ ſicut Angeli terreni ad exemplar cæleſtium, eam tamquam Reginam ſuam colunt, tot admirabiles ſuæ protectionis effectus in eos, qui perſeveranter implorant ſacrum Mariæ nomen undequaque conjunctum cum adorabili Nomine JESU ſit viſibile complementum prophetiæ, quæ his verbis continetur: *beatam me dicent omnes generationes.* Hic gloriæ zelus inſculptus in populorum corde, & inſtauratio devotionis ſenſibilis in omnibus ſollemnitatibus, quas illi conſecrat Eccleſia: hæc omnia nonne ſunt tamquam totidem perſpicuæ voces, quæ evulgant magnalia incomparabilis hujus Virginis, quæ cum quovis tempore uſitatæ fuerint in Eccleſia Sancta, confirmant noſtram in ejus auxilio confidentiam, contra ea quæcumque, quæ nominis ſui inimici poſſent in oppoſitum proferre. *Idem.*

Lucæ 1.

In Sancta Virgine validam habemus protectionem.

Dubitare non poſſumus, quominus in Sancta Virgine validam protectionem habeamus, & dicere poſſumus illam Mediatricem eſſe inter JESUM CHRISTUM, & homines. Poſt hunc oblectatur nobis gratias ejus communicare; Hæc ſollicitat, ac urget pro nobis illius miſericordiam: Hæc mulcet iram, cum irritata eſt; Hæc dexteram cohibet, cum jamjam eſt percuſſura. Denique ſtella eſt hujus curſus, & niſi ab illa oculos averterimus, fieri non poteſt, quo minus nobis effulgat propitia. *Abbas Trappenſis.*

Honor a Deo Mariæ conceſſus illi noſtram reverentiam & confidentiam conciliat.

Poteſtne amari JESUS CHRISTUS ſicuti amandus eſt, & non amari illa, quæ majorem habet partem caritatis, & benevolentiæ ſuæ, quam homines ſimul, & Angeli habeant? Sancta illius Mater videlicet. Hæc diſtinctio honoris, & gloriæ, atque ſanctitatis, quæ illam attollit ſuper ceteras creaturas, apud nos illi conciliat reverentiam, cultum, & confidentiam prorſus peculiarem confugiendi ad eam in omnibus communibus, non ſecus, ac in urgentioribus neceſſitatibus. Neque dubitandum eſt quominus hæc ſit intentio JESU CHRISTI, & Eccleſiæ. *Idem.*

Devotio erga Mariam perfugium eſt, quo non eſt abutendum.

Verum eſt Sanctæ Virginis devotionem maximum eſſe peccatoribus perfugium; nec illis eſſe deſperandum, qui ſincere, integreque in illa confiderint. Hæc devotio, & confidentia illos protegit ab ira Dei, ſed ſi hac abuſi fuerint gratia, illam nobis auferet Deus; devotionem hanc amittemus, ſimulque ſpem omnem. Et quoniam Sancta Virgo non poteſt a nobis hunc avertere interitum, niſi comparans nobis gratias protectionis, ut nos a periculis liberet: ſi illa invita in ea noſmet conjecerimus, ad quid nobis proderit ejus protectio? Illa ſalutem noſtram procurare non poteſt, quam obtinens nobis gratias converſionis, quibus ſi reſiſtimus, ad quid illæ proderunt, niſi ut magis inexcuſabiles efficiamur? Quomodo illa certam facere poteſt prædeſtinationem noſtram, niſi efficiendo, ut moriamur in gratia, & quomodo in gratia mori poterimus, ſi ſemper in peccatis vixerimus? *Pater Nepveu in Chriſtianis conſiderationibus in ſingulos anni dies. Tomo ſecundo.*

Quomodo illud intelligendum, Mariæ ſervum nunquam periturum.

Mariæ ſervus nunquam peribit: verum eſt. Sententia hæc innititur auctoritati Sanctorum Patrum, rationi, & experimentis: ſed verus Mariæ ſervus. At Mariæ ſervum eſſe, eſtne eſſe mundi, dæmoniſque mancipium? Mariæ ſervum eſſe, eſtne, eſſe inimicum Filii ipſius, & nolle eum illo in gratiam redire? Mariæ ſervum eſſe, eſtne ingurgitare ſe vitiis omnibus, quæ illa perhorreſcit? Servum eſſe Mariæ, eſtne impotenter infringere leges Filii ſui, & velle ſe protectionis ejuſdem pallio tueri ad evitandas pœnas, quas meretur eaſdem infringens? Hoccine eſt Mariæ ſervum eſſe, exterius geſtare ejus inſignia, & habere cor prorſus oppoſitum cordi ejus, & illi diſplicere, diſplicendo Filio ejus? ipſa etiam, non ſecus, ac Filius cupit converſionem, non autem mortem peccatoris; ſi obſtiteris per pertinaciam, illa non reſpiciet amplius te tamquam ſervum ſuum, ſed tamquam inimicum, quoniam animo obfirmato eſſe vis Filii ejus inimicus. *Idem.*

Divinæ Maternitati innituntur præclara Elogia, quæ diſplicent inimicis cultus Mariani.

Super divina potiſſimum Maternitate Patres, & Doctores Eccleſiæ fundarunt elogia Sanctæ Virginis, quibus ſpiritus erroris laceſſitur. Sed perperam laceſſitur. Ex quo Scriptura, & poſt Scripturam oracula fidei noſtræ ſtatuerunt hoc principium, receptum etiam ab errantibus, qui impugnant concluſiones, quæ inde conſequuntur, Mariam eſſe Dei Matrem, hoccine exaggerare eſt dicere Sanctam Virginem peperiſſe auctorem vitæ; aluiſſe Creatorem ſuum, & quomodo canit Eccleſia, quem cæli capere non poterant gremio ſuo continuiſſe? Eſtne ex eodem principio perperam arguere, cum Sancto Bernardo dicere, Sanctiſſimam Virginem penetraſſe magis, quam fingi poteſt, in abyſſum luminum, ubi divinitas habitat, & cum Deo ſingularem contraxiſſe affinitatem; cujus vi facta eſt Filia Patris, Mater Filii, Sponſa Spiritus Sancti eo modo, qui uni illi decet creaturæ; & vi fœderis hujus ipſam eſſe vere mundi Reginam, Reginam cæli, Reginam Beatorum omnium, non ſolum eo modo, quo dicimus ſolem eſſe regem aſtrorum, quia pulcherrimus eſt, ſed cum aliqua proportione, ſicuti in Regno Reginas vocamus Matrem, & Sponſam Regis. Hoccine igitur eſt perperam argumentari; inferre ex eo, quod hæc Mater eſt Dei a quo nos redempti ſumus per vitam, quam ab hac eadem Matre recepit, poſſe illi attribui quodam in ſenſu, qui minime convenit illis, qui cooperantur ſaluti hominum ſolum per preces, curaſque ſuas, titulum Mediatricis ſalutis, quem tribuit Mariæ Sanctus Bernardus ſine præjudicio qualitatis, ſolius, unicuique Mediatoris, qui in ſenſu proprio reipſa, quemadmodum intelligebat Sanctus Paulus, convenire non poteſt, niſi JESU CHRISTO. *Pater Aurelianenſis in tractatu de Devotione Mariæ.*

Serm. de Aſſumpt. B. M. ſignum magnum.

Epiſt. ad Canonicos Lugdun.

Quam ſolide inſtituta ſit devotio erga Mariam.

Ad perſuadendum pertinaciſſimo cuique per evidens, ac ſenſibile argumentum nihil ſolidius conſtitutum fuiſſe devotione erga Sanctam Virginem: mihi ſatis eſſet producere authenticum Eccleſiæ teſtimonium per traditiones veſtigia prima repetendo ſæcula, ac colligendo omnia Græcorum, Latinorumque Patrum ſuffragia, conſulendo veteres Liturgias, ſequendo lumina, quæ Sancta ſuppeditat hiſtoria; prolixam quippe inſtituerem enumerationem templorum omnium, & altarium, quæ nomini illius ædificata fuerunt, imaginum pictarum, cæſarumque, quas hæreditario jure a majoribus noſtris acceperunt, Ordinumque Regularium in honorem illius inſtitutorum. In memoriam vobis revocarem zelum ardentem, & univerſalem, quem quodvis ſæculum, quo Sanctiſſima Virgo impugnata fuit, prætulit ad gloriam nominis ejus tuendam; magnum numerum feſtorum dierum, quos illi ſacravit Eccleſia, precum, quas indixit fidelibus recitandas in honorem illius; ac tandem generalem hanc omnium temporum, & nationum conſenſionem in celebrandis ejuſdem magnalibus. Hinc tamquam ex principio probatiſſimo hanc certiſſimam elicere poſſem concluſionem contra Sanctæ Virginis inimicos, Eccleſia cum in ſuis obſervantiis, & Religioſis cæremoniis ducatur Spiritu Dei, dubitari non poſſe, quominus profunda veneratio, quam ſuis inſpirat Filiis erga Mariam, & diſcrimen hoc quod inter illam, alioſque Sanctos conſtituit, ſolide ſint inſtituta. Si enim verum eſt, tunc dicerem illis, Fideles excedere in honoribus, quos deferunt Sanctæ Virgini; & ſi cultus, quo illam proſequuntur; Deo tantum convenit, quomodo fieri poterat, ut Deus illum probaret miraculis, ut pateretur Eccleſiam, quam ſemper regit Spiritus Sanctus, canere elogia Sanctæ Virginis, ut omnes Sancti præteritorum ſæculorum

in

in illa adeo confiderent; & perſonæ ipſæ, quæ hodierna die maxima cum pietate vitam ducunt, adhuc in hoc errore perſiſterent? Nonne jure queri poſſemus de Providentia, quæ adeo ſolemniter fidem ſuam obligavit pollicita ſit ſemper Eccleſiæ invigilaturam? *Pater Cheminais ſermone tomo 2.*

Maria cum oblivisci nequeat ſe hominum Matrem eſſe, ſeſe objicit iræ Dei contra peccatores.

Hæretici impugnant Sanctæ Virginis miſericordiam, quaſi oblivisci potuerit, ſe non fuiſſe Matrem Dei niſi pro nobis, qui cum ſimus fratres, & cohæredes JESU CHRISTI, ſumus filii ſui; ipſam caſtis viſceribus ſuis tuliſſe omnium mortalium Salvatorem; & hunc illa duntaxat uſum eſſe, ut veniret in terram quæſitura quod perierat. Non ita. Sancta Virgo nonniſi ægre, & gravate ſubſcribere poteſt damnationi peccatorum, & Dominus probat eam caritatem, quam habet pro illis. Pater cæleſtis non vult peccatoris interitum niſi ex dimidiata parte, donec filius rebellis adhuc converti poteſt; non jaculatur fulmen, niſi eum nemo retinet brachium ſuum; ſed ubi invenit Moyſem orantem, Oratio excutit illi de manu telum. Cum Aaron thuribulum manu gerens ſeſe in medium conjecit populum jamjam igni cæleſti abſumendum, Deus ſe thure mulceri paſſus eſt; & cum ipſe quoque conſilium init perdendi populum ſuum, & in illius infidelitates animadvertendi, unum quærit juſtum, qui iram ſuam lenire valeat, ac ubi invenit illum, lætatur. *Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſpem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eum; & non inveni.* Nec miror, Pater miſericordirrum! Maria nondum aderat calamitoſis illis temporibus; nondum mundo dederas adeo validam Protectricem; ſed ex quo illam obtinuimus, quoties iram tuam inflexit? Quoties brachium cohibuit tuum? Quoties ſtetit inter te & peccatorem, offerens tibi lacrymas, quas ex oculis noſtris extorquebat pœnitentia, & nobis obtinens veniam criminum noſtrorum; vim faciens, audeo dicere, aliquando providentiæ tuæ, ut ad nos ſalvos faciendos miracula perpetrares? Beatus igitur qui ſpem ſuam in Maria collocavit! Beatus, qui plenus veneratione erga Filium, didicit ab infantia confugere ad protectionem Dei; qui in corde ſuo alterum ab altera non ſeparavit, & qui fallaci zelo non privavit ſe perperam ſubſidiis potentiſſimis, & efficientiſſimis, quæ nobis ad ſalutem ſuppetunt. Quod ſi non videntur amplius hodierna die ſubitæ converſiones, admirabiles mutationes, quas manus Domini operabatur in gratiam ſervorum Virginis; hinc factum eſt, quia clauſa ſunt populo hæc viſcera miſericordiæ. Ablatum fuit peccatoribus perfugium; & ſublatis mediis omnibus ad Deum redeundi ſæpe ad deſperationem redacti ſunt. *Ex Sermone Patris Cheminais tomo ſecundo.*

Ezech. 6. 31.

Maria quatenus hominum Mater, objicit ſe iræ Dei merito contra peccatores irritati.

Felicibus his temporibus, quibus fides, & docilitas fidelium permittebat, ut Eccleſiæ Patres ſuos de Virgine ſenſus ſignificarent; eum unicuique ex Patribus ob oculos verſaretur auguſta hæc Deiparæ qualitas, pro ſe quiſque conabatur omnem ſuſtinere magnitudinem glorioſiſſimis encomiis: & uſus verbis præſtantiſſimis, fatebatur dicta ſemper eſſe meritis deteriora. Quod zelus, quem neoterici hodie audent reprehendere, videbatur aliquid nimis emphatice protuliſſe, rectitudine cordis eorum corrigebatur. Id ſolum cogitabatur, quod erat cogitandum, cum dicere videbantur, quod dicendum non erat; & non legimus ſcriptis ſuis aliquod ſcandalum inter fideles periiſſe. Legimus e contra, illos ſæpe prodigia gratiæ patraſſe, quæ noſtro hoc ſæculo patrari non videmus ab iis, quibus tanta eſt cura præterita tempora memorandi. Hodierna die ubi ſermo incidit de Sancta Virgine, non timetur amplius, ne ſatis dicatur, timetur, ne lædatur illorum mollities, qui ſibi perſuadent, ſemper nimis prædicari. Obliviſcendum eſt ferme illam, de qua ſermo eſt, eſſe Dei Matrem, & nemo audet exponere Catholicis magnalia, potentiam, & bonitatem Virginis niſi quodam cum temperamento, quod ne hæretici quidem olim quæſiviſſent. *Idem.*

Præſumptio eorum, qui liberiores ſuos æquo, ac temeraria confidentia in Virginis protectione.

Operæ pretium eſt animadvertere præſumptionem in Chriſtianiſmo eoſdem ferme parere abuſus, quos in Paganiſmo damnamus, cum peccatores per ſtatum, & habitum voluntarium, non ceſſant ſibi Deiparæ opem polliceri. Verum eſt, æquo liberior, ait, ſtatus, in quo ſum, funeſtiſſimos exitus habere poteſt; ut nullo ne in diſcrimine habere debeo Deiparæ clientelam? Cum habetur adeo potens mediatrix, nihil ne ab illius curis expectandum eſt? Nonne ipſa peccatorum Mater eſt æque ac juſtorum? Inde vero concluſio, quæ in moribus mutatio? Nulla ſane; & hoc vocari poteſt, declarare Sanctam Virginem peccati ſui patronam. Quidam non timet terræ loliginis ſuccum allinere, & officere nomini proximi ſui aculeatis obtrectationibus; & quin mali tanti reparatio illi negotium faceſſat, quieſcit ſub titulo Beatæ Virginis, quem unum ſufficere putat ad certam faciendam ſalutem ſuam. Quidam poſtquam aliquas dominici dier horas impendit in Mariæ famulatum, levis hujus Sacrificii contentus, religioni ſibi non vertit integram traducere hebdomadam in otioſitate, quæ æque indigna eſt ſtatu ſuo, & moribus ſuis periculoſa. Quidam habitat in domo, quæ ſibi ſcandalo eſt, & lapſus occaſio: ibi tranquille permanet, donec videt circum ſe ignem concupiſcentiæ undequaque ſuccenſum. Quidam ad ſeceſſionem vocatus vehementi Spiritus ſancti afflatu, qui oſtendit illi periculum, quod in mundo ſubit, renuit reſpondere gratiæ vocationis ſuæ. Quidam poſtquam ſacris ſeſe proluit Myſteriis, eadem die iis ſeſe admiſcet ſocietatibus, ubi novit funeſta doctus experientia, inevitabilem eſſe ſibi intemperrntiam, & ebrietatem. Quidam ſpectaculorum perditus Amator, imprudenter ſeſe objicit omnibus impreſſionibus, quas in animo ſuo efficere poſſunt objecta, quorum vim, mortaleſque impetus ſatis expertus eſt; & putat harum rerum omnium Sanctam Virginem rationem eſſe reddituram: ſe immunem arbitratur a jaculis iræ Dei, donec inniti potuerit clientelæ Matris Sanctiſſimæ. Ita Judæi, infideles illi magis idololatræ, quam ipſi cultores idolorum, putantes ſe ſolos habere Templum veri Dei, quamvis illud frequentibus polluerent iniquitatibus, arbitrabantur illud ſibi aſylum, ac refugium fore contra divinam juſtitiam. Ita confidebant in Arca myſtica, quæ terrorem incutiebat in exercitum inimicorum ſuorum, & quæ illos certos faciebat in omnibus belli periculis, quin cogitarent, ſe ubi Deum ad iracundiam provocaſſent, Arcam hanc attuliſſe cladem exercitui ſuo, & morte ſubita percutere conſueviſſe eos, qui ſacrum illud Dominici fœderis pignus non colerent. Quantumvis modica adhibeatur ad funeſtos hoſce effectus, quorum ipſi teſtes erant, attentio, ſenſus, quem illis immittere debebat Arcæ ejuſdem intuitus, nonne eſſe debebat propriam ſerutari conſcientiam, ut inveſtigarent utrum eſſent in gratia Dei; ne hoc ſymbolum myſticum protectionis cæleſtis converterent in triſte iræ ipſius inſtrumentum. Nonne ſimiles ſenſus nobis inſpirare debet devotio Sanctæ Virginis, non autem inanem in illius ope, & favore præſumptionem? *Idem.*

Idem ſequitur argumentum, & in quod præceps nos ire conjiciat præſumptio.

In quam igitur abyſſum me præcipirem agebam, hunc prætexens cultum, quem Sanctæ Virgini præſto? Ingredimini, fideles, in hos ſenſus. Quam certitudinem illa præſtitit mihi, me male viventem ſalvum fore? Quam mihi propoſui ideam Virginis Sanctæ, cum credidi, illam motum meorum laxitatem propugnaturam? Hiccine cultus eſt, an potius abominatio, qua ejus aras pollui? Quomodo ſperavi Matris patrocinium, cum Filio ejus mortem inferebam? Talis eſt error, in quo vixi, Virgo Sancta; Hæc eſt contumelia, qua tuam aſſeci miſericordiam. Ecce cauſſam dicteriorum, quæ contra te evulgarunt inimici tui. Mundus errorum meorum teſtis, & lætus ſe inveniſſe prætextum te non honorandi, rejecit in te mala, quæ meus erant effectus nequitiæ, & ingratitudinis meæ, & ille, qui fortaſſe bono exemplo meo moveri poterat, ſi meliorem me vitam ducere inſpexiſſet, & ſincera tibi præſtitiſſet obſequia, videns me ſceleribus inquinatum concepit contemptum praxis ſolidæ devotionis. Errabat ille proculdubio; male norat ſenſus cordis mei; neſciebat me non eſſe ex tuorum numero niſi in ſpeciem, & me a te non ſuſtineri niſi tamquam infidelem ſervum, cujus alias tibi accepta fuerant obſequia, & cujus adhuc pœnitentiam expectas. *Pater Cheminais Sermone tomo ſecundo.*

Non habebimur indiſcreti devoti, cum Virgini ea deferemus elogia, quibus a Sanctis Patribus decoratur.

Ne vereamur haberi indiſcretos Sanctæ Virginis devotos, cum illam appellamus Mediatricem, & Reparatricem noſtram; cum dicimus illam nobis eſſe vitæ fontem & noſtram conſolationem in hoc exilio: eamque in periculis omnibus ſpem noſtram vocamus. Cur? nam ad finem hunc ſæculorum, licet hæreſis indigne ferat, atque contabeſcat, ad illam confugiet Eccleſia, eamque ſub his omnibus titulis ſalvare jubebit, *Vita, dulcedo, & ſpes noſtra, Salve.* Vita noſtra, quomodo? Poſt Deum, & JESUM CHRISTUM: dulcedo noſtra; quomodo? Poſt Deum & JESUM CHRISTUM. Poteſtne citra imprudentiam, & nequitiam aliquis ſuſpicari nos, vel potius Eccleſiam id alio in ſenſu intelligere? Et quia certum, & manifeſtum eſt, hunc eſſe Eccleſiæ ſenſum; & non alium a nobis haberi, quantumvis delicati hujus noſtræ devotionis erga Dei Matrem cenſores adlatrent, non ambigimus illam abſolute vocare vitam noſtram, abſolute conſolationem noſtram, abſolute ſpem noſtram. *Vita, dulcedo, & ſpes noſtra, Salve.* Utique, ita canimus cum Eccleſia; & cantabitur uſque ad extremam temporum conſummationem. Sanctiſſimæ Virginis inimici pertranſibunt; ſed illi ſuperſtes erit Eccleſia. Eccleſia poſt illos ſubſiſtet, & meo ſenſu penetrata, confugiens ad ſponſi, & Salvatoris ſui Matrem dicet ſemper: *Vita, dulcedo, & ſpes noſtra. Pater Bourdaloue in Myſteria, tomo 2.*

Quid

Suſpicitur eorum, qui dant operam inveniendi quid objiciant devotioni, & decori Mariæ.

Quid ſentiendum eſt de hominis ingenio, qui paratus eſt ferendis dubitationibus de Magnalibus Sanctiſſimæ Virginis, & de illuſtribus ejuſdem prærogativis? Semper attentus quærendis novis ambagibus, ut eas nobis in ſuſpicionam adducat, & in eo omnes induſtriæ ſuæ nervos intendens, ut verſutiis ſuis ndem abroget vetuſtiſſimis praxibus, eaſque aboleat potius quam eaſdem tueatur, atque dilatet. Proh Deus! Opus ne erat, ut verbi tui miniſterium hodierna die eſſet neceſſarium ad tuendum honorem, & cultum, quem jure ſuo Chriſtianus orbis reddit Sanctiſſimæ Virginum? Poſtquam primi noſtræ Religionis Patres vires exhauſerunt ſuas ad Magnalia Deiparæ prædicanda; poſtquam deſperarunt ſe invenire poſſe voces ſublimitati ſtatus ejuſdem pares: Poſtquam ut unum pro omnibus nominem, Sanctus Auguſtinus confeſſus eſt Ignorantiam ſuam, & palam profeſſus eſt, verba ſibi deeſſe, ut Deiparæ debitas laudes tribueret: *Quibus te efferam laudibus neſcio*; opus erat, ut mihi impugnandæ eſſent fallaces eorum exceptiones, qui metuunt illam immodicis efferre laudibus, & qui audent conqueri, eam nimis honorari? En tamen unum ex ſæculi noſtri malis. Prout mores noſtri depravati ſunt per quamdam reformationis ſpeciem, nimia ſubtilitate cultus ſimplicitas quæſita eſt. Prout fides intepuit, & elanguit, quæſitum eſt, quomodo vivens, & ardens appareret in neſcio quibus articulis, qui non profuerunt niſi ad inutiles diſputationes ciendas, & gignendam ſpirituum diſſenſionem, qui erant ædificandi. Si afferti hujuſmodi zelotes, & indiſcreti cenſores cultus Sanctæ Virginis in conſilium acciti fuiſſent, eorumque ſententis valuiſſet, nunquam illi conſenſiſſent huic multitudini feſtorum in illius honorem inſtitutorum. Infinitus hic numerus Templorum, ac Altarium dicatorum Deo ſub ejus nomine, illis minime placuiſſet. Tot praxes ab Eccleſia inſtitutæ ad alendam pietatem noſtram erga Dei Matrem illos offendiſſent, & ſi illis præberentur aures, eas delendas eſſe cenſerent. Per illos non ſtetit, nec ſtaret amplius, quominus ſub inani fuco cultus hujus prudentis, ſed prudentis ſecundum ſenſum ſuum, quem introducere vellent in Chriſtianiſmo, Religio reduceretur ad jejunam ſpeculationem, quæ ſtatim degeneraret, & quæ re ipſa noſtris hiſce diebus palam in veram degenerat devotionis carentiam. Sed quidquid conata fuerit Hæreſis per tot ſæcula contra te, Virgo Sancta, cultus tuus viguit, vigebitque. Nunquam portæ Inferi prævalebunt contra zelum Chriſtianorum, & contra fidelitatem eorum in tribuendis æquiſſimis obſequiis, quæ pertinent ad te. Quacumque utatur arte, ac niſu ad evellendos ex eorum cordibus ſenſus teneros, & obſequentiſſimos, quibus tuæ gloriæ inhærent, eos fovebunt, evulgabunt, & de illis gloriabuntur. Pietas eorum victoriam refert, & nihil ens ſeducere poterit, vel labefactare. Tu es Sancta Dei Mater: tu ſcopulus es contra quem alliſi ſunt omnes errores; ac in te ſemper allident. Tu ſola hæreſes univerſas interemiſti. Ne una quidem oborta eſt in Chriſtianiſmo, quæ te non oppugnaverit, & quam tu non expugnaveris, & non confuderis: *Cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo. Pater Bourdalove ſerm. tom. 2.*

Si Eccleſia decrevit Sanctos invocari poſſe; ergo multo magis Mariam.

Quandoquidem generatim Eccleſia decrevit, poſſe nos invocare Sanctos, quos Deus de hac exilii terra, in qua vivimus, amovit, ſecumque in regno ſuo collocavit, nonne potiori jure licet nobis in omnibus vitæ hujus neceſſitatibus ad Sanctorum Reginam confugere, eique noſtra vota nuncupare? Quid illi deeſt ex rebus omnibus, quæ noſtram poſſunt confidentiam confirmare? Putabimus ne illam unice ſua felicitate contentam, & propria gloria occupatam ſalutem noſtram nullo habere in diſcrimine? Verum nonne ſemper eſt Mater miſericordiæ? Nobiſmet perſuadebimus, Deum illam glorificantem adeo anguſtis finibus poteſtatem ſuam coercuiſſe, ut illi non ſit amplius integrum efficere, ut ſalutaribus effectibus ejus perfruamur? Sed nonne ſemper eſt Mater Dei Salvatoris, quem peperit mundo, & qui ſemper fuit ſubditus illi? Numquid recipiens meritorum ſuorum remunerationem præclariſſimorum jurium ſuorum jacturam paſſa eſt, & ſi filius hic adorabilis, quem caſtis ſuſcepit viſceribus, propter illam in terris miracula operatus eſt, numquid illa in cælo facere detrectabit? Ita Patres argumentati ſunt; & in hoc fundati ſunt, ut nos energeticis verbis hortarentur, ut inceſſanter ad Matrem Dei confugeremus. Cur mihi non licet omnes hic ad loquendum inducere; vel potius cur nequeo in compendium redigere quidquid dixerunt de Sanctæ Virginis invocatione, & de privilegiis eidem Inhærentibus? Cur mihi non datur, inſignes hos Magiſtros vobis proponere, & ſecundum Sancti Pauli locutionem vos hac teſtium nube convincere? Cum enim non alia nobis ſuppeterent argumenta, numquid ulterius aliquid requireretur; & nonne temeritas eſſet, quid dico? nonne eſſet inſolens pertinacia aſſiſtere velle auctoritati eorum omnium, quæ tot ſæculis in Eccleſia JESU CHRISTI fuerunt Oraculorum, atque Doctorum? *Idem.*

Auferenda non eſt peccatoribus ſpes eorum, videlicet perfugium ad Mariam, modo agant recta fide.

Eo in ſæculo, ubi corruptio adeo generalis eſt, & quo videmus tot animas JESU CHRISTI Sanguine redemptas aberrare, atque pervarti, non obſtruamus illis vias reditus, atque ſalutis. Una autem ex hujuſmodi viis tutiſſimis eſt ſincera devotio erga Dei Matrem. Dicamus fidelibus, ad hoc ut Sancta Virgo fidelium invocetur, illam Chriſtiano ritu invocandam eſſe; videlicet invocandam intuitu potentiæ ſuæ, propter ejus apud Deum auctoritatem; vitæ rationem eſſe mutandam, vitium deſerendum, affectus coercendos, carnem ſuperandam, reſiſtendum lenociniis ejus, cavendum ab inſidiis dæmonis, & mundi, quæ millies deteriores ſunt omnibus inferorum poteſtatibus; vacandum eſſe Religionis officiis, eorumque praxim fovendam, ſanctitatem acquirendam, & beatam promerendam æternitatem. Sed ſimul illis dicamus quibuſcumque in flagitiis vixerint, quamvis peccatores extiterint, & adhuc ſint, benigne exaudiri poſſe a Sancta Virgine, ubi ad illam accedant cum humili, & filiali fiducia. Tantum abeſte, ut rejiciantur ab illa, ut immo illis tendat manum, ſuum ſinum aperiat, illos invitet, & offerat auxilium. En quid illis dicere debeamus: & quod illis dico, nomine tuo. Tu profecto a me dicta non inficiaberis, & omnia verba mea confirmabis. *Idem.*

Quæ in re Maria eſſe debeat nobis exemplo.

In Maria autem, quam honoramus, & invocamus, imitari debemus vitæ ipſius ſanctitatem, & hac in re illam nobis tamquam prototypum proponere. Non quidem in gratiis ſingularibus, & quas præter ordinem a Deo recepit; quandoquidem illæ ſunt Sanctæ Virginis propriæ & peculiares, noluit Deus illas nobis communicare; & inanis eſſet præſumptio illas appetere. Immo neque in fulgenti dignitate, qua amicta eſt, neque in glorioſis privilegiis, quæ illi conceſſa fuere propter electionem quæ de illa facta eſt. Admiremur hæc omnia mirabilia, confiteamur ſupremam magnitudinem Omnipotentis, qui illa operatus eſt; concipiamus pro digniſſimo ſubjecto, in quod Altiſſimus conjecit oculos, & in quo virtutem ſuam exercuit, ſenſus zeli, reverentiæ, & venerationis, qui illi debentur. Sed hujuſmodi miracula nobis pro norma eſſe nequeunt; quandoquidem Deus non poſuit illa in poteſtate noſtra, & adeo ſuper nos poſita ſunt; In illa ergo imitari debemus, iterum dico, vitæ ſanctitatem, plenitudinem ſanctitatis, perfectionem ſanctitatis, perſeverantiam, & inviolabilem firmitatem ſanctitatis. *Idem.*

Valida protectio, quam expectare poſſumus a Maria.

Quod ſubſidium, & quam protectionem expectare non poſſumus ab hac Virgine Matre, quæ ſedens in gloria prope Filium ſuum, cum gratiam invenerit apud Deum, ſanctis precibus ſuis obtinere poteſt veniam peccatorum, ſalutem infirmorum, conſolationem afflictorum, & incolumitatem omnium filiorum Adam. Ita quos honoris, & gloriæ titulos non dederunt illi Patres? Inventricis, Mediatricis ſalutis, Reparatricis ſæculorum. Et profecto dicere poſſumus illam hominibus, potiſſimum vero peccatoribus, datam fuiſſe tamquam Mediatricem, qua utiliter uti poſſunt apud Mediatorem eumdem; cum enim JESUS mediator ſimul ſit, & judex; poſterior hæc qualitas terret eos, quos prior confirmat, & hæc eſt Sancti Bernardi ſententia, quam his exprimit verbis: Times ad Æternum Patrem accedere? ille dedit tibi JESUM CHRISTUM Mediatoris loco. Quid talis Filius non poteſt apud talem Patrem? Sed fortaſſe in illo divinam Majeſtatem reformidas; nam quamvis homo factus ſit, tamen ſemper Deus permanſit. Vis habere Advocatum apud illum? confuge ad Beatam Virginem, invenies in illa ſolam humanitatem, & audacter dicere poſſum, illa exaudietur pro ſua reverentia, & pietate, quia Filius Matrem, & Filium Pater exaudiet. Filioli mei, devotus hic Pater concludit, ecce ſcala, qua uti debent peccatores, ut ad Deum uſque perveniant; hæc eſt magna ſpes mea; nam innocens hæc Virgo invenit gratiam apud Dominum, & hac una indigemus gratia ut ſalvemur. *De Montmorel. Homil. in Evangelium tomo 6.*

S. Bern. ſerm. 2. in Nativit. B. V.

Quid in Sancta Virgine imitari debeamus.

Profundam humilitatem, vivam fidem, ſpem firmam, & ardentem Sanctæ Virginis caritatem imitari debemus. Evangelium hoc oſtendit nobis in illa fulgentia facta, quæ vulgi admirationem concilient. Seſe in Templum ſolemnibus diebus conferre, ſecum puerum JESUM adducere, legis explicationem audire, domeſticæ curæ vacare, manibus ſuis operari ad ſponſi laborem levandum; Filii ſui curam gerere, domum ſuam bene regere; hæ erant ejus otia, & negotia, & communibus hiſce actionibus adepta eſt ſanctitatem, ad quam ne perfectiſſimus quiſque pervenire poterit. Hinc facile eſt arguere omnem virtutem in eo ſitam eſſe, ut quiſque intra vocationis ſuæ terminos ſe contineat, quin inde egredi velit inſigniora facturus opera; nam quamvis vulgo pii

etiam

Google

etiam viri aberrent, hæc vera eſt ſanctitatis via, quæ quo magis latet eo tutior eſt, quo obſcurior eſt, eo humilitati JESU CHRISTI eſt conformior, quo eſt a ſingularitate remotior, eo magis fallit ambitionem, quæ puriſſimas quaslibet virtutes corrumpit. Certa conſolatio pro illis omnibus, qui in obſcura latentes conditione non poſſunt Deo præbere perſpicua ſui amoris indicia, & poſſunt nihilominus pervenire ad altiſſimum perfectionis apicem in hac vita. *Idem*.

Plerique peccatores indignos ſe præbent S. Virginis protectione.

Hanc Virginem Matrem toto cordis affectu colere oportet. Hæc, Sanctus Bernardus ait, noſtram excitat fidem, munit ſpem noſtram, metum amovet, ſuſtinet infirmitatem; & ecce quid nobis ſuadere debeat, non ſolum honorare illam, verum etiam poſt Deum in illa omnem fiduciam collocare; nam quid non poteſt illa apud Filium ſuum, & quid ab illa exſpectare non poſſumus; ſi admiſſi fuerimus mereri, ut nos in ſuam clientelam recipiat. Sed heu! poſſumuſne noſmet indigniores efficere, & in rebus omnibus magis oppoſitos præbere huic Matri miſericordiæ, quam ſumus? Illa in mundum venit propter gratiæ triumphum, ut Auctorem gratiæ produceret, ut nobis gratiam communicaret; & nos dicere poſſumus ſummo cum Chriſtianorum opprobrio, videri pleroſque non vivere, niſi ut peccatum triumphet, ut peccatum producamus, ut peccatum effundamus, & communicemus. Et ſane nonne hoc eſt naſci, ut peccatum triumphet, ut jacturam gratiæ baptiſmi faciamus, ſtatim ac ſatis rationis uſum aſſecuti ſumus, ut peccemus, totam vitam tranſigere in alterna viciſſitudine gratiæ, & peccati, Sacramentorum, & ſacrilegiorum, pœnitentiarum, & lapſuum iteratorum, cum hoc diſcrimine, ut dies una gratiæ impendatur in ſingulos annos, qui tribuuntur peccato, & cum poſt gratiam deguſtatam reditus fit ad peccatum, hoc ſecundum Tertulliani dictum

De Pœnitentia.

accidit poſt inſtitutam Deum inter, ac dæmonem comparationem, iterum declarando ſe in mundi gratiam, cum dedecore, ut ita dicam, Dei ipſius. *Idem*.

Oratio ad petendam protectionem Matris præſertim in morte.

Potens ſalutis noſtræ cooperatrix, ingrederis Salvatoris noſtri conſilia, iiſque velificaris; verum ut ad id magis, magiſque impellamus te, elogiis, quæ tibi contulit Angelus, addimus orationem, quam tibi nuncupavit Eccleſia, Mater Dei ora pro nobis peccatoribus. Hæc peccatorum qualitas, ſit licet inviſa, quin nos arceat ab altaribus tuis, efficit e contra, ut confugiamus ad te. Memento pro peccatoribus te electam fuiſſe, & Deum in æternis decretis ſuis prædeſtinaſſe te, ut illos ſibi reconciliares. Memento te Matrem eſſe miſericordiæ, & miſericordiam cum peccatoribus exerceri. Quemadmodum Filius tuus per merita ſua noſter Mediator eſt, per interceſſionem tuam eſto apud Filium tuum Mediatrix noſtra. Cælum audiet vota tua, & obtinebis ſimul, & gloriam, quod illius erga nos conſilia repleveris, & conſolationem, quod miſeros ſalvos feceris. Igitur ex hoc tempore precare pro nobis, quia jam nobis opus eſt ſubſidio tuo, ac illud imploramus. Noſcis neceſſitates noſtras, vides quot periculis quotidie, quot tentationibus, quibus lapſibus ſimus obnoxii. Infernus nos aggreditur, mundus nos faſcinat, cupiditas excæcat, occaſio trahit, habitus dominatur: facile in malum ferimur; in eo diu permanemus, difficile illinc recedimus. Quid præter ea requiritur ad totam excitandam miſerationem tuam? Poteſne tot affici miſeriis, quin velis illi ferre opem, & medicinam? Sed præſertim Virgo Beatiſſima, ne deſeras nos in hac ora terribili, qua noſtræ ſalutis inimicus ſuos contra nos conatus ingeminat. Tunc pro nobis ingemina curas tuas, neque permittas auferri Filio tuo animas ſuo Sanguine redemptas. *Pater le Valois. Alloquia in Beata Virginis Myſteria Tomo 4.*

Idem ſequitur argumentum.

Si nobis confligendum eſſet duntaxat cum domeſticis inimicis, qui nobiſcum oriuntur, & quos nobiſcum in nobiſmetipſis gerimus, cupiditates noſtras; eſto. Sed ea omnia quæ nobis circumſtant, quæ ſeſe offerunt oculis noſtris; quidquid ſenſus noſtros percellit, illis favent, iiſque contra nos arma ſuppeditant; In hoc tamen ſtatu miſerrimo, eo miſericordia minus digni, quo magis in dies ſingulos novis noſmet ſubjicimus periculis, & nullam quærimus opem contra ea mala, quæ per nos evitare non poſſumus. Sed fallor; in hoc eo magis miſeriores ſumus, quo ſæpius non minus eſſe miſeros exiſtimamus; & dormitamus ſine cura, ſine vigilantia in fallaci ſecuritate. Sed tu es Mater Sancti amoris, & timoris Chriſtiani: & per te gratiam obtinebimus accurationis vigilantiæ, & metus ſalubrioris. Noſmet componere debemus ſecundum exemplum tuum, & in exemplo tuo inveniemus æque unde erudiamur, & erubeſcamus. *Idem*.

Devotio ſervituti Deiparæ.

Reple, Virgo Sancta omnem latitudinem ſignificationis nominis tui. In cælo te cælites adorent, te in terra homines revereantur, te in inferno ſpiritus illi nequam reformident. Regna poſt Deum ſuper ea omnia, quæ ſunt infra Deum; ſed potiſſimum regna in corde meo. Tu eris conſolatio mea in anguſtiis, virtus mea in infirmitatibus, conſilium in dubiis. Audito ſolo nomine tuo tota excitabitur fiducia mea, totus inflammabitur amor meus. Cur nequeo profunde inſculpere in omnium corde Sanctum hoc nomen! Cur nequeo illud ponere in ore omnium, & omnes mecum ad illud celebrandum adigere? Maria, o nomen ſub quo nemini deſperandum eſt! Maria, o nomen toties impugnatum ſed ſemper glorioſum, & quod ſemper victoriam reportavit! Maria nomen ſemper jucundiſſimum, ſemper ſalutare animæ meæ, quod me in dubiis confirmat, in languoribus excitat, in laboribus ſuſtinet. Singulis vitæ meæ diebus illud proferam, ac illud proferens cum Sacro JESU Nomine conjungam. Filius revocabit Matris memoriam, Mater vero memoriam Filii. JESUS, & Maria, hoc os meum millies in morte iterabit. JESUS, & Maria hoc cor meum, ore deficiente, interius iterare non ſinet. Uſque ad extremum ſpiritum in auribus meis repetetur hoc Nomen JESU, hoc Mariæ Nomen, & ad extremum uſque ſpiritum hæc mihi erunt nomina ſalutis, & benedictionis. *Idem*.

Actus ſpei in Virginis protectione.

Si in hoc viſibili mundo ſpe bonorum inviſibilium nos fulcit, & vivere facit; Tu Sancta Virgo poſt Deum es vita noſtra, quia poſt Deum in te fundata eſt ſpes noſtra. Si in hac mortuorum regione nihil ſolidius conſolari nos poteſt in iis malis, quibus ſumus obnoxii, niſi exſpectatio cæleſtium deliciarum, quas guttas in regione viventium; tu poſt Deum es noſtra conſolatio, quia in te poſt Deum conſtituta eſt exſpectatio noſtra. O pauperum præſidium! O malorum noſtrorum perfugium! O ſolida ſpes peccatorum! Urgeat nos indigentia, confugiemus ad te, & nobis auxiliaberis, ut eam ſuſtinere poſſimus. In nos ſæviant adverſa, confugiemus ad te, & opem nobis feres ad ea ſanctificanda. Periculum nobis imminent, confugiemus ad te, & tu ad illud evitandum opitulaberis. Nobis cæcitatem offundat illuſio, confugiemus ad te, eamque tuo freti auxilio diſſipabimus; Patres noſtri tot ſæculis experti ſunt tuæ protectionis effectus; novisſimis hiſce temporibus nos deſerere incipies? Nunquid pro aliis tantum te Matrem adeo miſericordem fuiſſe dicemus? *Idem*.

Ratio ſibi amorem Virginis, ideoque & ejus protectionem promerendi, eſt illam amare, & in illa confidere.

Sanctam Virginem amore ſummo complecti tutiſſima ratio eſt, protectionem adeo benignam promerendi. De hoc non licet ambigere; maximum enim ſecretum vel potentiſſima ad amorem illius captandum illecebra, hæc eſt, ut nos amemus eos, a quibus amari volumus; qui nos in occaſionibus protegunt, ſuo nobis favore, atque auctoritate patrocinantes; hæc enim certiſſima probatio eſt affectionis eorum; eo uſque, ut Deus in Scripturis non aliam præbeat ſexcentis in locis notam amoris erga populum ſuum, quam protectionem ſuam polliceri, & efficere, ut ejuſdem illi ſentiant effectus. Eumdem ſequitur morem Virgo erga illos, a quibus diligitur, & qui penitus illius ſervituti mancipati ſunt. Illos ſuo dignatur affectu, eiſque præbet indicia per eam protectionem, quæ nonnunquam procedit ad ſtupenda miracula; non enim defuerunt ii, quos liberavit a naufragio jam aquis ſubmerſos; quos ab inevitabili eripuit incendio, cohibens impetum flammarum; quibus vitam ſervavit, donec in bene moriendi ſtatum pervenerunt. Integra, & ſpiſſa impleri poſſent volumina exemplis protectionis adeo ſingularis; ſed ne unum quidem invenies, qui favores adeo ſingulares cæleſtis hujus Reginæ acceptos non retulerit amori, quo ipſa illos proſequebatur. Non ideo tamen dixerim, gratias adeo ſingulares exſpectandas eſſe, neque ſperandum, ut Sancta Virgo ſimilia operetur prodigia. Alii ſunt effectus protectionis ſuæ, non minoris in pretio habendi, ſcilicet in jugibus periculis ſalutis noſtræ; & his in occaſionibus gaudet nobis patrocinari, & opem ferre illis, quos diligit. *Auctor ſermonum in omnia argumenta.*

Memet ad pedes tuos proſterno, Virgo Sanctiſſima, ac tuum imploro ſubſidium, ſi me deſeris in extrema hac calamitate mea, actum eſt de me in æternum; ne dicar, Mater miſericordiæ, unus ex omnibus fuiſſe peccatoribus, cujus lacrymas, atque ſuſpiria neglexeris. Unicum oris tui verbum, & cordis tui deſiderium decidere poteſt de mea æternitate, eamque beatam efficere. Tu me præſenta ad hoc tribunal terribile, & non erit mihi quod timeam; quantumvis ſevera ſit juſtitia, mutabit leges ſuas, Miſericordiæ leges ſecutura, quæ omnino ubi es, non regnare non poteſt. Amor tuus, ac benevolentia ſedabit iram Filii tui, & dejiciet de manibus ejus fulgura, & fulmina in me detorquenda, &c. *Auctor recens.*

Cor meum ſatiſne penetratum eſt ea caritate, quam illa habuit pro me? Eum ne fovet grati animi ſenſum,

ſum, quem erga illam fovere debet? Quomodo nam uſque in præſentem diem colui Matrem adeo amabilem? Quo ſpiritu feſtos illius dies celebravi? aliquamne peculiarem erga illam devotionem exerceo? Si mihi metipſi legem impoſui quotidie recitandi orationem aliquam in honorem illius, num fideliter hoc munere perfunctus ſum? Devotio mea erga illam eſtne ſincera? Qua mente, qua cura illas offero preces, quas illi nuncupo? Quonam zelo, & affectu opem ejus imploro? Illam oretenus laudare, & labiis honorare contentus, nunquid abſens ſum corde? nunquid zelo ſuccenſus ad illius prærogativas laudandas, eadem alacritate virtutes ejus imitor? Quam ingratus eſt Filius, ſi vel uno momento cogitare ceſſat de Matre omnium Matrum optima, & ſuaviſſima! Quam protectionem ſperare poteſt a Matre Judicis ſui ille, qui toties & Filium laceſſivit, & Matrem dedecoravit! O Virgo Sancta, quæ Omnipotens es in cælo, & in terra, & in corde meo, utere poteſtate qua frueris, loquere pro me ad Filium tuum; amove a me, quidquid poteſt longe me facere a te: tuere in me confidentiam, quam in te habere debeo. *Alius Auctor Recens.*

Cultus Sanctiſſimæ Virginis habendus cum fervore eſſe debet conjunctus; hoc teſtantur magnus Templorum numerus nomini ejus ædificatorum in omnibus terrarum partibus; hæc feſtorum dierum frequentia inſtitutorum ad recolendas cum honore omnes vitæ ſuæ actiones; hæc loca deſtinata in regione qualibet ad illam variis in neceſſitatibus invocandam; hæc vota publica, & oblationes, hæ ferventiſſimæ preces in Officio Divino insertæ, hæ ſocietates perſonarum Deo devotarum ſub ejus auſpiciis, hæc feſtinatio gentium omnium in illius clientelam confluentium. Ex quibus inferendum eſt, quod laudes ejus imminuere, prærogativas ejus in dubium revocare, ſub exceſſus colore vel confidentiam in illa repoſitam, vel praxim inſtitutam cultus, & religioſi honoris, qui præſtatur illi, deterere, ſemper hunc hæreſeos ſpiritum extitiſſe, *Pater Aurelianenſis loco citato.*

F I N I S

Tertii, & Ultimi Tomi Myſteriorum.

23 3662.24